Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XIII
C
2
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

X III
C
2

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MEDITATIONUM EVANGELICARUM

Pars Secunda,

Hoc eſt:

Solida, ad diſcendam & exercendam, ex Evangeliis tam Dominicalibus quam Feſtivalibus

CHRISTI & SUI-IPSIUS NOTITIAM, informatio:

M. HARTMANNI CREIDII,

Paſtoris b.m. ad D. Annæ Templum Auguſtanum.

Ad multorum rogatum, & ad implendum deſiderium exoticarum Auguſtanæ noſtræ Confeſſionis nationum,

Latino ſermone jam demum luci expoſita.

OPUS POSTHUMUM.

FRANCOFURTI ad MOENUM,
Sumptibus FRIDERICI KNOCHII,

Typis B. C. WUSTII, Jun. Anno MDCLXXXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Dominica I. Adventus.

Evangelium Matth. 21. v. 1. -- 9.

EXORDIUM.

Cum Regum ſapientiſſimus Salomo templum Hieroſolymitanũ conſtruere ſecum conſtituiſſet, invocabat Dominum, ut mitteret ſibi ſapientiam de cœlis ſanctis ſuis, & à ſede magnitudinis ſuæ, ut ſecum eſſet, & ſecum laboraret, quò ſciret, quid acceptum ſit apud Dominum, Sap. 9. v. 10. 11.

Hæc *Myſticè* intelligenda veniunt.

Templum Salomonis dudum funditùs deletum eſt, ſemel per Nebucadnezarem Regem Babylonis, Jer. 52. v. 13. Deinde per Imperatorem Romanum Veſpaſianum, ejusq; filium Titum, quadrageſimo poſt adſcenſum Chriſti anno, ut Euſebius teſtatur. Sed Servator noſter Chriſtus adhuc *aliud* habet *templum*, quod eſt *Eccleſia*, & quævis fidelis anima, in qua habitat, & quaſi ignem & caminum habet, Jer. 31. v. ult. Unde Paulus: Vos eſtis templum Dei vivi, 2. Cor. 6. v. 16. Spiritus enim Dei habitat in vobis, 1. Cor. 3. v. 16.

Fideles Eccleſiæ miniſtri & Paſtores ſunt ſpirituales *architecti & fabri*, 1. Cor. 3. v. 10. conſtituti ad præparationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, Eph. 4. v. 12. ſicut expreſsè domus Dei illa appellatur, 1. Tim. 3. v. 15. Heb. 3. v. 6.

Veluti igitur Salòmo Dominum *implorabat*, ut ſibi ſapientiam cœlitùs mitteret, quæ ſecum eſſet, & laboraret ſecum: ſic etiam Doctores & Paſtores orationis obliviſci non debent: ſed tradant cor ſuum ad vigilandum diluculo ad Dominum, Sir. 39. v. 6. ut det ſibi, cum omni fiduciâ loqui verbum ſuum, Act. 4. v. 29. Munus enim adeò arduum eſt, ut non ſine cauſsâ Paulus quærat: πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός; 2. Cor. 2. v. 16. Præterea non exiguum momentum ſitum eſt in precibus auditorum, ut ſemen verbi divini bene cadat, & faciat fructum centuplum, in vitam æternam, Luc. 8. v. 8. quia neq; qui plantat eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus. 1 Cor. 3. v. 7.

Ad hanc eccleſiæ ſtructuram me quoq; indignum Deus vocavit, in hâc mihi concreditâ parochiâ meâ: Unde libenter *lapides* & *calcem* ejus ita adaptarem, h. e. conciones meas ita conciperem & proferrem, ut Majeſtaticum Dei nomen ſanctificaretur, & ovicularum concreditarum ſalus meliori modo promoveretur; in id enim ante omnia incumbere debet fidelis Eccleſiæ Miniſter, ut ad captum Auditorum ſuorum attemperet ſeſe, omnium ſe ſervum faciendo, quò plures lucrifaciat, 1. Cor. 9. v. 19.

Hactenus ex ordinariis Evangeliis, *tri-*

Digitized by Google

plicem querelam, triplicem Medelam, & triplicem Cantelam, ut notum eſt pertractavimus. Quod quidem ſine ſalutari emolumento plurimorum non factum eſſe, autumo, juxta illud Eſa. 55. v. 10.

Quia verò ante octiduum *cum Deo* finem impoſuimus huic operæ noſtræ: Hodiè σὺν θεῷ aliud nunc penſum in gratiam veſtri, Auditores Optimi! orſuri ſumus. Et ſicut pius Hipponenſium ille Epiſcopus, Auguſtinus orat: *Domine da mihi noſſe me, & noſſe te.* Hæc duo nos in tractatione Evangeliorum meditabimur; ut diſcamus

I. ἀνθρωπολογίαν *ſive notitiam noſtri; quis homo ſit poſt lapſum, ſive per naturam ſive per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti: Naturâ quidem filius iræ, & ſervus peccati: Gratiâ Dei autem & per Chriſtum, filius & hæres æternæ ſalutis.*

II. χριστογνωσίαν, *ſive notitiam Chriſti, quomodo homo cognitionem Dei & filii ſui Jeſu Chriſti hinc diſcere debeat, in quâ unicè vita æterna conſiſtit.* Joh. 17. v. 3.

Jeſu Servator! te da mihi noſſe, deinde
Memet noſſe etiam; ſic bene doctus ero.

Exegeſis.

Quemadmodum aliàs quotidiè in Oratione Dominicâ petimus: Domine, *adveniat regnum tuum:* Sic hodiè cum devotione piâ idem nobis repetendum eſt, quia hodierna Dominica ab *Adveniendo* nomen habet, & *prima Adventus* dicitur. Ubi Chriſtus Servator noſter, aſino mutuato, tanquam Rex filiæ Sion Hieroſolymam ingrediens, nobis meditandus proponitur. Cum enim appropinquaſſent Hieroſolymis, & veniſſent Bethphage, ad montem Olivarum, tunc Jeſus miſit &c.

Hinc anſam capimus, ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri* perdiſcere, quando intuemur

I. *Diſcipulorum obedientiam.* Mandatum Chriſti de ſolvendâ aſinâ ſatis abſonum Diſcipulis videri potuiſſet: attamen ſine ullâ tergiverſatione illud expediunt: Euntes enim diſcipuli fecerunt, ſicut præcepit illis Jeſus. Si cum carne & ſanguine deliberatum illi iviſſent, plurima obſtacula ipſis remoram injicere potuiſſent. Prætendere potuiſſent, neque ſeſe Dominum aſinæ, neque poſſeſſorem ſemet noſſe, quod indecorum videretur, ſi aſinam inſalutato hoſpite aufferre vellent, quod facilè periculum aliquod incurrere poſſent.

Sed has & ſimiles rationis affectiones ſeponunt, & cogitant, αὐτὸς ἔφα, noſtrum proinde erit debitam ipſi obedientiam præſtare, & morem gerere, prout jubet.

Hic velim probes te, mi Chriſtiane! utrum tu quoque ejusmodi obediens Chriſti diſcipulus exſtiteris, ejusq; mandato fideliter inhæſeris, licet fortè rationi adverſum fuerit viſum?

O terq; quaterq; beatos nos, ſi hoc ita obſervaremus, juxta illud: Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eſtis, Joh. 8. v. 31.

Sed magna hic occurrit diverſitas! Inveniuntur enim hîc *Thomiſtæ*, qui rationi inhiant, & quando Chriſtus quicquam in verbo ſuo mandat, quod ſibi repugnare videtur, fidem ei denegant, cum gloſſis ſuis pervertunt, nec aliter recipiunt, quàm quatenus rationi ſuæ congruere videtur. Sic juſtificatur ſapientia à filiis ſuis, Luc. 7. v. 35.

Sed

Digitized by Google

Sed grande peccatum eſt. Ratio enim in rebus ſpiritualibus cœca eſt, 1.Cor.2.v.14. ideoque in captivitatem redigenda, in obſequium Chriſti, 2.Cor.10.v.5. faciendum verò quod Chriſtus imperavit, licet *quomodo fieri poſſit*, non intelligamus. *Obedientiam enim fides exigit, non curioſitatem*, ut Tertullianus ait. Scrutans enim gravia, gravatur, Prov.25.v.27. Beati verò, qui non viderunt, & crediderunt. Joh.20.v.29.

Occurrunt *Papiſtæ*, qui Decreta Pontificis, ſive antiquorum Patrum ſcripta & Concilia in majori autoritate habent, quàm verbum Dei. Quicquid enim Pontifex jubet, ſive in ſcripturâ ſacrâ inveniatur, ſive minus, ſervandum volunt. Exemplo eſſe poteſt doctrina de cœna Domini, quam Patres Concilii Conſtantienſis mirè depravarunt, dum Laicis uſum calicis interdixerunt, *non obſtante contrariâ Chriſti diſpoſitione*, Matth.26.v.26. Marc.14.v.22 Luc.22.v.19. 1.Cor. 11. v.23.

Nonne hoc eſt, reſcindere verbum Dei, per traditionem hominum? Marc.7.v.15. O quàm durum ipſis erit, adverſus ſtimulum calcitrare! Act 9. v. 5.

Reperiuntur *Atheiſtæ*, qui nullam correctionem admittere volunt: ſed dicunt ad Deum: Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus, Hiob 21. v. 14. Hi ſunt Epicurei, quorum Symbolum eſt: Quod libet, licet:

Wir haben Recht und Macht allein /
Was wir ſetzen / das gilt gemein /
Wer iſt / der uns ſol meiſtern?

Veri Chriſtiani mandato Chriſti obſequi, & diſcipulos ejus imitari debent. Sicut enim omnium eſt Dominus: ita quoque mandatum ejus ſuper omnia. Eſa.1.v.20.

II. *Proprietaris benevolentiam*, qui Domino aſinam denegare nolebat, ſed ſpontè indulgebat, cum à diſcipulis ideò compellaretur. Adduxerunt enim aſinam & pullum.

Hic velim examen inſtituas tecum, utrum tu quoque in commodando, opera caritatis proximo tuo exhibueris.

Multi enim Nabaliſtæ hodiè ſeſe offerunt, qui de munere quodam compellati, non verentur dicere: Quis eſt David? & quis eſt filius Iſai? 1.Sam.25. v.10.11.

Hoc peccatum eſt. Deus enim pauperibus ſubvenire juſſit. Propter mandatum aſſume pauperem: & propter inopiam ejus ne dimitte eum vacuum. Sir.29 v. 13. Quin imò propterea largitur nobis divitias & opes, ut non modò nobis reſervemus, ſed inopi quoque de iis ſuccurramus, 1.Tim.6. v.18. Hebr.13.v.16.

Chriſtus Servator noſter vitam pro nobis profudit, ex merâ caritate: quidni & nos propter ejus mandatũ, in gloriã ejus de bonis noſtris terrenis largiremur? (vos, O quæ ſtultitia eſt? Deus emit ſanguine ſervos)
Mercari exiguo nos piget ære Deum.

Genuini Chriſtiani norunt quid officii ſui ſit, nimirum, miſereri & commodare, Pſ. 112.v.5. Norunt, ſe hoc modo Dei mandatum expedire. Qui enim facit miſericordiã, mutuò dat proximo ſuo: & qui prævalet manu, mandata ſervat Sir.29 v.1. Sciunt, ſibi hinc opulentam remunerationem expectandam. Qui miſeretur afflicti, beatus erit, Prov.14.v.21. Talis mutuò dat Domino, qui retributionem ſuam reddit ei. Prov.19.v.17.

Licet autem hâc in parte multùm diſputetur, *quomodo mutuo dandum ſit*, ut nihil inde ſperemus, Luc.6.v.35. ſive uſurariè, pro certo lucro: Charitatem Chriſtianam hâc in parte optimam magiſtram, & moderatricem eſſe ſtatuimus. Omnia enim quæcunq;

Digitized by Google

vultis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite illis: & vice verſâ: quæ non vultis, ut faciant vobis homines, ita nec vos facite illis, Matth. 7. v. 12. Ex quo apparet, hâc in parte, certos limites obſervandos eſſe. Non enim nimium extendenda eſt beneficentia, ut aliis ſit relaxatio, nobis verò afflictio, ſed ut ſit æqualitas, 2. Cor. 8. v. 13.

Si quis igitur proximo ſuo centum vel mille florenos utendos dediſſet, quibus quæſtum ſuum quæreret, æquum ſanè foret, ut is, qui tantiſper pecuniâ ſuâ deſtituitur, commodum inde caperet, ſecus enim ille diteſceret, hic verò in fortunâ priſtinâ maneret, nec ulla ex argento utilitas in hunc redundaret. *Ordinata charitas incipit à ſeipsa, & ſvadet ut potiorem rationem habeamus eorum, quæ Deus & natura nobis arctius conjunxit.* Der Herr Chriſtus begehret nicht/ ſcribit Lutherus, daß ich mich mit meinem Gut zum Bettler/ und den Bettler zum Herrn mache/ ſondern ſeiner Nothdurfft ſol ich mich annehmen/ und was ich vermag/ ihm helffen: daß der Arme mit mir eſſe/ und ich mit ihm. Siracides ex utraque parte optimè conſulit. Sir. 29. v. 2. ſeqq.

III. *Populi Reverentiam*, quam ingredienti Regi gloriæ diſcipuli ejus, cum populo præſente exhibuerunt.

1. *Opere.* Impoſuerunt enim ſuper aſinam & pullum veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in viâ. Alii autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in viâ.

Hoc ipſo indicare voluerunt:

1. *Suam beneficentiam.* Veſtem enim de corpore detrahunt, eaq; honoribus Chriſti ſitant, nobis in exemplum, ut & nos ex noſtrâ parte nihil eorum intermittamus, quo cultum Dei, & Chriſti gloriam promovere & conſervare queamus, juxta monitum Salomonis: Honora Dominum de tuâ ſubſtantiâ, & de primitiis omnium frugum tuarum: & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt. Prov. 3. v. 9. 10.

2. *Chriſti magnificentiam.* Rami enim, quos de arboribus cedebant, erant rami palmarum, uti Johannes c. 12. v. 13. teſtatur, qui olim apud Judæos lætitiæ ſignum fuerunt: Capietis ramos palmarum, & lætabimini ad facies Domini, Lev. 23. v. 40. Idem ex captivitate Babylonicâ reduces fecerunt. Neh. 8. v. 15. 2. Macc. 10. v. 7.

Ita hîc per palmas indicatur, eum, qui venit in nomine Domini, verum eſſe Triumphatorem, qui hunc in finem ingreſſum ſuum celebret, ut cum Diabolo in arenam deſcenderet, eiq; oſtenderet, ſe eſſe benedictum illud mulieris ſemen, contriturum caput ſerpentis, Gen. 3. v. 15. Ideò ipſe ait: Venit princeps hujus mundi, & in me non habet quicquam. Joh. 14. v. 30.

2. *Ore.* Non enim modò veſtimenta ſtraverunt in viâ, & cæciderunt ramos de arboribus, quos ei partim prætulerunt, partim in viâ ſtraverunt: ſed cecinerunt quoque in honorem ejus egregium hymnum: Hoſanna, Filio David, benedictus, qui venit in nomine Domini, hoſanna in altiſſimis.

Hic velim inſpicias te, utrum etiam tanta reverentia ingredienti gloriæ Regi JESU Chriſto obviam proceſſeris, & tam verbis, quam factis ingreſſum ejusdem promoveris?

Beneficentiſſimus ſanè Deus vineæ ſuæ facit, quod debet, Eſa. 5. v. 4. qui hunc

Digitized by Google

annum adeo benignitate ſua coronavit, Pſ. 65.v.12. ut areæ impletæ ſint frumento, & redundent torcularia vino, Joel. 2. v. 25. Deus exaudivit cœlum, & cœlum exaudivit terram, & terra exaudivit triticum & vinum, quæ nos filios gratiæ exaudiverunt. Oſ.2.v.21.

Præterea verbum Dei purum, cum vero uſu Sacramentorum habemus, quod melius eſt cunctis opibus precioſiſſimis, imo margaritis, & omne deſiderabile ei non poteſt comparari, Prov.8.v.11. Hæc non aliter intueri & conſiderare debemus, ac ſi Chriſtus corporaliter ad nos veniſſet, cum theſauris gratiæ ſuæ. Sed indignis modis ille accipitur! Tantum enim abeſt, ut hic vel ille Chriſto veſtimenta ſua ſubſternat, ut potius & tunicam ei exueret. Hæc mundi hodierni devotio eſt!

Cum tabernaculum in V.T. exſtruendum eſſet, quilibet de facultatibus ſuis aliquid ad idem conferre tenebatur. Quod quoque ſponte offerebat populus, ut Moſes juſſerit tandem præconis voce cantari: ne ultra offerrent quicquam in oblationem ſanctuarii, Exod.36.v.5.

Hodie liberalitas hæcce plane deſiit, plurimi potius ad ſeſe rapiunt, quicquid poſſunt. Sed nefanda ingratitudo hæc eſt. Quia enim nihil à nobismetipſis, ſed omnia potius à Deo accepimus, ideoque fas erit, cultum Dei hoc ipſo ſponte promovere, & nihil intermittere eorum, quæ Chriſto, ad nos ingredienti, viam ſternere poſſint. Ideo enim Dominos fontis nos conſtituit Deus, ut in plateas rivuli aquarum deriventur, Prov.5.v.16.

Sic & laudis ſacrificium ſordet, quo Chriſtus hodie excipitur. Si maledictio eſſet gratiarum actio, tum non pauci forent, qui eo ſacrificia ſua litarent, eò enim res rediit, ut merito cum Auguſtino quærendum ſit: *Plura ſunt juramenta, quam verba.* Hoc ipſo vero filius Dei non laudatur, ſed denuo crucifigitur, Hebr.6.v.6. *Non enim minus peccant, qui blaſphemant regnantem in cœlis, quam qui crucifixerunt ambulantem in terris*, ut Tertullianus ait.

Pii Chriſtiani Hoſianna ſuum Chriſto accinere, eidemque cum hymno exultationis & gratiarum actionis occurrere debent, hunc circiter in modum:

Hoſpes veni gratiſſime,
Nos viſitans in lumine,
Non deſpicis moleſtias,
Qui lito dignas gratias!

Biß willkommen du edler Gaſt /
Den Sünder nicht verſchmähet haſt /
Und komſt ins Elend her zu mir /
Wie ſoll ich immer dancken dir.

Hoc placebit Deo ſuper juvencum, cornua producentem, & ungulas, Pſal.69.v.32. Pſ. 50.v.23.

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alteram partem χριστο-γνωσίαν, ſive notitiam Domini noſtri Ieſu Chriſti*, meditaturi. Hic proponitur nobis in Evangelio hoc noſtro:

1. *Tanquam abſentium contemplator.* Eminus enim aſinam cum pullo videt, & novit quid poſſeſſor eorum, diſcipulis dicturus ſit.

Idem plus ſimplici vice probavit. Nathanaëlem vidit ſub ficu, Joh.1.v.48. Sciebat, quot viros mulier Samaritana habuerat & quod, quem tunc habebat, non ſit vir ejus, Joh.4.v.18. videbat hominem cum hydria fictili, Marc.14.v.13.

Digitized by Google

Adhuc hodie exploratum nobis habeamus, nihil adeo clandeſtino fieri poſſe, quin ſciat omnia, Joh. 16. v. 30. videat omnia, Sir. 23. v. 28. audiat omnia, Pſ. 94. v. 9. tanquam Dominus, ſcrutans cor, & probans renes, Jer. 17. v. 10. & ſciens, quid ſit in homine, Joh. 2. v. ult.

Reges mundani plerumque oculis alienis cernere, & auribus alienis audire coguntur. Multa eveniunt in ditionibus ſuis, quæ abſtruſa ab ipſis manent, & ſubditis in nocumentum cedunt. Idcirco L. Torquatus, tertia vice in conſulem electus, hoc ipſo ſe excuſabat, quod caligine oculorum laboraret, dicens: *Indignum eſſe, Remp. ob fortunas civium ei committi, qui alienis oculis uti cogeretur.*

Sed Rex gloriæ noſter Jeſus, nullis alienis oculis indiget, ſed videt propinqua & remota, omnia ſunt nuda & aperta oculis ejus, Heb. 4. v. 13. ſunt enim multo plus lucidiores ſuper ſolem. Sir. 23. v. 28.

Hoc in *noſtrum ſolatium* vergit. Si in anguſtiis verſaris, & quidem tantis, ut ignores, quid agere debeas, ut rex Joſaphat, 2. Chron 20. v. 12. concluſus es in cœco carcere, uti Joſephus, Gen. 39. v. 20. Sive ſedes inter leones, uti Daniel. c. 6. v. 16. ſive navem frangis, uti Paulus, Act. 27. v. 41. Sive alio quocunque modo vexeris, noli deſperare! ſed ſolatium quære in perſpicaciſſimis oculis regis tui: ſcit opera tua, & tribulationem tuam, Apoc. 2. v. 9. Videt laborem, & afflictionem, Pſal. 10. v. 13. audit clamorem, quem ex corde mœſto ad eum ablegas, Ex. 3. v. 9. Et quando hora ejus veniet, Joh. 2. v. 4. juſto tempore videbit violentiam, Pſ. 55. v. 10. Pſ. 33. v. 14.

Sed & horrendum eſt! Reperiuntur homines in diem viventes, & cum peccato jocantes, Prov. 14. v. 9. Non enim credunt Deum obſervantem ſe eſſe, ideo dicunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob, Pſal. 94. v. 7.

Sed ô ſtultitiam! Rex noſter videt hic aſinam cum pullo, quidni magis homines reſpiceret, quos ad imaginem creavit, Gen. 1. v. 29. Nunquid ipſi de bobus cura eſt? quærit Paulus, 1. Cor. 9. ideo vir inſipiens ſit, neceſſe eſt, qui celare opinatur conſilium à Domino, Hiob. 42. v. 3. Cognoſcit ſeſſionem noſtram & reſurrectionem noſtram. Intelligit cogitationes noſtras de longe, Pſalm. 139. v. 2. 3. 4. Quod ſi itaque ſapis, mi Chriſtiane! pone Dominum in conſpectu tuo ſemper, Pſalmo 16. verſ. 8. & ut Poeta canit: Turpe quid auſurus te ſine teſte time.

Deus enim ubique præſens eſt, & videt, quæ nullus hominum cernit. Die noviſſimo omnia in apricum producet, ne otioſo quidem verbo except, o Matth. 12. v. 36.

II. *Tanquam omnium Dominator.* Hoc luculento exemplo probat, quando diſcipulis ſuis mandat: Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſolvite & adducite mihi, & ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & confeſtim dimittet eos.

Hic *quatuor Imperativi* occurrunt: Ite enim in caſtellum, inquit Dominus, quod contra vos eſt. Deinde ait: *Solvite* aſinam cum pullo. Tertio, *adducite* mihi, tanquam Domino, qui omnibus creaturis imperare poteſt, & ſi quis ideo interpellabit vos, *dicite*, Dominus his opus habet:

Sic

Sic confeſtim, ſine ulla tergiverſatione dimittet eos.

Ecce! Dominum potentiſſimum, qui omnia in manu ſua habet; & ad obſequium ſuum flectere poteſt. Sir. 40. v. 33. & ſeqq.

Servator noſter eſt Rex Regum & Dominus dominantium; Apoc. 9. v. 16. cui Pater cœleſtis omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, Pſal 8. v. 7. 8.

In nuptiis Cananæis aquam in vinum transmutabat, Joh. 2. v. 9. deinde ambulabat in mari, ut in terra, Matth. 14. v. 25. Petri retia piſcibus replebat, cum antea, per totam noctem laborans, nihil ceperat, Luc. 5. v. 5. Quin imo, cum in mari motus magnus factus eſſet, vel verbo illud ſopire poterat hominibus mirantibus, & dicentibus: Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei, Matth. 8. v. 25. Et cum vectigal pro ſe & Petro ſoluturus eſſet, Petrus hamum in mare mittere juſſus inveniebat in primi piſcis ore ſtaterem, quem pro eo & ſe dabat. Matth. 17. v. 27.

Quodſi virtute hac præditus fuit in diebus carnis ſuæ: quanto magis præſtabit hoc ad dexteram Dei Patris exaltatus, ſuper omnem principatum & poteſtatem, & virtutem & dominationem. Eph. 1. v. 21. 22.

Notent hoc, I. *Impii in emendationem.* Securi Epicurei ſubinde cogitant tantis ſe viribus niti, quibus ſe adverſus Deum tueri poſſint, ut Deus ipſos punire nequeat. *Sed* ô ſtolidi! quis unquam impune abiit, qui Deo ſe oppoſuit! Si exaltatus fueris, ut aquila. & ſi inter ſidera poſueris nidum tuum: inde detraham te. Obad. v. 4.

Hatto Archiepiſcopus Moguntinus, à muribus conſumptus eſt, ob immanem truculentiam, quam in ſubditos ſuos exercuit: & quamvis in flumine Rheni turrim ſibi exſtrui fecerit, cujus adhuc hodie veſtigia videri poſſunt, putans; ſe ibidem ſecurum futurum: attamen mures gregatim ipſum inſequuti ſunt, vindictam divinam in eo perficientes.

Cananæi per crabrones de locis ſuis ejecti, Joh. 24. v. 12. Antiochus & Herodes à vermibus conſumti ſunt, 2. Maccab. 9. v. 9. Act. 12. v. 23.

Idem adhuc hodie præſtare poteſt. Et quemadmodum omnes viæ ejus paratæ ſunt: ſic etiam judicia ſua in providentia ſua poſuit. Judith. 9. v. 5. Punit ille, per Angelos malos æque ac bonos. Punit per homines amicos æque ac inimicos. Punit per cœlum ac terram. Si ipſe vult, cœlum, quod ſupra nos eſt, æneum: & terra, quam calcamus, ferrea fiat oportet, Deut. 28. v. 23. Punit per ignem, aëra & aquam; punit per beſtias & varia inſecta; punit per bellum annonæ caritatem & peſtilentiam, & ut ſummatim dicam: Nunquid eſt numerus turmarum ejus? Hiob. 25 v. 3. Omnibus vero pœnis hiſce nihil efficientibus, punit igne infernali, qui nunquam exſtinguetur. Eſa 66. v. ult.

2. *Pii in conſolationem.* Quia enim cœleſtis Rex noſter, Dominus eſt omnipotentiſſimus, cui cœlum & terra, ſol, luna & ſtellæ, imo omnes creaturæ ſervire coguntur, ideo neutiquam diffidere ipſi debemus: Siquidem omnis creatura ad ſuum genus denuo refiguratur, deſerviens ejus præceptis, Sap. 19. v. 6.

Ipſa maria exſiccare poteſt, & dividere, ut per medium mare iter pateat, Exod. 14. v. 22. Ipſe ſolem ſiſtere poteſt, Joh. 10. v. 13. ut una dies fiat, ſicut duo. Sir. 46. v. 5.

Ipſe

Digitized by Google

Ipſe igni vim comburendi adimere valet. Dan. 3. v. 27.

Ipſe concluſit ora leonum, ut non nocuerint Danieli, Dan. 6. v. 22. Balænæ mandavit, ut deglutitum Jonam rurſum indemnem evomuerit, Jon. 2. v. 1. 11. Corvos juſſit, Eliæ panem & carnes deferre. 1. Reg. 17. v. 6.

Cape hinc ſolatium, mi Chriſtiane! Servator enim tuus adhuc hodie æque dives eſt, ac fuit ab æterno. Dictum ejus eſt factum Pſ. 33. v. 9.

III. *Tanquã cordium inclinator.* Hic enim Servator, cor poſſeſſoris aſinæ utut abſens, ita flectere novit, ut eam ſibi haut invitus indulgeat. Hoc infallibile argumentum eſt, quod Rex gloriæ noſter, non nudus homo ſit: ſed ſimul ille Jehova, de quo ſcriptum eſt: Sicuti rivi aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud. Prov. 21. v. 1.

Jacobum in patriam rediturientem, Laban perſecutus eſt ſeptem diebus, ut noceret ei: Sed Dominus cor ejus immutavit, ut nihil aſpere loqueretur contra Jacob, Gen. 31. v. 24. Prov. 16. v. 7.

Joſephus ſervus erat divenditus, ſed Dominus cor Potiphari flectebat, ut gratiam inveniret coram eo, à quo præpoſitus omnibus. gubernabat creditam ſibi domum, & univerſa, quæ tradita illi fuerant, Gen. 39. v. 4.

Achab Rex perſequebatur Prophetas Domini, ſed Dominus Abdiæ cor flectebat, ut abſconderet de Prophetis Domini centum viros, quinquagenos & quinquagenos in ſpeluncis, & paſceret eos pane & aqua, 1. Reg. 18. v. 13.

Judæos omnes cum uxoribus & liberis trucidari juſſerat Ahaſverus: ſed Dominus immutabat animum ejus, ut ad interceſſionem Eſther edictum illud ſanguinarium revocaret. Eſth. 8. v. 9. & ſeqq.

Quomodo Imperatoris, Regum & Principum corda hoc noſtro tempore moverit, ut depoſitis armis pacem illi amplexi fuerint, in propatulo eſt, nec eget longa verborũ commemoratione! Vere à Domino factum eſt iſtud: & eſt mirabile in oculis noſtris, Pſalm. 111. v. 23.

Confidamus ulterius potentiſſimo huic Regi noſtro, & cum Davide oremus: Inclina cor meum ad teſtimonia tua, & non in avaritiam, Pſal. 119. v. 36. Sive ex Pſal. 51. v. 12. Cor mundum crea in me Deus. Sic Dominus virtutem populo ſuo dabit, Dominus benedicet populo ſuo in pace. Pſal. 29. v. ult. Inclinabit ſuper nos miſericordiam ſuam, Eſdr. 9. v. 9. Inclinabit quoque cœlos, & cum auxilio deſcendet, Pſal. 144. v. 5. Voluntatem enim timentium ſe facit, & deprecationem eorum exaudit, & ſalvos facit eos. Pſal. 145. v. 19. Hoc ab initio mundi fecit, quis enim invocavit illum, & deſpectus eſt? Sir. 2. v. 12. Idem adhuc facit, miſerationes enim diluculo novæ, Thren. 3. v. 22. Et porro facturus eſt. Quoniam prævaluit ſuper nos miſericordia ejus, & fidelitas Domini manet in æternum. Pſalmo 117. v. 2. Amen, Alleluja!

Laudate Dominum! Amen,

Amen.

DO-

Dominica II. Adventus.

Evangelium Luc. 21. à verſ. 25. ad 36.

EXORDIUM.

CUm DEUS ter Opt. Max. Prophetam Jeremiam miniſterio ſacro deſtinaſſet, monſtravit ipſi in peculiari viſione materiam, de qua concionari deberet, oſtenſis ipſi *virgâ vigilante*, & *olla fervente*, Jerem. 1. ℣. 11. ſeqq.

Hæc adhuc hodie norma eſt, ad quam omnes fideles eccleſiæ Miniſtri conciones ſuas accommodare debent: Duo hîc Prophetæ oſtenduntur:

1. *Vigilans virga*, quâ indicatur verbum Dei beatificum, quod verus baculus & virga eſt, cui in omnibus calamitatibus firmiter inniti poſſumus, Pſ. 23. v. 4. vocaturque hîc *virga vigilans*, quia excitat nos, ut ſemper *vigilemus & oremus*, ſicut Chriſtus in prælecto Evangelio monet: conſiderantes, quod Dominus *virgâ iræ* non modò caſtiget, & iniquitates patrum viſitet in tertiam & quartam generationem, Exod. 20. v. 5. ſed & diem ſtatuerit, in quo judicaturus eſt orbem in juſtitia, Act. 17. v. 31. qui ſubitò adveniet, ſicut fur in nocte, 2. Petr. 3. verſ. 20. 1. Theſſ. 5. v. 3.

2. *Fervens olla.* Hæc imago eſt, extremi judicii. Veluti enim olla diu quidem igni adſiſtit, non verò redundat, niſi ebulliat: ſic nos homines ollis ſimiles ſumus, θησαυρίζοντες nobis, peccatis noſtris iram, in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei, Rom. 2. verſ. 5. quando verò menſura repleta erit, olla effundetur, venietque juſtiſſimus Deus ignis æmulatione, quæ conſumtura eſt adverſarios, Hebr. 10. v. 28. quod præcipuè die noviſſimo plenè conſummabitur, 2. Theſſ. 1. v. 8. Apoc. 6. v. 16. ubi juſtus vix ſalvabitur: multò minus impius & peccator. 1. Petr. 4. v. 18.

Utrumque Eccleſiæ miniſtris fideliter inculcatum eſt, ut in omnibus concionibus ſuis probè obſervent: certiſſimum ſiquidem eſt, quòd qui ſuſque deq; habeant *virgam* Chriſti *vigilantem*: illi *ollam ardentem* ſenſuri ſint in æternum in inferno, Jer. 1. v. 13.

Occaſionem hac de re agendi, ſubminiſtrat nobis prælectum Evangelium, ubi Dominus oſtenſâ *virgâ vigilante* unumquemque commonefacit, ut probè ſibi proſpiciat & caveat, ne ex improviſo à die extremo invadatur, & in *ollam ardentem* ignis infernalis præcipitetur, ex quo nulla unquàm ſperanda eſt redemtio. Nos abſque ulteriori præloquio ad ipſum Evangelium nos conferemus, meditaturi ex eodem:

I. ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*

II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

Præclarus ille Hipponenſium Epiſcopus Auguſtinus, de ſignis extremi diei verba facturus, concionem ſuam hiſce verbis inchoat: *Audite & timete, Chriſtus eſt, qui loquitur.* Quod ipſum nos hac vice ingeminantes, dicimus: *Audite & timete, Chriſtus eſt, qui loquitur.* Tria enim hîc proponit nobis, ex quibus *notitiam noſtri* diſcere poſſumus, quando videlicet perpendimus:

 I. *Sig-*

I. *Signorum Catalogum*

1. *In mundo corporali & viſibili.*

1. *Quoad cœleſtia.* Erunt enim ſigna in ſole, & luna, & ſtellis. Eſt hoc intelligendum de terribilibus corporum horum Eclipſibus, quæ ſub finem mundi, proximè ante diem noviſſimum in magna frequentia apparebunt, ſicut olim in Ægypto tanta eclipſis facta, ut alter alterum non viderit, Exod. 10. v. 22. 23.

Huc pertinent quoque chaſmata, quæ in aëre quandoque apparent, horrenda tonitrua, inconſueta fulgura, vehementes nimbi, quorum multam frequentiam hactenus experti ſumus. Hæc proximè diem noviſſimum præcedent, & mundo finem imponent. Veluti enim tunc, cum Deus legem promulgabat in monte Sinai, cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangorq; buccinæ vehementius perſtrepebat, eratq; totus mons terribilis, Exod. 19. 16. 18. Sic etiam die ultimo, cum Dominus judicium executurus, & unicuiq; juxta facta ſua redditurus eſt, intonabunt poli, cœlorumq; ingruet horror. Cœli enim procellæ in morem tranſibunt. 2. Petr. 3. v. 10.

Imprimis hoc obſervandum eſt, quod Chriſtus virtutes cœlorum motum iri, aſſerit. Multi enim in ea perſuaſione ſunt, cœlum ipſum inclinaſſe, & de loco ſuo ſe moviſſe, ſicut Philippus Melanchton ſcribit: *Hoc tempore Sol proprior eſt terris, quàm fuit Hipparchi, & Ptolomæi temporibus, milliarium Germanicorum fermè decem millibus, quæ res profectò admiratione digna eſt.* Et Alſtedius in Encyclopœdia calculum adjicit hiſce verbis: *Conſtat cœlum paſſum eſſe aliquam loci mutationem:* comprobatq; teſtimonio præcipuorũ Aſtronomorum, qui de materia hac ſcripſerunt.

Quicquid ſit, hoc ſanè certum eſt, influentias corporum cœleſtium in inferiora hæc non æquè validas eſſe, ac olim fuerunt. Reſpicite modò dilecti! quàm vivaces, quàm robuſti majores noſtri, Veteres Germani fuerint, jam omnia in deterius pergunt, vires cum ætate decreverunt, ut vix quempiam reperias, qui ſine Cephalea & canis, annum quinquageſimum attingat.

Terra quoque ipſa ſterilior videtur: agri, horti, vineæ & prata non adeò fœcunda & fertilia ſunt, ut olim: Sol infirmiore lumine colluſtrat terras, commoda temperies deficit, & ut breviter complectar, omnia fini approperant, quia & ipſa creatura congemiſcit, & liberari geſtit à ſervitute corruptionis, Rom. 8. v. 21.

2. *Quoad terreſtria.* In terris enim erit anxietas gentium, per dubitationem, ſonitus maris & fluctuum: areſcentibus hominibus, præ timore & expectatione eorum, quæ ſupervenient univerſo orbi.

Hic duo conſideranda:

1. *Aquarum inundatio.* Mare enim & alii fluvii fluctuabunt, ſepimenta perrumpent, & regiones cum hominibus inundabunt, ut jam ſæpius factum eſt.

2. *Hominum vexatio*, quâ exterius & interius afficientur. *De interiori* ait Chriſtus: erit συνοχὴ ἐθνῶν ἐν ἀπορίᾳ. Ubi ἀπορία conſilii inopiam ſignificat, & de tantis anguſtiis uſurpatur, quibus quomodo extrices te, haud ſcias. In hanc ἀπορίαν incident homines, ſemel *ratione doctrinæ*, ob hæreſes & ſchiſmata, quæ multifariàm abundabunt, dicturi: ecce hîc Chriſtus, aut illic, Matth.

cap.

cap. 24. v. 23. Ubi præ animi dubitatione neſcient, quid credere debeant.

Deinde *ratione perverſæ vitæ*, ob peccata nefanda, quæ ſine ullo propudio palàm patrabuntur, nec punientur, abundabit enim iniquitas, Matth. 24. v. 12. Nec invenietur fides in terra. Luc. 18. v. 9.

De *exteriori* anguſtia intelligendum, quod Chriſtus ait: areſcent homines, præ timore & expectatione eorum, quæ ſupervenient univerſo orbi. Vide Marc. 13. v. 7. 8. Matth. 24. v. 21. Væ habitatoribus terræ, Apoc. 12. v. 12.

2. *In mundo ſpirituali & inviſibili*, h. e. in eccleſia, ubi Chriſtus ſol juſtitiæ, Mal. 4 verſ. 2. magnas obſcurationes & eclipſes patitur ab hæreticis & ſchiſmaticis, qui lucernam ſub modio ponunt, Matth. 5. v. 15. ut manutenent homines, ſicut cœci, 2. Pet. 2. v. 9. & tandem ambo in foveam cadant, Luc. 6. v. 39.

Luna ſignificat Eccleſiam; ſicut enim Luna à ſole irradiatur: ſic etiam eccleſia lumen ſuum non à ſeipſo habet, ſed à Chriſto, qui ſol eſt juſtitiæ, & vera lux, illuminans omnem hominem, venientem in hunc mundum. Joh. 1. v. 9.

Stellæ ſignificant præcipuos Doctores, ſolem & lunam circumſiſtentes, & cœlum ornantes, Sir. 43. v. 9. hi de cœlo cadent, h. e. Evangelium abnegabunt, & à Draconis caudâ trahentur, Apoc. 12. v. 4. ut terrenis inhient, quia ventrem Deum conſtituerunt, Phil. 3. v. 19.

Spiritualiter quoque explicari poteſt, quod Chriſtus de virtutibus cœlorum, vehementiâ ventorum, inundatione aquarum, & anxietate hominum memorat. *Virtutes cœlorum* ſunt ſancti Angeli, hi commovebunt ſe, h. e. ad judicium ſe accingent, ut cum Chriſto deſcendant, & congregent electos, à quatuor ventis. Matt. 24. verſ. 32.

Venti & aquæ ſignificant tyrannos, qui ante diem noviſſimum ſummâ cum violentiâ graſſabuntur, ad perſequendum pios, hinc maximi tumultus orientur, & in magnas anxietates conjecti homines ſuſpirabunt: O Deus, in quæ tempora nos reſervaſti, Hæc ita ſigna ſunt, diem ultimum præceſſura.

Hic ſcrutare te, mi Chriſtiane, utrum hæc ſigna oborta, ad animum revocaveris, & occaſione illorum noviſſimi diei recordatus fueris?

Nullus dubito, quin rariſſimè factum. Pleriq; enim noſtrum ultra pedes vix proſpicimus. Quando

------Horrifico tonitru cœlum omne remugit,
Grandinis & crebrâ tellus crepitante procellâ
Pulſa ſonat, ruptaq; micant è nubibus ignes:
Flammiferaq; volant magnum per inane ſagittæ,
Fulguraque ingeminant.

Buch. Pſ. 18. v. 36.

Tum quidem expaveſcimus, tum inter Scyllam & Charybdim quaſi navigamus: aſt, ceſſante tempeſtate, omnis ſimul metus evaneſcit. Eſt enim cor hominis doloſum & ærumnoſum ſuper omnia, Jerem. 17. v. 9.

Hæc ſecuritas eliminanda nobis eſt, & quando videmus ſigna ejuſmodi in cœlo, terrâ, mari, & nobiſmetipſis fieri ad pœnitentiam nos exſtimulare debent, ut cogitemus: Concio hæc realis eſt de die noviſſimo, ideò pœnitentiam agemus, Dominus enim mox adventurus eſt, mundoq; finem impoſiturus.

Sodomitis ridiculum videbatur, cum Lothus ipſis exitium annunciaret, & de civitate eorum egrederetur, ſed vix egreſſo, Dominus pluebat ſulphur & ignem

à Domino de cœlo, & ſubvertebat civitates has. Gen. 19. v. 25.

Sic haud pauci inveniuntur hodie, qui nauci æſtimant, quando eclipſes aut alia φαινόμενα in cœlo, aere aut terra apparent. Sed Deus non irridetur, Gal. 6. v. 7.

Cum *Holofernes* in Campis Damaſci ſuccenderet omnia ſata, omnesque arbores & vineas faceret incidi: cecidit timor illius ſuper omnes inhabitantes terram. Cogitabant enim, quod ſi adeò crudeliter cum frumento agit, quod nihil peccavit, quid nobis fiet? qui mandatum Regis deſpeximus. Judith 2. v. 17. 18. Sic & nos cogitare debemus: Si Deus tantam mutationem creaturarum irrationalium agit: quid nobis faciet, qui creatorem ipſum creaturarum peccatis noſtris ad iram provocavimus & offendimus. Ah Chriſtiani! vigilate & orate, ecce enim dies veniet ſuccenſa, quaſi caminus: & erunt omnes contemtores, & omnes facientes impietatem ſtipulæ: & inflammabit eos dies veniens. Malach. 4. verſ. 1.

II. *Extremum judicium*, de quo ſpeciatim in Evangelio prælecto agitur, ſic enim Chriſtus: Tunc videbunt filium hominis, venientem in nube, cum poteſtate magna, & majeſtate. Quæ brevis deſcriptio eſt, adventûs Chriſti ad judicium. Veniet enim, ut filius hominis, ſed non tam pauper & deſpectus, ſicut Hieroſolymorum urbem ingreſſus eſt, aſinâ inutuatâ, Matth. cap. 21. verſ. 7. ſed in nubibus vehet, velutì curru, Pſal. 104. v. 3. majeſtatem ſuam præclarè manifeſtaturus, omnibus piis propterea exultantibus, & dicentibus: Domine Deus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum, in univerſa terra. Pſal. 8. v. 2.

Hic velim inſpicias & probes te, mi Chriſtiane! utrum ex animo judicium futurum credas, ſicut Moſes & Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli prædixerunt?

Omni enim tempore irriſorum haud pauci fuerunt, & adhuc hodie exiſtunt, qui hanc doctrinam ludibrio habent, non verentes dicere: Diu hactenus de die ultimo dictum eſt, Chriſtus, Matth. 24. v. 22. Paulus, Act. 17, 31. Johannes, 1. Joh. 2. v. 18. de eo verba fecerunt, intereà ultra mille ſexcenti anni præterfluxerunt, cùm tamen omnia in priſtina forma perſiſtant, vanum ergo eſt, & mera ulgura ex pelvi, quæ toties hac de re ingeminantur.

Hiſce & ſimilibus verbis, graviſſimus hic fidei articulus ab irriſoribus his, arroditur & extenuatur.

Horum anteſignanus fuit *Cain*, de quo expreſsè Targum Hieroſolymitanum memorat, quod dixerit: *Non eſt ſeculum aliud, nec merces bona pro juſtis, nec pœna pro impiis.*

Quamvis autem inter Chriſtianos non adeò multi inveniantur, qui verbis idem negent, licet non omninò deſint: plurimi tamen offerunt ſeſe, qui ſecuri in diem vivunt, haud ſecus, ac ſi percuſſerint fœdus cum morte, & cum inferno fecerint pactum, Eſa. 28. v. 15. quo ipſo ſe ceu ſorices produnt, ſe non ex animo judicium credere. Et quia non profertur citò contra malos ſententia, abſque timore ullo, filii hominum perpetrant mala, Eccleſ. 8. v. 11.

Piis Chriſtianis nihil commercii ſit, cum illuſoribus hiſce, ſed lumbis præcinctis, & lucernis ardentibus expectent Dominum ſuum,

ſuum, Luc.12.v.36. qui veniens veniet, & non tardabit, Hab.2.v.3.

Prædixit hoc, in primo mundo Enochus, ſeptimus ab Adam, Jud. ep. verſ. 14. 15. David, Pſalm.9.v.8.9. Salomo, Eccl.12.v.1.

Idem à Prophetis quoque ſedulò inculcatum eſt. Vide Eſa.66.v.15.Jer.23.v.19.20. Ezech.34.v.17.Daniel.7.v.9.10.Joël.2.v.31. Amos.5.v.18.20. Zeph.1.v.14.16.18. Zach. 12.v.10. Mal.4.v.5. Longius foret, ſingula dicta enarrare.

In Novo Teſt. luculenter idem propoſitum eſt, tum ab ipſo Chriſto, tum ab ejus Apoſtolis, ut ex multis allegatis notiſſimum eſt.

Sicut igitur verax DEUS eſt in verbo ſuo, Rom.3.v.4. nec mentiri poteſt, Tit.1. v.2. ſic etiam hac in parte impleturus eſt, & quod fidelibus promiſit, & quod impiis minatus eſt. *In omnibus Deum fidelem invenimus, ergò in ultimo non deficiet*, ait Auguſtinus. *Si Deus eſt, non mentitur, ſi mentitur, Deus non eſt*, ait Plato. Væ illuſoribus, quibus durum erit adverſus ſtimulum calcitrare. Act.9.v.5.

III. *Mundi ingenium*, qui genio & crapulæ indulget, nec minus terrenorum curâ æſtuat, quo ipſo corda gravantur, ut ea attollere, & Chriſtum expectare non poſſit. Ideò fideliter Chriſtus nos dehortatur, inquiens: Cavete, ne corda veſtra graventur &c.

Hic quilibet ſcrutetur ſeſe, utrum etiam hac in parte modum quandoq; excesſerit?

Quid vulgarius eſt, quàm *luxuria*? Eſa. cap.5.v.11. Quid frequentius, quàm *avaritia*, & terrenorum deſiderium? Sive raptum, ſive captum, modò ſit aptum, vulgare dicterium ſonat Sap.15.v.12. Utrumq; vitium eſt turpiſſimum. Et ut primò de luxuria dicamus, haud præterit nos, quod Paulus ait: in vino eſt ἀσωτία, Eph. 5.v.18. h. e. omnis generis peccata & flagitia, quod per ebrium Noah præfiguratum eſt, qui vino temulentus, nudus in tentorio jacuit, Gen.9.v.21. Sic ebrii plerumq; omnem verecundiam exuerunt, ut nullo rubore ſuffundantur. Hinc ait Chryſoſtomus: *Quiſquis ſub temulentia totos dies agit, ſub Diaboli tyrannidem redactus eſt.* Hic ipſos de iniquitate ad iniquitatem trahit, Rom. 6. v. 19. donec præcipitet in ſtagnum, ardentem ſulphure & igne, Apoc. 21. v. 8. Ebrioſi enim regnum Dei non poſſidebunt, 1.Cor.6.v.10. Idem de avaritia dicendum, 1.Tim.6.v.19.

Veri Chriſtiani abſtineant his vitiis. Quid enim prodeſſet homini, Matt.16,26.

Servator noſter Optimus, fidele nobis conſilium ſuppeditat, ut vigilemus, omni tempore orantes, ut digni habeamur, fugere omnia iſta, quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis. Hoc nec ebrioſi, nec avari præſtabunt. Ebrioſi enim mentis ſuæ compotes non ſunt, quî poſſent orare? & licèt orent, tamen fruſtrà orant, quia devotione carent. *Oratio enim ſine devotione, eſt mugitus boum*, inquit Iſidorus, imò peccatum. Rom. 14.v.23.

Avarus quoque non tantum temporis inſumit, ut cor ad Deum elevet. *Per diem vexatur laboribus, per noctem agitatur timoribus, ut ſacculus impleatur nummis, anima febricitat curis*, ait Auguſtinus. Sic preces impediuntur, ut non modò rarius, ſed & ſine devotione fiant. Ubi enim theſaurus veſter, ibi & cor veſtrum, ait Servator, Matth. 6. v. 21. Quia igitur homines hi theſaurum, ut

Digitized by Google

& cor ſuum in terra habent, icciro nec rectè orare queunt. Si enim preces Deo gratæ eſſe debent, corda cum manibus ad Dominum in cœlos levanda ſunt, Thren. 3. v. 41.

Quibuscunque itaque animæ ſalus curæ eſt, ſemper ſunto temperantes & ſobrii ad orationes. 1. Petr. 4. v. 8. Quærentes ante omnia regnum Dei, Matth. 6. v. 33.

De Secundo.

Accedemus nunc ad *alteram partem*, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti* contemplaturi. Hic proponitur nobis in Evangelio hoc:

I. *Tanquam judex mundi indubitabilis.* Qui conſummatis omnibus ſignis, die ultimo veniet in nube, cum poteſtate magna, & majeſtate.

Munus quidem *judiciarium* in ſcriptura, omnibus tribus perſonis adſcribitur, *Deo Patri*, tanquam antiquo dierum, qui ſe ad judicium paravit, Dan. 7. v. 9. *Filio Dei*, per quem ſtatuit Deus judicare orbem in juſtitia, Act. 17. v. 31. *Spiritui Sancto*, qui eſt ſpiritus judicii & ardoris, Eſa. 4. v. 4. ideò Chriſtus de eo dicit, quod in mundo hoc arguat mundum de peccato, Joh. 16. v. 8. Quod ſi itaque hîc mundum arguit, & judicat, multò minus illic excludi ſe patietur, ſed inveniet eos, qui ei reſtiterunt, Act. 7. v. 51. ejusque regimen excuſſerunt, Gen. 6. v. 3.

Sed quod *actum viſibilem* concernit, hunc Chriſtus exercebit, *tanquam filius hominis*. Neq; enim Pater judicat quenquam, ſed omne judicium dedit filio ſuo, Joh. 5. v. 22. Et poteſtatem dedit ei judicium facere: quare? quia filius hominis eſt. v. 27. Deus enim in eſſentia ſua ſpiritus eſt, quem nemo vidit unquam, Joh. 1. v. 18. inhabitat enim lucem inacceſſibilem, 1. Tim. 6. v. 16.

Atqui judicium viſibiliter exercendum eſt, omnes enim tribus terræ videbunt eum venientem, Matth. 24. v. 30. Propterea S. S. Trinitas Chriſto judicandi partes commiſit, qui caro noſtra facta eſt, Joh. 1. v. 14. & veniet ſpecie viſibili, ſicut ivit in cœlum, Act. 1. v. 11.

Notent hoc

1. *Pii in conſolationem.* Quia enim Chriſtus judicis partes obiturus eſt die noviſſimo, qui frater eorum eſt, nihil habent, quod pertimeſcant, ſed potius lætari debent, quod liberationis tempus magis magisque acceleret.

O quanto electi afficientur gaudio! quando Servatorem ſuum, tanquam hominis filium conſpicient ad judicium venientem. O quàm blande ipſos affabitur! quàm amicè complectetur.

In hoc mundo continuò ſuſpiramus: Veni Domine Jeſu, Apoc. 22. v. 21. ſed quando tempus inſtabit, quo Jeſus noſter adveniet, votique nos compotes faciet, tum exultabimus lætitiâ inenarrabili & glorioſâ. 1. Petr. 1. v. 8.

2. *Impii in emendationem.* Videbunt enim illi, in quem transfixerunt, Joh. 19. v. 37. Cùm Judæi Chriſtum in horto montis Oliveti quærerent, obviam illis proceſſit, inquiens: Ego ſum, quô auditô, ſic perculſi ſunt, ut abierint retrorſum, & ceciderint in terram, Joh. 18. v. 5. Quid die noviſſimo fiet, cum Chriſtus impiis dicturus eſt? Ego ſum, quem linguis veſtris pupugiſtis, cujusq; nomen ſanctiſſimũ in abuſum traxiſtis. Ego ſum, quem perſequuti eſtis. Ego ſum, quem crucifixum occidiſtis, jam propterea venio, ut vindictam

exer-

exerceam, 2.Theſſ.1. v.8. & dolores dividam furoris mei, Job.21.v.17. Proculdubio vehementer tunc percellentur, dicentes montibus, & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum. Apoc.6. v.16.17.

II. *Tanquam liberator piorum deſiderabilis.* Sic enim Chriſtus: His autem fieri incipientibus, reſpicite, & levate capita veſtra: quoniam appropinquat redemtio veſtra.

In hoc mundo homo quaſi in cœco carcere concluſus eſt, cibatur pane lacrymarum Pſ.80,6.exemplo Michæ,1.Reg.22,27.

Sed dies noviſſimus erit *dies liberationis*, ubi liberabit nos Dominus ab omni opere malo, & ſalvos faciet in regnum ſuum cœleſte, 2.Tim.4.v.18.

In hoc mundo multis calamitatibus ſubjecti ſumus, ubi pœnæ militant in nos, Job. 10.v.17. & abyſſus abyſſum invocat, Pſ.42. verſ. 8.

Sed dies noviſſimus erit *dies refectionis*, ubi Deus abſterget omnem lacrymam ab oculis noſtris, Apoc.7.v.17. Pſ.126.v.5.

In hoc mundo ex una ætate in aliam tranſimus, & ſingulis diebus, horis & momentis magis appropinquamus ſepulchro: Dies annorum noſtrorum labor & dolor, Pſal. 90.v.10. Præprimis ſenectus lerna eſt malorum, & morborum, qui tamdiu nos arrodunt, & affligunt, donec nos proſternant. Sir.40.v.2.

Sed *dies noviſſimus*, erit *dies renovationis*, quam Chriſtus indigitat, quando nobis ficum aliaſque arbores proponit, ex quibus, quando gemmas producunt, ſcire poſſimus, quod prope ſit æſtas. Sicut itaque facies terræ renovatur, Pſal. 104.v.30. ſic etiam juſti in vita æterna florebunt, ut palmæ, Pſal.92.v.15.

In hoc mundo amiciſſimi quique ſæpe divelluntur. Aut enim liberi à parentibus, ut Tobias junior, Tob.14.v.4. aut parentes à liberis, uti vidua in Nain, Luc.7.v.13. aut maritus ab uxore, uti Jacob, Gen.35.v.20. aut uxor à marito, uti Judith c.8.v.3. abſtrahuntur, oculiſque madentibus ſe invicem ad ſepulchrum inſequuntur. Valet enim hîc illud Siracidis: Hodie mihi, cras tibi, Sir.38.v.23.

Sed *dies noviſſimus* erit *dies reſtitutionis omnium*, Act.3.v.20. Matth.19.v.29.

In horum conſideratione non pertimeſcamus diem extremum, ſed attollentes capita noſtra, lætabundi expectemus redemtorem noſtrum, qui transfigurabit corpus humilitatis noſtræ, Phil.3.v.21. ibi dies luctus noſtri complebuntur, Eſa.60. v.20. & verâ vitâ perfruemur, Sir.48. v.12. cum tantâ gloriâ & lætitiâ, quam oculus non vidit, 1.Cor.2.v.9. Expectemus proinde hunc diem cum deſiderio, cũ eccleſia precantes:

O Chriſte Jeſu longius,
Differs diem ſupremum,
Cor anxium mortalibus
Doloribuſque plenum:.
O ſumme judex mox veni,
Cum gratia nos expedi,
Ex omnibus periclis.

O Jeſu Chriſt du machſt es lang/
Mit deinem jüngſten Tage/
Den Menſchẽ wird auf Erden bang/
Von wegen vieler Plage/
Kom̃ doch/kom̃ doch/du Richter groß/
Und mach uns in der Gnaden loß/
Von allem Ubel/Amen.

III. *Tanquã verbi ſui confirmator venerabilis.*

bilis. Inquit enim Christus: Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.

Cœlum in ſcripturis ſic deſcribitur, quod ſit στερέωμα firmamentum, Gen. 1. v. 6. ſolidiſſimum, quaſi ære fuſum, Hiob. 37. v. 18. Terra quoque fundata eſt, ſuper ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in ſeculum ſeculi, Pſ. 104. v. 5. Nihilominus Chriſtus de utroque ait: παρελεύσονται, tranſibunt, & quidem ita, ut vel minimum veſtigium non appareat, ſicut hæc vocula uſurpatur de flore, Jac. 1. v. 10. tempore, Matth. 14. v. 15.

Sed de verbis ſuis ait, non tranſibunt: verùm quæcunque in iis piis promiſit, impiis verò minatus eſt, omnia implebuntur, ad minimum jota, aut apicem, Matth. 5, 18.

Inſerviant hæc

Conſolationi noſtræ. Hominum promiſſiones ſæpe fallunt, exemplo Labani, qui Jacobo multa pollicitabatur, ſed poſteà immutabat mercedem ejus decem vicibus, Gen. 31. v. 41.

Id in Chriſto metuendum minimè eſt. Citius enim montes & colles loco movebuntur, Eſa. 54. v. 10. quàm unum verbum præterierit incaſſum, Joſ. 23. v. 15. Unde vocatur verbum vitæ, Joh. 6. v. 68. non modò ideò, quia is locutus eſt illud, qui verus Deus eſt, & vita æterna, 1. Joh. 5. v. 20. ſed etiam quia ad immortalitatem nos promovet, Joh. 8. v. 51. nec ullius hominis violentiâ infringi poteſt, Vide Eſa. 40. v. 7. 8.

Quid non tentarunt primi ethnici Imperatores? Quid non Pontificii noſtro ſeculo, ut verbum DEI ſupprimerent? Sed fruſtrà. Adhuc immotum ſtat verbum Chriſti: Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.

Verbum perennat firmiter,
Ingratiis ipſorum:
Adſiſtit ipſe jugiter,
Cum gratia donorum.
Si corpus occidunt,
Et omnia rapiunt.
Dimitte tu lætus,
Eſt quæſtus hic nullus,
Regni Dei qui certus.

Das Wort ſie ſollen laſſen ſtahn/
Und kein Danck darzu haben:
Er iſt bey uns wol auff dem Plan/
Mit ſeinem Geiſt und Gaben.
Nehmen ſie uns den Leib/
Gut/ Ehr/ Kind und Weib/
Laß fahren dahin/
Sie habens kein Gewinn/
Das Reich muß uns doch bleiben.

Regnum videlicet gloriæ æternæ, quod Deus nobis omnibus ex gratia largiri dignetur, per & propter Chriſtum, Dominum & Servatorem noſtrum, Amen.

Dominica III. Adventus.

Evangelium, Matth 11. v. 2. --- 10.

EXORDIUM.

CUm miraculoſus ille Propheta Elias, vivus in cœlum aſſumtus eſſet, filii Prophetarum in Hiericho, non parùm ideò ſollicitì fuerunt, propterea acceſſerunt Eliſam, dicentes: Ecce, cum ſervis tuis ſunt quinquaginta fortes viri,

viri, qui poſſunt ire, & quærere Dominum tuum, neforte tulerit eum Spiritus Domini, & projecerit eum in unum montium, aut in unam vallium.

Etſi a. Eliſæus ſatis certus erat, Eliam verè in cœlum raptum eſſe: attamen permittebat id ipſis, quia tam ſollicitè inſtabant, ne amplius haberent cauſam dubitandi, ſed certiſſimi forent, rem haud ſecus ſeſe habere, quàm dixerat ipſis, 2. Reg. 2. v. 16. ſeqq.

Hæc hiſtoria non inconcinnè Evangelio noſtro congruit. Quemadmodum enim Elias Thesbites in cœlum adſcenderat, filii verò Prophetarum credere id recuſabant: ſed ſpiritum Domini aliorſum eum rapuiſſe arbitrabantur, ut antehâc ſæpius factum: ſicut conſtat, ex 1. Reg. 18. v. 12. Sic promiſſus ille mundi Meſſias verè præſentiam ſuam exhibuerat, cujus deſiderio Patriarchæ Vet. Teſt. miro deſiderio flagraverant, Pſal. 14. v. 7. Eſa. 65. v. 1. Dan. 9. v. 19.

Sed Judæi ex pertinacia id credere nolebant, alium enim Meſſiam ſibi imaginabantur, qui excuſſo Romanorum jugo de cervicibus illorum, rerum ſe Dominos conſtitueret, & in libertatem priſtinam vendicaret. Quia verò ipſe non habebat, quò caput reclinaret, Matth. 8. v. 20. Deſpiciebant ipſum dicentes: Nolumus, hunc regnare ſuper nos, Luc. cap. 19. verſ. 14.

Alii ambigebant, utri horum honorem Meſſiæ deferrent, Chriſtoné, an Johanni Baptiſtæ, præcurſori ejus. Hinc anſam capiebat Johannes, audiens in carcere, quæ miracula Chriſtus patraret, rem planè expedire, & dubitantes ex errore liberare. Ablegatis itaque duobus diſcipulis ſuis injungebat, ut quærerent ex Chriſto: utrum ipſe promiſſus mundi Meſſias eſſet, an alium expectarent. Hoc non ſui cauſâ fecit, digito ſiquidem Chriſtum oſtenderat, dicens: Ecce! agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Joh. 1. v. 36. Sed propter alios, ut ex ipſius Chriſti ore perdiſcerent, non aliter ſe rem habere, quàm ipſis hactenus expoſuerat, præſertim ſi ſigna miraculoſa conſpicerent, quæ in ægrotis tum patrabat, uti pluribus ex Evangelio audiemus. Ex quo propoſito noſtro inſervientes, diſcemus:

I. Ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

Præſens Evangelium haud incongruè ſuccedit priori, ſi graviſſimas cauſas perpendamus, quæ filium Dei ſtimulant, ut in juſta ira ſua judicio ſe accingat, idemque acceleret. Piiſſimus enim Concionator Johannes, in Caſtello Macherunte in vinculis jacet, & tandem capite truncatur, dum intereà Herodes cum concubina ſua genio indulget, choreas agit, & lætitiâ exultat. At haud inultum ſinit id Deus, juſtus enim judex & vindex eſt, Pſal. 11. v. 8. Non verò omnia punit in hoc tempore: ergò certiſſimè fiet in die extremo, ubi juſtum erit apud Deum, reddere iis qui affligunt nos, afflictionem. 2. Theſſ. 1. v. 6. 7.

Intereà *notitiam noſtri* hinc diſcere poſſumus, ſi intuemur:

I. *Johannis incarcerationem.* Hic vir ſanctiſſimus ab Herode carceri incluſus erat, non quaſi homicida, aut fur, aut maleficus, 1. Petr. 4. v. 15. ſed quòd Herodem, qui conjuge legitimâ repudiatâ, cum Herodiade, Philippi fratris uxore

in inceſtu vivebat, objurgaverat, expreſſis verbis dicens: Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Hanc ob cauſam, non modò carceri mancipatus: ſed & tandem inſtinctu Herodiadis, poſtquam annum & tres menſes in carcere degerat, decollatus eſt, ſicut non tantùm Matthæus, cap. 14. verſ. 3. & Marc. 6. verſ. 17. ſed etiam Joſephus 18. Ant. Jud. c. 7. teſtantur.

Hic probent ſe Eccleſiarum Paſtores, & in genere omnes Chriſtiani, an ob veritatem Chriſtianam, ad carceres & vincula ſubeunda parati ſint?

Equidem, poſt triſtiſſimum lapſum, omnes quaſi Johannes in carcere ſumus, unde ſæpius ingemiſcendum nobis: Domine, educ animam meam ex carcere, Pſal. 142. v. 8. h. e. uti Lutherus in margine explicat: è calamitate, ærumnis & miſeriis. Sed præter communes haſce afflictiones, dantur carceres corporales, quibus innocenter probi Chriſtiani quandoque includuntur, ut Exempla Joſephi, Gen. 39. v. 21. Simſonis, Jud. c. 26. v. 21. Michæ, 1. Reg. 22. v. 29. aliorumque teſtantur.

Quando igitur adhuc hodie uni vel alteri idem accidit, cogitet, hoc ipſo veram doctrinam probari, ſi cum Confeſſoribus ſuis, illa horrendum in modum perſecutione prematur. Cum itaq; corda noſtra ſanguine Chriſti, in fide vera conſpergimus ad ſalutem: è contrario ſathanæ ſynagogam ſanguine noſtro contaminari cernimus, ubi plerumque verbi miniſtri in acie ſtant, qui tanquam oviculæ ad mactandum abducuntur. Hinc eſt, quod Moſes, Jeremias & Jonas inviti ad hoc miniſterium pertracti fuerint: quinimò adhuc hodie videmus, divitum filios rariſſimè Theologiæ ſtudio conſecrare ſeſe, ſed pauperes, quibus ulterius progredi non licet, hoc ſtudio funguntur: illi enim metuunt, ne cum Johanne in carcerem recondantur, nam veritas mundo inviſa eſt, 1. Reg. 22. v. 8.

Cùm Baptiſta natus eſſet, gaudium fuit & exultatio, Luc. 1. v. 14. Cùm miniſterium ſuum incepiſſet, Hieroſolyma & omnis Judæa exivit ad illum, Matth. 3. v. 5. ipſe quoque Herodes libenter audivit eum, Marc. 6. v. 20. Sed finis eſt, *Johannes in carcere.* Similem miſeriam non timore, non pudore declinemus, ſi fideles inveniri velimus. Qui enim non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus, Luc. 14. v. 27. Sæpe Eccleſiæ miniſtri, dum in ordinatione, manus impoſitionem ſuſcipiunt, hoc ipſo, velut pecora in Vet. Teſt. ad ſacrificia inaugurantur, Levit. 3. v. 2. Quilibet dare debet operam, ut bonâ conſcientiâ & cauſâ gaudeat, velut Baptiſta, *cauſa* ſiquidem *facit Martyrem*, & nihil detrimenti nobis adferet mors ignominioſiſſima. *Pro Chriſto dulces ſunt injuriæ, & mors grata, quia parit immortalitatem*, Ambroſius. 1. Petr. 2. v. 20.

Quinimò ſicut Salomo ait: quòd de carcere cateniſque interdum quis egrediatur ad regnum, Eccleſ. 4. v. 14. hoc reverà implebitur, quando in Domino beatè illi morientur, tunc enim quoad animam, continuò è carcere hujus mundi avolabunt, in regnum cœleſte, ut cum Chriſto regnent mille annos, h. e. in æternum, Apoc. 20. v. 4.

II. *Diſcipulorum ablegationem.* Johannes

nes enim duos ad Chriſtum miſit diſcipulos, per quos quæſivit: Tu es, qui venturus es, an alium expectemus? Quinam hi diſcipuli fuerint, non indicatur. Cl. Alexandrinus autumat, alterum fuiſſe Carpum, cujus mentio fit, 2. Timoth. 4. v. 13. alterum Silam, qui in Actis ſubinde citatur, cap. 15. 16. 17. 18. Sed præterea, quod incertum ſit, noſtrâ quoque parum refert, ut ſciamus. Sufficiat nobis ſcitu, Johannem duos diſcipulorum ad Chriſtum ablegaſſe. Quia enim ex errore, Chriſtum ut Meſſiam agnoſcere & recipere nolebant, Johanni honorem Meſſiæ deferre ſatagentes: ideò ipſe ad Chriſtum eos ablegat, ut ſiniſtrâ opinione liberet, & in viam reducat.

Hic examen inſtitue apud teipſum, an exemplo Johannis, eos, qui inſpectioni & curæ tuæ ſubſunt, fideliter ad Chriſtum delegaveris, eorumque ſalutem omni ſtudio promoveris?

Hoc cuilibet in vocatione ſua incumbit, juxta talentum concreditum, Matth. 25. v. 15. *Miniſtri eccleſiæ ſunt ſpirituales vigiles*, Ezech. 3. v. 17. qui pro animabus auditorum pervigilant, Hebr. 13. v. 17. Rectè proinde munere ſuo funguntur, ſi ad Chriſtum eoſdem mittant, cui omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, Actor. 10. verſ. 43. Hic centrum eſt, ad quod omnia vaticinia collimant, imò dux & conſummator fidei, Hebr. 12. v. 2.

Idem faciant *Chriſtiani Magiſtratus*. Quia enim à DEO cuſtodes utriuſque tabulæ Decalogi conſtituti ſunt, non modò ipſi cultui divino diligenter vacare debent: ſed & operam dare ſedulò, ut ſubditi ſui Chriſto adducantur. Exemplo Joſuæ, Joſ. 23. v. 6. Aſſæ, 2. Chron. 15. v. 13. Joſaphat, 2. Chron. 15. v. 13. Hiskiæ, 2. Chron. 30. v. 1. 6. aliorumq;.

Idem *patribus-matribusq;-familiâs* incumbit. Divitiæ & opes, utut acervatim corraſæ, mundo efferri non poſſunt, Pſal. 49. v. 10. Sed pietas ad omnia utilis eſt, 1. Tim. 4. v. 8. Hanc parentes Chriſtiani omni ſtudio liberis ſuis inſtillare debent; hæc optima pars eſt, quæ non auferetur ab illis, Luc. 10. v. ult.

III. *Chriſti perorationem*, ſive reſponſum, quo diſcipulos hoſce relegavit. Nam reſpondens Jeſus dixit illis: Euntes, renunciate Johanni, quæ audiſtis, & vidiſtis; Cæci vident: claudi ambulant: leproſi mundantur: ſurdi audiunt: mortui reſurgunt: pauperes evangelizantur, & beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me. S. Lucas memorat, quod Chriſtus in ipſa hora multos curaverit à languoribus ſuis, & plagis, & ſpiritibus malis, & cæcis multis donaverit viſum, Luc. 7. v. 21. quod quia diſcipuli coràm intuebantur, hoc ipſo, eoſdem ad diligentem miraculorum horum conſiderationem excitare voluit, ut illi certiſſimè perſuaderentur, impleri hac in parte, quod dudum Eſaias de Meſſia prædixerat, Eſa. 35. v. 4. ſeqq.

Imprimis verò *ſcandalum præcavendum eſſe*, ſedulò monet, inquiens: Et beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me. Quia enim in ſervi formâ, & multâ pauperie Judæam peragrabat, nemo erat, qui illum magni faciebat, tantum abeſt, ut tanquam Meſſias debito honore afficeretur.

Hic velim, probes te, mi Chriſtiane! annon & ipſe in miſerâ ſervi formâ

tui Redemtoris offenſus fueris, quando magnificentia regni Anti-Chriſtici oculos tuos perſtrinxit, ubi in Chriſti regno præter pauperiem & mendicitatem vix quicquam intueris?

Experientia teſtatur, quòd multi, quando pompa antichriſtici regni oculos eorum obfuſcat, Chriſtus è contrario cum Evangelio mendicando incedit, hoc ipſo moveantur, ut à vera eccleſia turpiter deficiant, & cupidine divitiarum aut honorum ineſcati heterodoxæ parti ſeſe aggregent. Sed veri Chriſtiani omni ſcandalo reſiſtunt, ſciunt enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti. 2.Cor.8.v.9. Ideò eccleſia Chriſti vocatur puſillus grex, Luc. 12.v.32. populus pauper & egenus, Zeph.3. v.12. miſera, tempeſtate convulſa, abſque omni conſolatione, Eſ.54.v.11. Quicunque itaq; diſcipulus Chriſti, & membrum eccleſiæ eſſe vult, cogitet modò, ſine cruce & afflictione vivere ſe non poſſe, Tob.12,13. ſed finis eſt ſpectandus. Satanas illos, qui ſibi ſerviunt, per omnes voluptates ducit, ſed tandem, fractâ cervice, in ſtagnum ſulphuris & ignis præcipitat, Apoc.21.v.8. ex quo nulla redemtio, Pſal.49.v.20. At Chriſtus ſuos per varias afflictiones & perſecutiones ducit: ſed excipiet eos δόξα καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, æternum gloriæ pondus, 2.Cor.4.v.17. Jac.1.v.12.

Hoc ſi rectè perpenderimus, impiis non invidebimus, ſi proſperæ fortunæ flatu illi utantur: ſed magis eligemus, affligi cum populo Dei, quàm temporalem peccati habere jucunditatem, Hebr.11.v.25. 2.Tim. 2.v.11.12.

De Secundo.

Digrediemur nunc ad alteram partem, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti* meditaturi.

Hic enim proponitur nobis:

1. *Tanquam infirmorum reſtaurator.* Diſcipulis enim ablegatis ita reſpondet, ut ad opera ipſos revocet, Euntes, ait, renunciate Johanni, quæ audiſtis & vidiſtis: Cæci vident: claudi ambulant: leproſi mundantur: ſurdi audiunt: mortui reſurgunt.

Hæc omnia opera talia ſunt, quæ merus homo obire non poteſt. Ubi oculiſta adeò excellens fuit, qui *cæcis viſum reſtituere* poterit, præſertim ſi pupilla læſa fuerit? Eſt hoc opus illius tantùm, qui oculum plantavit, Pſal.94.v.9. *Claudos ambulantes facere*, itidem humanarum virium non eſt: & quamvis multùm effici poſſit efficacibus oleis, & aliis medicamentis, fruſtrà tamen ſæpe laboratur, ſiquidem,

Interdum doctâ plus valet arte, malum.

Exemplo claudi ad Lacum Betheſda, Joh.5.v.5.

Leproſos mundare, non minus omnipotentiæ divinæ adſcribendum eſt, ut ex reſponſo Regis Joram conſtat, 2.Reg.5.v.7.

Surdis auditum reſtituere, æquè difficile eſt, præſertim ſi malum inveteratum ſit.

Et quis *mortuos reſuſcitare* valet, niſi DEUS ſolus? qui homines ſinit mori, & dicit, revertimini filii hominum, Pſal. 90.v.3.

Si Chriſtum Servatorem intuemur, *hæc omnia in optima forma perfecit*, ita ut vel verbulo cœcos, claudos, leproſos, ſurdos reſtituerit, morboſque & mortem fugaverit. Eſt enim Deus, qui verba loquitur, & facit. Ezech.17.v.24. Pſal.33.v.9.

Viſum reſtituit cœcis, nempe Bartimæo,

Luc.

Digitized by Google

Luc. 18. v. 35. ſeqq. & cum cœcitate nato, Joh. 9. v. 7.

Ambulare fecit claudicantes, exemplo ſit Paralyticus, Matth. 9. v. 6.

Leproſos mundavit, Matth. 8. v. 3. Luc. 17. verſ. 13.

Surdis auditum reddidit, Marc. 7, 32. ſeqq.

Mortuos quoque reſuſcitavit, ut filiam Jairi, Matth. 9. v. 25. adoleſcentem in Nain, Luc. 7. v. 14. 15. & Lazarum, qui quatriduum in ſepulchro quieverat, & fœtere incipiebat, Joh. 11. v. 4. & ſeqq.

Idem adhuc hodie præſtantiſſimus medicus eſt Exod. 15. v. 26. & magiſter ad ſalvandum, Eſa. 63. v. 1. qui nos non modò corporaliter curare, omnesque infirmitates noſtras ſanare poteſt, Pſ. 103. v. 3. Sed quando ſæpe omnis ſpes decollat, & videtur, ac ſi in cruce pereundum foret, ipſe ſubitò cum auxilio ſuo approperat, & mortuos quaſi excitat, ut homines annuncient opus Dei, Pſal. 64. v. 10.

Sed ſpiritualiter quoque animas noſtras curat, quando illuminatos oculos cordis noſtri dat, Eph. 1. v. 15. ut videamus miracula in lege ſua, Pſ. 119. v. 18. Aperit aures noſtras, ut audiamus gaudium & lætitiam, & exultent oſſa humiliata, Pſ. 51. v. 10. Erigit remiſſas manus, & ſoluta genua, & greſſus rectos facit pedibus noſtris, ne claudicantes erremus, magis autem ſanemur, Hebr. 12. v. 12. 13. purificat nos à ſpirituali peccatorum leprâ, quâ naturâ omnes infecti ſumus, Hiob. 14. verſ. 4. dum ſanguine ſuo adſpergit, qui emundat nos ab omni peccato, 1. Joh. cap. 1. verſ. 8. A mortuis quoque nos excitat, quando in peccatis mortuos vivificat, Eph. 2. v. 1.

Quemadmodum igitur hæc tanta opera ſunt, quæ debitam gratitudinem à nobis requirunt: ſic operam navemus, ut opere ipſo, non verbis duntaxat, gratitudinem declaremus.

Chriſtus operibus ſuis demonſtravit, ſe eſſe promiſſum mundi Meſſiam: ſic & nos fidem noſtram oſtendamus, ex operibus noſtris, Jac. 2. v. 18. quod veri ſimus Chriſtiani, & genuini ejus diſcipuli, Luc. 6. v. 46. Joh. 13. v. 17.

Sicuti non facilè artifici credimus, quòd artem calleat, niſi opere ipſo eam probet: ſic neque credere poſſumus, quempiam verum eſſe Chriſtianum, niſi Chriſtianè vivat.

Chriſtus fecit cœcos videntes: ſic & tu ſis cœci oculus, Job. 29. v. 15. h. e. eorum rationem habeas, qui in errore verſantur, ut eos in viam reducas, ne vanitates intueantur: ſed elevent oculos ad montes, unde auxilium venit. Pſal. 121. verſ. 1.

Chriſtus claudos fecit ambulantes: ſic tu quoque ſis claudicantis pes, Job. 29. verſ. 15. hoc eſt, proximo in ærumnis ſuccurre, nec deſpice carnem tuam, Eſa. 58. v. 7.

Chriſtus fecit ſurdos audientes: ſic & tu ſis os mutorum, & age cauſam omnium, qui exterminantur, Prov. 31. v. 8.

Chriſtus leproſos mundavit: ſic tu quoque operam nava, ut de ſpirituali peccatorum leprâ proximum liberes, Jac. 5. verſ. 20.

Chriſtus mortuos reſuſcitavit: Et tu, ſi Chriſti diſcipulus eſſe cupis, mortuo non prohibeas gratiam, Sirac. 7. v. 37. Imprimis verò illos, qui in melancholia & triſtitia verſantur, ſalutari conſolatione erigas, hæc enim eſt quæ

multos occidit, & non utilitas eſt in illa. Sir.30.v.25.

Hæc gratitudo realis, Chriſto magis arridet, quàm quæ ſolis verbis perficitur. Matth.7.v.21.

II *Tanquam vanitatis abominator.* Poſtquam enim legati Johannis abierant, ita ad populum loquitur: Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? ecce, qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.

Ex quo apparet, Dominum odiſſe:

1. *Mutabilitatem animorum*, qui arundinem facilè imitantur, quæ quando tranquilla tempeſtas eſt, erecta ſtat: at ſimulac ventus flare incipit, ex una parte in alteram vacillat: ſic & hi verſipelles ad flatum fortunæ ſe convertunt, & quovis Proteo mutabiliores ſunt, ut inconſtantiam eorum mirari ſatis nequeas.

Tales inveniuntur:

1. *In politicis*, qui promiſſis quidem divites ſunt, ſed quò minus ſtare promiſſis teneantur, varia effugia quærunt, & ſic fidem fallunt, non perpendentes, illud Salomonis: Si quid voviſti, ne moreris reddere. Eccleſ.5.v.3.

Imprimis levitas hæcce inter familiares notos & cognatos locum habet, qui cum calamo non incommodè conferri poſſunt: Sicuti enim ex illo baculus confici non poteſt, cui initi poſſis, quia confringatur, Eſa.36.v.6. ſic etiam hi amici tempore neceſſitatis non inveniuntur: ſunt ſocii menſæ, qui non permanent, in die neceſſitatis, Sir.6.v.9.

2. *In Eccleſiaſticis.* Ubi levitas ejuſmodi conſpicitur

1. *Ex parte paſtorum*, qui ſæpe vero fidei fundamento deſtituti, miniſterio funguntur, & velut mercenarii auribus auditorum inſerviunt, ſed tempore perſecutionis relinquunt oves in periculo & auffugiunt, Joh.10.v.13. hi ſunt mali operarii, qui gregem non ſeriò curant, Phil.3.v.2. 2.Cor.11. verſ.15.

Arundo non plantatur, ſed in lacubus & foſſis ſponte enaſcitur: ſic etiam leviculi hi nullam vocationem expectant, ſed ſponte accedunt, Jer.23.v.21.

Arundo in fundamento paluſtri creſcit: ſic etiam falſi illi doctores, non firmiter inhærent doctrinæ & ſermoni, qui potens eſt, & exhortari poteſt, Tit.1.v.9. nempe fundamento Prophetarum & Apoſtolorum, Eph.2.v 20. ſed derelinquentes viam rectam errant, 2.Petr.2.v.15. imò ſeducunt & ſeducuntur, 2.Tim.4.v.13. quia docent doctrinas, & mandata hominum. Matth 15.v.9.

Arundo non modò in caulem rectam & proceram enata: ſed & criſtâ decorata eſt: at interius inanis & concava eſt: ſic etiam falſi Prophetæ exterius in veſtimentis ovium nitent, Matth.7.v.15. & in angelos lucis ſe transfigurant, 2.Cor.11. v.14. at non eſt in ore eorum conſtantia, internum ipſorum malitia eſt. Pſ.5.v.10.

Arundo huc illuc vacillat, prout à vento impellitur: ſic falſi Prophetæ ſpiritu vertiginis aguntur, quem Deus ipſis immiſit, Eſa.19.v.13. ut cogitationes ſuas proprias ſectantes, modò huic, modò illi opinioni adſtipulentur, Pſal.119.v.113. exemplo Samaritanorum, 2.Reg.17.v.24.

Arundo piſcatoribus impedimento eſt, quò minus retia ſua explicare & munia ſua dextrè efficere poſſint: ſic ſæpe falſi Prophetæ,

Digitized by Google

phetæ, orthodoxis eccleſiæ miniſtris obſtaculo ſunt, quò minus Auditores ſuos utiliter ædificent, imprimis ſi ab ipſis faſcinari ſe ſinant, uti Galatæ, Gal. 3. v. 1.

Arundo parùm emolumenti præbet, niſi ut igni mancipetur: ſic & pſeudoprophetæ tandem mittentur in ſtagnum ignis, ardentis ſulphure, Apoc. 19. v. 20.

2. *Ex parte Auditorum*, qui ſæpe recto fundamento deſtituti, quovis cothurno mutabiliores, fluctuantes circumferuntur omni vento doctrinæ, Eph. 4. v. 14. & quamvis ad tempus credant, tamen tempore tentationis deficiunt, Luc. 8. v. 13. ſive infatuantur regnis mundi & gloriâ eorum, quando Diabolus hoc ipſo oculos eorum perſtringit, Matth. 4. verſ. 8. Sicuti Magnatum hodie multi ſeſe offerunt, qui Baalim oſculantur, 1. Reg. 18. verſ. 18. & Maozim venerantur, ſperantes, ſe hoc ipſo divitias & honores conſecuturos, Daniel. 11. verſ. 39. non perpendentes Chriſti verba, Matth. 16. v. 16.

2. *Mollitiem veſtimentorum.* Quando multi ſupra conditionem convenientem, holoſerico & byſſo ſeſe veſtiunt, qua in parte multi quoque Clericorum delinquunt, qui habitûs ſacerdotalis pertæſi, præ animi faſtu, Politicorum habitum æmulari, decorum putant. Qui tamen velut proprii ordinis oſores, non tam ordini ſuo, quàm ſibi ipſis labeculam adſpergunt.

In genere quilibet faſtum inanem declinare, & ἐν καταστολῇ κοσμίῳ in habitu decenti incedere debet, 1. Timoth. 2. verſ. 9. quia Dominus ſemper contemtibiles reddidit elatos, & deſtruxit eos, Sirac. 10. verſ. 16.

3. *Blandimenta verborum*, quæ etiam per mollia veſtimenta intelliguntur, q. d. Chriſtus: Johannes non eſt aſſentator, qui hominum auribus inſervit: ſed ſcapham ſcapham, & ligonem ligonem appellat, nec curat gratiam hominum aut indignationem. Idem faciant eccleſiæ miniſtri, dicentes cum Paulo: Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem, Gal. 1. v. 10.

III. *Tanquam piorum commendator.* Johannes gratiam mundi penitus amiſerat: Herodi & concubinæ ejusdem, ſudes erat in oculis, Phariſæi odio Vatiniano eum proſequebantur, imò eò res ceciderat, ut jam carceri incluſus, capite truncandus foret: Sed Chriſtus laudibus ipſum proſequitur, & innocentiam ejus publicè profitetur. Id magno ei honori cedit, Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt: ſed quem Dominus commendat, 2. Cor. 10. v. 18. Homines verba ſua ſæpe ad aſſentationem componunt, laudantes quæ non ſunt laudanda, & culpantes, quæ culpanda non ſunt: ſed qui à Domino bono teſtimonio ornatur, hoc magis permanebit, quàm mille theſauri pretioſi & magni. Sir. 42. v. 25.

Quod ſi itaque in mundo hoc neminem offendamus, qui commendet nos: hoc ſolatium reſtat, quod Dominus cœleſtis, homines pios excitet, qui, quæ bona ceſſimus, prædicent. *A laudatis laudari vera laus eſt.* Hoc verò ſi fieri debet, conſcientiæ puritati ſtudeamus oportet, ſequentes cum Davide bonitatem, Pſal. 38. verſ. 22. ut cum Paulo dicere poſſimus: Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei, & non in ſapi-

Digitized by Google

ſapientiâ carnali, ſed in gratia Dei converſati ſumus in hoc mundo, 2.Cor.1.v.12. Die noviſſimo hæc laus plenè reſonabit, quando Dominus opera miſericordiæ, membris ſuis exhibita, publicè commendaturus eſt, dicens: Eſurivi & dediſtis mihi manducare, Matth. 25.v.35.

Eò cogitationes noſtras intendere debemus, libenter contumeliam patientes pro nomine Jeſu, Act.5. v.41. eâ fiduciâ freti, quòd merces noſtra eò copioſior futura ſit in cœlis, Matth.5.v.12. tunc enim unicuiq; laus erit à Deo.1.Cor.4.v.5.

Id quod nobis omnibus ex gratia largiri dignetur cœleſtis Pater per Filium ſuum dilectum, Dominum & Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum, in Spiritu Sancto, DEUS benedictus, in ſecula ſeculorum, Amen,

Amen!

Dominica IV. Adventus.

Evangelium Ioh 1. v. 19---28.

EXORDIUM.

PHarao Ægypti Rex, pium Joſephum exaltaturus & Pro-Regem Ægypti conſtituturus, fecit eum adſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, præmiſſoq; præcone clamari juſſit coram eo: Hic eſt Pater patriæ! ut quilibet certior foret, qualem ipſum haberi vellet, Gen.41.v.43.& ſeqq.

Hoc Chriſto Servatori applicari poteſt, cujus typus Ioſephus fuit.

Quemadmodum enim Joſephus dilectiſſimus Patris ſui filius fuit, ſed multis iccirco injuriis affectus à fratribus ſuis: ſic etiam Chriſtus unigenitus filius eſt, qui eſt in ſinu patris, Joh. 1.v.18. in quo ipſi complacuit, Matth.1.v.17. ſed à fratribus ſuis quoad carnem, Judæis videlicet, multis injuriis laceſſitus eſt, qui occiſum ſuſpenderunt in ligno, Act. 10. v. 39. In propria enim venit, & ſui eum non receperunt, Joh.1.v.11.

Pharao *præconem præmiſit*, Joſephum populo præfecturus, qui tenebatur populo annunciare, quis eſſet, nempe Pater patriæ, h.e. ejuſmodi Dominus, abſque cujus imperio non moveret quiſquam manum, aut pedem, in omni terra Ægypti, Gen.41.v.44.

Sic etiam Pater cœleſtis Johannem Baptiſtam præmiſit, cum Filium ſuum Salvatorem mundo præficere vellet, qui etiam publicè de eo teſtimonium perhibuit, quòd eſſet vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Joh. 1. v.9. agnus Dei, qui tollit peccata mundi verſ. 29. Dominus item ſuper omnia, cui Pater dedit omnia in manu ejus, Joh.3. v.35.

Sicuti itaq; matutino tempore, ſolem exorientem *clariſsima ſtella* præcedit, ut diem annunciet, unde etiam *phoſphorus* illa appellatur: Sic cùm Chriſtus ſol juſtitiæ, Mal. 4.v.2. è tentorio majeſtatis & gloriæ ſuæ divinæ, in plenitudine temporis progreſſus eſt, tanquam ſponſus de thalamo ſuo, exultavitq; ut gigas, ad currendam viam ſuam,

quam

Digitized by Google

quam ipſi Pater cœleſtis, ad redemtionem humani generis conſtituerat, *Pſal.* 19. v. 6. antè clariſſima ſtella apparuit, nempe Johannes Baptiſta, qui quaſi exclamavit: ecce *ſponſus* venit, exite obviam ei, Matth. 25. v.6. Joh. 3. v. 29.

Quando *ver adventat*, cum ipſo diei diluculo aves cantillant, quæ cantu ſuo ſolem quaſi excipiunt: ſic in deſerto quoque vox clamantis exaudita eſt, cum Meſſias adventuriret, qui peccata obſignavit, iniquitates expiavit, & ſic lucem & vitam mundo reddidit, ut jam lætabundi dicere poſſimus: Ecce, jam hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit. Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis advenit: vox turturis audita eſt in terra noſtra, Cant. 2. v. 12.

Sicut igitur ſupina ignorantia, vel, ut rectius dicam, malitioſa petulantia eſſet, ſi quis præconem pro Rege, phoſphorum pro ſole, & amicum ſponſi pro ſponſo ipſo habere, & honorem, qui Domino debetur, miniſtro offerre vellet: Sic Judæi grandem errorem errarunt, dum poſthabito Chriſto, Baptiſtæ honorem Meſſiæ detulerunt. Quibus verò graviter ſe oppoſuit, confeſſionemque publicè edidit, clarè conteſtans, non ſe Chriſtum, aut promiſſum mundi Salvatorem eſſe: ſed præmiſſum duntaxat, ut viam eidem pararet, uti pluribus ex prælecto Evangelio audiemus.

Ad quod ipſum conferemus nos, abſq; ulteriori præloquio, meditaturi ex eodem:

I. ἀνθρωπογνωσίαν, ſive *notitiam noſtri.*

II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

Pii Veteres præſentem Dominicam appellarunt *Dominicam Vacantem*, quia in introitu ex Pſal. 46. verſ. 11. cecinerunt: Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terrâ. Quo ipſo pii illi Veteres haud dubiè reſpexerunt præſens Evangelium, ex quo percipimus, quomodo Antiſtites Hieroſolymitani, non Jeſum Nazarenum: ſed Johannem Baptiſtam pro Meſſia, & Rege Sionis agnoſcere, decreverint. Sed iniquè: proptereà Pſalmus ipſos & ſimiles illorum de ſtultitia hac dehortatur, ut circumſpectè agant, monens: ne honorem Meſſiæ, ei, cui non debeatur, deferant, fore enim aliàs, ut ipſis in errore relictis, inter Japhitas eccleſiam ſibi conſtituat, ſicuti Noah dudum eò collineaverat, Gen. 9. v. 27.

Sed ſimul nos quoque monemur, quomodo cum Johanne in ſilentio & ſpe quieſcere, Eſa. 30. verſ. 15. nec nimis Diabolum cum organis ſuis metuere debeamus, ſi blandis & leniſicis verbis, vel etiam inſidioſis technis à veritate Evangelica nos abducere ſatagant: ſed Chriſto cauſam noſtram committere, qui hic per Baptiſtam Antiſtites illos confudit, & in ruborem conjecit. Hic etiam unicuique noſtrûm animum addet, nec minus ſpiritum & ſapientiam dabit, Matth. 10. verſ. 19. ut doctiores ſimus ſuper omnes diſcentes, Pſal. 119. v. 99. & progrediamur de victoria ad victoriam. Pſal. 84. verſ. 8.

Intereà tamen non nimis vacabimus, ſed occaſionem quæremus, quomodo ex

Evangelio præſente, *notitiam noſtri* diſcere poſſimus. Quod quidem fieri poteſt, ſi contemplemur:

I. *Judaicam legationem.* Quia enim Baptiſta dimidium annum in loco ordinario, qui Hieroſolymis erat, non docuerat: ſed in deſerto: novam baptiſmi Ceremoniam in populo Dei minus uſitatam inchoando, omneſque Chriſto jam baptizato, qui etiam docendi miniſterium jam orſus fuerat, ad pœnitentiam ſubinde invitando: Propterea Præpoſiti Hieroſolymitani id diutius ferre non poterant: ſed quia ſibi inſpectio templi & Synagogarum demandata, deliberato conſilio ad ipſum mittebant, quæſitum: quis ſit ille Johannes, & unde poteſtatem habeat, novam hanc doctrinam propalandi. Nec propterea culpandi adeò videntur, juxta illud, 2. Joh. I. verſ. 10.

Hic examinent ſeſe omnes Chriſtiani Magiſtratus, quibus vi inſtrumenti Pacis, jus Epiſcopale in eccleſias Auguſtan. Confeſ. demandatum, an debitâ vigilantia, omnibus ſcandalis, & in doctrina & in vita ſe oppoſuerint, & ſubditos ſuos ab iisdem ſedulò preſervaverint?

Diabolus eſt ſpiritus indefeſſus, qui terram circumit & perambulat, Job. I. verſ. 7. & ad zizania diſſeminanda dies noctesque vigilat: imprimis optimâ occaſione potitur, hominibus dormientibus, & in ſecuritate degentibus, Matth. c. 13. verſ. 15. Unde nos Chriſtus diligenter præmonet: Cavete vobis à Pſeudo-Prophetis, Matth. 7. verſ. 15. Præcipuè verò Chriſtiano Magiſtratui, tanquam nutriciis & nutricibus eccleſiæ inſpectio incumbit, Eſa. cap. 49. verſ. 23. Quando itaque ſcandala veræ religioni adverſa oriri vident, & audiunt, in tempore vigilare debent, & juſto zelo accenſi, ea eradicare, quò appareat, magiſtratum in regione aut civitate eſſe, qui mala puniat, bona verò remuneret, Rom. 13. verſ. 4: ita quoque Eccleſiæ præeſſe, ut omnia decenter & ordine fiant, 1. Cor. 14. verſ. 40.

II. *Deliberatam interrogationem.* Quæ quidem brevis, at magni momenti eſt, variasque utiles meditationes in nobis excitare poteſt. Tu quis es? ajunt. Quo ipſo, non nomen, genus & patriam explorant, quod non ignorabant illi: ſed vocationem & doctrinam. q. d. Fortaſſis Meſſias es, quod hactenus nos celaſti; Unde viſum fuit Præpoſitis noſtris, ut nomine ſuo te interrogemus, utrum ille ſis, quem majores noſtri anxio deſiderio hactenus expectarunt, nempe Siloh, Geneſ. 49. v. 10. magnus Propheta à Moſe promiſſus, Deut. 18. v. 15. Emanuel, Eſa 7. verſ. 14. Angelus fœderis, Mal. 3. v. 1. delitiæ omnium gentium, Hag. 2. v. 8. Zemah, Zach. 6. v. 12. & quæ plura præclara epitheta ei in ſacris adſignantur. Exploratum enim planè habebant, tempus Meſſiæ inſtare, ſceptrum erat ablatum, Geneſ. 49. v. 10. In Moſis cathedrâ ſedebant Scribæ & Phariſæi, Matth. 23. verſ. 3. Septuaginta quoque hebdomades ab Angelo præſinitæ, præterfluxerant, Daniel. 9. v. 24. Quia itaque Johannes vir erat ſanctimoniâ inclytus, qui ex matre decrepita & ſterili natus, duram hactenus vitam duxerat: his rationibus moti, quæſitum ſuos ablegant, tu quis es? quamvis in errore haud tenui verſarentur: Meſſias enim naſcendus è tri-

Digitized by Google

è tribu Judâ erat, Geneſ. 49. v. 10. è Regio ſtemmate Davidis, 2. Sam. 7. verſ. 11. ex virgine, Eſa. 7. v. 14. in Civitate Bethlehem, Mich. 5. v. 2. doctrinam quoque ſuam ſtupendis miraculis confirmare tenebatur, Eſa. 35. v. 5. Horum nihil conveniebat Johanni, ſiquidem è tribu Leviticâ, in civitate ſacerdotali Hebron, matre ſenio confectâ, ex conjugali commiſtione natus, Luc. 1. verſ. 36. nullum unquam ſignum fecerat, Joh. 10. v. 41. Tamen adeò occœcati erant, ut hæc omnia non cernerent, Chriſtum proderent, & Baptiſtæ, Præcurſori ejus honorem Meſſiæ, ambabus manibus offerrent, quo ipſo pœnam à Davide prædictam incurrerunt: qui alium inſecuti ſunt, multiplicarunt moleſtos labores ſuos. Pſal. 16. verſ. 4.

Hic noſce teipſum in terminis terminantibus occurrit, ut quilibet ſeipſum agnoſcere & dicere poſſit: Tu quis es?

1. *Reſpectu primæ originationis.* Reſponſio in promtu erit: quid eſſes niſi homo? quoad corpus quidem, pulvis, terra, & cinis, Sirac. 10. v. 9. quoad animam verò ejuſmodi homo, qui ratione & judicio pollet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum, Eſa. 7. v. 15. Deus enim inſpiravit tibi animam viventem, Gen. 2. v. 7. quæ, moriente te, revertetur ad Deum, Eccl. 12. v. 7.

Quodſi igitur homo es, corpore adeò imbecilli & fragili præditus, quid ſuperbis terra & cinis? Sirac. 10. verſ. 9. & ſeq.

Si homo, animâ immortali præditus? unde eſt, quod ejus non diligentiorem curam geras? Cum tamen omnia terrena bona & dona longiſſimè illa ſuperet? *Omnia nobis duplicia dedit Deus, duos oculos, duas manus, duos pedes, ſi igitur horum alterutrum lædatur, per alterum neceſſitatem conſolamur. Animam verò tantùm unam dedit, ſi hanc amiſerimus, quacunque vivemus?* ait Chryſoſtomus. Vide Matth. 16. v. 28.

2. *Reſpectu commiſſæ functionis.* Tres enim ſtatus Deus ordinavit, & cuilibet regulas certas præſcripſit, juxta quas actiones & vitam ſuam inſtituere debet. Rom. 12. verſ. 7.

Hic quære te, tu quis es? Si verbi miniſter es: ſolicitè cura, teipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, rectè ſecantem verbum veritatis, 2. Tim. 2. v. 15. nihil extrà dicens, quàm ea quæ Prophetæ locuti ſunt, futura eſſe, & Moſes, Act. 26. v. 22. ad legem & teſtimonium, Eſa. 8. v. 18.

Si *Magiſtratûs munere fungeris*, dilige juſtitiam, Sap. 1. verſ. 1. Sirac. 4. verſ. 8. Si *Pater- aut Mater-familias*: educa liberos tuos in admonitione & diſciplina Domini, Epheſ. 6. v. 4. Diſpone negotia tua in judicio, Pſal. 112. v. 5. amplectere pietatem, 1. Tim. 4. v. 8. Eccl... verſ. 14.

3. *Reſpectu Chriſtianæ Profeſſionis.* Multi hodie inveniuntur Chriſtiani nomine ſuperbientes, at omine carentes. Quære igitur te: tu quis es?

Si *Chriſtianus: has regulas obſerva*:

1. *Rectè credito.* Nempe in eum, à quo denominaris Chriſtianus. Huic enim omnes Prophetæ teſtimonium perhibent. Act. 10. v. 45.

2. *Piè vivito.* Non inſtar Epicureorum, aut ethnicorum, ſed ad exemplum, quod tibi Dominus & Magiſter tuus

Digitized by Google

reliquit, 1.Petr. 2. verſ. 21. Diſcedat ab omni iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini, 2.Timoth.2. verſ. 19. 2.Corinth.6.verſ. 15. Sic age, quæ muneris tui ſunt, audi cum omni concupiſcentia ſapientiam, Siracid.3.v.35. Obedi præpoſitis tuis, Hebr.13. v. 16. Exhibe magiſtratui timorem & honorem, Rom. 13.v.7. & quæ aliàs ad te ſpectant, ſolicitè obſerva. Cæterùm potes Deo imbecillitatem tuam confiteri, qui patiens eſt nobiſcum, 2.Petr.3. verſ. 9. quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum, Pſal. 103. verſ. 14. & diſſimulat peccata hominum, propter pœnitentiam, Sap.11.v.24.

3. *Crucem ferto.* Matth.16.v.24. Matth.10. verſ.38.

Hoc examen perquàm neceſſarium eſt, ut Chriſtianus quilibet ſecum inſtituat; ſic non modò peccatis reſiſtere: ſed & in agnitione DEI creſcere & abundare poterit, 1.Theſſal.4. verſ.10. In hac vita æterna conſiſtit. Johan. c. 17. verſ.3.

III. *Johanniticam declarationem.* Confeſſus eſt enim, & non negavit, & confeſſus eſt: quia non ſum Chriſtus. Sic Emphaticè Johannes reſpondit, quod & Evangeliſta ſtudioſè, ad conſtantiam ejus in confeſſione indicandam, expreſſit. Poſcenti enim rationem de ſpe & fide, quæ in nobis eſt, parati eſſe debemus ſemper, ad ſatisfactionem, 1.Pet. 3.v.15. Quantò magis Evangelio à Satanæ organis contradicitur: eò efficacius virtute ſua penetrat. *Sagitta hæreticorum nihil aliud ſunt, quàm coticula*, quâ fides & diligentia noſtra acuitur. Eſa. cap. 28. verſ.19.

Hic te ipſum probes velim, mi Chriſtiane! an exemplo Baptiſtæ confeſſionem tuam imperterritus edideris, aut edere paratus ſis, ſi à te fortè illa requiratur?

Multi ſunt, qui terreni lucri gratiâ, aut cum Pontificiis colludunt, aut aliàs jugum ducunt cum infidelibus, 2.Cor.6.v.14. In corde amplectuntur Evangelii doctrinam, uti videri volunt: ſed publicam confeſſionem reſpuunt. Sed hypocritæ hi ſunt, qui magis diligunt gloriam hominum, quàm gloriam DEI, Johan. c. 12. verſ.43.

Genuinos Chriſtianos non diſpudeat fidei confeſſionis; ſed cum animi lætitia, neceſſitate ita requirente, edant juxta illud: Credidi, propter quod locutus ſum, Pſal.116.v.10. qui hoc non facit, ſed in confeſſione aut mutus eſt, aut ambiguè reſpondet, ille nec frigidus nec calidus eſt, & evometur ex ore Chriſti, Apocalypſ. 3. verſ.16.

In confeſſione nobis præiverunt, David, Pſal.119.v.46. Sadrach, Meſach, Abednego, Dan. 3.v. 16. Eleaſar, 2. Maccab. 6. v.18.28. Mathatias, 1. Macc. 2. v.19. quæ exempla nos ad parem conſtantiam inflammare debent, Matth. 10. v.32.

De Secundo.

Nunc ad *alteram partem* accedemus, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti* contemplaturi.

Hic nobis proponitur in Evangelio hoc:

1. *Tanquam præparationis amator*, cui perplacet, ſi ipſi via præparetur, ut cum gaudio & ſine offendiculo ad nos ingredi poſſit. Hoc officium fuit Johannis Baptiſtæ, de quo ipſe ait: Ego vox clamantis in de-

in deſerto: dirigite viam Domini: ſicut dixit Eſaias Propheta.

Quando *terrenus aliquis Princeps* in via eſt, ingreſſum ſuum in urbem aliquam primariam celebraturus, tum viæ & plateæ complanantur, domicilia exornantur, cives in procinctu ſtant, diſploſione tormentorum & bombardarum eum excipientes, nihilque intermittentes eorum, quæ ipſi honori & delectationi eſſe poſſint.

Chriſtus Servator noſter optimus, ſanè magnus eſt Dominus, imò Dominus ſuper omnia, Actor. 10. v. 36. iccircò æquum eſt, ut ipſi viam paremus, & omnia è medio tollamus, quibus ingreſſus ejus ad nos impediri poſſit. Eſa. 40. verſ. 3. 4.

Fiat id *per ſeriam & non fucatam pœnitentiam.* Ad quam *tres partes* requiruntur:

1. *Seria cordis contritio.* Hûc Propheta collineat, dicens: Omnes colles & montes humilientur; quæ Metaphoricè intelligenda ſunt, de cordibus ſuperbis & inflatis, quæ præ ſpirituali ſuperbia ſeſe inflant & turgentes extollunt, montium & collium inſtar, qui præ alia terra eminent, perſuaſi, ſe operibus ſuis tantum promeritos, ut ex merito, & ut loqui amant, de condigno cœlum ſibi debeatur, exemplo Phariſæi inflati, Luc. 18. verſ. 11. Hi Deo ſunt abominabiles, ideoque montes hi & colles planandi & humiliandi ſunt, ſi cœleſtis gloriæ Rex apud eos divertere debeat. Tria enim habitacula habet, in quibus habitare amat: *primò in excelſo*, h. e. in cœlo, quod occupavit à reſurrectione ſua, unde rediturus eſt die noviſſimo ad judicandum vivos & mortuos, Act. 1. v. 11. *Deinde in ſancto* habitat, h. e. in eccleſia, in medio candelabrorum aureorum, Apocal. 1. verſ. 13. *Tertiò, cum contrito & humili ſpiritu*, Eſa. 57. v. 15.

2. *Fiducialis Chriſti apprehenſio.* Fides enim cum omnibus beneficiis Chriſtum apprehendit, ſibique applicat: hoc ipſo valles exaltantur, ut Propheta ait, h. e. ejuſmodi corda, quæ molem peccatorum ſentiunt, & propterea in tantas anguſtias, & mentis perturbationes conjiciuntur, ut oculos non attollere audeant ad cœlum, ſicut publicanus ille, Luc. 18. v. 13. Hi non relinquentur in ærumnis & anguſtiis iſtis: ſed vivificâ Spiritus Sancti conſolatione erigentur, ut cum Stephano cœlum apertum videant, Act. 7. v. 56. & angelos Dei adſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis, Joh. 1. verſ. ult. Rom. 5. verſ. 20. 21.

3. *Promiſſa vitæ correctio.* Hinc Propheta ait: Et fiant curva in directa, & aſpera in vias planas. Per curva & aſpera intelligitur omnis ἀνομία h. e. quicquid contra utramque legis tabulam eſt, vultque Propheta unumquemque commonere, ut vitam ſuam ad legis normam examinet, & ſi quid curvum aut aſperum offendat, abjiciat, quò voluntas ejus cum ſancta Dei voluntate, & vita cum ſancta vita Chriſti conveniat, juxta veſtigia, quæ nobis reliquit, 1. Petr. 2. v. 21. Si ita Meſſiæ viam præparaverimus, Dilecti! voluptati id erit Regi noſtro, & divertetur apud nos, eſt enim ſanctus, imò ſanctiſſimus, Dan. 9. v. 24. Et omnis, qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt, 1. Joh. 3. v. 3.

II. *Tanquam noſter mediator.* Medius enim veſtrûm ſtat, inquit Johannes; quo ipſo indicat, mediatorem eum eſſe Dei & homi-

hominum,1.Timoth.2.v.5. quia enim iniquitates noſtræ diviſerant inter nos & Deum noſtrum,Eſa.49.v.2. ipſe in medio ſe ſtitit, & de utriuſque naturâ participat, tanquam Deus & homo in una perſona: ſic Deum offenſum & lapſum hominem, ſibi inimiciſſimos redunivit, ut cum Paulo dicere poſſimus: Juſtificati fide, pacem habemus. Rom.5.v.1. 2.Cor.6.v.16.

Hoc probè teneamus. Sicuti enim Sol medius eſt inter Planetas, ut totum orbem illuminet: ſicut militiæ dux in medio militum verſatur, ut animum iis addat: & veluti Doctor in medio diſcentium ſedet, ut inſtruat eos: Sic Chriſtus ſol eſt juſtitiæ, Mal. 4. v. 2. & potens heros in prælio, Pſal.24.v.8. Doctor eruditæ linguæ, Eſa. 50.v.4. hinc in medio noſtrum conſiſtit, ut omnium beneficiorum ejus participes evaderemus.

Inſerviant hæc:

Conſolationi noſtræ, quod habeamus Servatorem noſtrum in medio, qui undique nobis auxilium ferre poteſt. Sæpe fit, ut in hoc mundo ſimus haud aliter, ac roſa inter ſpinas, Cant.2.v.2. ut ovis inter lupos, Matth.10.v.16. Ut Daniel inter leones, Dan. 6.v.16. Sed Servatore in medio noſtrûm conſiſtente, nihil eſt, quod pertimeſcamus: ipſe eſt magna vis, potentia, turris, petra, ſalus, & refugium, Pſal.62.v.3. eſt in medio noſtrûm, ſicut columna nubis inter Iſraëlitas & Ægyptios, dividens inimicos noſtros à nobis, Exod.14.v.19. Prov.18.v.10.

III. *Tanquam Johannis anticipator*. Qui poſt Johannem venit, & ante eum fuit. Hoc abſonum videri poſſit. Nam aliàs ſic ſe res habet, ut, qui in nativitate prior eſt, non poſterior ſit. De Chriſto autem Johannes dicit, quod ante ſe fuerit, & tamen poſt ſe quoque venturus ſit. Cauſa eſt, quia *gemina Gigas ſubſtantia* eſt. *Juxta divinam ſubſiſtentiam* fuit ante Johannem, ratione æternæ generationis à patre. Pſal.2.v.7. egreſſus ejus ab initio, à diebus æternitatis, Mich. 5. v.2. *Iuxta humanam autem hypoſtaſin* poſt eum venit. Johannes enim ſex menſes eum anteceſſit, ut patet ex Luc. 1. v. 36. Venit quoque poſt eum, quia poſt Johannem miniſterium ſuum inchoavit, & miracula patravit, Marc. 1.v.14. tum etiam, quia voci huic clamanti efficaciam communicavit, ut multorum corda permoverit, & pœnitentiam excitaverit.

Confirmatur itaque hic *ſecundus Articulus Symboli Apoſtolici*, quo confitemur, quod Jeſus Chriſtus verus ſit Deus à Patre ab æterno genitus, idemque verus homo, ex Maria Virgine in tempore natus. Talis enim nobis redemtor fuit neceſſarius, qui ſimul Deus & homo eſſet. *Deum oportuit eſſe*, ut opera Meſſiæ propria exantlaret: merus enim homo ea præſtare non potuit, Pſal.49.v.9. *Hominem*, ut pati & mori poſſet: tantus enim peccatorum fuit reatus, ut non niſi morte ejus, qui θεάνθρωπος eſſet, expiari potuerit. Vide Actor.20.v.28. 1.Joh.1.v.7. *Hominem* quoque ideò *eſſe oportuit*, ut omnem juſtitiam in lege à nobis requiſitam, Deo Patri impleret, Rom. 8. verſ. 3.

Tum *hominem fore opus fuit*, ut per omnia fratribus aſſimilaretur, ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, Hebr.2.v.17. imò ut eſſet pignus & arrhabo Dei erga nos homines, qui ardentiſſimum amorem ſuum non copioſius

in

Digitized by Google

in nos effundere potuit, quàm incarnatione filii ſui, 1. Joh. 4. v. 9.

Utrumque igitur credendum eſt nobis, &, quod Servator noſter verus Deus ſit à patre ab æterno genitus, Pſal. 2. v. 7. Hinc Ignatius: *Qui tollit divinitatem Chriſti, Diabolus eſt, & hoſtis omnis juſtitiæ:* Et quod verus homo ſit, ſemen mulieris, Gen. 3. v. 15. fructus ventris Mariæ, Luc. 1. v. 42. Juſtum germen Davidis. Jerem. 23. v. 5. Nam ut Damaſcenus ait: *τὸ ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτον, quod non aſſumtum non curatum.* Propterea Diabolos in æternum damnatos eſſe oportet, quoniam non Angelos, ſed ſemen Abrahæ Chriſtus adſumſit, Hebr. 2. v. 16. Qui hoc novit, ſatis doctus eſt ad regnum cœlorum, Matth. 13. v. 52. gratusque erit Chriſto Servatori. Quando igitur die ultimo poſt Johannem venturus eſt, dividens dolores furoris ſui, ſuper omnes, qui hunc primum & noviſſimum deſpexerunt, ejusque verba perverterunt: hos, qui notitiam ipſius probè didicerunt, donabit perfectâ juſtitiâ, Sap. 15. v. 3. & in æternam gloriam introducet, ubi non ex parte cognoſcemus, 1. Cor. 13. v. 10. ſed omnes à Deo docti, Jer. 31. v. 34. Dominum ſicuti eſt videbimus, 1. Joh. 3. v. 2. imò à facie ad faciem, 1. Cor. 13. v. 12. Quod largiatur nobis cœleſtis Pater, per Dominum & Servatorem noſtrum, Jeſum Chriſtum in Spiritu Sancto, Amen.

In Feſto Nativitatis Chriſti.

Evangelium Luc. 11. v. 1. uſq; ad 15.

EXORDIUM.

CUm Patriarcha Jacobus, aliquando rure ſub dio pernoctaret, tulit de lapidibus, qui jacebant, & ſupponens capiti ſuo, dormivit in eodem loco. Viditq; in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei adſcendentes & deſcendentes per eam; & Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi: Ego ſum Dominus Deus Abraham, patris tui, & Deus Iſaac. Terram, in qua dormis, tibi dabo, & ſemini tuo. Eritque ſemen tuum ſicut pulvis terræ; dilataberis ad Orientem & Occidentem, & Septentrionem & Meridiem: benedicentur in te, & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ, Gen. 28. v. 11. & ſeqq.

Hæc myſticè intelligenda veniunt. Nam *ſomnium hominis non ſcriberetur, niſi magnum pietatis myſterium in eo præfiguraretur,* Auguſtinus ait.

1. *Ratione facti.* Nam 1. cœlum aperiebatur. Sic æternus Dei Filius in incarnatione ſua quaſi cœlum dirupit, Eſ. 45, 8. & 64. v. 1. & paſtores in regione Bethlehemiticâ claritate ſua circumfulſit, Luc. 2, 9. ut indicaret, ſe eſſe Dominum de cœlo, 1. Cor. 15. v. 47. ſplendorem gloriæ, & characterem ſubſtantiæ ejus, Hebr. 1. v. 3.

2. Scala ſtabat ſuper terram, & cacumen illius tangebat cœlum: Sic Chriſtus eſt juſtũ germen Davidis, & tamen quoq; Jehova Zidkenu, Jehova juſtitia noſtra. Jer. 23. v. 5.

3. Scala habebat duo ligna erecta, ſtatuta, quæ per tranſverſalia connexa erant, & ſcalam conſtituebant: Sic in Chriſto duæ ſunt naturæ, divina & humana.

Sola

Sola divina non potuit nos transferre in cœlum, neque ſola humana; propterea Meſſiam oportebat θεάνθρωπον eſſe in una perſona: Deum quidem; ut poſſet obſignare peccatum, expiare iniquitatem, & adducere juſtitiam ſempiternam, Daniel.9. verſ.24. hominem; ut pati & mori poſſet. Sine ſanguinis effuſione enim nulla fit remiſſio, Hebr. 9. verſ.22.

4. Scala diſtinctos habet gradus: ſic Servator noſter à primo conceptionis gradu paulatim altius adſcendit, donec reſedit ad dexteram Dei Patris, ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, ſed & in futuro, Eph.1.v.20.21.

II. *Ratione beneficii.* Beneficia enim incarnationis ſunt

1. *Cœli reſeratio*, quod propter peccata clauſum erat. Geneſ.3.verſ.24. Sed hodie cœlum reſeratur & panditur. *Scala paradiſi fracta in Adamo, reparata eſt in Chriſto*, ut angeli Dei adſcendant & deſcendant ſuper filium hominis. Johan.1. v. ult.

2. *Patris reconciliatio.* Sicuti enim Deus Pater etiam in hac ſcala apparebat, dum ſcalæ innixus, promittebat Patriarchæ, quod in ſemine ipſius cunctæ tribus terræ benedicendæ ſint, Gen.22.v.18. Sic cœleſtis ille Pater erga lapſum genus humanum ſe declarat, quòd futurus ſit nobis in patrem, & nos futuri ſimus ipſi in filios & filias, 2.Cor.6.v.16. Chriſtus enim, cujus natalem hodie celebramus, eſt unus homo in gratia, Rom.5.v.15. in quo nos gratificavit Pater. Eph.1.v.6.

3. *Angelorum aſſociatio.* Sicuti enim Angeli in ſcala Jacobæa adſcendunt & deſcendunt: Sic Chriſtus ſanctiſſimâ incarnatione ſuâ acquiſivit nobis, quod ſancti angeli non ulterius hoſtes, ſed conſervi noſtri ſint, Apocal.22.v.9. in miniſterium emiſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis, Hebr.1.v.14. quos non modò in omnibus viis ſuis cuſtodiunt, Pſal. 91.v.11. ſed etiam in morte quoad animam, in ſinum Abrahæ portabunt, Luc. 16. verſ.22.

De ſummo hoc myſterio in eccleſia agitur, gratioſiſſimo hoc incarnationis feſto, Domini & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, quod jam præſens eſt. Acceſſum igitur ad Evangelium noſtrum facturi, ex inſtituto, juxta illud conſiderabimus:

I. Ανθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

Sed ut tempori inſerviamus, hâc vice priorem duntaxat partem enucleabimus: alteram in ſequentem concionem rejecturi.

J. J.

Exegeſis.

Omnia quæ filius Dei perfecit, eò ſpectant, ut propriam noſtram imbecillitatem & inopiam conſideremus, juxta illud Bernhardi: *Erubeſce, ſuperbe civis, Deus ſe humiliat, & tu te exaltabis?* Idem potius ſentiamus in nobis, quod & in Chriſto Jeſu, Phil.2.v.5. diſcentes ab ipſo manſuetudinem & cordis humilitatem, Matth.11. verſ.29.

Diſcimus autem ex præſente Evangelio *notitiam noſtri*, ſi examinamus

1. *Impo-*

Digitized by Google

1. *Impoſitum cenſum.* Factum autem eſt in diebus illis: exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis. In Græco eſt vox ἀπογράφεσθαι, quæ ſignificat deſcribere & annotare, unde nonnulli in ea opinione ſunt, quod Imperator Auguſtus edictum hoc promulgaverit, non ut pecuniam colligeret, ſed ut experiretur, quam dives ſubditis eſſet, quod à David quoque factum legimus, 2. Sam. 24. v. 1. Sed Joſephus, Judaicus ille Hiſtoriographus luculenter teſtatur, non modo nomina ſed & facultates Judæorum deſcriptas fuiſſe, & quodlibet caput dimidio ſiclo æſtimatum, hoc eſt, ut Lutherus noſter in margine explicat: quarta parte floreni.

Hoc non adeo culpandum: dum enim Magiſtratus pro lege & grege vigilat, laboris ſtipendio aliquo dignus erit. Rom. 13. v. 4. ſeqq.

Hic examinet ſe Magiſtratus, an non interdum hac in parte modum exceſſerit, & ſubditos novo & intolerabili cenſu, & iniquis tributis gravaverit: Sed & ſubditi ſeſe probent, an illud, quod Magiſtratui ex re & vero debetur, cenſum, tributa, vectigalia, ſine tergiverſatione & murmuratione, animo ſpontaneo & æquo erogaverint.

Hic locum habet illud Poetæ:

Iliacos intra muros peccatur & extra.
Unterthan und Obrigkeit/
Fehlen hierin beyderſeit.

Quod Magiſtratus concernit, hi non amplius contenti eſſe volunt lana: ſed oviculas nonnunquam plane deglubunt. Exemplo Rehabeam, 1. Reg. 12. v. 14. & Joas, 2. Chron. 36. v. 3. Ezech. 19. v. 3.

Exempla Juliani Apoſtatæ, Nicephori Phocæ, aliorumque in profanis Hiſtoriis obvia ſunt.

Antigonus Lacedæmoniorum rex, adeo avidus erat pecuniæ, ut omnem occaſionem captaret, quomodo à ſubditis exprimeret. Cum quis eum ideo objurgaret & moderationem ſuaderet, quod & Alexander Magnus, Rex potentiſſimus fuerit, qui tamen multo mitiorem ſe exhibuerit, reſpondebat: *Ille metebat Aſiam, ego ſtipulas colligo.*

Sic adhuc hodie Magnates abutuntur ſubditis ſuis dum ſibi perſuadent, licere ſibi cum iis pro arbitratu agere. Sed perperam ſentiunt. Non enim abſoluti ſunt Domini, ſed excelſo excelſior eſt cuſtos, Eccleſiaſt. 5. v. 7.

Cum *Antigonus* civitatibus Aſiæ uno anno geminum tributum imponeret, graviſſime conquerebantur ideo, & Hybreas nomine omnium ajebat: *Si potes uno anno bis tributum exigere, duas etiam æſtates, & duos autumnos in uno anno nobis effice.* Si Hybreas hic, noſtro hoc tempore viveret, quid diceret, ubi non ſemeſtri, ſed ſingulis menſibus, quin & ſeptimanis tributum exigitur? Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, dicentes: affer, affer, Prov. 30. v. 15. Sed grande hoc eſt peccatum: Panis egentium, vita pauperum eſt: qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt, Sir. 34. v. 5.

Sed & à *parte ſubditorum* magnus defectus eſt. Inveniuntur enim, qui nihil rectum putant, quod Magiſtratus ordinat, & quando cenſus, tributum, aut vectigal aliquod exigitur, maledictorum, convitiorum & calumniarum finis non eſt, non perpendentes, quod emolumentum Reip. ita exi-

gat, ut ſub tutela Magiſtratus, quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & honeſtate, 1. Tim. 2. v. 2.

Accidit aliquando, ut *Romani cives adverſus Senatum inſurgerent*, quod ipſis in exigendis tributis modum excedere videretur: Propterea relinquebant Urbem, & montem quendam occupabant. Nimis hoc periculoſum videbatur, ideo Agrippa Menenius egrediebatur ad illos, recenſens ipſis ſequentem apologum: Membra humani corporis gravabantur aliquando de ſtomacho, quod ipſe otioſus omnia conſumeret, quæ ipſa acquirerent, idcirco conſilium capiebant, in poſterum ſe alia via rem aggreſſuros eſſe, manus ſc. non amplius laborare, dentes non maſticare, pedes & omnia alia membra quieſcere debere, ut ſtomachus deprehenderet, non omnia ſibi tribuenda. Paucis vero diebus interjectis, manus & pedes debilitabantur, & totum corpus enervabatur, quia ſtomachus nullum cibum digerere & illis communicare poterat. Hoc audito, aliter ſentiebant, intelligentes, quam neceſſaria ſtomachi ſuſtentatio foret, & haud inviti quisque pro modulo ſuo, erogabant, hinc factum, ut brevi priſtinæ ſaluti reſtituerentur.

Haud inconcinna eſt hæc comparatio. Sicut enim omnia membra à ſtomacho alimenta & ſuſtentationem habent: Sic etiam ſubditi omnem, ſi à Deo diſceſſeris, ſalutem habent à Magiſtratu, ut unusquisq; ſub vite ſua, & ſub ficu ſua habitare, & benedictione Dei in quiete fruiſquat. 1. Reg. 4. v. 25.

Sicuti autem quodlibet in corpore humano membrum, quod ſuum eſt, peragere debet in commodum ſtomachi, quo deinde cibum digerere, & cuilibet membro vires ſuppeditare poſſit: Sic decebit ſubditos, Magiſtratui præpoſito ultro tribuere, quod ipſis ex æquo debetur, ut reſpublica in flore conſervetur. Fecerunt id Joſephus & Maria, ut Evangelium teſtatur: ecqui ergo nos hic eximeremus? Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit. Rom. 13. v. 1.

Hæc doctrina per-neceſſaria eſt. Quamvis enim non deſint, qui non de tempore eſſe arbitrentur, dum præſens feſtivitas alium locum communem, conſolatione refertum exigat. Sciant tamen quod cenſus non temere in Evangelio mentio facta ſit, ſed Spiritus Sanctus hoc ipſo indicavit, quid Ieſulo recens nato acceptum ferre debeamus.

Iſraelitis in Ægypto vehementer afflictis, Moſes ſuccurrebat, qui liberabat eos. Exod. 3. v. 11. Nos meliorem & præſtantiorem redemtionem, accepimus per Chriſtum, qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum peculiarem, zelotem bonorum operum, Tit. 2. v. 14. Quando itaque magni cenſus & tributa nobis pendenda veniunt, conſolari nos poſſumus, quod tantum temporalia concernat, quæ relinquenda in mundo ſunt, Pſalm. 49. v. 18. Spiritualem cenſum Chriſtus pro nobis exſolvit, dum donavit nobis omnia delicta, & delevit, quod adverſus nos erat, Chirographum, Col. 2. v. 14. Hæc grato animo revolvenda ſunt: Si enim filius vos liberaverit, vere liberi eſtis. Joh. 8. v. 36.

Porro diſcimus *notitiam noſtri*, ſi conſideramus:

II. *Natum infantulum.* De Maria enim in

in Evangelio dicitur: Peperit filium ſuum primogenitum: & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio. Angelus quoque ad Paſtores ait: Et hoc vobis ſignum, invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.

Potuiſſet Meſſias in perfecta viri ſtatura ſeſe exhibere, uti Adam & Eva: ſed aliter placuit ipſi, in hoc quoque fratribus ſuis ſimilis factus, Hebr. 2. v. 17.

Nihil eſt in terra jucundius quam infantulus, in cunabulis & lectulo requieſcens. Nihil blandius! nihil amicabilius! ſi forte ad iram provocetur, facile in gratiam redit, modo amice cum eo converſeris. Jeſulus recens natus, haud aliter nobis videri debet, qui non venit, ut horrorem incutiat, ſed hîc & in æternum exhilaret.

Moſes eſt terribilis, & vultu auſtero prædictus, maledictos enim pronunciat omnes, qui non omnia, quæ in lege ſcripta ſunt, implent, Deut. 27. v. 26. Sed Salvator noſter recens natus, apparet in forma amabilis & ſuaviſſimi infantuli: propterea non metuamus ipſum, ſed cum lætitia accedentes, infantulum è cunis arreptum oſculemur juxta inſtructionem Davidis, Pſalm. 2. v. ult. *Hoc conſolatione pleniſſimum eſt.* Interea anſam habemus, infirmitatem noſtram agnoſcendi: Nemo enim noſtrûm vir naſcitur, ſed omnes in utero matris fingimur, ibique quaſi captivi tenemur novem menſes, *inter ſtercora & urinam*, ut Bernhardus loquitur: quin ſæpius accidit, ut homo in utero materno vitam finiat, *ſepultus ante, quam natus:* Si partus appropinquat, mater dolens clamat in doloribus ſuis, Eſa. 26. v. 17. præſertim ſi usque ad partum venit, & virtus non eſt pariendi. Eſa. 37. v. 3. unde ſæpiuſcule fœtus aut æger & imbecillis, aut mortuus in lucem editur. Quin non raro accidit, ut matres cum infantibus exſpirent, & homo in homine ſepulchrum inveniat experientia teſte, ut non immerito piæ matri-familias conquerendum, cum Rebecca: Si mihi ſic futurum erat, quid neceſſe fuit concipere? Gen. 25. v. 22.

Etſi hæc omnia non contingant, ſed homo ſanus, & feliciter ex utero materno egrediatur, tamen creatura adeo miſerabilis eſt, ut inter omnia animalia miſerior non inveniatur.

1. *Ratione paupertatis.* Omnes cæteræ creaturæ, habent munimenta ſua, quibus ſeſe adverſus omnes incommoditates defendere & tueri queant, *cortex ambit arborem, penna tegit volucrem, piſcem ſquama operit, lana ovem induit, pilus jumenta veſtit concha teſtudinem excipit, ſolus homo inermis naſcitur & nudus*, ut Hugo loquitur. Hinc Jobus ait: Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc, Job 1. v. 21.

2. *Ratione infirmitatis.* Projicitur enim ex utero, Pſalm. 22. v. 11. & jacet inquinatus in ſanguine ſuo, Ezech. 16. v. 6. nec tantis viribus pollet, ut in pede ſtare manu reclinare, aut caput erigere, ne dicam, ambulare, valeat. In his multa animalia eum antecellunt. Gallinæ pullus vile eſt animalculum, ſed vix teſta egreſſus, movet ſe & diſcurrit. Idem faciunt porcelli, vituli, & alia animalcula. Imo vermes atque thermides movent ſe rependo: homo vero, quo reponitur, jacet: & longius ad ſe erigendum, ſtandum, & ambulandum

dum tempus requirit: Quin ſæpius evenit, ut dum ſtare & ambulare diſcit, gravi lapſu eximproviſo lædatur, & per omnem vitam claudus incedere teneatur, uti Mephiboſeth, 2. Sam. 4. v 4.

3. *Ratione calamitatis.* Ideo mundum primo à nativitate intuitu, lachrymis ſalutat. Lachrymare enim prima noſtra vox eſt, in lachrymis naſcimur, cum lachrymis deſerimur in ſepulchrum. Hinc Salomo: primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans: in involumentis nutritus ſum, & curis magnis. Nemo enim ex regibus aliud habet nativitatis initium, Sap. 7. v. 5. & ſeqq.

Hæc omnia Ieſulus recens natus nativitate & incarnatione ſua ſanctificavit, dum communi & uſitato pariendi modo, ut naturalis mulieris filius in hunc mundum natus eſt, pauper & ærumnoſus, ut textus indicat, peperit filium ſuum primogenitum: & pannis cum involvit, ut reclinavit eum in præſepio. Hinc Lutherus in Poſtilla Eccleſiaſtica: Non poſſumus Chriſtum adeo profunde in naturam & carnem trahere, ut non conſolationem in nobis pariat: ideo, quod gratiæ adverſum non eſt, ipſi & matri ejus non denegandum: Qui Deus gratiam ſuam præclarius exhibere potuiſſet, quam quod adeo profunde carni & ſanguini ſe immergit, ut etiam quod in natura ſecretum eſt, non contemſerit, & naturam eo loco maxime honoret, ubi in Adamo & Eva, maximum opprobrium ſubiit. Wir können Eh iſtum nicht ſo tieff in die Natur und in das Fleiſch ziehen / es iſt noch tröſtlicher: Darum / was nicht wider die Genad iſt / ſol man ſeiner und ſeiner Mutter Natur gar nichts ablegen: Wie hätte GOtt ſeine Güte herrlicher können erzeigen / denn daß er ſich ſo tieff in das Fleiſch und Blut ſencke / daß er auch die natürliche Heimlichkeit nicht verachtet / und die Natur an dem Ort aufs allerhöheſte ehret / da ſie in Adam und Eva aufs allerhöheſte zu ſchanden worden iſt. Hinc canit Eccleſia:

Qui clauditur nullo ambitu,
Matris quieſcit in ſinu.
Factus puellus parvulus,
Qui cuncta ſervat maximus.

Den aller Weltkreiß nie beſchloß /
Der ligt in Marien Schoß /
Er iſt ein Kindlein worden klein /
Der alle Ding erhält allein.

Denique *netitiam noſtri* diſcimus, quando conſideramus

III. *Angelorum hymnum.* Simulac enim cœleſtis nuncius, qui ſine dubio Archangelus Gabriel fuit, Paſtoribus Bethlehemiticis bonum nuncium attulit, & dixit: Ne timeatis, vobis enim hodie natus eſt Salvator, qui eſt Chriſtus in civitate David. Subito quoque facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis, laudantium DEUM & dicentium: Gloria in excelſis DEO, & in terra pax, & hominibus beneplacitum.

Hoc *artificioſiſſimum eſt Tricinium.* Diſcantu triplici conſtans; eſt enim 1. *Vox glorificantium*, nempe in primo verſiculo, ita ſonante: Gloria in excelſis Deo.

Protoplaſti honorem Dei ambiverant dum non contenti eâ conditione, in qua conſtituerat eos Deus, inſtinctu Satanæ de

[illegible] fructu vetito comederant, perſuaden-
te [illegible] ſe ſimiles Deo futuros, Gen.3.v.5. Hanc Jeſus recens natus expiavit, ſanctiſſi-mâ incarnatione ſuâ, & tanquam alter Adam reparavit, quod primus Adam in paradiſo perdiderat, Rom 5.v.18.

Nam Deus viciſſim agnoſcitur & celebratur, quod ſit *Deus benigniſſimus*, qui proprio filio non pepercerit, ſed pro nobis omnibus tradiderit illum. Rom 8,32. *Veraciſſimus*, qui verba ſua impleverit, & fecerit redemtionem plebi ſuæ, Luc.1.v 68. *Juſtiſſimus*, qui ſine ſatisfactione hominem in gratiam recipere non potuerit; ſed filius ejus antè homo fieri, & juſtitiæ Dei, ſatisfacere debuit: factus unus ille mediator Dei & hominum, qui ſeipſum dedit pretium redemtionis pro omnibus, 1. Tim. 2. v 5 6. *Sapientiſſimus*, qui mirabile conſilium inierit de ſalute noſtrâ, & magnificaverit ſapientiam, Eſa. 28. v. ult. æternâ redemtione inventa, Hebr. 9. v. 12. *Omnipotentiſſimus*, cujus dextera omnia mutare poteſt, Pſ. 77. v 11.

Hinc cum ſanctis Angelis celebremus, [illegible]: Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam, Pſalm. 115. verſ. 1.

2. *Vox gratulantium*, ſic enim porrò canunt: Pax in terris, quô ipsô intelligi[illegible] pax conſcientiæ, quæ exuperat omnem ſenſum, Phil. 4. v. 7.

Antè nil niſi inimicitiæ erant inter Deum & homines: peccata enim nos & Deum noſtrum diviſerant, Eſa. 59. v. 2. Sed infans hic puerulus, pacis virens oleæ folium attulit, unde princeps pacis vocatur, Eſa. 9. v. 6. Hanc fidem hodiè ſancti Angeli publicè proclamant, ut certi ſimus Deum non amplius iraſci: ſed futurum nobis in patrem, & nos ipſi in filios & filias, 2 Cor.6 v.16.

3. *Vox beneominantium.* Et hominibus beneplacitum.

Antè abominabiles Deo eramus in ſanctiſſimis ejus oculis, Gen. 6. v. 5 Sed poſtquam Chriſtus carnem noſtram induit, & nos Patri reconciliavit, in Chriſtum filium ſuum credentes mirificè amat; in ſanctis, qui ſunt in terra ipſi omne beneplacitum, Pſal.16. v.3. Deliciæ meæ cum filiis hominum, Prov.8.v.31. Eph.1. v.6.

Hic teipſum proba, an debitâ animi lætitiâ, Deo cœleſti Patri, pro incarnatione filii ſui gratias egeris, & hymnos de nativitate Chriſti ſolatii pleniſſimos, domi & in templo fideliter perſonueris. Non dubito, quin inſignis oſcitantia apud pleroſque inveniatur.

Hîc audimus, ſanctos Angelos noſtros Præcentores eſſe, quidni nos cum iisdem ſonora voce intonaremus? Non enim filius Dei Angelos, ſed ſemen Abrahæ adſumſit, Hebr.2.v.16. parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, Eſa.9. v.6. hæc tanta gloria eſt, dicente Luthero, ut Angelus optaret ſe hominem eſſe: quidni nos cum ſanctis Angelis caneremus:

Soli Deo ſit gloria,
  Laus pro benignitate:
Quod nulla tangant nos mala,
  In hac ſecuritate.
Favore nos fovet Deus,
Pax alma floret fortius,
  Ceſſante iniquitate.

Allein Gott in der Höh ſey Ehr /
  Und Danck für ſeine Genade /
Darum daß nun und nimmermehr /
  Uns rühren kan kein Schade:

Ein Wolgefalln Gott an uns hat/
Nun iſt groß Fried ohn Unterlaß/
All Fehd hat nun ein Ende.

Hæc laudatio jucunda & decora eſt, Pſ. 147. v. 5. Qui itaque in ea oblectationem quæret hic in militante Eccleſia: ille in gradu excellentiori Gloria ſuum reſonabit in triumphante, in ſeculum.

Fiat id per Chriſtum, Dominum & Servatorem noſtrum, Amen!

Alia Concio.

In quâ altera pars Evangelii feſtivalis pertractatur.

EXORDIUM.

JUſſit Deus juxta alium ornatum ſummi Pontificis, pectorale confici, quod ſummo Sacerdoti in humerali portandum, ſuper pectus ſuum, in quo erat URIM & THUMIM, doctrina & veritas, Exod. 28. v. 15. & ſeqq.

Myſticam hoc habet ſignificationem.

Nos omnes Sacerdotes ſumus coram Deo, tales nos Chriſtus ſanguine ſuo initiavit, Apoc. 1. v. 6. idcircò nobis ſpirituale humerale gerendum, quod non Purpura Imperatoris, nec Pontificale Pontificis, ſed veſtimentum ſalutis, Eſa. 61. v. 10. quo in baptiſmo induti ſumus, Gal. 3. v. 28. Nempe innocentia & juſtitia Domini noſtri Jeſu Chriſti, qua conſiſtere poſſumus, ne obmuteſcamus, quando Rex intrabit, ad videndum diſcumbentes, Matth. 22. v. 11. 12.

Quemadmodum igitur ſummus Sacerdos in humerali gerebat Urim & Thumim, quæ diſtinctæ gemmæ erant, clariſſimum jubar de ſe edentes, quando Dominus conſulebatur, ut hinc reſponſio colligenda eſſet, ſicut nonnulli ſentiunt, quamvis alii aliter opinentur, adeoque incertum ſit, quid fuerit.

Sic nos decebit, Urim & Thumim, doctrinam & veritatem ſemper in corde nobiſcum portare, ut rectè credamus, & piè vivamus, quæ ſumma totius rei eſt, Eccl. 12. v. 13. & præcipuè conſiſtit in notitiâ noſtri, & Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Quod *notitiam noſtri* attinet, ea tam neceſſaria eſt, quàm quæ maximè. Multi cum admiratione intuentur ſummitatem montium, declivitatem rupium, acceſſum & receſſum maris, latam cœli circumferentiam, multitudinem ſtellarum,

In ſeſe verò tentat deſcendere nemo.

Ut Poëta canit. In propria domo ſumus alienigenæ, in aliena curioſi, 1. Tim. 5. v. 13. 2. Theſſ. 3. v. 11.

Genuini Chriſtiani non ſusq; deq; habeant hoc, ſed ſeipſos probent, 2. Cor. 13. v. 5. *Hoc quidem difficile, ſed beatum eſt*, ait Auguſtinus. Quod ſi nosmetipſos dijudicaremus, non utique dijudicaremur, 1. Cor. 11. v. 31.

Sed non ſufficit hoc: ulterius potius procedendum eſt, & opera navanda, ut Patrem cœleſtem, & Filium ejus Jeſum Chriſtum, quomodo in verbo ſuo ſe manifeſtavit, rectè agnoſcamus, agnitumq; colamus, in quo vita æterna conſiſtit, Joh. 17. v. 3.

Poſtquam itaque in præcedente Concione

[illegible]tione Ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri* [illegible]ſideravimus: jam ad alteram Evange[illegible] [illegible]tem tranſibimus, contemplaturi, [illegible] ωσίαν ſive *notitiam Domini noſtri* [illegible] *Chriſti*.

J. J.

Exegeſis.

SApientiſſimus Regum Salomo, cujus ſimilis nunquam fuit, neq; erit, 1. Reg. 3. v. 13 ænigma conſiderabile nobis omnibus proponit, quando ait: Quis conſtituit [illegible] terminos terræ? quod nomen eſt ejus, & quod nomen filii ejus, ſi noſti? Prov. 30. v. 4.

Triplex hic quæſtio occurrit, 1. enim quærit: *quis conſtituit omnes terminos terræ?* Hoc nemo alius fecit, quàm magnus ille Jehova Elohim, qui cœlum & terram non modò creavit: ſed & cum in principio aqua & terra in chaos permixta erant, [illegible]iſit, & cuique terminum ſuum conſtituit, Gen. 1. v. 9. ipſe definiit regiones, & terminos habitationi hominum, Act. 17. v. 27.

2. Quærit: *Mah ſchemo, quodnam eſt nomen ejus?* Ethnici Deos ſuos variis nominibus [illegible]itarunt: ſed nomen veri, vivi & æterni Dei ipſis ignotum fuit, unde Paulus, Rom. 1. v. 21.

3. Quærit: *quod nomen filii ejus?* [illegible] mirabiles hîc gloſſas confinxerunt, ſed verba clara ſunt: Quis conſtituit omnes terminos terræ? & quod nomen filii ejus? Ex quo irrefragabiliter conſequitur, quòd magnus ille Jehova, qui omnes terræ terminos conſtituit, etiam [illegible]m habeat, quem ab æterno ex eſſentia ſua genuit juxta illud Davidis, Pſal. 2. v. 7.

Hoc myſterium ratione noſtrâ nullatenus comprehendi poteſt; *Licet ſcire, quod natus, non licet diſputare, quomodo natus*, ait Ambroſius. *Novit quem genuit pater, novit, qui genitus eſt filius*, juxta Nazianzenum, & ſic manet magnum pietatis Myſterium, 1. Tim. 3. v. 25.

Si Evangelium noſtrum inſpicimus, & notitiam Chriſti ex eo diſcere cupimus, hîc filius, magni illius Dei, qui orbis terminos conſtituit, nobis proponitur:

1. *Tanquam frater & conſanguineus noſter ſuaviſſimus*, ſic enim Angelus: Nolite timere: Ecce enim, evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus, in civitate David. Quod coincidit cum illo Johannis: Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Joh. 1. v. 14.

Habemus itaque talem Salvatorem, qui carnem & ſanguinem noſtrum induit, nobiſq; fratribus ſuis in omnibus ſimilis factus eſt, excepto peccato, Hebr. 2. v. 17. Hoc demonſtrant

1. *Humana nomina*, quæ ipſi in ſacris paſſim aſſignantur. Vocatur enim homo, 1. Tim. 2. v. 5. Filius hominis, Joh. 6. v. 53. Dan. 7. v. 13. Semen mulieris, Gen. 3. v. 15. Semen Abrahæ, Hebr. 2. v. 16. Filius & fructus ventris Davidis, 2. Sam. 7. v. 12. Pſalm. 89. v. 36. Matth. 1. v. 1. & cap. 22. v. 42. Fructus lumborum ejus, Act. 2. v. 30. Filius Mariæ, Luc. 1. v. 31.

2. *Humana principia.* Præditus enim eſt animâ rationali, Matth. 26. v. 38. quam dedit redemtionem pro multis, Matth. 20. v. 28. & Patri commendavit, Luc. 23. v. 46.

v.46. Habet veram humanam vitam, quam poteſt ponere & ſumere pro lubitu, Joh. 10. v. 17. Habet verum humanum corpus, Luc.22.v.19. & quæ ei adpertinent, nempè carnem, Joh 7.v.54. Sanguinem, Matth. 26. v. 28. Oſſa, Luc.24.v. 9. caput, Matth. 8. v. 9. faciem, Matth. 17. v. 2. Os, Matth. 5.v.2. Linguam, Eſa.55.v.9. Oculos, Luc. 6. v. 20. Aures, Pſal.40. v.7. Manus, 1. Joh. 10.v.28. Pedes, Marc.5.v.22.& ſic ulterius.

3. *Humana attributa.* Quod enim corpus attinet, ei aſſignatur ætas, Luc.2 v.52. Fames, Matth.4.v.2. Sitis, Joh.19.v.28. Lacrymæ, Luc.19.v.41. Sudor & quidem ſanguineus, Luc.22.v.24. Dolor, Hebr.5.v.8. & tandem mors. Matth. 27. v. 50.

Animam verò quod attinet, de illâ intelligendum eſt, quod Eſaias de Filio virginis ait: Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum, Eſa 7. v 15. ideoque ipſi adſcribitur intelligentia, Luc. 2.v.47. voluntas, Joh.5.v.30. Deſiderium, Luc.25.v.15 Caritas, Joh.13.v.34. Gaudium, Matth 11.v.25. Triſtitia, Matth.26.v.28. Ira, Marc.3.v.5. infremere, Joh.11.v.33. & ſi quæ alia.

4. *Humana opera*, edit enim. Luc. 24. v. 43. & bibit, Joh.4.v.7. Laboravit, patri putativo in fabricando adjutor, unde faber Marc.6.v.3. appellatur. Ambulavit de loco in locum, Matt.4.v.12. Natus eſt, ut alius homo, Matth.2.v.2. Luc.2.v.7 Ut alius homo crevit, Luc. 2. v.53. Ut alius homo defatigatus, Joh.4.v.6. ut alius homo paſſus, crucifixus, & mortuus. Matth. 27. v. 50. & ſeqq. Hinc Hebr. 2. v.17 18. Quemadmodum pueri communicaverunt, &c. Inſerviant hæc *conſolationi noſtræ. Multum originis humanæ datum eſt, quod ſecit nos Deus ad imaginem ſuam: ſed longè amplius reparationi noſtræ tributum, quando ipſe Deus ad imaginem noſtram factus eſt*, ait Leo.

Agathocles erat figuli, Aurelianus pellionis, Willegiſus plauſtrarii filius, & tamen primus Rex, ſecundus Imperator, tertius verò Epiſcopus evaſit, quis honos inde in totum genus eorum redundavit? Sed multò beatius nobis, quod filius Dei unigenitus homo, & ita frater noſter factus eſt.

Cùm Saulus Iſraelitarum Rex in acie adverſus Philiſtinos periiſſet, venerunt univerſæ tribus Iſraël ad Davidem in Hebron, dicentes: Ecce, nos os tuum, & caro tua ſumus: non dubitantes, quoniam conſanguineus eorum eſſet, quin ipſis præſidio & auxilio futurus ſit, 2.Sam.5.v.1.

Hâc fiduciâ freti, & nos Jeſulum recens natum accedere poſſumus dicentes: O dilectiſſime Emanuel! ô ſuaviſſime Jeſule! ecce nos os tuum & caro tua ſumus, eſto nobis miſericors, ut eſt nobis fiducia tui, & ſerviemus tibi in juſtitia & ſanctitate coram te omnibus diebus noſtris, Luc. 1.v.75.

Filii Jacobi graviſſimè offenderant fratrem ſuum Joſephum, cùm verò ipſi ſupplicarent, & dicerent. Obſecro, ut obliviſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te. Tum animus commiſeratione afficiebatur, ut lacrymas emitteret, dicens: Nolite timere: Ego paſcam vos, & parvulos veſtros: conſolatusq; eſt eos, & blandè ac leniter locutus eſt, Gen.50.v.17.

Et nos quoque ſæpius & gravius contra fratrem & Immanuelem noſtrum delinquimus, quando verò ſcriò contritione & pœnitentiâ ipſi ſupplicamus, tum [illegible] ſcitur peccatorum [illegible], & [illegible]

tur

conturbantur ipſius viſcera, ut miſerans miſereatur noſtrum. Jer. 31. v. 20.

II. *Tanquam Meſſias & Salvator mundi promiſſus.*

1. *Ratione temporis.* Meſſias in carnem venire debebat, ſceptrô de Juda ablato, Gen. 49. v. 10. Factum hoc erat, non enim Regem Judæi habebant, ſed Cæſarem agnoſcebant Dominum ſuum, Joh. 19, v. 15.

2. *Ratione civitatis*, quæ erat Bethlehem, Mich. 5. v. 1. Et hoc impletum eſt: etſi enim Joſephus & Maria non in Bethlehem, ſed Nazareth habitarunt: tamen Deus providentiâ ſuâ ita direxit, ut Cæſar Auguſtus univerſalem cenſum indici curaverit, cujus occaſione in civitatem Bethlehem profecti, nomina ſua profeſſi ſunt, quoniam uterque è domo & familia Davidis erat, ut Evangeliſta perſpicuè indicat. Hoc artificio Deus ſæpius uti ſolet, unde Auguſtinus: *Deus nihil mali ſinit accidere, niſi ut non aliquid boni poſſit elicere.* Miſericors enim Deus eſt in omnibus operibus ſuis, Sir. 11. v. 14. & tamen omnia in [illegible] finem dirigit, ut Deum diligentibus omnia in bonum cedant, Rom. 8. v. 28.

3. *Ratione ſtirpis.* Meſſias è ſtirpe Davidis oriundus erat, Eſa. 11. v. 1. Jerem. 3. v. 5. Hæc vaticinia in Chriſto impleta ſunt, qui natus eſt ex ſemine David, ſecundum carnem, & declaratus Filius Dei, in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis, Rom. 1 v. 3. Hinc non modò à populo, ſed ipſis quoque pueris ipſi acclamatum: Hoſianna Filio David. Matt. 21, 9.

4. *Ratione matris.* Meſſias naſcendus erat ex [illegible] virgine, Eſ. 7. v. 14. Hoc quoq; Meſſiæ noſtro congruit: Mater enim ejus virum non cognoverat, Luc. 1. v. 34. Hinc Eccleſia:

Non ex virili ſemine
Sed myſtico ſpiramine
Verbum Dei factum eſt caro,
Fructusq; ventris floruit.
Nicht von Manns Blut noch vom Fleiſch/
Allein von dem heiligen Geiſt/
Iſt Gottes Wort worden ein Menſch/
Und blüth ein Frucht Weibes Fleiſch.

Hoc novum illud eſt, quod Dominus ſuper terram creare permiſit. Fœmina circumdabit virum, Jer. 31. v. 22. *Novo enim naſci debebat modo, novæ nativitatis Dedicator*, Tertulliano dicente.

Quod ſi itaq; factus eſſet homo è viro, ſine mulieris admixtione, non novum foret, ſic enim Evam Deus è coſta Adami creavit, Gen. 2 v. 22.

Si homo factus, ſine viro & muliere, neque hoc novum eſſet, ſic enim Adamus formatus à Deo eſt. Gen. 2. v. 7.

Si natus è naturali viri & mulieris commixtione, itidem novum non eſſet. Hoc enim modo nos omnes progignimur, ſiquidem Deo placuit, ut ex uno ſanguine omne genus humanum, inhabitaret ſuper univerſam faciem terræ, Act. 17. v. 27. Propterea Meſſiam ſine viri additione ex Muliere duntaxat natum voluit, Luc. 2. v. 34. quâ ratione etiam mulieris ſemen ille appellatur, Gen. 3. v. 15.

5. *Ratione modalitatis.* Meſſias debuit pauper naſci, Zach. 9. v. 9. Hoc impletum: Regnum enim ejus non erat de hoc mundo, Joh. 8. v. 36. Deſpici debuit à ſuis, Eſ. 53. v. 3. Hoc quoque impletum: Venit enim in propria, & ſui eum non receperunt, Joh. 1. v. 11. Cum commotione cœli & terræ venire debuit, Hag. 2. v. 7. Non minus hoc impletum, ſiquidem univerſus exercitus cœleſtis in nativitate ejus ſe commovit,

 movit,

movit, & egregio hymno eum excepit: Gloria in excelſis Deo, pax in terris, & hominibus beneplacitum, Luc.2.v.14. quin & Rex Herodes nuncio hoc perculſus, & cum eo tota Hieruſalem, Matth.2.v.3. De miraculis, quæ Dominus abundanter patravit, jam nihil dicemus, quæ ſole clarius comprobant, quod idem ille ſit, de quo Sancti Prophetæ ſubinde vaticinati ſunt, imprimis Eſaias cap. 35.v.4. Ad quod vaticinium Chriſtus ipſe diſcipulos Johannis Baptiſtæ relegat, Matth.11.v.4.6.

Apparet hinc

1. *Judæorum cæcitas*, qui his omnibus ſpretis, hunc ſalvatorem, de quo Evangeliſta memorat, abjiciunt, præfractè nolentes, eum regnare ſuper ſe, Luc.19.v.14.

Quoties falſus aliquis Meſſias ſurrexit, facilè ſeducti, eum ſecuti ſunt, ſicut Gamaliel duo exempla recenſet, Act.5.v.36.37.

Quid eveniebat Ægyptio illi, qui anno Chriſti 56. ſurgebat, collectis quatuor virorum millibus, quibus pollicebatur, Romanos ſe è regione Judaicâ expulſurum, Judæosq; priſtinæ libertati reſtituturum? Nonne tribunus Felix eum cum pluribus trucidavit? Act 21.v.38.

Sic ætate Adriani Imperatoris contigit, ut quidam pro Meſſiâ ſe venditaverit & Barchochabam h.e. filium ſtellæ vocaverit, alludens ad prophetiam Bileam, quò majorem ad omnes auſus ſibi autoritatem conciliaret, ſtellam enim ſiam ſe eſſe profitebatur, à Deo miſſum, ut Judæos ab ethnicorum jugo liberaret. Principiò omnia ex voto ipſi ſuccedebant, occupatis in Judæâ 50. caſtellis, & 980. vicis. Muniebat quoque civitatem Bethoron, ex quo Romanis multum damni inferebat. Sed tertio pòſt anno, hæc ſtella ſubito evaneſcebat, omnibus, qui à parte ipſius ſtabant, intereuntibus. Adrianus enim oppidum illud obſidebat, tres annos & ſex menſes, & armatâ manu occupabat: tum impoſtor Meſſias cum multis millibus interficiebatur, idcoque à Judæis non amplius Barchochab filius ſtellæ, ſed Ben Corba, h.e. filius mendacii dicebatur.

Adhuc in hodiernum diem Judæi adeò obdurati ſunt, ut, licet ſciant, tempus præteriiſſe, quod Deus adventui Meſſiæ definivit: tamen noſtrum Meſſiam non recipere, ſed alium expectare malint. Sed fruſtrà omninò: Non enim alius Meſſias veniet, uſque ad diem noviſſimum: ubi Jeſus revelabitur de cœlo, cum Angelis potentiæ ſuæ, diviſurus dolores furoris, Job. 21.v.17. ſuper omnes, qui primum ejus adventum ſpreverunt, ubi adſpicient, quem confixerunt, Zach.12.v.10.

2. *Chriſtianorum felicitas.* Lætabundi enim dicere poſſumus cum Andreâ: Invenimus Meſſiam. Et cum Philippo: quem ſcripſit Moſes in lege & Prophetæ, invenimus, Joh.1.v.41. & 45.

Quod ſi vero Meſſiam invenimus, ſimus ſecuri ſumus, quod Jeſus recens natus Salvator ille ſit, qui ſaluti omnium gentium natus, & mundum ingreſſus eſt: ſecuri quoq; ſumus de redemtione noſtra, quod per illum peccatum obſignatum, iniquitas expiata, & juſtitia ſempiterna adducta ſit, Dan.9.v.24. neq; enim per ſanguinem hircorum & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit in ſancta, æternâ redemtione inventâ, Hebr.9.v.1.

Ipſe eſt benedictum illud ſemen mulieris, quod ſerpentis caput contrivit. Gen.3. v.15. Ipſe eſt ſcala cœli, per quam ad Deum aſcendere poſſumus, Gen.28.v.12. Ipſe eſt

eſt Deus & Goël noſter, qui nos è terra ſuſcitabit, Job. 19. v. 25. Et Jehova juſtitia noſtra, Jerem. 23. v. 6. qui in eum credit, juſtus eſt, Rom. 10. v. 4. Eſt bonus ille paſtor, qui ovibus ſuis daturus eſt vitam æternam, Joh. 10. v. 28. Eſt Sol juſtitiæ, qui nos illuminabit, Mal. 4. v. 2. Agnus Dei, qui peccata noſtra auferet, Joh. 1. v. 29. Cornu ſalutis, quod nos ſalvabit, Luc. 1. v. 69. Verum illud propitiatorium, in quo exauditionem precum, remiſſionem peccatorum, vitam & ſalutem conſequi poſſumus, Rom. 3. v. 25. Heb. 4, 16. Act 10, 43.

III. *Tanquam paupertatis conſecrator meritiſſimus.* In tenebricoſo enim ſtabulo naſcitur, & in duro præſepi reclinatur, quia alias locus non erat in diverſorio. O paupertatem pauperrimam! O nativitatem miſerrimam!

Regi Davidi Hieroſolymis filius naſcebatur, at non in ſtabulo, ſed in caſtro. 2. Sam. 11. v. 27. Sed hic eſt Rex gloriæ, Pſalm. 24. v. 7. qui omnia portat verbo potentiæ ſuæ, Hebr. 1. v. 3. Et ecce! in ſtabulo naſcitur, & duriſſimo præſepi imponitur. *Ecce! quàm exigua magni pompa partus! Civitas parva, domus pauperrima, ſupellex exigua. Nulla domus ambitioſi reclinatorium in ſtabulo. Mater in fœno, Deus in præſepio. Tale elegit fabricator mundi hoſpitium, hujusmodi delicias habuit virginis puerperium!* Cyprianus. Hæc omnia noſtri gratia facta ſunt. Scimus enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, 2. Cor. 8. v. 9.

Natus eſt in publico diverſorio, in ſolatium peregrinantium, ſi quandoque etiam vili hoſpitio potiantur, ut cogitent, idem quoque recens nato Jeſulo accidiſſe, & omnia moderatè ferant, freti eâ ſpe, peregrinationem tandem aliquando finitum iri: ubi ex triſtiſſimo hoc diverſorio transferentur in cœleſtem Hieroſolymam, ubi abundantia gaudiorum in vultu Dei, & delectationes in dexterâ ejus, in æternum, Pſal. 16. v. ult.

Natus eſt in ſtabulo, ad inſignem animi humilitatem ſuam indicandam. Apoſtolus miratur, Salvatorem noſtrum humiliorem factum Angelis, dum non Angelos, ſed Abrahæ ſemen aſſumſerit, Hebr. 2. v. 6. Hic autem perſpicimus, quòd non modò humilior Angelis: ſed & aliis hominibus vilior appareat. Naſcitur enim in ſtabulo, quod pecoribus deſtinatum eſt, cùm è contrario homines domicilia ſua, in iisq; hypocauſta & cameras habeant, in quibus habitent.

Solatium hinc hauri, mi Chriſtiane! Dominus ille qui in ſtabulo reclinavit, ſemper ad te veniet, ubicunq; locorum ſis, nec te orphanum relinquet, Joh. 14. v. 18. Si in exiguâ caſulâ, in magnâ inopiâ tibi vivendum, en! Jeſulus tuus, qui idem expertus eſt, eò magis compatietur tibi, Hebr. 4. v. 15 eſt enim refugium pauperi, Pſalm. 9. v. 10. & cuſtodit omnes diligentes ſe, Pſ. 145. v. 20. Jac. 2. v. 5.

Involutus quoq; eſt pannis detritis, iisq; in præſepe reclinatus eſt, ut ſuperbiam atque luxuriam noſtram expiaret, quam veſtibus pretioſis, byſſo, Luc. 16. v. 19. lectis eburneis, Amos 6. v. 4. exercemus. Inſimul etiã pauperiem noſtram ſanctificavit, ut illi, qui laceratis pannis veſtiti ſunt, aut in ſcamno aut ſtramine requieſcunt, ſolatium habeãt, Chriſtum quoq; in hoc ordine fuiſſe.

Sicuti autem non ſemper in præſepi remanſit, ſed tandem cœlos adſcendit, ubi ſedet ad dexteram Dei, cum ſum-

mâ majeſtate in regno patris : Sic etiam piis Chriſtianis hoc ſolatium repoſitum eſt, quod tandem ſimiliter venturi ſint in regnum Patris, ubi manſiones multæ ſunt, Joh. 14. v. 2. ubi non amplius in laceratis pannis incedent: ſed ſtolis albis amicti, palmas in manibus gerentes, clamabunt voce magnâ, dicentes: Salus ei, qui ſedet ſuper thronum Dei noſtri, & agno, Apoc. 7. v. 9. 2. Tim. 2. v. 11. Hinc Eccleſia:

Proles Parentis Optimi,
Hoſpes fit orbis turbidi,
Nos liberat doloribus,
Solatur in cœleſtibus.
Inops ſalutat Orbitam,
Ut largiatur gratiam,
Ditet in arce ætheris,
Æquans beatis Angelis.
Hæc cuncta nobis præſtitit,
Dilectio quò certa ſit,
Lætetur hinc Eccleſia,
Grates canens in ſecula.

Der Sohn des Vaters Gott von Art/
Ein Gaſt in der Welte ward /
Und fuhrt uns auß dem Jammerthal /
Er macht uns Erbn in ſeinem Saal.
Er iſt auff Erden kommen arm/
Daß Er unſer ſich erbarm/
Und in ein Himmel mache reich/
Und ſeinen lieben Engeln gleich.
Das hat er alles uns gethan /
Sein groß Lieb zu zeigen an/
Deß freu ſich alle Chriſtenheit /
Und danck ihm deß in Ewigkeit/
Amen / Amen.

Dominica poſt Nativitatem Chriſti.

Evangelium Luc. 2. v. 33. -- 40.

EXORDIUM.

Cum Patriarcha Iſaac egreſſus fuiſſet ad meditandum in agro, inclinatâ jam die, domum reverſuro, Rebecca ſuaviſſima obviavit, cujus conſpectu valdè exhilaratus, introduxit eam in tabernaculum Saræ, matris ſuæ, & accepit eam in uxorem, & dilexit, Geneſ. 24. v. 63. 67.

Tria hîc obſervanda nobis proponuntur.

1. *Opus*, quod pius ille Patriarcha ſibiit, nempè egreſſus eſt in agrum. Sancti Patriarchæ alienigenæ erant in terrâ Canaan, neque habitabant in oppidis: ſed ſub dio, in agris tentoria ſua fixerunt, quæ ita comparata erant, ut ea tollere, & pro qualitate victûs, qui ut plurimum in re pecuaria verſabatur, de loco in locum transportare poſſent. Propterea quoque templis carebant, uſque dum Moſes, Dei juſſu ſanctuarium, Exod. 25. v. 1. & Salomo templum ædificarunt, 1. Reg. 6. v. 1. Sed Altari duntaxat extructô, conveniebant, nomen ibi DEI invocantes, exemplo Noah, Gen. 8. v. 20. Abrahami, Gen. 12. v. 7. Iſaaci, Gen. 26. v. 25. Jacobi, Gen. 33. v. 20. Hoc erat templum ipſorum, ſicut Deus adhuc hodiè ubique locorum præſens eſt. Non enim

enim Deus habitat in templis manu hominibus confectis: ſed cœlum eſt ſedes ejus, terra autem ſcabellum pedum ejus, Eſa. 66. v. 1.

2. *Scopus* ob quem Patriarcha hoc opus ſuſceperit? Nempe egreſſus eſt ad orandum, vel ut in textu originali ſonat, ad meditandum. Ex quô apparet Sanctos Dei homines habuiſſe certas horas canonicas, quibus Deo ſupplicarunt, meditationesque ſacras inſtituerunt. Textum ſumſerunt ex *libro naturæ*, qui quatuor præcipue folia continet, cœlum, aerem, terram & mare. In unoquoque invenimus, quod nos ad cognitionem Dei deducere valet. Quot enim ſtellæ ſunt in cœlo, quot avium ſpecies in aere, quot genera animalium & herbarum in terra, quot mineralia & metalla ſub terra, quot piſcium diſcrimina in mari: tot benevolentiæ, omnipotentiæ & ſapientiæ divinæ teſtes habemus. Cœli enim enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum, Pſ. 19. v. 1. Simul cum promiſſionem, de benedicto ſemine mulieris meditati, multum exinde ſolatii acceperunt. Hæ ſacræ ipſorum meditationes fuerunt inter quas aves in aere cantilenis ſuis devotionem eorum magis excitarunt.

Nos quoque ad exemplum Patriarcharum quotidie meditationes ſacras inſtituere debemus: Beatus enim vir, cujus in lege Domini voluptas, & in lege ejus meditabitur die ac nocte, Pſ. 1. v. 2.

3. *Fructus.* Iſaaco, meditationibus abſoluto domum reverſuro, nutu Dei Rebecca amantiſſima occurrebat, quam Pronubus Eliezer adducebat: ſic non ſine fructu eſt, mundo valedicto, in operibus, beneficiis Dei per diligentes meditationes nos exerceamus & oblectemus. Hoc piorum juge convivium, Prov. 15. v. 15. quo lætantur, ſicut qui invenit ſpolia multa, Pſal. 119. v. 162. & quaſi præſentes ſunt ad Dominum, 2. Cor. 5. v. 8. Ideoque non multum recordantur dierum vitæ ſuæ, eò quod Deus occupet gaudio cor eorum Eccl. 5. v. ult. Ejuſmodi enim ſpiritualis meditatio eſt quaſi ſcala cœli, Jacobo viſa, in qua aſcendunt ad Deum, Gen. 28. v. 12. & ſocietatem habent cum Patre & Filio. 1. Joh. 1. v. 3.

Simile quid conſpicimus in Parentibus Chriſti, Joſepho & Maria, qui omnia, quæ de pucrulo vident atque audiunt, diligenter ad animum ſibi revocant, quo ipſo quaſi extra ſe rapti, neſciunt, quid dicant aut cogitent. Interea tamen gaudio ſuperfunduntur, quod Dei gratia vivi ad gratioſum hoc tempus pervenerint, ut pluribus ex prælecto Evangelio audiemus.

Sed propoſito noſtro inſervientes diſcemus ex illo:

I. Αὐθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

DE Virgine Maria in prælecto Evangelio audimus, quod ipſi Simeon annunciat, fore, ut animum ipſius gladius pertranſeat, idque ideo, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Hic eſt gladius tribulationis, qui ſæpius animam ipſius pertranſiit, non modo cum Herodes puerulo vitæ inſidiaretur, ut nocte tenebroſa cum eo in Ægyptum proficiſci teneretur Matth. 2. v. 14. ſed tum præcipue, cum filiolum ſuum dilectiſſimum in tertium uſque diem amiſſum anxie quæreret, Luc 2. v. 48. Maxime vero tempore paſſionis, ubi ſub cruce

ſtetit & vidit, eundem inter cœlum & terram, in medio latronum pendentem & dicentem: Mulier ecce! filius tuus; Et ad Johannem: ecce mater tua! Joh.19. v.26.27. hoc ipſo multorum cogitationes revelatæ ſunt, dum multi defecerunt, & Chriſtum ad mortem poſtularunt, qui ante Hoſianna cecinerant, Matth.21.v.15. Regemque facere volebant, Joh.6.v.15.

Nos hac vice itidem utimur ſpirituali hoc gladio, eoque percutimus, non mala intentione, ſed ut multorum cogitationes revelentur, & ad agnitionem ſui deducantur. Imprimis *notitiam noſtri* diſcimus, ſi perpendimus:

I. *Simeonis Prophetationem.* Nam benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce, poſitus hic eſt, in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicitur. His verbis reſpicit Simeon vaticinia Prophetarum, quæ de Chriſto, ut lapide vivo prædixerunt, qui credentibus honor, non credentibus autem lapis offenſionis, & petra ſcandali factus ſit, uti S. Petrus vaticinia illa expreſſe Chriſto applicat, 1.Petr.2. v.7.

Hæc mira comparatio eſt, quæ diligenter quoque conſideranda, quia alias in Evangeliis non occurrit. Conſiſtit autem illa in ſequentibus:

Lapis durus & compactus eſt, ideoque pro fundamento adhibetur. Domus enim, quæ petræ innititur, à ventis & pluviis non proſterni poteſt. Matth. 7 v.24. Sic Chriſtus immobile fundamentum & petra Eccleſiæ eſt, adverſus quam portæ inferorum non prævalebunt, Matth.16.v.18. Vide Pſalm. 87 v.1.

Lapis gravis eſt, & propter gravedinem tendit deorſum in terram: Sic Chriſtus Salvator noſter gaudio ſemper frui potuiſſet in ſinu patris cœleſtis: ſed amori noſtri percitus, cœlo relicto, ſeipſum exinanivit, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis Phil 2.v.8. Unde Eccleſia:

> HErr dein Lieb ſo groß dich gezwungen hat /
> Daß dein Blut an uns groß Wunder that/
> Und bezahlet unſer Schuld /
> Daß uns GOtt iſt worden hold/

Lapis lædit, vel etiam occidit, quem offendit. Jud.9.v.51.& ſeqq. Sic de Chriſto: Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem vero ceciderit, conteret eum, Matth.21.v.44.

Hic examina te, mi Chriſtiane! utrum Salvator tuus, qui in hunc mundum venit, ut omnibus eſſet anſa reſurrectionis, tibi præter intentionem ſuam, lapis offenſionis, & ſignum contradictionis factus fuerit?

Hoc non tantum olim factum eſt à ſcribis & Phariſæis, & impiis Ethnicis qui Chriſto ſeſe oppoſuerunt, eique contradixerunt ut ipſi Judæi confitentur, Act.28.v.2. Sed & hodie fit, cum à Judæis, qui deſtinata malitia & obcœcatione Chriſtum recipere nolunt: tum ab ipſis Chriſtianis, qui impia vita ſua Chriſto reſiſtunt, dum peccati miniſtrum, Gal.2 v.17. ipſum conſtituunt, vim Chriſtianæ fidei infringunt, & denuo eum crucifigunt, Heb.6.v.6. Quin & ab iis, qui crucem fugientes, in regno ejus, quod ſpirituale eſt, terrenas felicitates quærunt. Sed durum his erit adverſus ſtimulum calcitrare, Act.9.v.5. Confringentur enim & contererentur ab hoc lapide, Matth.21.v.44. ni reſipiſcant in tempore.

Credamus potius in ipſum, ſic nobis honor

[illegible]or erit. Qui crediderit in eum non con-[illegible]detur. 1. Petr. 2. v. 6. 7.

II *Hannæ commendationem.* Huic Evan-[illegible]a egregium Elogium tribuit, quando [illegible] Et erat Anna Propheti**ſſ**a, filia Pha-[illegible], de tribu Aſer. Hæc proceſſerat in [illegible]am ætatem, & vixerat cum viro ſuo, annis ſeptem à virginitate ſua. Et hæc vidua uſque ad annos octoginta quatuor, quæ non diſcedebat de templo, jejuniis & ob-[illegible]ationibus ſerviens nocte & die.

Hic ſpeculum habemus ſexus fœminei, quod Hanna nobis intuendum proponit. Erat enim virgo, cum viro nuberet. Sicut Rebeccam Spiritus Sanctus commen-dat, quod fuerit puella, decora nimis, [illegible]oque pulcherrima, & incognita viro Gen. 24. v. 26. Poſtquam vero matri-[illegible]um contraxit, vixit cum viro annis [illegible]em, quod obſervatu dignum eſt. In-[illegible]iuntur enim in hac mundi fece, quæ [illegible]a viros legitimos cum aliis ſcortantur, Jud. 19. v. 19. in abſentia maritorum alli-[illegible]entes juvenes, ex Prov. 7. v. 16. Hoc Hanna non fecit, ſed cum marito ſuo, [illegible]e & pudice vixit Imitentur hoc ex-[illegible]plum omnes Chriſtianæ matronæ. Ho-[illegible]bile ſit connubium in omnibus, & [illegible] immaculatus, Fornicatores enim & adulteros judicabit Dominus. Hebr. 13. v. 4.

Viduatus quoque ejus mentio fit, vidua [illegible] erat, uſque ad annos octoginta [illegible]uor. Quod ſi ad ſecunda vota proce-[illegible]e ei libuiſſet, nemo id inhibere potuiſ-[illegible], juniores enim viduas Paulus nubere [illegible]t, 1. Tim. 5. v. 14. Sed ultro in viduatu [illegible]ſit, cumque ita duxit, ut nuſquam de [illegible]plo diſceſſerit, ſed jejuniis & obſervatio-[illegible] nocte & die Deo ſuo ſervierit. Hoc præclarum eſt præconium, quod melius eſt, quam unguentum precioſum, Eccl. 7. v. 2. Pretioſum unguentum diu odorem diſperdidiſſet: De Hannæ vero pietate ultra mille ſexcentos annos in Eccleſia prædicatum eſt, adhuc prædicatur, & prædica-bitur uſque ad diem noviſſimum. Hinc David Pſal. 111. v. ult.

Probent ſe Chriſtianæ Matronæ, an exemplum Hannæ non dicam æquare, ſed imitari duntaxat, operam dederint! Vereor ne illud Juvenalis hic locum habeat:

> Raro quippe boni, vix ſunt numero totidem, quot
> Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.

Haud enim adeo infrequens hodie eſt, ut Hymenæus & Lucina ſimul nuptias celebrent, vel hæc illi intempeſtive ſuccedat. Sed hæc laus ſordet Idcirco non mirum eſt, ſi montes mali irruant, & miſeram vitam perpetuo agant, Mal. 3. v. 9.

Hanna vivebat annis ſeptem cum viro ſuo. Sed multa hodie meretriculæ inveniuntur, qui maritis domi neglectis, cum aliis deambulando, vel alio quovis modo, ſeſe oblectent. Unde graviſſima ipſis ratio reddenda. Siracides nihil æque ac caſtitatem commendat ideo dicit: Gratia ſuper gratiam mulier ſancta, & pudorata. Sir. 26. v. 19.

Hanna in viduatu vivebat caſte & pudice, nec diſcedebat de templo: ſed jejuniis & obſecrationibus ſerviebat Deo, die ac nocte. Hodie multæ viduæ inveniuntur libidinoſæ & laſcivæ, quæ in delitiis vivunt, ex hac domo in aliam tranſcurrunt, non vero obſecrationibus & orationibus inſtant, ut Regula earum ſonat, ideoque viventes mortuæ ſunt. 1. Tim. 5. v. 5. 6.

Hæ

Hæ ab Hanna diſcant, quid ſui ſit officii, diligenter orent, aſſidue templum frequentent, ubi auditur vox laudis, & enarrantur univerſa mirabilia Dei. Pſal. 26. v. 7. Hoc unicum eſt neceſſarium. Luc. 10. v. 42.

III. *Parentum Chriſti perſeverationem.* Non enim prius revertebantur domum, donec omnia perfecerant, ſecundum legem Dei.

Hic teipſum proba, an etiam ejusmodi devotione & cultu, cultui divino ab initio ad finem interfueris?

Sæpe accidit, ut huic vel illi tædium oboriatur concionis audiendæ, ut libenter valediceret cœtui congregato, ſi per alios liceret, & ſine propudio poſſet: quanta illis devotio ſit facile conjicere licet. Sed dedecori hoc eſt Chriſtiano! Genuini Chriſtiani merito tam diu expectare debent, dum benedictione Eccleſiaſtes eos ornet, & concionem in pace dimittat, ut ipſe Deus mandavit. Num. 6. v. 23. Qui hoc non facit, in illo implebitur illud Davidis, Pſalm. 109. v. 17.

Quando apes novis fœtibus exundant, volatu ſurſum feruntur, ſimul ac autem tinnire audiunt, delabuntur rurſus & arbori ſe applicant. Ita res comparata eſt, cum ejuscemodi hominibus, ut interdum corda per devotionem ad Deum elevare videantur, ſimul ac autem Diabolus pecuniarum aut voluptatum tinnitum excitat, omnem devotionem abjiciunt, & temporalibus cor apponunt, ut Demas, qui Paulo relicto, hoc ſeculum diligebat. 2. Tim. 4 v. 10. Hi ſunt hypocritæ, qui circumferuntur, omni vento doctrinæ, Epheſ. 4. v. 14. Sed alia mens eſt genuinis Chriſtianis qui diligunt habitaculum domus Dei, & locum habitationis gloriæ ipſius. Pſalm. 26. v. 8. Sir. 3. v. 31.

De Secundo.

TRanſibimus nunc ad *alteram partem*, contemplaturi, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Hic nobis proponitur:

I. *Tanquam puer admirabilis*. Nam Pater ejus, & Mater ejus erant admirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo.

Vere Jeſulus recens natus, puer admirabilis eſt, de quo recte Juſtinus: πάντα ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ κατάληψιν τῆς κτιστῆς φύσεως. Omnia quæ de hoc puero dicuntur, excedunt omnem non modo hominum: ſed & angelorum intelligentiam, atque judicium, ut non modo nos homines in admirationem rapiamur: ſed in quæ angeli etiam deſiderant proſpicere, 1. Petr. 1. v. 12.

Olim ſeptem *mundi miracula*, in magna admiratione verſabantur: ſed flocci fiunt, quando cum puero hoc admirabili conferuntur.

Admirentur alii *templum Dianæ*, quod Epheſi fuit, cujus ædificatione Aſia ducentos annos occupata fuit, cujus mentio fit, Act. 19. v. 20. Nos Chriſtum mirabimur, cujus corpus templum mirificentius eſt, Joh. 2. v. 19. in quo tota plenitudo divinitatis habitat corporaliter. Col 2. v. 9.

Alii admirentur *Epitaphium pretioſum*, quod Artemiſia marito ſuo Regi Mauſolo, quam artificioſiſſime exſtrui curavit. Nos Chriſti admiratione tenemur, cujus ſepulchrum multo pretioſius fuit, quia in eo corruptionem non vidit, Pſ. 16. v. 10. ſed tertio die vivus ſurrexit, atque prodiit, Marc. 16. v. 6.

Alii admirentur, magnum *ſolis ſimulacrum*,

crum, quod Rhodenſes in honorem Solis erexerunt, quia ejus beneficia tam moderatum aera habebant, ut ferme quotidie ſolem ſine nubibus opacis intueri poſſent. Nos in admirationem Chriſti rapimur, qui eſt ſol juſtitiæ, Mal. 4. v. 2. & vera lux, illuminans omnem hominem, venientem in hunc mundum. Joh.1.v.9.

Admirentur alii *ſimulacrum Iovis*, quod Ethnici in honorem ejus fabricatum erexerant: Nos admiratione Chriſti afficimur, qui eſt ſplendor gloriæ, & character ſubſtantiæ ejus, Hebr.1.v.13. Hunc qui videt, & patrem videt. Joh.14.v.9.

Admirentur alii *muros Babylonis*, altos pedes ducentos, latos quinquagenos, in quibus via tam ſpatioſa, ut quadrigæ ſibi mutuo occurrentes facile pertranſire potuerint. Nos Chriſti admiratione ducimur, qui promiſit, ſe murum ignis futurum in circuitu noſtro. Zach.2.v.5.

Admirentur alii *Pyramides*, à Regibus Ægypti olim exſtructas, quæ in cœlum aſcendere videbantur, quarum unam trecenta, ſexaginta hominum millia conſtruxiſſe traduntur. Nos admiratione Chriſti trahimur, qui vera eſt ſcala cœli, in qua aſcendere, & ſalutis æternæ hæredes fieri poſſumus. Joh.1.v.ult.

Admirentur alii *Regiam Cyri*, Regis Perſæ, qui ſeptimum mundi miraculum celebratur. Nos Chriſti admiratione commovemur, qui nobis domum in cœlo paravit, in qua manſiones multæ ſunt, indeque rediturus eſt, & nos accipiet ad ſe ipſum, ut ubi ipſe eſt, & nos ſimus. Joh.14.v.2.3.

Inprimis vero ſtuporem nobis incutiat ὁμολογουμένως μέγα τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, quod Deus ſe manifeſtaverit in carne, 1. Tim.3.v.16. Jam audit mundus inaudita, jam cernit nunquam viſa, *Deum in carne, filium in gremio, Regem in præſepio.* Hoc nunquam factum, quamdiu mundus fuit. Unde non abs re Jeremias: Creabit Dominus novum ſuper terram: Fœmina circumdabit virum. Jer.31.v.22. Certe mirum! Quis enim unquam audivit, filium eſſe parentem matris ſuæ, aut puerulum matrem exuperare ætate. Hic cernimus Deum ab uberibus matris virginis pendentem, in præſepio jacentem, in cœlo imperantem; lacrymat in ſtabulo, qui omnes exhilarat in cœlo.

Miranda hæc in noſtrum commodum facta ſunt. Ipſe fit parvus, ut nos ſimus magni; ipſe puer, ut nos perfecti: ipſe faſciis involvitur, ut diſſolveret laqueos diaboli, quibus captivi tenebamur ad ejus voluntatem, 2. Tim.2.v.26. Ipſe jacet in cunabulis, ut nobis requiem animarum procuraret, Matth.11 v.29. Infantia ejus affert ſapientiam, imbecillitas potentiam, lacrymæ ſordes peccatorum abluunt. Mirabilis eſt ejus juſtitia, quæ nobis per fidem imputatur, Rom.4.v. 5. qui natura ſumus filii iræ, Eph. 2.v.3. & iniquitatem ceu aquam bibimus, Job.15.v.18. ut vere dicere poſſimus: Conſilium ejus mirabile, & tamen penetrabile, Eſa.28.v.29.

Revocemus hæc ad animum in cruce & tentationibus, ne auxilium ejus deſperemus, aut animo cadamus, terribilis enim eſt in operibus ſuis, Pſalm.66.v.4. & tamen Deum diligentibus omnia in bonum ordinat, Rom.8.v.28.

II. *Tanquam Salvator deſiderabilis.* Hic de Hanna dicitur, quod locuta ſit de illo omnibus, qui expectabant redemtionem Hieruſalem. Quo ipſo indicatur ardens illud deſiderium adventus Meſſiæ, quo Patriar-

triarchæ Veteris Teſtamenti flagrarunt. Poſtquam enim benigniſſimus Deus Protoplaſtis poſt lapſum promiſſionem fecerat, de benedicto ſemine mulieris, contrituro caput ſerpentis, Gen.3,15. in Eva magnum deſiderium exarſit, Gen.4.v.1. ſimiliter in Lamech, Gen. 5.v.29.

Hanc promiſſionem repetivit Deus Abrahamo, Gen. 12. v.3. Iſaaco, Gen.26.v. 4. Jacobo. Gen.28. v.14. & tandem etiam Davidi, 2. Sam.7.v.12. & ſeqq.

Hoc diligenter à Prophetis Auditoribus ſuis inculcatum eſt, qui Spiritus Sancti inſtinctu plane aſſeverarunt, Dominum venientem venturum, & non tardaturum, Habac.2.v.3.

Quamvis autem promiſſio hæc diu dilata, tamen non ablata, ſed in plenitudine temporis impleta eſt. Schilo promiſſus venit, Gen.49. v.10. Stella ex Jacob apparuit, Num.42. v. 17. Sol juſtitiæ ortus eſt, Mal.4. v. 2. & deſiderium gentium natus, Hag. 2.v.8. Nobis alius expectandus eſt nullus, Matth. 11. v.3. ſed lætabundi dicere poſſumus: Invenimus Meſſiam, Joh.1.v.41.

Quia vero de cœlo redibit judex vivorum & mortuorum, ideo in ſanctis converſationibus & pietatibus ſimus, exſpectantes & properantes in adventum diei Domini, 2. Petr.3.v.11. ut parati ſimus, cum gaudio ipſum excepturi, & audituri vocem lætiſſimam. Matth.25.v.34.

III. *Tanquam typus juventutis inaſtimabilis.* Puer autem creſcebat, & confortabatur Spiritu, plenus ſapientia, & gratia Dei erat in illo.

Hinc elucet, Jeſulum noſtrum recens natum naturali modo, de die in diem, de anno in annum creviſſe, ut alii infantes ſolent uſq; ad ſtaturam virilem. Quod & Paulus teſtatur, Heb.2. v.17.

At quod dona dona animi concernit, ea adeo excellentia & ſublimia fuerunt, ut quilibet inde colligere potuerit, non eſſe vulgarem puerum: ſed admirabilem, in quo rarum quid deliteſceret. Ex ſtudiis enim ſuis cognoſcitur puer, ſi munda & recta ſint opera ejus. Prov 20.v.11.

Adhuc hodierno tempore pueri certi eſſe poſſunt, ſi Deum timeant, parentibusque obediant, Deum ipſis Spiritum ſuum Sanctum largiturum, ut non modo ætate & annis, ſed & ſapientia & intelligentia ad ſtuporem ſeniorum creſcant, & proficiant. Senectus enim venerabilis eſt, non diuturna neque annorum numero computata: cani autem ſunt ſenſus hominis: & ætas ſenectutis, vita immaculata, Sap. 4. v.8.9. Propterea pueri centum annorum morientur, Eſa.65.v.20. Pueruli vero maximi ſunt in regno cœlorum, & ſi nos revertemur in tempore gratiæ & efficimur ſicut parvuli, etiam hoc ſolatio fruemur, quod nunquam ſenectute conficiemur, ſed ut palmæ virebimus etiam in ſenectute frugiferi erimus, germinabimus & virebimus, Pſalm. 92. v. 13. 15. Quod ipſum Deus ter Opt. Max. ex gratia nobis largiatur, per Dominum & Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum!

Amen.

DO-

Dominica poſt Circumciſionis Feſtum.

Evangelium, Matth. 3. v. 11.— —17.

EXORDIUM.

Refert S. Evangeliſta Johannes, Hieroſolymis piſcinam fuiſſe, nomine Betheſdam quinque porticus habentem, in quibus jacuerit multitudo magna languentium, cœcorum, claudorum, aridorum. Quotannis enim Angelus Domini deſcendebat, & movebat aquam in piſcina, hinc ſalutiferam virtutem accipiebat aqua. Et qui prior deſcendebat in piſcinam, poſt motionem aquæ, ſanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate ſua, qui fruſtra hactenus expectaverat, quando enim aqua turbabatur, ſemper alius ante eum deſcendebat, neque enim ipſe ſurgere poterat, cum neminem habebat, qui ipſum de terra levatum, in piſcinam miſiſſet. Joh. 5. v. 2. 7.

Hæc piſcina egregius typus eſt Baptiſmi: licet enim in eo aquam habeamus communem: tamen Angelus magni fœderis, Dominus & Salvator noſter Jeſus Chriſtus, aquam hanc virtute ſua commovit, & ſanguine ſuo tinxit, ut jam ſit ſalutaris aqua, omnes ſanans morbos, per hæreditatem in nos derivatos, & à nobis attractos: Es iſt für ihm eine rothe Fluth/ von Chriſti Blut gefärbet/ die allen Schaden heilen thut/ von Adam her geerbet/ und von uns ſelbſt begangen. Et quando ea in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti adſpergimur, mundamur ab omnibus iniquitatibus noſtris. Ezech. 36. v. 25.

Quemadmodum enim Servator in Circumciſione carnis ſuæ, Teſtamento Veteri, & omnibus Ceremoniis Leviticis valedicere cœpit: ſic à Johanne hic baptizatur, ut portam Novi Teſtamenti pandat, & Eccleſiæ ſuæ ſalutare illud aquæ lavacrum inſtituat, in quo illa ab omnibus maculis, rugis & inquinamentis ablui, & ex adverſo elegantisſima veſte juſtitiæ ejuſdem amiciri poſſit. Quicunque enim in Jeſum Chriſtum baptizati eſtis, Chiſtum induiſtis. Gal. 3. v. 27.

Sed abſque prolixiori ambage ad rem ipſam acceſſuri, diſcemus ex hoc Evangelio:

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*
II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

I. I.

Exegeſis.

Magna ſunt opera Domini, inveſtigata in omne beneplacitum eorum. Laus & magnificentia opus ejus, inquit Regius ille Pſaltes, Pſalm. 111. v. 2. 3. Hic audimus, quomodo opera ejus recte intueri & perpendere debeamus. *Magna ſunt*, quoniam à Rege Regum & Domino Dominantium dependent, & humana ratione comprehendi non poſſunt. *Iucunda* ſunt, quia magnam animi lætitiam in cordibus excitant, ſi recte conſiderentur. *Laudabilia* ſunt, quia lauda-

v.46. Habet veram humanam vitam, quam poteſt ponere & ſumere pro lubitu, Joh. 10.v.17. Habet verum humanum corpus, Luc.22.v.19.& quæ ei adpertinent, nempè carnem, Joh 7.v.54. Sanguinem, Matth. 26.v.28. Oſſa, Luc.24.v. 9. caput, Matth. 8.v.9. faciem, Matth. 17.v.2. Os, Matth. 5.v.2. Linguam, Eſa.55.v.9. Oculos, Luc. 6.v.20. Aures, Pſal.40.v.7. Manus, 1. Joh. 10.v.28. Pedes, Marc.5.v.22.& ſic ulterius.

3. *Humana attributa.* Quod enim corpus attinet, ei aſſignatur ætas, Luc.2 v.52. Fames, Matth.4.v.2. Sitis, Joh.19.v.28. Lacrymæ, Luc.19.v.41. Sudor & quidem ſanguineus, Luc.22.v.24. Dolor, Hebr.5.v.8. & tandem mors. Matth. 27.v.50.

Animam verò quod attinet, de illâ intelligendum eſt, quod Eſaias de Filio virginis ait: Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum, Eſa 7.v 15. ideoque ipſi adſcribitur intelligentia, Luc. 2.v.47. voluntas, Joh.5.v.30. Deſiderium, Luc.25.v.15. Caritas, Joh.13.v.34. Gaudium, Matth 11.v.25. Triſtitia, Matth.26.v.28. Ira, Marc.3.v.5. infremere, Joh.11.v.33. & ſi quæ alia.

4. *Humana opera*, edit enim, Luc. 24.v. 43.& bibit, Joh.4.v.7. Laboravit, patri putativo in fabricando adjutor, unde faber Marc.6.v.3. appellatur. Ambulavit de loco in locum, Matt.4.v.12. Natus eſt, ut alius homo, Matth.2.v.2. Luc.2.v.7 Ut alius homo crevit, Luc. 2.v.53. Ut alius homo defatigatus, Joh.4.v.6. ut alius homo paſſus, crucifixus, & mortuus. Matth. 27.v.50.& ſeqq. Hinc Hebr. 2.v.17 18. Quemadmodum pueri communicaverunt, &c. Inſerviant hæc *conſolationi noſtræ.* *Multum origini humanæ datum eſt, quod* [illegible]*os Deus ad imaginem ſuam ſed longè amplius reparationi noſtræ tributum, quando ipſe Deus ad imaginem noſtram factus eſt*, ait Leo.

Agathocles erat figuli, Aurelianus pellionis, Willegiſus plauſtrarii filius, & tamen primus Rex, ſecundus Imperator, tertius verò Epiſcopus evaſit, quis honos inde in totum genus eorum redundavit? Sed multò beatius nobis, quod filius Dei unigenitus homo, & ita frater noſter factus eſt.

Cùm Saulus Iſraelitarum Rex in acie adverſus Philiſtinos periiſſet, venerunt univerſæ tribus Iſraël ad Davidem in Hebron, dicentes: Ecce, nos os tuum, & caro tua ſumus: non dubitantes, quoniam conſanguineus eorum eſſet, quin ipſis præſidio & auxilio futurus ſit, 2.Sam.5.v.1.

Hâc fiduciâ freti, & nos Jeſulum recens natum accedere poſſumus, dicentes: O dilectiſſime Emanuel! ô ſuaviſſime Jeſule! ecce nos os tuum & caro tua ſumus, eſto nobis miſericors, ut eſt nobis fiducia tui, & ſerviemus tibi in juſtitia & ſanctitate coram te omnibus diebus noſtris, Luc.1.v.75.

Filii Jacobi graviſſimè offenderant fratrem ſuum Joſephum, cùm verò ipſi ſupplicarent, & dicerent. Obſecro, ut obliviſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te. Tum animus commiſeratione afficiebatur, ut lacrymas emitteret, dicens: Nolite timere: Ego paſcam vos, & parvulos veſtros: conſolatusq; eſt eos, & blandè ac leniter locutus eſt, Gen.50.v.17.

Et nos quoque ſæpius & gravius contra fratrem & Immanuelem noſtrum delinquimus, quando verò ſeriâ contritione & pœnitentiâ ipſi ſupplicamus, tum oblviſcitur peccatorum, iram dimittit, & con-

tor

turbantur ipſius viſcera, ut miſerans miſereatur noſtrum. Jer. 31. v. 20.

II. *Tanquam Meſſias & Salvator mundi certiſſimus.*

1. *Ratione temporis.* Meſſias in carnem venire debebat, ſceptrô de Juda ablato, Gen. 49. v. 10. Factum hoc erat, non enim Regem Judæi habebant, ſed Cæſarem agnoſcebant Dominum ſuum, Joh. 19, v. 15.

2. *Ratione civitatis*, quæ erat Bethlehem, Mich. 5. v. 1. Et hoc impletum eſt: etſi enim Joſephus & Maria non in Bethlehem, ſed Nazareth habitarunt: tamen Deus providentiâ ſuâ ita direxit, ut Cæſar Auguſtus univerſalem cenſum indici curaverit, cujus occaſione in civitatem Bethlehem profecti, nomina ſua profeſſi ſunt, quoniam uterque è domo & familia Davidis erat; ut Evangeliſta perſpicuè indicat. Hoc artificio Deus ſæpius uti ſolet, unde Auguſtinus: *Deus nihil mali ſinit accidere, ex quo non aliquid boni poſſit elicere.* Mirabilis enim Deus eſt in omnibus operibus ſuis, Sir. 11. v. 14. & tamen omnia in bonum finem dirigit, ut Deum diligentibus omnia in bonum cedant, Rom. 8. v. 28.

3. *Ratione ſtirpis.* Meſſias è ſtirpe Davidis oriundus erat, Eſa. 11. v. 1. Jerem. 3. v. 15. Hæc vaticinia in Chriſto impleta ſunt, qui natus eſt ex ſemine David, ſecundum carnem, & declaratus Filius Dei, in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis, Rom. 1 v. 3. Hinc non modò à populo, ſed ipſis quoque pueris ipſi acclamatum: Hoſianna Filio David. Matt. 21, 9.

4. *Ratione matris.* Meſſias naſcendus erat ex caſtiſſima virgine, Eſ. 7. v. 14. Hoc quoq; Meſſiæ noſtro congruit: Mater enim ejus virum non cognoverat, Luc. 1. v. 34. Hinc Eccleſia:

Non ex virili ſemine
Sed myſtico ſpiramine
Verbum Dei factum eſt caro,
Fructusq; ventris floruit.

Nicht von Manns Blut noch vom Fleiſch/
Allein von dem heiligen Geiſt/
Iſt Gottes Wort worden ein Menſch/
Und blüth ein Frucht Weibes Fleiſch.

Hoc novum illud eſt, quod Dominus ſuper terram creare permiſit. Fœmina circumdabit virum, Jer. 31. v 22. *Novo enim naſci debebat modo, novæ nativitatis Dedicator*, Tertulliano dicente.

Quod ſi itaq; factus eſſet homo è viro, ſine mulieris admixtione, non novum foret, ſic enim Evam Deus e coſta Adami creavit, Gen. 2 v. 22.

Si homo factus, ſine viro & muliere, neque hoc novum eſſet, ſic enim Adamus formatus à Deo eſt. Gen. 2. v. 7.

Si natus è naturali viri & mulieris commixtione, itidem novum non eſſet. Hoc enim modo nos omnes progignimur, ſiquidem Deo placuit, ut ex uno ſanguine omne genus humanum, inhabitaret ſuper univerſam faciem terræ, Act. 17. v. 27. Propterea Meſſiam ſine viri additione ex Muliere duntaxat natum voluit, Luc. 2. v. 34. quâ ratione etiam mulieris ſemen ille appellatur, Gen. 3. v. 15.

5. *Ratione modalitatis.* Meſſias debuit pauper naſci, Zach. 9. v. 9. Hoc impletum: Regnum enim ejus non erat de hoc mundo, Joh. 18. v. 36. Deſpici debuit à ſuis, Eſ. 53. v. 3. Hoc quoque impletum: Venit enim in propria, & ſui eum non receperunt, Joh. 1. v. 11. Cum commotione cœli & terræ venire debuit, Hag. 2. v. 7. Non minus hoc impletum, ſiquidem univerſus exercitus cœleſtis in nativitate ejus ſe com-

movit, & egregio hymno eum excepit: Gloria in excelſis Deo, pax in terris, & hominibus beneplacitum, Luc. 2. v. 14. quin & Rex Herodes nuncio hoc perculſus, & cum eo tota Hieruſalem, Matth. 2. v. 3. De miraculis, quæ Dominus abundanter patravit, jam nihil dicemus, quæ ſole clarius comprobant, quod idem ille ſit, de quo Sancti Prophetæ ſubinde vaticinati ſunt, imprimis Eſaias cap. 35. v. 4. Ad quod vaticinium Chriſtus ipſe diſcipulos Johannis Baptiſtæ relegat, Matth. 11. v. 4. 6.

Apparet hinc

1. *Judæorum cæcitas*, qui his omnibus ſpretis, hunc ſalvatorem, de quo Evangeliſta memorat, abjiciunt, præfractè nolentes, eum regnare ſuper ſe, Luc. 19. v. 14.

Quoties falſus aliquis Meſſias ſurrexit, facilè ſeducti, eum ſecuti ſunt, ſicut Gamaliel duo exempla recenſet, Act. 5. v. 36. 37.

Quid eveniebat Ægyptio illi, qui anno Chriſti 56. ſurgebat, collectis quatuor virorum millibus, quibus pollicebatur, Romanos ſe è regione Judaicâ expulſurum, Judæosq; priſtinæ libertati reſtituturum? Nonne tribunus Felix eum cum pluribus trucidavit? Act. 21. v. 38.

Sic ætate Adriani Imperatoris contigit, ut quidam pro Meſſiâ ſe venditaverit & Barchochabam h. e. filium ſtellæ vocaverit, alludens ad prophetiam Bileam, quò majorem ad omnes auſus ſibi autoritatem conciliaret, ſtellam enim illam ſe eſſe profitebatur, à Deo miſſum, ut Judæos ab ethnicorum jugo liberaret. Principiò omnia ex voto ipſi ſuccedebant, occupatis in Judæâ 50. caſtellis, & 980. vicis. Muniebat quoque civitatem Bethoron, ex quo Romanis multum damni inferebat. Sed tertio poſt anno, hæc ſtella ſubito evaneſcebat, omnibus, qui à parte ipſius ſtabant, intereuntibus. Adrianus enim oppidum illud obſidebat, tres annos & ſex menſes, & armatâ manu occupabat: tum impoſtor Meſſias cum multis millibus interficiebatur, ideoque à Judæis non amplius Barchochab filius ſtellæ, ſed Ben Corba, h.e. filius mendacii dicebatur.

Adhuc in hodiernum diem Judæi adeò obdurati ſunt, ut, licet ſciant, tempus præteriiſſe, quod Deus adventui Meſſiæ definivit: tamen noſtrum Meſſiam non recipere, ſed alium expectare malint. Sed fruſtrà omninò: Non enim alius Meſſias veniet, uſque ad diem noviſſimum: ubi Jeſus revelabitur de cœlo, cum Angelis potentiæ ſuæ, diviſurus dolores furoris, Job. 21. v. 17. ſuper omnes, qui primum ejus adventum ſpreverunt, ubi adſpicient, quem confixerunt, Zach. 12. v. 10.

2. *Chriſtianorum felicitas*. Lætabundi enim dicere poſſumus cum Andrea: Invenimus Meſſiam. Et cum Philippo: quem ſcripſit Moſes in lege & Prophetæ, invenimus, Joh. 1. v. 41. & 45.

Quod ſi vero Meſſiam invenimus, ſatis ſecuri ſumus, quod Jeſus recens natus Salvator ille ſit, qui ſaluti omnium gentium natus, & mundum ingreſſus eſt: ſecuri quoq; ſumus de redemtione noſtra, quod per illum peccatum obſignatum, iniquitas expiata, & juſtitia ſempiterna adducta ſit, Dan. 9. v. 24. neq; enim per ſanguinem hircorum & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit in ſancta, æternâ redemtione inventa, Hebr. 9. v. 1.

Ipſe eſt benedictum illud ſemen mulieris, quod ſerpentis caput contrivit. Gen. 3. v. 15. Ipſe eſt ſcala cœli, per quam ad Deum aſcendere poſſumus, Gen. 28. v. 12. Ipſe

eſt

eſt Deus & Goël noſter, qui nos è terra ſuſcitabit, Job. 19. v. 25. Et Jehova juſtitia noſtra, Jerem. 23. v. 6. qui in eum credit, juſtus eſt, Rom. 10. v. 4. Eſt bonus ille paſtor, qui ovibus ſuis daturus eſt vitam æternam, Joh. 10. v. 28. Eſt Sol juſtitiæ, qui nos illuminabit, Mal. 4. v. 2. Agnus Dei, qui peccata noſtra auferet, Joh. 1. v. 29. Cornu ſalutis, quod nos ſalvabit, Luc. 1. v. 69. Verum illud propitiatorium, in quo exauditionem precum, remiſſionem peccatorum, vitam & ſalutem conſequi poſſumus, Rom. 3. v. 25. Heb. 4, 16. Act. 10, 43.

III. *Tanquam paupertatis conſecrator meritiſſimus.* In tenebricoſo enim ſtabulo naſcitur, & in duro præſepi reclinatur, quia alias locus non erat in diverſorio. O paupertatem pauperrimam! O nativitatem miſerrimam!

Reg. Davidi Hieroſolymis filius naſcebatur, at non in ſtabulo, ſed in caſtro. 2. Sam. 11. v. 27. Sed hic eſt Rex gloriæ, Pſalm. 24. v. 7. qui omnia portat verbo potentiæ ſuæ, Hebr. 1. v. 3. Et ecce! in ſtabulo naſcitur, & duriſſimo præſepi imponitur. *Ecce! quam exigua magni pompa puerperii! Civitas parva, domus pauperculæ, ſupellex exigua. Nulla domus ambitio, reclinatorium in ſtabulo. Mater in fœno, filius in præſepio. Tale elegit fabricator mundi hoſpitium, hujusmodi delicias habuit virginis puerperium!* Cyprianus. Hæc omnia noſtri gratia facta ſunt. Scimus enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, 2. Cor. 8. v. 9.

Natus eſt in publico diverſorio, in ſolatium peregrinantium, ſi quandoque etiam vili hoſpitio potiantur, ut cogitent, idem quoque recens nato Jeſulo accidiſſe, & omnia moderatè ferant, freti eâ ſpe, peregrinationem tandem aliquando finitum iri: ubi ex triſtiſſimo hoc diverſorio transferentur in cœleſtem Hieroſolymam, ubi abundantia gaudiorum in vultu Dei, & delectationes in dexterâ ejus, in æternum, Pſal. 16. v. ult.

Natus eſt in ſtabulo, ad inſignem animi humilitatem ſuam indicandam. Apoſtolus miratur, Salvatorem noſtrum humiliorem factum Angelis, dum non Angelos, ſed Abrahæ ſemen aſſumſerit, Hebr. 2. v. 6. Hic autem perſpicimus, quòd non modò humilior Angelis: ſed & aliis hominibus vilior appareat. Naſcitur enim in ſtabulo, quod pecoribus deſtinatum eſt, cùm è contrario homines domicilia ſua, in iisq; hypocauſta & cameras habeant, in quibus habitent.

Solatium hinc hauri, mi Chriſtiane! Dominus ille qui in ſtabulo reclinavit, ſemper ad te veniet, ubicunq; locorum ſis, nec te orphanum relinquet, Joh. 14. v. 18. Si i exiguâ caſula, in magnâ inopiâ tibi vivendum, en! Jeſulus tuus, qui idem expertus eſt, eò magis compatietur tibi, Hebr. 4. v. 15. eſt enim refugium pauperi, Pſalm. 9. v. 10. & cuſtodit omnes diligentes ſe, Pſ. 145. v. 20. Jac. 2. v. 5.

Involutus quoq; eſt pannis detritis, iisq; in præſepe reclinatus eſt, ut ſuperbiam atque luxuriam noſtram expiaret, quam veſtibus pretioſis, byſſo, Luc. 16. v. 19. lectis eburneis, Amos 6. v. 4. exercemus. Insimul etiã pauperiem noſtram ſanctificavit, ut illi, qui laceratis pannis veſtiti ſunt, aut in ſcamno aut ſtramine requieſcunt, ſolatium habeãt, Chriſtum quoq; in hoc ordine fuiſſe.

Sicuti autem non ſemper in præſepi remanſit, ſed tandem cœlos adſcendit, ubi ſedet ad dexteram Dei, cum ſum-

mâ majeſtate in regno patris: Sic etiam piis Chriſtianis hoc ſolatium repoſitum eſt, quod tandem ſimiliter venturi ſint in regnum Patris, ubi manſiones multæ ſunt, Joh. 14. v. 2. ubi non amplius in laceratis pannis incedent: ſed ſtolis albis amicti, palmas in manibus gerentes, clamabunt voce magnâ, dicentes: Salus ei, qui ſedet ſuper thronum Dei noſtri, & agno, Apoc. 7. v. 9. 2. Tim. 2. v. 11. Hinc Eccleſia:

Proles Parentis Optimi,
Hoſpes fit orbis turbidi,
Nos liberat doloribus,
Solatur in cœleſtibus.
Inops ſalutat Orbitam,
Ut largiatur gratiam,
Ditet in arce ætheris,
Æquans beatis Angelis.
Hæc cuncta nobis præſtitit,
Dilectio quò certa ſit,
Lætetur hinc Eccleſia,
Grates canens in ſecula.

Der Sohn des Vaters Gott von Art/
Ein Gaſt in der Welte ward /
Und fuhrt uns auß dem Jammerthal /
Er macht uns Erbn in ſeinem Saal.
Er iſt auff Erden kommen arm/
Daß Er unſer ſich erbarm/
Und in dem Himmel mache reich/
Und ſeinen lieben Engeln gleich.
Das hat er alles uns gethan /
Sein groß Lieb zu zeigen an/
Deß freu ſich alle Chriſtenheit /
Und danck ihm deß in Ewigkeit/
Amen / Amen.

Dominica poſt Nativitatem Chriſti.

Evangelium Luc. 2. v. 33. -- 40.

EXORDIUM.

Cum Patriarcha Iſaac egreſſus fuiſſet ad meditandum in agro, inclinatâ jam die, domum reverſuro, Rebecca ſuaviſſima obviavit, cujus conſpectu valdè exhilaratus, introduxit eam in tabernaculum Saræ, matris ſuæ, & accepit eam in uxorem, & dilexit, Geneſ. 24. v. 63. 67.

Tria hîc obſervanda nobis proponuntur.

1. *Opus*, quod pius ille Patriarcha ſubiit, nempè egreſſus eſt in agrum. Sancti Patriarchæ alienigenæ erant in terra Canaan, neque habitabant in oppidis: ſed ſub dio, in agris tentoria ſua fixerunt, quæ ita comparata erant, ut ea tollere, & pro qualitate victûs, qui ut plurimum in re pecuaria verſabatur, de loco in locum transportare poſſent. Propterea quoque templis carebant, uſque dum Moſes, Dei juſſu ſanctuarium, Exod. 25. v. 1. & Salomo templum ædificaverunt, 1. Reg. 6. v. 1. Sed Altari duntaxat extructo, conveniebant, nomen ibi DEI invocantes, exemplo Noah, Gen 8. v. 20. Abrahami, Gen. 12. v. 7 Iſaaci, Gen. 26. v. 25. Jacobi, Gen. 33. v. 20. Hoc erat templum ipſorum, ſicut Deus adhuc hodiè ubique locorum præſens eſt. Non

enim

enim Deus habitat in templis manu hominum confectis: ſed cœlum eſt ſedes ejus, terra autem ſcabellum pedum ejus, Eſa.66. v.1.

2. *Scopus* ob quem Patriarcha hoc opus ſuſceperit? Nempe egreſſus eſt ad orandum, vel ut in textu originali ſonat, ad meditandum. Ex quô apparet Sanctos Dei homines habuiſſe certas horas canonicas, quibus Deo ſupplicarunt, meditationesque ſacras inſtituerunt. Textum ſumſerunt ex *libro naturæ*, qui quatuor præcipue folia continet, cœlum, aerem, terram & mare. In unoquoque invenimus, quod nos ad cognitionem Dei deducere valet. Quot enim ſtellæ ſunt in cœlo, quot avium ſpecies in aere, quot genera animalium & herbarum in terra, quot mineralia & metalla ſub terra, quot piſcium diſcrimina in mari: tot benevolentiæ, omnipotentiæ & ſapientiæ divinæ teſtes habemus. Cœli enim enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum, Pſ.19.v.1. Simul quum promiſſionem, de benedicto ſemine [illegible] meditati, multum exinde ſolatii ceperunt. Hæ ſacræ ipſorum meditationes [illegible]runt inter quas aves in aere cantilenis [illegible] devotionem eorum magis excitarunt.

Nos quoque ad exemplum Patriarcharum quotidie meditationes ſacras inſtituere debemus. Beatus enim vir, cujus in lege Domini voluptas, & in lege ejus meditabitur die ac nocte, Pſ.1. v.2.

3. *Eventus.* Iſaaco, meditationibus abſolutis domum reverſuro, nutu Dei Rebecca amiciſſima occurrebat, quam Pronubus Elieſer ipſi adducebat: ſic non ſine fructu eſt [illegible] benedicto in operibus, beneficia Dei per diligentes meditationes nos exerceamus & oblectemus. Hoc piorum juge convivium, Prov.15.v.15. quo lætantur, ſicut qui invenit ſpolia multa, Pſal.119. v.162. & quaſi præſentes ſunt ad Dominum, 2.Cor.5.v.8. Ideoque non multum recordantur dierum vitæ ſuæ, eò quod Deus occupet gaudio cor eorum Eccl.5. v.ult. Ejuſmodi enim ſpiritualis meditatio eſt quaſi ſcala cœli, Jacobo viſa, in qua aſcendunt ad Deum, Gen.28. v.12. & ſocietatem habent cum Patre & Filio. 1. Joh.1. v.3.

Simile quid conſpicimus in Parentibus Chriſti, Joſepho & Maria, qui omnia, quæ de puerulo vident atque audiunt, diligenter ad animum ſibi revocant, quo ipſo quaſi extra ſe rapti, neſciunt, quid dicant aut cogitent. Interea tamen gaudio ſuperfunduntur, quod Dei gratia vivi ad gratioſum hoc tempus pervenerint, ut pluribus ex prælecto Evangelio audiemus.

Sed propoſito noſtro inſervientes diſcemus ex illo:

I. Ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

I. I.

Exegeſis.

DE Virgine Maria in prælecto Evangelio audimus, quod ipſi Simeon annunciat, fore, ut animum ipſius gladius pertranſeat, idque ideo, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Hic eſt gladius tribulationis, qui ſæpius animam ipſius pertranſiit, non modo cum Herodes puerali vitæ inſidiaretur, ut nocte tenebroſa cum eo in Ægyptum proficiſci teneretur, Matth. 2.v.14. ſed tum præcipue, cum filiolum ſuum dilectiſſimum in tertium uſque diem amiſſum anxie quæreret, Luc 2.v.48. Maxime vero tempore paſſionis, ubi ſub cruce

ſtetit & vidit, eundem inter cœlum & terram, in medio latronum pendentem & dicentem: Mulier ecce! filius tuus, Et ad Johannem: ecce mater tua! Joh. 19. v. 26. 27. hoc ipſo multorum cogitationes revelatæ ſunt, dum multi defecerunt, & Chriſtum ad mortem poſtularunt, qui ante Hoſianna cecinerant, Matth. 21. v. 15. Regemque facere volebant, Joh. 6. v. 15.

Nos hac vice itidem utimur ſpirituali hoc gladio, eoque percutimus, non mala intentione, ſed ut multorum cogitationes revelentur, & ad agnitionem ſui deducantur. Imprimis *notitiam noſtri* diſcimus, ſi perpendimus:

I. *Simeonis Prophetationem.* Nam benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce, poſitus hic eſt, in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicitur. His verbis reſpicit Simeon vaticinia Prophetarum quæ de Chriſto, ut lapide vivo prædixerunt, qui credentibus honor, non credentibus autem lapis offenſionis, & petra ſcandali factus ſit, uti S. Petrus vaticinia illa expreſſe Chriſto applicat, 1. Petr. 2. v. 7.

Hæc mira comparatio eſt, quæ diligenter quoque conſideranda, quia alias in Evangeliis non occurrit. Conſiſtit autem illa in ſequentibus:

Lapis durus & compactus eſt, ideoque pro fundamento adhibetur. Domus enim, quæ petræ innititur, à ventis & pluviis non proſterni poteſt. Matth. 7 v. 24. Sic Chriſtus immobile fundamentum & petra Eccleſiæ eſt, adverſus quam portæ inferorum non prævalebunt, Matth. 16. v. 18. Vide Pſalm. 87 v. 2.

Lapis gravis eſt, & propter gravedinem tendit deorſum in terram: Sic Chriſtus Salvator noſter gaudio ſemper frui potuiſſet in ſinu patris cæleſtis: ſed amori noſtri percitus, cœlo relicto, ſeipſum exinanivit, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis Phil 2. v. 8. Unde Eccleſia:

> HErr dein Lieb ſo groß dich gezwungen hat /
> Daß dein Blut an uns groß Wunder that/
> Und bezahlet unſer Schuld /
> Daß uns GOt iſt worden hold/

Lapis lædit, vel etiam occidit, quem offendit. Jud. 9. v. 51. & ſeqq. Sic de Chriſto: Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem vero ceciderit, conteret eum, Matth. 21. v. 44.

Hic examina te, mi Chriſtiane! utrum Salvator tuus, qui in hunc mundum venit, ut omnibus eſſet anſa reſurrectionis, tibi præter intentionem ſuam, lapis offenſionis, & ſignum contradictionis factus fuerit?

Hoc non tantum olim factum eſt à ſcribis & Phariſæis, & impiis Ethnicis qui Chriſto ſeſe oppoſuerunt, eique contradixerunt ut ipſi Judæi confitentur, Act. 28. v. 2. Sed & hodie fit, cum à Judæis, qui deſtinata malitia & obcæcatione Chriſtum recipere nolunt: tum ab ipſis Chriſtianis, qui impia vita ſua Chriſto reſiſtunt, dum peccati miniſtrum, Gal. 2 v. 17. ipſum conſtituunt, vim Chriſtianæ fidei infringunt, & denuo eum crucifigunt, Heb. 6. v. 6. Quin & ab iis, qui crucem fugientes, in regno ejus, quod ſpirituale eſt, terrenas felicitates quærunt. Sed durum his erit adverſus ſtimulum calcitrare, Act. 9. v. 5. Confringentur enim & conterentur ab hoc lapide, Matth. 21. v. 44. ni reſipiſcant in tempore.

Credamus potius in ipſum, ſic nobis honor

nor erit. Qui crediderit in eum non confundetur. 1. Petr. 2. v. 6. 7.

II. *Hannæ commendationem.* Huic Evangeliſta egregium Elogium tribuit, quando ait: Et erat Anna Propheteſſa, filia Phanuel, de tribu Aſer. Hæc proceſſerat in multam ætatem, & vixerat cum viro ſuo, annis ſeptem à virginitate ſua. Et hæc vidua uſque ad annos octoginta quatuor, quæ non diſcedebat de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte & die.

Hic ſpeculum habemus ſexus fœminei, quod Hanna nobis intuendum proponit. Erat enim virgo, cum viro nuberet. Sicut Rebeccam Spiritus Sanctus commendat, quod fuerit puella, decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro Gen. 24. v. 26. Poſtquam vero matrimonium contraxit, vixit cum viro annis ſeptem, quod obſervatu dignum eſt. Inveniuntur enim in hac mundi fece, quæ juxta viros legitimos cum aliis ſcortantur, Jud. 19. v. 19. in abſentia maritorum allicientes juvenes, ex Prov. 7. v. 16. Hoc Hanna non fecit, ſed cum marito ſuo, caſte & pudice vixit. Imitentur hoc exemplum omnes Chriſtianæ matronæ. Honorabile ſit connubium in omnibus, & thorus immaculatus, Fornicatores enim & adulteros judicabit Dominus. Hebr. 13. v. 4.

Viduatus quoque ejus mentio fit, vidua enim erat, uſque ad annos octoginta quatuor. Quod ſi ad ſecunda vota procedere libuiſſet, nemo id inhibere potuiſſet, juniores enim viduas Paulus nubere vult, 1. Tim. 5. v. 14. Sed ultro in viduatu manſit, tam quieta duxit, ut nuſquam de templo diſceſſerit, ſed jejuniis & obſervationibus nocte & die Deo ſuo ſervierit. Hoc præclarum eſt præconium, quod melius eſt, quam unguentum precioſum, Eccl. 7. v. 2. Pretioſum unguentum diu odorem diſperdidiſſet: De Hannæ vero pietate ultra mille ſexcentos annos in Eccleſia prædicatum eſt, adhuc prædicatur, & prædicabitur uſque ad diem noviſſimum. Hinc David Pſal. 112. v. ult.

Probent ſe Chriſtianæ Matronæ, an exemplum Hannæ non dicam æquare, ſed imitari duntaxat, operam dederint! Vereor ne illud Juvenalis hic locum habeat:

Raro quippe boni, vix ſunt numero totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.

Haud enim adeo infrequens hodie eſt, ut Hymenæus & Lucina ſimul nuptias celebrent, vel hæc illi intempeſtive ſuccedat. Sed hæc laus ſordet Idcirco non mirum eſt, ſi montes mali irruant, & miſeram vitam perpetuo agant, Mal. 3. v. 9.

Hanna vivebat annis ſeptem cum viro ſuo. Sed multa hodie meretriculæ inveniuntur, qui maritis domi neglectis, cum aliis deambulando, vel alio quovis modo, ſeſe oblectent. Unde graviſſima ipſis ratio reddenda. Siracides nihil æque ac caſtitatem commendat ideo dicit: Gratia ſuper gratiam mulier ſancta, & pudorata. Sir. 26. v. 19.

Hanna in viduatu vivebat caſte & pudice, nec diſcedebat de templo: ſed jejuniis & obſecrationibus ſerviebat Deo, die ac nocte. Hodie multæ viduæ inveniuntur libidinoſæ & laſcivæ, quæ in deliciis vivunt, ex hac domo in aliam tranſcurrunt, non vero obſecrationibus & orationibus inſtant, ut Regula earum ſonat, ideoque viventes mortuæ ſunt. 1. Tim. 5. v. 5 6.

Hæ

Hæ ab Hanna diſcant, quid ſui ſit officii, diligenter orent, aſſidue templum frequententent, ubi auditur vox laudis, & enarrantur univerſa mirabilia Dei. Pſal. 26. v. 7. Hoc unicum eſt neceſſarium. Luc. 10. v. 42.

III. *Parentum Chriſti perſeverationem.* Non enim prius revertebantur domum, donec omnia perfecerant, ſecundum legem Dei.

Hic teipſum proba, an etiam ejusmodi devotione & cultu, cultui divino ab initio ad finem interfueris?

Sæpe accidit, ut huic vel illi tædium oboriatur concionis audiendæ, ut libenter valediceret cœtui congregato, ſi per alios liceret, & ſine propudio poſſet: quanta illis devotio ſit facile conjicere licet. Sed dedecori hoc eſt Chriſtiano! Genuini Chriſtiani merito tam diu expectare debent, dum benedictione Eccleſiaſtes eos ornet, & concionem in pace dimittat, ut ipſe Deus mandavit, Num. 6. v. 23. Qui hoc non facit, in illo implebitur illud Davidis, Pſalm. 109. v. 17.

Quando apes novis fœtibus exundant, volatu ſurſum feruntur, ſimul ac autem tinnire audiunt, delabuntur rurſus & arbori ſe applicant. Ita res comparata eſt, cum ejuscemodi hominibus, ut interdum corda per devotionem ad Deum elevare videantur, ſimulac autem Diabolus pecuniarum aut voluptatum tinnitum excitat, omnem devotionem abjiciunt, & temporalibus cor apponunt, ut Demas, qui Paulo relicto, hoc ſeculum diligebat. 2. Tim. 4 v. 10. Hi ſunt hypocritæ, qui circumferuntur, omni vento doctrinæ, Epheſ. 4. v. 14. Sed alia mens eſt genuinis Chriſtianis qui diligunt habitaculum domus Dei, & locum habitationis gloriæ ipſius. Pſalm. 26. v. 8. Sir. 3. v. 31.

De Secundo.

TRanſibimus nunc ad *alteram partem*, contemplaturi, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Hic nobis proponitur:

I. *Tanquam puer admirabilis*. Nam Pater ejus, & Mater ejus erant admirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo.

Vere Jeſulus recens natus, puer admirabilis eſt, de quo recte Juſtinus: πάντα ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ κατάληψιν τῆς κτιστῆς φύσεως. Omnia quæ de hoc puero dicuntur, excedunt omnem non modo hominum: ſed & angelorum intelligentiam, atque judicium, ut non modo nos homines in admirationem rapiamur: ſed in quæ angeli etiam deſiderant proſpicere, 1. Petr. 1. v. 12.

Olim ſeptem *mundi miracula*, in magna admiratione verſabantur: ſed flocci fiunt, quando cum puero hoc admirabili conferuntur.

Admirentur alii *templum Dianæ*, quod Epheſi fuit, cujus ædificatione Aſia ducentos annos occupata fuit, cujus mentio fit, Act. 19. v 20. Nos Chriſtum mirabimur, cujus corpus templum mirificentius eſt, Joh. 2. v. 19. in quo tota plenitudo divinitatis habitat corporaliter 2. Col 2. v. 9.

Alii admirentur *Epitaphium pretioſum*, quod Artemiſia marito ſuo Regi Mauſolo, quam artificioſiſſime exſtrui curavit. Nos Chriſti admiratione tenemur, cujus ſepulchrum multo pretioſius fuit. quia in eo corruptionem non vidit, Pſ. 16. v. 10. ſed tertio die vivus ſurrexit, atque prodiit, Marc. 16. v. 6.

Alii admirentur, magnum *ſolis ſimulacrum,*

erum, quod Rhodenſes in honorem Solis erexerunt, quia ejus beneficia tam moderatum aera habebant, ut ferme quotidie ſolem ſine nubibus opacis intueri poſſent. Nos in admirationem Chriſti rapimur, qui eſt ſol juſtitiæ, Mal. 4. v. 2. & vera lux, illuminans omnem hominem, venientem in hunc mundum. Joh. 1. v. 9.

Admirentur alii *ſimulacrum Iovis*, quod Ethnici in honorem ejus fabricatum erexerant: Nos admiratione Chriſti afficimur, qui eſt ſplendor gloriæ, & character ſubſtantiæ ejus, Hebr. 1. v. 13. Hunc qui videt, & patrem videt. Joh. 14. v. 9.

Admirentur alii *muros Babylonis*, altos pedes ducentos, latos quinquagenos, in quibus via tam ſpatioſa, ut quadrigæ ſibi mutuo occurrentes facile pertranſire potuerint. Nos Chriſti admiratione ducimur, qui promiſit, ſe murum ignis futurum in circuitu noſtro. Zach. 2. v. 5.

Admirentur alii *Pyramides*, à Regibus Ægypti olim exſtructas, quæ in cœlum aſcendere videbantur, quarum unam trecenta, ſexaginta hominum millia conſtruxiſſe traduntur. Nos admiratione Chriſti trahimur, qui vera eſt ſcala cœli, in qua aſcendere, & ſalutis æternæ hæredes fieri poſſumus. Joh. 1. v. ult.

Admirentur alii *Regiam Cyri*, Regis Perſæ, qui ſeptimum mundi miraculum celebratur. Nos Chriſti admiratione commovemur, qui nobis domum in cœlo paravit, in qua manſiones multæ ſunt, indeque rediturus eſt, & nos accipiet ad ſe ipſum, ut ubi ipſe eſt, & nos ſimus. Joh. 14. v. 2. 3.

Inprimis vero ſtuporem nobis incutiat ὁμολογουμένως μέγα τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, quod Deus ſe manifeſtaverit in carne, 1. Tim. 3. v. 16. Jam audit mundus inaudita, jam cernit nunquam viſa, *Deum in carne, filium in gremio, Regem in præſepio.* Hoc nunquam factum, quamdiu mundus fuit. Unde non abs re Jeremias: Creabit Dominus novum ſuper terram: Fœmina circumdabit virum. Jer. 31. v. 22. Certe mirum! Quis enim unquam audivit, filium eſſe parentem matris ſuæ, aut puerulum matrem exuperare ætate. Hic cernimus Deum ab uberibus matris virginis pendentem, in præſepio jacentem, in cœlo imperantem; lacrymat in ſtabulo, qui omnes exhilarat in cœlo.

Miranda hæc in noſtrum commodum facta ſunt. Ipſe fit parvus, ut nos ſimus magni; ipſe puer, ut nos perfecti: ipſe faſciis involvitur, ut diſſolveret laqueos diaboli, quibus captivi tenebamur ad ejus voluntatem, 2. Tim. 2. v. 26. Ipſe jacet in cunabulis, ut nobis requiem animarum procuraret, Matth. 11 v. 29. Infantia ejus affert ſapientiam, imbecillitas potentiam, lacrymæ ſordes peccatorum abluunt. Mirabilis eſt ejus juſtitia, quæ nobis per fidem imputatur, Rom. 4. v. 5. qui natura ſumus filii iræ, Eph. 2. v. 3. & iniquitatem ceu aquam bibimus, Job. 15. v. 18. ut vere dicere poſſimus: Conſilium ejus mirabile, & tamen penetrabile, Eſa. 28. v. 29.

Revocemus hæc ad animum in cruce & tentationibus, ne auxilium ejus deſperemus, aut animo cadamus, terribilis enim eſt in operibus ſuis, Pſalm. 66. v. 4. & tamen Deum diligentibus omnia in bonum ordinat, Rom. 8. v. 28.

II. *Tanquam Salvator deſiderabilis.* Hic de Hanna dicitur, quod locuta ſit de illo omnibus, qui expectabant redemtionem Hieruſalem. Quo ipſo indicatur ardens illud deſiderium adventus Meſſiæ, quo Pa-

Dominica poſt Circumciſionis Feſtum.

Evangelium, Matth. 3. v. 11. -- 17.

EXORDIUM.

REfert S. Evangeliſta Johannes, Hieroſolymis piſcinam fuiſſe, nomine Bethesdam quinque porticus habentem, in quibus jacuerit multitudo magna languentium, cœcorum, claudorum, aridorum. Quotannis enim Angelus Domini deſcendebat, & movebat aquam in piſcina, hinc ſalutiferam virtutem accipiebat aqua. Et qui prior deſcendebat in piſcinam, poſt motionem aquæ, ſanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate ſua, qui fruſtra hactenus expectaverat, quando enim aqua turbabatur, ſemper alius ante eum deſcendebat, neque enim ipſe ſurgere poterat, cum neminem habebat, qui ipſum de terra levatum, in piſcinam miſiſſet. Joh. 5. v. 2. 7.

Hæc piſcina egregius typus eſt Baptiſmi: licet enim in eo aquam habeamus communem: tamen Angelus magni fœderis, Dominus & Salvator noſter Jeſus Chriſtus, aquam hanc virtute ſua commovit, & ſanguine ſuo tinxit, ut jam ſit ſalutaris aqua, omnes ſanans morbos, per hæreditatem in nos derivatos, & à nobis attractos: Es iſt für ihm eine rothe Fluth/ von Christi Blut gefärbet / die allen Schaden heilen thut/ von Adam her geerbet / und von uns ſelbſt begangen. Et quando ea in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti adſpergimur, mundamur ab omnibus iniquitatibus noſtris. Ezech. 36. v. 25.

Quemadmodum enim Servator in Circumciſione carnis ſuæ, Teſtamento Veteri, & omnibus Ceremoniis Leviticis valedicere cœpit: ſic à Johanne hic baptizatur, ut portam Novi Teſtamenti pandat, & Eccleſiæ ſuæ ſalutare illud aquæ lavacrum inſtituat, in quo illa ab omnibus maculis, rugis & inquinamentis ablui, & ex adverſo elegantisſima veſte juſtitiæ ejuſdem amiciri poſſit. Quicunque enim in Jeſum Chriſtum baptizati eſtis, Chiſtum induiſtis. Gal. 3. v. 27.

Sed abſque prolixiori ambage ad rem ipſam acceſſuri, diſcemus ex hoc Evangelio:

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*
II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

MAgna ſunt opera Domini, inveſtigata in omne beneplacitum eorum. Laus & magnificentia opus ejus, inquit Regius ille Pſaltes, Pſalm. 111. v. 2. 3. Hic audimus, quomodo opera ejus recte intueri & perpendere debeamus. *Magna ſunt*, quoniam à Rege Regum & Domino Dominantium dependent, & humana ratione comprehendi non poſſunt. *Iucunda* ſunt, quia magnam animi lætitiam in cordibus excitant, ſi recte conſiderentur. *Laudabilia* ſunt, quia lauda-

 ri

ri ſatis non poſſunt. *Magnifica*, non modo ex ſeipſis: ſed etiam ob inſigne emolumentum, quod nobis attulerunt.

Hoc in ſpecie dicere poſſumus de *Baptiſmo*, qui *magnum Dei* opus eſt, quia Chriſtus ipſe inſtituit eum, miniſtrisque ſuis administrandum mandavit: quin & rationi obvium non eſt, quomodo aqua tantas res efficere poſſit. *Iucundum* quoque opus eſt, quodſi enim Chriſtianus recte revolvit ſecum in mente ſua, quod Deus fœdus nobiscum feriat in baptiſmo, nosque in filios adoptet, maximo cordis gaudio perfunditur. Et tandem quoque opus *magnificum*, ob maximas utilitates, quas ex baptiſmate capimus, unde Veteres dixerunt:

Ianua Baptiſmi, dat ſemina Chriſtianiſmi.

Hoc Chriſto acceptum ferre debemus, qui hodie Johanni baptizandum ſe commiſit, non ſui cauſa, qui nullo Baptiſmo opus habuit: ſed ut nobis aquam ſanctificaret, faceretque aquam gratioſam, & lavacrum regenerationis & renovationis, quo à peccatis ablueremur, & in fœdus Dei reciperemur, quod S. Petrus vocat ſtipulationem bonæ conſcientiæ, 1. Pet. 3. v. 2.

Quodſi itaque hic *notitiam noſtri* diſcere velimus, conſideremus I. *Chriſti petitum*. Tunc enim venit Jeſus à Galilæa ad Jordanem, ut baptizaretur à Johanne. Hoc ſane rarum quid eſt, quod Dominus veniat ad ſervum, & ab eo baptizari cupiat. At hoc ipſo dignitatem Miniſterii confirmatum ivit, ne deſpiceremus illud, ſed apud illud gratiam quæreremus, quam DEUS verbo & Sacramentis impertivit. Eſt enim miniſterium Spiritus, 2. Cor. 3. verſ. 6. Et quod Spiritus Sanctus in Eccleſia operatur, non immediate, ſed mediante miniſterio operatur, unde Chriſtus, Luc. 10. v. 16. Matth. 18. v. 15.

Hic ſe auditores Chriſtiani examinent, an tanti ſemper miniſterium fecerint, ut Chriſtus proprio exemplo nos docuit.

Hæc res magni eſt momenti. Licet enim verbi miniſtri ut plurimum homines ὁμοιοπαθεῖς, ut de Elia dicitur, & non minus, ac auditores ipſi infirmitatibus obnoxii ſint: tamen loco Dei ſunt, & miniſtri Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei, 1. Corinth. 3. v. 1. ſicut ipſis quoque claves regni cœlorum concredidit, ut poſſint ligare & ſolvere, juxta inſtructionem Domini ſui. Matth. 18. v. 18. Quando docent & prædicant, commodant Deo *linguam ſuam*, quando Sacramenta adminiſtrant, commodant DEO *manus*, & quando infirmos viſitant, commodant Deo *pedes ſuos*. Unde recte Chryſoſtomus: *Quicquid Sacerdotes agunt in terris, hoc ipſe Deus ratum habet in cœlis.* Id quod Auditores probe obſervent, nec in vili perſona Paſtorum ſuorum ſcandalizentur: ſed eum potius reſpiciant, qui miniſterio huic eos deſtinavit, & ad prædicandum ablegavit. Eſt enim Rex Regum & Dominus Dominantium, qui Jeruſalem Evangeliſtas dat, Eſa. 41. v. 24. & dat verbum Evangeliſtas magno exercitu, Pſal. 68. v. 12. Pro Chriſto enim legatione funguntur, 2. Cor. 5. v. 20.

Illuſores in hac fece mundi non pauci inveniuntur, qui parum faventes miniſterio, accurate miniſtrorum obſervant errata, quæ ita exaggerare amant, ut ex muſca

Ele-

Elephantum faciant, & in omnibus compotationibus divulgent. Sed quod rectè faciunt, planè inſuper habent, inſtar muſcarum, quæ ſanam carnem prætervolant, & purulentis delectantur, ut M. ille Baſilius de iis ait.

Hi nefandi ſunt homines. Licet enim præter decorem ſit, ſi Paſtores aliis prædicent, & ipſi vitam ſcandaloſam agant: tamen ab ipſis nihil humani alienum putemus, quia homines fragiles ſunt, qui delicto aliquo facilè præoccupari poſſunt, Gal. 6. v. 1. Quod verò doctrinæ nihil derogat. Sicut enim nihil intereſt, quod agricola manus maculatas habet, ſi modò ſemen bonum ſit: ſic nihil derogat verbo Dei & ſacramentis, ſi Paſtor fortè exorbitet. Super cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia ergò quæcunq; dixerint vobis, ſervate & facite, ait Chriſtus Servator, Matth. 23, 2.

Secus ſe res habet cum iis, qui in gravioribus offendiculis viventes, poſt unam atque alteram correctionem reſipiſcere nolunt; Ut enim hi plus detrimenti quàm emolumenti Eccleſiæ Chriſti afferunt, ovile Chriſti miſerè turbantes, & corrumpentes: ſic ſi deſtinatâ malitiâ pergant, ab officio removendi ſunt. Et quamvis Angelorum linguis loquantur, tamen ſunt velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens, qui nihil ædificant, quin potius, quod alterâ manu extruxerunt, alterâ deſtruunt; imò dum aliis viam ſalutis monſtrant, ipſi ſeſe condemnant. *Bene enim dicere, & malè vivere, nihil aliud eſt, quàm ſuâ ſe voce condemnare.*

II. *Johannis reſponſum.* Johannes enim prohibebat ipſum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me.

Hic Johannes aliquid humani patitur. Debuiſſet enim vocationem ſuam & Chriſti mandatum reſpicere: ſed propter perſonæ majeſtatem ratione ſuâ comprehendere nequit, quòd Meſſias & à Deo benedictus, imò Dominus & ſalvator Iſraëlis ipſe, à ſe baptiſmum deſideret. Si tamen rem rectè expendamus, potius modeſtia & humilitas, quàm repugnantia eſt, non enim dignum ſe reputat, qui ſummum hoc opus abſolvat.

Hic te proba, mi Chriſtiane, utrum animi ejuſmodi humilitate præditus ſemper fueris? De Johanne dicitur: Non ſurrexit inter natos mulieres major Johanne Baptiſtâ, Matt. 11. v. 11. Nihilominus infirmitate agnitâ, indignum ſe judicat, qui Chriſtum baptiſmo tingat.

Ut omne nimium vertitur in vitium, ſic etiam nimia humilitas interdum culpabilis eſt, ſi nimirum infirmitatem noſtram plus reſpiciamus, quàm Dei voluntatem & conſilium, ideoque ex deſtinato propoſito id recuſantes, quod vocatio & conſcientia requireret, ſicut de Ammonio referunt, quod ſibi ipſi manum amputarit, cùm ad Epiſcopatum vocaretur, linguam quoque exſecturus, niſi privato ſe eſſe liceret. Hoc minus probandum eſt. Propterea nos regiâ via incedere, & infirmitatem quidem noſtram agnoſcere debemus; & tamen verbum & voluntatem Dei reſpicere, ad exemplum Pauli, qui ſe minimum Apoſtolorum, nec dignum ut vocaretur Apoſtolus, reputat: ſed mox colligit ſe & dicit: Gratiâ autem Dei ſum id, quod ſum, & gratia ejus, quæ eſt in me, vacua non fuit, 1. Cor. 15. v. 9. 10.

Idem & nos faciamus, nec plus ſapiamus, quàm oportet ſapere, Rom. 12. v. 3. Quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, 1. Petr. 5. v. 5. E terra enim creati ſumus, & in terram revertemur,

Digitized by Google

Gen. 3. v. 19. Nihil quoque à nobis ipſis habemus: ſed à Deo. Non enim poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cœlo Joh. 3. v. 27. Præterea quoq; innumerabilibus morbis obnoxii ſumus, uſq; dum mors ipſa nos tandem proſternat. Unde non abs re Siracides c. 10. v. 9. In ſpiritualibus quoq; adeo nihil efficere poſſumus, ut non ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. 2. Cor. 3, 5. Deus eſt enim, qui operatur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate, Phil. 2, 13. Aliàs nihil facere poſſumus, Joh. 15, 5. Imò, nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto, 1. Cor. 12, 3.

In conſideratione hujus imbecillitatis noſtræ, rectiſſimè facimus, ſi deſcendamus ad humiles, humilitatiq; ſtudeamus. Tria enim potiſſimùm Deus ter Opt. Max. habitacula habet. Primò habet *in excelſo*, h. e. in cœlo, ubi majeſtatem ſuam quà Angelis, quà electis manifeſtat. Deinde *in ſancto*, ubi verbum ejus purè prædicatur. Et tertiò *cum contritis & humilibus ſpiritu*, Eſa. 57, 15.

Quod ſi itaque nos ejus inhabitationem gratioſam deſideramus, omnem animi faſtum abjicere, & ſub potenti manu ejus nos humiliare tenemur, ſic nos exaltabit in tempore viſitationis, 1. Pet. 5. v. 6.

III. *Salutarem eventum.* Chriſtus enim de mente ſuâ non recedit, ſed tenax eſt propoſiti, & ait: Sine modo: ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam, tunc dimiſit eũ, h. e. non ulterius tergiverſabatur, ſed baptizabat Jeſum in Jordane, ut ille poſtulaverat.

Hic te proba, mi Chriſtiane! utrum ad exemplum Johannis, inſtructionem ſalutarem ex verbo Dei, animo æquo ſemper ſuſceperis?

Quilibet habet juſtitiam ſuam, h. e. officii opera, quæ Deus ab ipſo requirit, in vocatione & functione eâ, ad quam eum vocavit, propterea quoque operam dare debet, ut juſtitiam hanc impleat, & muneri ſuo ſatisfaciat, Rom. 12. v. 7. 8.

Chriſtus dicit, decere ita, ut quilibet impleat officii ſui juſtitiam: ipſe, baptiſmi ſuſceptione, Johannes verò impertione ejuſdem. Hoc quoque optimum eſt, in quolibet ſtatu, ſi quilibet officii ſui rationem habeat, nec in exceſſu vel defectu peccet, aliàs, ſi extra vocationis viam excurrit, facilè in diſcrimen adduci poteſt.

Cum unus juniorum Studioſorum in Jericho materiam ſuccideret, cadebat ferrum ſecuris in aquam, 2. Reg. 6. v. 5.

Ozias Rex, tenens in manu thuribulum, ut adoleret incenſum, leprâ inficiebatur, 2. Chron. 26. v. 19.

Hodierno adhuc die immota ſtat Regula Salomonis: cujus viri via eſt perverſa, is alienus eſt: mundus autem eſt, cujus rectum eſt opus, Prov. 21. v. 8.

Quoniam autem vaſa infirma & fragilia ſumus, quæ facilè in devia aberramus, & malum manuum noſtrarum bonum dicimus, Mich. 7. v. 3. Ideò non perſeveremus in errore: ſed Deo gloriam demus, & ſi non ad meliora informemur, ab errore reſiliamus. Qui enim pertinax eſt, non erit recta anima ejus in ſemetipſo, Hab. 2. v. 4.

Sæpè Deus huic vel illi viam monſtrat ad promotionem, ſed laborem fugiens renuit, nec juſtitiam officii, quod Deus ipſi offert, implere vult. Sed magna hæc eſt ſocordia! Non ſic Johannes: ſimulac enim intelligit à Chriſto, ſe ad hoc vocatum, ut Chriſtum baptizaret, eidem morem gerit, & officio ſuo ſatisfacit: Sic quilibet, pro facultate à Deo ipſi concredita, ſuper pauca ſit fidelis, & ſuper multa conſtituetur, Matth. 25, 23.

De

Digitized by Google

De Secundo.

PErgemus nùnc ad alteram partem, χειροτονίαν ſive *notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti* conſideraturi. Hic nobis in Evangelio proponitur,

1. *Tanquam Baptiſmi initiator.* Hinc Cyprianus: *Veniebat Chriſtus ad baptiſmum, non egens lavacro, in quo peccatum non erat, ſed ut ſacramento perennis daretur autoritas.* Hoc ipſo quoque conteſtari voluit, quòd baptiſmus non humana ordinatio ſit, quam Johannes introduxerit: ſed Dei ordinatio, quæ nullo modo negligi aut intermitti poſſit. Laus & magnificentia opus ejus, Pſ. 111. v. 3.

Judicare quoque cô voluit, ſe non facere cum Magnatibus terrenis, qui quidem bonas leges & ordinationes promulgant, & ipſi non ſervant; ſed cum violentiâ, uti fuci & crabrones telam aranearum, perrumpunt, ſymbolo hoc utentes: *Quod libet licet.* Vel, ut Iſebel ad Achab dixit: tu nunc adminiſtras regnum ſuper Iſraël, 1. Reg. 21. v. 7. Hoc Chriſtus Servator non facit: ſed proprio inſervit ordini; & quia diluvium hoc ipſe paravit, Pſalm. 29. v. 10. & fontem Salvatorem inſtituit, Eſa 12. v. 3. Exemplo quoque ſuo alios allicere vult, ut cum majori deſiderio accedere, & conſilium Dei adverſus ſemetipſos non ſpernere debeant. Luc. 7. v. 30.

Jordanem quoque & omnes reliquas aquas in peculiarem gratiæ undam initiare vult, ut per eam mediante verbo & ſpiritu, regenerari, & in regnum Dei introduci debeamus, Joh. 3. v. 5. Licet igitur in hac aquâ non multa auri granula fluant, ut Poëtæ de Pactolo & Tago ſuo ſcribunt, tamen Chriſtus de collo noſtro verè *aureum amuletum* ſuſpendit, nempe, remiſſionem peccatorum, quam Chriſtus ſanguine & morte ſuâ nobis promeruit. Ubi autem remiſſio peccatorum eſt, ibi & vita & ſalus, ut David argumentatur, Pſal. 32. v. 1.

Nos proinde Baptiſmum eò majoris æſtimemus, quia Chriſtus ipſe ſe baptizari voluit, & hoc ipſo aquam baptiſmi ſanctificavit, ut non amplius ſit ſimplex & mera aqua: ſed lavacrum regenerationis & renovationis, Tit. 3. v. 5.

In naturâ aliàs multi mirandi fontes & fluvii reperiuntur. In Hungariâ ad oppidum Schmolnitium in monte Carpatho fons eſt, in quem ferrum conjectum, in optimæ notæ æs evadit. Idem hodiè fit in monte Ramelio ad Goslariam in Germaniâ. In Irlandiâ fons eſt, cujus aquam qui crinibus adſpergit, caneſcit. In Thracia eſt fluvius, qui lignum in lapides tranſmutat. In Macedonia fluvius eſt, quo bibentes inebriantur, velut vino. In Bœotiâ duo contrarii fluvii ſunt, quorum alter oves albas in eâ lavatas nigredine inficit, alter, qui à priori non longè diſtat, nigras candidat, & quæ plura ejusmodi mira, in rerum naturâ paſſim inveniuntur.

In Baptiſmate verò aquam habemus, quæ mirandos hoſce fluvios & fontes longiſſimè ſuperat. Hâc enim aquâ regeneramur, qui ante eramus filii iræ naturâ, Epheſ. 2. v. 3. filii mortis, Pſalm. 79. v. 11. filii Belial. Deuter. 13. v. 13. filii gehennæ, Matth. 23. v. 15. At per Baptiſmum adoptamur in filios Dei, hæredes Dei, & cohæredes Chriſti, Rom. 8, 15. Hinc Lutherus Baptiſmum nominat *Puerperam regni cœlorum*, quia per illum regeneramur, & nomina noſtra in librū vitæ, inter cives

cives Regni cœlorum adſcribuntur, Eph. 2. v. 20.

II. *Tanquam cœli reſerator.* Baptizato enim Jeſu, cœli aperti ſunt ei, & Johannes vidit ſpiritum Dei deſcendentem, ſicut columbam, & venientem ſuper ipſum.

Hæc talis Majeſtas eſt & gloria, quæ nemini unquam, vel potentiſſimo Monarchæ contigit.

Pontifex Romanus in inauguratione ſuâ maximam pompam admittit, ſed quia contra doctrinam & honorem Chriſti fit, ideò cum Symbolo, quod in illâ exclamatur, concordat: *Sic tranſit gloria mundi.*

Sed hæc majeſtas & dignitas de cœlo eſt, eosq; qui piâ animi devotione hoc revolvunt, in cœlum transfert, quod *verum eſt ſanctum ſanctorum*, in quod Pontifex futurorum bonorum Jeſus Chriſtus introivit per proprium ſanguinem, velut mediator novi fœderis, æternâ redemtione inventâ, Hebr. 9. v. 12. Sicut quoque Apoſtolis ſuis, & omnibus, qui verâ fide in ipſum credunt, promiſit, quod velit ipſos in æternas manſiones introducere, & ad ſe recipere, ut ſint, ubi & ille eſt, Joh. 14. v. 3. Propterea cœlum apertum eſt in ejus baptiſmo, ut ſcire & credere debeamus, Cherubim cum flammeo & verſatili gladio à janua paradiſi remotum, ut non amplius in exilio vagari, ſed cum Chriſto Domino ſemper eſſe debeamus, Theſſ. 4. v. 17.

Imprimis autem hâc cœli patefactione, & SS. Trinitatis manifeſtatione indigitatum eſt, quod hodierno adhuc die cœlum ſe pandat, quando infantes baptizantur, & Trinitas ſeſe præſentet, & ad videndum & audiendum exhibeat. Deus pater, quaſi de cœlo clamat, hic filius meus! hæc filia mea! quos gratioſè adopto. *Filius Dei* quaſi in baptiſterio adſtat, & aquæ virtutem impertit, ut non vulgaris aqua maneat: ſed

Fluenta ſanguinis rubra
Videntur hac tuente:
Quæ cuncta ſanant vulnera
Accepta de parente,
Et quolibet patrante.
Wird zu einer rothen Fluth/
Von Chriſti Blut gefärbet/
Die allen Schaden heilen thut/
Von Adam her ererbet/
Und von uns ſelbſt begangen.

Deus Spiritus Sanctus ſuper infantem columbæ quaſi ſpecie volat, eumq; de gratia Dei, remiſſione peccatorum, verâ coram Deo valente juſtitiâ, nec non æternâ ſalute certificat, unde ſignanter ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας ὑμῶν appellatur. Eph. 1. v. 14.

III. *Tanquam gratiæ divinæ reparator.* Vox enim de cœlis, dicebat: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Quô ipsô indicatur, quod Pater cœleſtis filium hunc ſuum maximoperè diligat & amplectatur, & quod propter eum nos quoq; in gratiam recipere velit.

Imprimis hic luculentum habemus teſtimonium, quod Chriſtus Salvator noſter non merus filius Mariæ & homo: ſed & filius Dei, & ſic ejusdem eſſentiæ cum patre ſit, Deus benedictus in ſecula, Rom. 9. v. 5. Cui enim Angelorum Deus dixit: ſede à dextris meis? Hebr. 1. v. 13.

Hoc probè notandum eſt, contra veteres & novos Arrianos, Neophotinianos, Judæos & Turcas, qui æternam Chriſti divinitatem in dubium vocant & abnegant: ſed videbunt aliquando, in quem pupugerint, Zach. 12, 10. Qui enim Patrem non habet, ille nec filium habet, 1. Joh. 2. v. 23.

Nobis verò *maximæ conſolationi* eſt.

Quia

Digitized by Google

Quia enim talem Salvatorem agnoſcimus, qui non merus & nudus homo, ſed ſimul æternus Deus & Dei filius eſt, de plenâ peccatorum noſtrorum ſolutione neutiquam dubitemus, quia non nudus homo, ſed ipſe filius Dei, eam pro nobis præſtitit. Si enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ adſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quantò magis ſangvis Chriſti, qui per ſpiritum æternum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi? Hebr. 9. v. 13.

Pleno hinc fruere ſolatio! Sicuti enim Deus pater cœleſtis filium ſuum amore ardentiſſimo complectitur: ita quoq; te complectetur, ſi juxta verbum ejus vitam inſtitueris. Oves meæ, ait ille, vocem meam audiunt, & cognoſco eas, & ego vitam æternam do eis, Joh. 10. v. 27. Largiatur hoc nobis benigniſſimus Deus, per Filium ſuum Jeſum Chriſtum, Servatorem noſtrum laudandum in ſecula! Amen.

Dominica I. poſt Feſtum Epiphanias.

Evangelium Luc. 2. v. 41. -- 52.

EXORDIUM.

De Helkanâ, & Hannâ uxore ejus, memoratur, quòd ſtatis diebus de civitate ſuâ adſcenderint in Silo, ubi arca fœderis erat, ut adorarent & ſacrificarent Domino exercituum. Filiolum quoque ſibi à Deo donatum adduxerunt ſecum, eumq; commodaverunt Domino, cunctis diebus. Samuel autem miniſtrabat ante faciem Domini, puer, accinctus Ephod lineo. Et tunicam parvam faciebat ei mater ſua, quam afferebat ſtatis diebus, adſcendens cum viro ſuo, ut immolaret hoſtiam ſolennem. Puer autem Samuel proficiebat atq; creſcebat, & acceptus erat, tam Deo quàm hominibus, 1. Sam. 1. v. 3. 24. c. 2. v. 18. 19. 26.

Samuel Typus Chriſti eſt.

Samuel interpretativè idem eſt ac *rogatus à Domino*: Sic S. Patriarchæ Veteris Teſtamenti diu ſuſpirarunt: Rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtitiam; uſq; dum Meſſias in carne apparuit, Eſa. 45. v. 8.

Parentes Samuelis ſtatis diebus adſcenderunt in Silo, ad miniſtrandum Domino ſacrificiis & precationibus, filiolum quoque ſuum adducentes. Simile quid de Parentibus Chriſti audimus, quod quotannis adſcenderint Hieroſolymam, & filiolum ſuum, anno ætatis duodecimo adduxerint ſecum. Quod egregium eſt ſpeculum, in quo videmus, quòd Parentes non modò, quantum in ipſis eſt, pietati litare, ſed & liberos ſuos in eâ, ab ineunte ætate informare debeant, ut ſint arbores juſtitiæ, plantatio Domini, ut glorificetur, Eſa. 61. v. 3. 1. Tim. 4. v. 8.

Samuel miniſtrabat ante faciem Domini, puer, accinctus Ephod lineo: Sic audimus in prælecto Evangelio, quod Chriſtus inventus ſit in templo Hieroſolymitano in

medio Doctorum, audiens illos & interrogans eos. Quô comprobavit, ſe magnum illum Prophetam eſſe, de quo Moſes prædixit, Deut. 18. v. 15. à Deo miſſum, ut nobis viam cœli monſtrare & utilia docere debeat, Eſa. 48. v. 17.

Puer Samuel proficiebat atq; creſcebat, & acceptus erat, tam Deo, quàm hominibus: De Salvatore noſtro Jeſu ſimiliter ait Evangeliſta in fine Evangelii: Jeſus proficiebat ſapientiâ & ætate, & gratiâ apud Deũ & homines, ut omnes pueri hinc exemplum capiant, ſi veſtigiis Jeſuli duodecennis inſiſtant, & parentibus ſubditi ſint, quod à Deo multam benedictionem, gratiam & ſalutem impetraturi ſint, Pſ. 115, 12. 13.

Nos ad ipſum Evangelium acceſſuri, conſiderabimus ex illo:

I. *Ανθρωπολογίαν* ſive *notitiam noſtri.*

II. *Χριστογνωσίαν* ſive *notitiam Chriſti.*

Exegeſis.

DUas Leges Judæi in V. T. duriuſculè ſonantes, & veteri Adamo minimè arridentes, habebant:

Prima erat, quòd ſeptimo quoque anno, agros quieſcere, & incultos relinquere tenebantur, ut quæcunque à ſeipſo provenirent, pauperibus inſervirent. Durum hoc ipſis videri potuiſſet, propterea ipſe Deus præoccupat, dicens: Quod ſi dixeritis: quid comedemus anno ſeptimo, ſi non ſeverimus, neq; collegerimus fruges noſtras? Præcipiã benedictioni meæ vobis, anno ſexto, & faciet fructus trium annorũ, Lev. 25, 21.

Altera erat, quòd omnes maſculi ſingulis annis ter Hieroſolymis comparere, ibiq; in templo, ſacrificiis & precationibus vacare tenebantur, Exod. 34, 23. 24. Lev. 23, 6. Deut. 16. v. 16.

Hoc non minus durum erat, propter finitimos hoſtes, qui tempore illo, maſculis omnibus Hieroſolymis exiſtentibus, commodam occaſionem nanciſcebantur, in regiones irrumpendi, easq; devaſtandi. At hoc quoq; præcavit Deus, inquiens: Nullus inſidiabitur terræ tuæ, adſcendente te & comparente, in conſpectu Domini tui, ter in anno. Exod. 34. v. 24.

Adhuc hodie abſurdum audit in auribus carnalibus, ſi præcepta hæc duo ſedulò in Eccleſia inculcentur, quod nimirum eſurientes cibare, ſitientes potare & nudos veſtire, Matth. 25, 35. Et ſecundò templum ſedulò frequentare, ibiq; Deo, auditu verbi, precationibus, & gratiarum actionibus fideliter inſervire debeamus, Hebr. 10. v. 25. 1. Cor. 14, 26. Utrumq; videtur rei familiari derogare. Sed verum manet, & manebit vulgare Proverbium: **Allmoſen geben armet nicht / Kirchen gehen ſäumet nicht.** Prov. 19. v. 17. Matth. 6. v. 33.

Hoc rectè perpendentes minimè nos abſtrahi patiamur. Siquidem quod ad templum frequentandum attinet, præclarum exemplum in Evangelio habemus, in Joſepho & Mariâ, qui non ſolùm ipſi iter Hieroſolymitanum expediunt, ad cultum Deo exantlandum: ſed & adducunt ſecum puerum ſuũ duodecennem, & in devotione ſuâ tamdiu perſiſtunt, dum feriæ abſolutæ ſint.

Notitiam noſtri diſcere poſſumus ex hoc Evangelio, ſi contemplamur

I. *Parentum Chriſti devotionem*, quam teſtantur

1. *Templi viſitatione.* Ibant enim per omnes annos in Hieruſalem, ſecundum conſuetudinem diei feſti.

Judæi tria feſta ſolennia celebrabant, nempe ſolennitatem azymorum, Hebdomadum

Digitized by Google

madum & Tabernaculorum, ubi ſinguli maſculi Hieroſolymis comparere tenebantur, ubicunque terrarum degerent, ut conſtat ex Deut. 16. v. 16. 17.

Licet autem Maria mater Domini hâc lege non conſtringeretur, & ſic ſalvâ conſciẽtiâ domi manere potuiſſet; attamen tantiſper negotiis rei familiaris poſthabitis, Joſepho ſeſe adſociat, ad pietatem & animi devotionem demonſtrandam. Pſ. 42, 5.

Hic proba te, mi Chriſtiane, utrum etiam poſthabitis negotiis domeſticis, ejusmodi animi devotione, cultui divino interfueris?

Optandum ſanè foret; ſed in plerisque magna ſomnolentia & negligentia occurrit: Haud parum moleſtiæ Judæis attulit, quod quotannis tribus vicibus imprimis maſculi, ad decem, ſedecim, aut etiam viginti milliaria Hieroſolymam proficiſci, ibiq; in ſeptimum diem commorari coacti fuerint, magna cum rei familiaris jacturâ, ut cultum Deo peragerent: attamen id pii & devoti Judæi haud inviti fecerunt, ut patet exemplo Joſephi & Mariæ, qui ex Nazareth Hieroſolymam usq; ſedecim milliaria migrarunt, ibique poſthabitâ re familiari, cultum divinum peregerunt.

Nos veſtigiis eorum inſiſtentes, ſimiliter cum lætitiâ inhabitemus in domo Domini, Pſ. 27, 4. quia benedictio propterea nobis expectanda, Sir. 11. v. 24.

Die ſabbathi nullum cadebat Manna, ſed in die ſextâ colligebãt cibos duplices Iſraëlitæ, Exod. 16, 22. Sic Deus benedictione ſuâ bis repenſurus eſt, quod neglectâ re familiari diebus feſtis cultui divino impenditur, Pſalm. 112. v. 1. 2.

2. *Jeſuli apportatione.* Nam adſcendentes Hieroſolymam, illum adducunt ſecum, & à primis pueritiæ annis verâ pietate imbuunt, ad quam viſitatio cultus divini quoque pertinet, Joh. 8. v. 47.

Hic examinent ſe Chriſtiani, utrum liberos quoq; ſuos pietate debitâ imbuerint, & cultui divino, à teneris annis adſuefecerint? Adoleſcens enim imbutus juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit non recedet ab eâ, Prov. 22, 6.

Quamprimùm infantes balbutire incipiunt, pias precatiunculas & dicta ſcripturæ cum ipſo lacte materno iis inſtillemus, ut Deo robur perficiant, Pſ. 8, 3. Simulac ambulare poſſunt in templum deducendi ſunt pueri, ut ſacris interſint, concionibus auſcultent, & de iis domi rationem reddant. Hoc valdè Deo gratum eſt. Sicuti n. exaudit pullos corvorum, invocantes illum, Pſal. 147. 9. ſic nec gemitus & voces infantiũ reſpuet, unde etiam in V. T. publicis diebus pœnitentialibus, parvuli & ſugentes ubera congregari, & Domino adduci tenebantur, Joel 2, 16. Idem hodie parentibus reſpectu liberorum incumbit. Deut. 6, 6. Pſ. 78, 5. 7.

Hâc laude excelluerunt Abraham, Gen. 18, 19. Hanna mater Samuëlis, 1. Sam. 1. v. 21. 22. Tobias ſenior, Tob. 4. v. 6.

Id quod omnibus Chriſtianis parentibus imitandum eſt, ut ejusmodi theſauros liberis ſuis acquirant. Aurum enim & argentum æruginant, Jac. 5, 3. Sed initium ſapientiæ timor Domini, intellectus bonus omnibus facientibus eum, Pſ. 111. v. 10.

II *Puerili duodecennis amiſſionem.* Conſummatis enim diebus, cum redirent, remanſit puer Jeſus in Hieruſalem, & non cognoverunt parentes ejus, requiſiverunt autem eum in tertium uſque diem.

Supina hæc erat negligẽtia, quâ parentes Chriſti non leviter peccarunt, accuratius n. puerũ ſuũ obſervare debuiſſẽt, ne cauſã habuiſſent in tertiũ uſq; diẽ eundẽ inquirendi,

Probent hic ſe Parentes Chriſtiani, annon & ipſi in hoc delinquant, quod liberos ſuos præ oſcitantiâ amittant, neſcientes ubi locorum requirere debeant?

Ejusmodi parentū haud pauci hodie inveniūtur, qui nimiâ ſuâ indulgentiâ liberos corrumpunt, exemplo Eli ſummi Sacerdotis, cujus filii duo, Hophni & Pineas, omnem malitiam exercebant, 1.Sam. 2. & ſeqq. Objurgabat quidem illos Heli, 1.Sam. 2.v.23. & ſeqq. Sed nimis leniter: Debuiſſet enim juſtum adhibere zelum, hôc quia non utebatur, puniebat eum Deus, ut fractâ cervice moreretur, 1.Sam.4.v.18.

Quod ſi autem Eli tantâ pœnâ affectus eſt, qui verbis filios ſuos de malitiâ objurgavit? Quid quæſo de illis parentibus fiet, qui filiis ſuis in omni ſcelerum genere conniveat, nec curant, an in ſcholâ vel alibi locorum fuerint, neque de admiſſis ſceleribus interpellant? Digni ſanè, qui cum Eli cervicem frangant, quod quoque factum foret, niſi clementiſſimus Deus diſſimularet peccata hominum, propter pœnitentiam, Sap.11.v.24.

Mundus, ut hodiè totus in maligno eſt poſitus, 1.Joh.5.v.19. ſic haud raro fit, ut liberi à veneficis & ſagis, ſummo cum parentum dolore, ad incantationes deducantur. Nec deſunt prava exempla, quibus in ſequiorem partem liberi pertrahantur. Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona, Sap.4.v.12. Quin ſæpius contingit, ut liberi ad libitum circumvagantes, honorem virginitatis diſperdant, ut Dina, Gen.34.v.20. aut alio malo immergantur, exemplo puerorum in Bethel, qui à duobus Urſis dilaniabantur, 2 Reg.2.v.29.

Si groſſum amiſerimus, illum quærimus & tollimus: Quidni magis liberos noſtros obſervaremus, & in viam revocaremus, ne animæ jacturam faciant? Quos Deus ad imaginem ſuam creavit, Gen.2.v.27. Chriſtus ſanguine ſuô pretioſè emit, 1.Cor.6. v.20. & Spiritus ſanctus in baptiſmo in templum ſibi purificavit, 1.Cor.6.v.16.

Væ parentibus illis in æternum! qui liberos ſuos ſine diſciplina adoleſcere patiuntur, neque enim illos ad paucos dies aut temporaliter amittunt, ut Joſephus & Maria filiolum ſuum: ſed in æternum, quæ maxima eſt jactura, quam quoque Deus à manibus ipſorum requiret, Ezech.3.v.18.

III. *Mariæ reprehenſionem* Non enim Maria filium ſuum incorrectū dimittit, ſed ita compellat: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce, pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Optimus Jeſulus nihil deliquerat, oportebat enim eum eſſe in his, quæ Patris ipſius erant. Attamen, quia Maria non ſatis intelligebat, objurgabat ipſum, quòd ſe neſciente retrò manſiſſet.

Hoc egregium exemplum eſt, quod hodiè quoque matribus obſervandum, in delictis liberorum, ut *debito modo* eos reprehendant & caſtigent. *Debito modo*, inquā, omne enim nimium vertitur in vitiū. Erudi filium tuum, dum ſpes eſt: ad interfectionem autē ejus, ne ponas animam tuam. Prov.19,18.

Hic Matres ſeſe examinent, an hic viâ regiâ inceſſerint: ut nec nimiâ indulgentiâ, nec acriori caſtigatione liberos offenderint?

Utriusque ratio diligenter habenda eſt. Reperiuntur enim matres, quæ peccant *in defectu*, etiamſi enim interdum Mariæ verbis utantur, tamen ſpiritu & zelo Mariæ carent, ut Comicus dudum conqueſtus eſt: *Matres omnes filiis in peccato adjutrices, auxilio in paterna injuria ſolēt eſſe.* Unde quod patres diſciplinâ ſuâ inſeverunt, hæ rurſus indul-

Digitized by Google

indulgentia ſua exſtirpant. Hinc fit, ut ejusmodi liberi ad omnia vitia adoleſcant, & neq; patris neque matris tandem rationem habeant, ſed potius utrique & patri & matri illudant, ſi non aſperius quid tentent. Et hoc ipſum eſt, quod Siracides dudum prædixit, Sir. 30. v. 1. & ſeqq.

Deinde offenduntur parentes, peccantes *in exceſſu*, ſicuti Saul filium ſuum Jonathan morte affecturus erat, quod paululum mellis guſtaverat, 1. Sam. 14. v. 44. Alio tempore lancea illum percuſſurus erat, quod Davidem excuſaret, 1. Sam. 20. v. 33.

Veri parentes in media caſtigatione meminerint, ſe parentes, non carnifices eſſe, ideoque paterne cum liberis agant, unde Apoſtolus: Patres, nolite ad indignationem provocare filios veſtros, ut non puſillo animo fiant, Col. 3. v. 21. h. e. ut Biblia Weimarienſia explicant, ne animis cadant, aut præ impatientia & animi deſperatione iniqua præſumant, neve convertantur ad ſtultitiam, Pſ. 85. v. 9.

De Secundo.

PErgemus nunc ad alteram partem, Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti* contemplaturi. Hic nobis in Evangelio hoc noſtro proponitur:

I. *Tanquam Doctor admirabilis.* Qui duodecimo ætatis anno, tanta ſpecimina edidit in templo Hieroſolymitano, ut ſeniores Rabbini captum ejus ſatis admirari nequiverint. In medio enim Doctorum ſedebat, audiens illos, & interrogans eos. Quæ materia colloquendi fuerit, non exprimitur, ſine dubio, pro temporis ratione de Agno Paſchali ſermonem ſeruerunt. ubi credibile, quod puer Jeſus ipſis tales quæſtiones propoſuerit, qualium antea nunquam recordati fuerunt; imprimis an agnus Paſchalis typus Chriſti ſit? ad cujus exemplum Meſſias mactandus, & in ligno crucis ad ignem iræ patris cœleſtis ex ardente amore torrendus foret, pro peccatis totius generis humani; & ejus generis alia, quæ Jeſulus duodecennis tantis argumentorum ponderibus confirmavit, ut illi ſine ſtupore audire non potuerint.

Inſigne hoc ſpecimen fuit, quod Chriſtus duodecimo ætatis anno edidit, quô indicavit, ſe doctorem eſſe eruditæ linguæ, Eſa. 50. v. 4. & Prophetam per Moſen promiſſum, Deut. 18. v. 15. Alias in Proverbio dicimus: Ætas illum acuet: Witz komt nicht vor Jahren. Cum eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam, ut parvulus, cogitabam ut parvulus, 1. Cor. 13. v. 11. Sed alia ratio Chriſti eſt, in quo omnes theſauri & ſcientiæ abſconditi erant, Col. 2. v. 3. Ideoque omnia ſcivit, Joh. 16. v. 30. Et verba, quæ locutus eſt, non nudus ſonus, ſed verba vitæ æternæ fuerunt. Joh. 6. v. 68.

Hæc noſtro ſolatio inſerviunt.

In hoc mundo, de magna ſcientia non poſſumus gloriari, ſed cuilibet cum Socrate dicendum & confitendum eſt: *Hoc unum ſcio, quod nihil ſcio.* Vivimus enim in terra oblivionis, Pſal. 88. v. 13. Ex parte cognoſcimus, ex parte prophetamus, 1. Cor. 13. v. 9. Cuilibet cum Jeremia dicendum: neſcio loqui Jerem. 1. v. 6.

Idcirco boni præceptoris indiguimus, qui voluntatem patris cœleſtis enarraret, Joh. 1. v. 18. ut jam ſciamus, quid bonum ſit, & quid Dominus requirat à nobis, Mich. 6. v. 8. A noſtra parte hoc neceſſarium eſt, ut intelligamus, & erudiri nos patiamur, Pſal. 2. v. 10. Ipſe nos docuit *artem patiendi*, dum propoſito gaudio ſuſtinuit crucem, Heb. 12. v. 2.

Digitized by Google

factus patri obediens, uſque ad mortem, mortem autem crucis, Phil. 2.v.8. quo ipſo nobis exemplum reliquit, ut inſiſtamus veſtigiis ejus. 1. Petri 2. v. 21. Docuit nos *artem orandi*, Matth. 6. v. 9. Docuit nos *artem bene vivendi*, Luc. 1. v. 75. Tit. 2. v. 12. Docuit quoque nos *artem pie moriendi*, dum in arca crucis Spiritum Patri commiſit, Luc. 23. v. 46. ut & nos ſecundum voluntatem Dei patientes, fideli creatori commendemus animas noſtras, in benefaciendo, 1. Pet. 4. v. ult. Hoc ſi à Doctore hoc noſtro cœleſti diſcimus, ſufficit nobis, ſic enim, Chriſtiane vivere, efficaciter preces fundere, patienter pati, & pie mori poſſumus. Hic theſaurus theſaurorum eſt, Sir. 47. v. 15. & melius, quam omnia ſcire, Eph. 3. v. 19.

II. *Tanquam filius tractabilis.* Dum enim ipſum in templo Hieroſolymitano offendunt, & reprehendunt, quod ſe inſcientibus, ibi manſerit, adeoque afflixerit, excuſat ſe, officio ſuo, dicens: Quid eſt, quod me quærebatis? neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Sed ſtatim additur: Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth: & erat ſubditus illis.

Tria itaque *ad quartum præceptum pertinent*, quæ piis liberis exemplo Jeſuli duodecennis obſervanda veniunt.

1. *Reverentia.* Quam exhibere debent in verbis & geſtibus. Maria expoſtulat cum filio: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce, pater tuus & ego dolentes quærebamus te? Et excuſat ſe Jeſulus: Quid eſt, quod me quærebatis? neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? q. d. Acquieſcite mei parentes! propoſitum meum non fuit, ut contriſtarem vos. Non enim fugit vos, quod Angelus Gabriel dixit, me filium Altiſſimi appellatû iri. Hic Pater meus, qui in cœlo eſt, miſit me, Doctorem ad juſtitiam, Joel 2. v. 23. ut prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem, Eſa 61. v. 1. Hujus rei jam ſpecimen edidi, eo comprobaturus, quod idem ille ſim, de quo ſcripſit Moſes in lege, & Prophetæ, Joſ. 1. v. 45.

Pari modeſtia liberi parentibus ſuis reſpondere, eoſque honore prævenire, interrogati debent, Rom. 12. v. 10. Eph. 6. v. 1.

Exempla Reverentiæ liberorum erga parentes ſunt Iſaac, Gen. 22. v. 7. Sem & Japhet, Gen. 9 v. 20. Joſeph. Gen. 46. v. 29. 48. Salomo, 1. Reg. 2. v. 19.

Si hoc liberi obſervent, benedictionis temporalis & æternæ à Deo reddentur participes. Sir. 3. v. 4. 5.

2. *Obedientia.* Jeſulus ſtatim ſurgebat, & deſcendebat cum parentibus, & veniebat Nazareth. Sic etiam liberi parentibus obedientiam præſtent, quod ſimiliter ad quartum præceptum pertinet. Filii obedite parentibus veſtris in Domino, Eph. 6. v. 1. ait Paulus. Et iterum: Filii, obedite parentibus, per omnia, Col. 3. v. 20. Intellige, *quæ non ſunt contra Deum & verbum ejus.* Quod ſi enim parentes talia mandent, quæ verbo Dei repugnant, tum oportet Deo magis obedire quam hominibus. Act. 5. v. 29. Imprimis quoque caſtigationi ſeſe haud inviti ſubjicere debent, quia ipſis in emolumentum vergit. Quis enim filius, quem non corripit pater? Heb. 12. v. 7. *Deinde* quoq; pro facultate ipſis inſerviant. Unde Paulus de Timotheo ſcribit, quod ſicut patri filius ſecum ſerviverit in Evangelio. Phil. 2. v. 22. Et *Tertio*, ſine conſenſu ipſorum matrimonium non contrahant, Hoc enim jus Deus

Digitized by Google

parentibus reſervavit, ut filiis ſuis uxores, & filias ſuas dare viris debeant, Jerem. 29. v. 6.

Qui vero liberi præ obſtinatia parentibus morem gerere recuſant, ipſi à carniſice in locum ignominioſum inviti deducentur. Sic enim trahendi ſunt, qui duci nolunt. Vide Prov. 30. v. 17.

3. *Patientia.* De Jeſulo duodecenni refert Evangeliſta, quod parentibus ſuis fuerit ſubditus. Hoc indicatur, quod parentibus in re familiari, porrecta manu fidelem operam navaverit. Sine dubio, quia pater ejus putativus faber lignarius, in opificio illo, ei adjutor fuit, unde expreſſe faber vocatur, Marc 6. v. 3.

Juſtinus Martyr ſcribit, quod aratra & juga conficere ſolitus fuerit.

Sic adhuc hodie peregrinantibus ad Nazaretham fons monſtratur, ex quo puer Jeſus parentibus aquam attulerit.

Quodſi itaque Jeſulus noſter parentibus ſuis tanta obedientia inſervivit, qui tamen erat filius Altiſſimi, Luc. 1. v. 32. Neque noſtri liberi ægre ferant, ſi parentibus mutuam operam in re familiari navare tenentur, ſicut exemplis Joſephi. Gen. 37. v. 14. & Davidis, 1. Sam. 17. v. 17. inſtruuntur.

III. *Tanquam officii ſui obſervator venerabilis.* Sontica enim erga parentes excuſatione utitur, ajens: Neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? quo ipſo innuit, quod, quamvis parentibus ſuis corporalibus, ſuo modo obſtrictus ſit: tamen ſuperiorem in cœlo parentem habeat, cujus mandatis obtemperare teneatur. Quod omnes liberi fideliter obſervare debent, ne à parentibus ad idololatriam aut alia ſcelera ſe abduci patiantur, ſed ante omnia Deum reſpicere, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, Eph. 3. v. 15. Qui enim amat patrem, aut matrem plus, quam me, non eſt me dignus, Matth. 10. v. 37.

In genere hic omnes egregium exemplar habent, quomodo quilibet officii rationem habere, & in eo, quæ patris ſui ſunt, eſſe debeant. *Paſtores in Eccleſia, Magiſtratus in curia, & Patres- & matres-familias in officina.* Ibi quilibet ſatis inveniet, quod peragat. Si itaque in vocationis ſuæ operibus diligens eſt, tum ſalva conſcientia, quod juge conjugium eſt, frui poteſt, & dicere: An neſcitis, quod me eſſe oporteat, in his, quæ Patris mei ſunt. Juxta illud: miniſterium in miniſtrando, qui docet, in doctrina: qui exhortatur, in exhortando: qui tribuit in ſimplicitate, Rom. 12. v. 8.

Hoc ſi fecerimus, & ſuper pauca illa fideles Deo noſtro exſtiterimus, tum aliquando nos ſuper multa conſtituet, & in gaudium cœleſte introducet, Matth. 25. v. 23. Ubi vere erimus in illis, quæ patris noſtri ſunt, nempe in domo ejus, in qua manſiones multæ ſunt, in qua nobis Chriſtus locum paravit, Joh. 14. v. 2. & tanquam domeſticis Dei, Eph. 2. v. 19. Societatem habebimus cum Patre & filio, 1. Joh. 1. v. 3. Benedicto in ſecuta, Rom. 9. v. 5. Largiatur id nobis Deus pater, per filium, in Spiritu S. Amen.

DO-

Digitized by Google

Dominica II. Poſt Epiphanias.

Evangelium, Joh 2. v.1. - 1.

EXORDIUM.

CUm magnus ille Dei amicus Moſes, terram Canaan propius acceſſiſſet, ablegavit duodecim exploratores, ut conſiderarent terram, & de ejus qualitate & ſitu nuncium referrent. Hoc munere fideliter illi perfuncti, quo majus populi ad terram occupandam deſiderium excitarent, ad torrentem Eſckol palmitem abſciderunt cum uva ſua, quam portaverunt in vecte duo viri, Num.13.v.3.24.

Hæc hiſtoria typus fuit præſentis Evangelii.

Moſes & Chriſtus ſibi invicem opponuntur: ille veteris, hic vero N. T. mediator eſt. Quia lex per Moſen data, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt, Joh. 1. v.17.

Sicut igitur tum temporis Moſes exploratores ſuos emiſit, qui palmitem cum uva abſciſſum attulerunt, ut Iſraelitæ ex uva cognoſcerent, quam nobilis & fertilis terra eſſet, in qua ejusmodi fructus creſcerent: ita Chriſtus, Servator noſter, eo tempore, quo miniſterium inchoaturus & omnibus perſuaſurus erat, quod appropinquaverit regnum cœlorum, Marc.1. v.15. non quidem exploratores ablegavit: ſed ſeipſum variis miraculis manifeſtavit, quorum primum non ſine ratione fuit, quod in nuptiis Canæ Galileæ aquam in vinum generoſiſſimum mutavit: hocipſo generoſos hoſce botros, virtute ſua divina decerpſit, nec modo in honorem ſacri conjugii publice in nuptiis Canæ Galileæ, præſentibus convivis per architriclinum præſentari juſſit: ſed & Neonymphis oſtendit, ſtatum hunc, quem per Dei gratiam elegerint, ſanctum, Deoque gratum eſſe, qui merito in omnibus honorabilis eſſe, Heb.13.v.4. & in Domino incipi debeat, 1. Cor.7.v.39.

Imprimis hoc ipſo gloriam ſuam quodammodo revelare, & beneficia regni ſui præfigurare voluit: quomodo jam in limine ſit, pretioſum illud convivium apparaturus, de quo Eſaias prædixit, quod Dominus exercituum, tempore N. T. omnibus populis facturus ſit, convivium pinguium, convivium vini defecati, convivium pinguium medullatorum, Eſa. 25. v.6.

Quod nihil aliud eſt, quam concio Evangelii, de gratioſa peccatorum remiſſione, de juſtitia, quæ coram Deo valet, & vita æterna, Luc.24.v.47.

Sicut itaque vinum lætificat cor hominis, Pſalm.104. v. 15. & vulnera, ſi eo eluantur, ſanat, Luc. 10. v.34. ſic Evangelium lætum nuncium eſt, quod non modo animas convertit, Pſal.19 v.8. ſed medetur quoque cordis & conſcientiæ noſtræ vulneribus, ne deſperemus in peccatis: ſed certi de eo eſſe poſſimus, quod Paulus dicit: Ubi exuperat delictum, ibi exuperat gratia, Rom. 5. v. 21.

Nos abſque ulteriori præloquio ad ipſam Evangelii meditationem nos conferemus, ex eodem tractaturi:

I. Ar-

Digitized by Google

I. Ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

SIcut poſt Solem non majus lumen in firmamento eſt, quam luna: ſic etiam poſt religionem veram & beatificam, non præſtantior in Eccleſia ordinatio eſt, quam ſacrum conjugium. Sine quo non modo orbis terrarum incultus & Eccleſia ſolitaria: ſed & cœleſtis hæreditas, quam filius Dei pretioſe acquiſivit & repoſuit nobis, nimis remota maneret. Propterea Chriſtus ante octiduum in templum ſeſe præſentavit, tanquam ſummus novi Teſtamenti Pontifex, quem neceſſario eſſe oporteat, in iis, quæ Patris ſui ſunt. Jam ut hoſpes invitatus accedat nuptias in Cana Galileæ, manumque largiſſimam, & nunquam terminandam ita aperit, ut divino & celebratiſſimo miraculo creaturam mutet, & è naturali aqua vinum COS eliciat.

Notitiam noſtri hinc ſtudemus, quando intuemur:

I. *Nuptialem feſtivitatem.* Die enim tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ: & erat mater Jeſu ibi. Vocatus autem eſt Jeſus, & diſcipuli ejus ad nuptias. Quæ hæ nuptiæ fuerint, non exprimitur. Beda & Rupertus, ſponſum Johannem Evangeliſtam fuiſſe autumant, Chriſtumque ideo acceſſiſſe nuptias, ut impediret eas, quo Johannem ad Apoſtolatum adhibere poſſet. At vanum hoc eſt: nullum enim Chriſtus hic objecit obſtaculum: ſed potius nuptias promovit, & præclaro miraculo adprobavit. Nicephorus, Simonem Apoſtolum ſponſum eſſe vult, quia Cananæus vocatur, Matth. 10. v. 4. Alii alias ſpeculationes habent, re in hunc uſque diem incerta. Id ex textu colligi poteſt, quia mater Domini nuptiis interfuit, & quaſi promaconda exſtitit, Neo-nymphos ipſi ſanguine junctos vel familiares fuiſſe.

Certiſſimum eſt, neogamos honeſtos & pios homines fuiſſe, quia ita decenter conjugium hoc inchoarunt, Chriſtus quoque cum Apoſtolis in hiſce nuptiis comparuit:

Hic probent ſe Neo-nymphi, utrum & ipſi, expectatis nuptiis virginitatem integram & illibatam ſervaverint? Sæpius enim accidit, ut nonnulli, ſponſalibus celebratis, carnali copula commiſceantur, non expectato definito nuptiarum die: quo ipſo haud leve peccatum illi incurrunt. Etſi enim jam tum matrimonium eſt coram Deo, quando ſponſus & ſponſa, cum parentum conſenſu, aut eorum, qui loco parentum ſunt, dextras junxerunt, nuptiæ autem & publica copulatio, Ceremonia tantum Eccleſiaſtica ſit: attamen jam tum in Veteri Teſtamento, inter ſponſalia & nuptias diſcrimen obſervatum eſſe, conſtat. Exempla vide ſis, Gen. 19. v. 14. Gen. 29. v. 20. Jud. 14. v. 4. 1. Sam. 18 v. 21. 28. Matth. 1. v. 18.

Eo quoque lex ſpectat, qua illi, qui uxorem ſibi recenter deſpondit, immunitas belli conceditur, ne forte in acie moriatur, & alius accipiat eam. Deut. 20. v. 7.

Hæc ordinatio in Eccleſiam, Novi Teſtamenti quoque introducta, & in hunc uſque diem ſarta tecta ſervata eſt. Unde Auguſtinus: *Inſtitutum eſt, ut jam pacta ſponſa non tradantur ſtatim, ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiravit ſponſus dilatam.* Propterea quoque tribus vicibus publice illi proclamantur, ut ſi quis cauſam juſtam interpellandi habeat, ea uti

Digitized by Google

poſſit: ex quo ſponte conſequitur, quod interea caſtitatem illibatam ſervare debeant, ſecus enim proclamatio fruſtra fieret. Imo ob de cauſa ſertis redimiti ad templum pergunt novi nupti, ut *oſtendant, ſe uſque ad id tempus victores fuiſſe cupiditatum*, ut Chryſoſtomus loquitur. In Eccleſia enim omnia εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν fieri debent, 1.Cor.14. v. 40. Et qui matrimonium contrahit, faciat, id in Domino. 1.Cor. 7.v.39. Tob.6.v.16.

Cum precibus proinde & in timore Domini connubia inchoanda ſunt, Pſ.128. v.1.5.

Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.

II. *Mariæ Curioſitatem.* Simulac enim illa vinum defecturum animadvertit, in tempore inopiæ huic conſultum vult, ut ne Neogami labe ſiniſtræ alicujus famæ conſpergantur. Filio igitur ſuo rem exponit, de quo hactenus mirabilia multa viderat: quod, ut B. Lutherus conjicit, matri ſuæ aquam petiturus, non ſemel vinum attulerit. Hinc optima ſpe lactatur, eum vini quoque deficientiæ conſulturum eſſe. Neque in hac parte peccat, in ærumnis enim proxima via ad Chriſtum ſit oportet, qui eſt magiſter ſalvationum, Eſa.63.v.1. ſciens ſuos è tentatione liberare, 2. Pet.2.v. 9. At in hoc delinquit quod Chriſto tempus & modum in juvando præſcribere vult, unde etiam Chriſti reprehenſionem non ſine cauſa incurrit. Deus enim noſter agens liberrimum eſt, Pſal. 135. v.6. nec ſibi præſcribi vult:

Scit ipſe tempus optimum,
Nobisque nullum dat malum,
Spes hæc repoſta nobis.
Er weiß wohl wanns am beſten iſt/
Er braucht an uns kein Argeliſt/
Des ſollen wir ihm trauen.

Mirabile facit conſilium, & magnificavit ſapientiam, Eſa.28.v ult.

Hic examines velim te, mi Chriſtiane! annon & tu in hoc nonnunquam deliqueris, ut in calamitatibus conſtitutus, modum & tempus liberationis Chriſto præſcripſeris?

Hoc adeo ratum & infrequens non eſt. David, vir ad cor Domini id fecit, ante eum multi Sanctorum fecerunt, & adhuc faciunt, quin & poſt eum porro facient. Non enim cogitationes Dei, cogitationes noſtræ Eſa. 55. v.8.

Quando igitur auxilium ſuum differt, ſanctas & ſonticas ſuas cauſas habet, & *primo* quidem, *ut nos probet, & ad rogandum provocet*, ut Hieronymus ſcripſit, Eſa. 29. v. 17. *Deinde ut fidem petentium in abſcondito prius revelet, & tum demum nos curet*, juxta Chryſoſtomum. Tob.12.v.7. *Tertio*, ut ejus non noſtra voluntas fiat. Rogamus enim, Domine, fiat voluntas tua. Matt. 6.v.10. Ideoque in ſpe & patientia expectare debemus. Bonum enim eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei. Thren. 3. v. 26.

Quando Magnatibus terrenis ſupplicamus, auxilium eorundem patienter expectandum eſt: multo magis auxilium Dei: qui quidem clemens & miſericors reſpicit orationem humilium, Pſal. 102.v.18. & certum eſt cor eorum, quod auris ejus adierit, Pſal 10. v. 17. Interim tamen cauſas graviſſimas habet, cur ad placitum noſtrum non illico ſuccurrat. Ne igitur præſcribamus ei, nec impatienter feramus dilatio-

nem.

Digitized by Google

nem: ſed in patientia dicamus: expecta Dominum, Pſal. 28. v. ult.

III. *Hydriarum pluritatem.* Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ, ſecundum purificationem Judæorum, capientes ſingulæ metretas binas vel ternas.

Quales hæ hædriæ fuerint, hinc colligendum, quod Chriſtus dicit: haurite & ferte architriclino. Non igitur iis hauriri potuit, quali hydria mulier Samaritana uſa eſt ad fontem Jacobi, Joh. 4. v. 28. ſed adeo capaces fuerunt, ut ex iis alio vaſculo hauriendum fuerit: ſingulæ enim capiebant metretas binas vel ternas, hoc eſt, amphoram vini, ut Lutherus in margine explicat. Has hydrias Chriſtus primo aqua repleri jubet, qua in ſcripturis tribulationes & ærumnæ indigitantur, Pſalmo 69. v. 2. Deinde virtute ſua divina transmutat in vinum generoſiſſimum, ut judicet, quod gloriam præcedat humilitas, Prov. 15. v. 33. ſeque ex multis aquis nos extrahere poſſe, Pſal. 18. v. 17. & educere in refrigerium, Pſal. 66. v. 12.

Si reſpicis œconomiam tuam, utique & tu has ſex hydrias lapideas ordine ſuo diſpoſitas, invenies. Sicuti enim hebdomas ſex dies habet, in quibus laboratur, Ex. 20. v. 9. ſic ſufficit diei malitia ſua, Matth. 6. v. ult. Usque dum æternum illud ſabbathum adveniet, quo calamitatibus liberati, habitamus in domibus pacis, Eſa. 32. v. 19 Sabbathum ex ſabbatho celebrantes, Eſa. 66. v. 22.

Interea in conjugio inventibus familiaris eſt:

I. *Hydria paupertatis.* Ubi enim thalamus, ibi calamus, Eheſtand / Weheſtand. Jam vinum non habent, jam panem non habent, jam pecuniam non habent. Hæc hydria miſerabilis eſt, pauper enim ubique jacet, Prov. 19. v. 4.

2. *Hydria infirmitatis.* Neo-nymphi in Cana nuptias quidem cum valetudine commoda celebrarunt: vix tamen in fortuna hac diu perſtiterunt, morbi enim ubique locorum nos inſequuntur, & modo maritum, modo uxorem, modo liberos invadunt, Sir. 40. v. 1. Exempla ſunt, Hiob c. 2. v. 7. mulier hæmorrhouſa, Matth. 9. v. 20. David, 2. Sam 12. & ſeqq. Immittit hanc crucem Deus piis conjugibus, ut an in mutuo adjutorio fidelem ſibi invicem operam præſtituri ſunt, experiatur. Sir. 41. v. 23.

3. *Hydria rixoſitatis.* Hac in parte vel ſancti quandoque aliquid humani patiuntur, ut videmus in Sara, Gen. 16. v. 5. multo magis ibi vigere rixas, neceſſe eſt, ubi Eſmodi fores panduntur per neglectum precum, & ejuſdem obſequium. Ibi non mirum, omnia evaneſcere in œconomia, Jac. 3. v. 16.

4. *Hydria infidelitatis.* Quando enim Deus cum cruce & calamitatibus ingruit, ſæpe fit, ut ſanus conjux ægroti nauſea capiatur, ei miſeriam ſuam exprobrans, ut Hanna Tobiæ, c. 2. v. 23. aut ſolvat votum ad altare promiſſum, ut David, 2. Sam. 11. v. 4. aut alliciat juvenes, ut meretrix illa, Prov. 7. v. 10. Ubi hæc hydria eſt, ibi vinum gratiæ exſiccatur. Job. 31. v. 11.

5. *Hydria ſterilitatis.* Præcipuus matrimonii ſcopus eſt procreatio ſobolis, Tob. 8. v. 19. Atqui ſæpe evenit, ut Deus aliquamdiu benedictionem hanc differat, ut Abrahamo factum. Gen. 15. v. 1. 2. Rachel, Gen. 20. v. 2.

Multi adhuc hodie de hydria hac con-

Digitized by Google

queruntur, theſaurizant enim, & ignorant, cui congregabuntur ea, Pſal.39.v.7. Cum morte vero nomen & genus exſtinguitur, cum è contrario parens, qui liberos obſequentes habet, in iis adhuc vivat. Sir. 30.v.4.

6. *Hydria viduitatis.* Mors enim, quæ eſt ultima linea rerum, tandem conjuges divellit: modo viro præcedente & relinquente triſtem Naemi, Ruth 1.v.3. modo uxore præeunte, quam maritus oculis madentibus ad tumulum proſequitur, ut Jacob Rachel Gen.35.v.9. modo liberis per obitum diſcedentibus, Tob.10.v.4. Has hydrias Chriſtus replet uſque ad ſummum.

Sed ut idem verbo ſuo, optimum vinum procuravit: ſic mutatio dexteræ Excelſi, Pſal.77.v.11. Et ſi conjuges ipſi confident, hydrias has, ſale ſanctiſſimi meriti ſui temperaturus eſt, ad exemplum Eliſæi, 2.Reg.2.v.21. & ipſis tanquam Deum diligentibus omnia in bonum operabuntur, Rom.8.v.28.

De Secundo.

NUnc ad *alteram partem*, progrediemur, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Domini noſtri Ieſu Chriſti* meditaturi. Is nobis in hoc Evangelio conſiderandus commendatur:

I. *Tanquam conjugii amator*: non enim ſaltem in nuptiis his, ut conviva apparet: ſed manifeſtat quoque gloriam ſuam, dum inopiæ vini conſulit, aquam in vinum mutando, quod nunquam feciſſet, ſi ſtatus hic ei diſplicuiſſet.

Accedit, quod de virgine naſci voluerit, non quæ monialium inſtar virginitatem perpetuam vovit: ſed viro deſponſata fuit, nomine Joſeph. Matth.1.v.18.

Conjuges elegit in Apoſtolos, ſiquidem Petrus ſocrum habuit, Matth. 8. v. 14.

Conjuges docuit & cibavit, quinque virorum millia, exceptis mulieribus & parvulis, Math.14.v.21.

Conjuges ſanitati reſtituit, eorumque liberos adjuvit, ut ſocrum Petri, Matth. 8. v. 14. Viduam in Nain, Luc.7.v.15. filiam Jairi Matt.9.v.25. Regulum, Joh.4.v.50. Mulierem Cananæam, Matth 15.v.8. aliosque.

Conjuges ipſi ſervierunt in paſſione & morte, ut Simon Cyrenæus, qui crucem ejus tulit, Matth. 27. v.32. Joſeph ab Aramathæa, qui corpus ejus de cruce ſuſtulit & ſepelivit, Joh.19.v.38.

Conjugibus à reſurrectione ſua apparuit, ut Mariæ uxori Cleophæ, & marito ejuſdem. Morum quoq; quo Pater cœleſtis conjugium muniverat, reparavit, quando adverſus adulteria & ſcortationes præclare docuit, Matth.5 v.25. quin & libellum repudii dirupit, qui tum valde uſitatus inter Judæos fuit. Matth.19.v.4.

Regnum item cœlorum cum nuptiis comparat, Matth. 22. v.2. ſummumque amoris ſui in nos myſterium, ſub amore ſponſi delineat, Oſ.2.v.19.20. Unde Paulus hoc exemplum omnibus conjugibus commendat, Eph.5.v.25.

Hoc ſolatio plenum eſt. Diabolus conjugium acerbiſſimo odio proſequitur, ſemperque excitavit, qui conjugium infamiæ labe notatum iverint: ſicut adhuc hodie Anti-Chriſtus facit, 1. Tim. 4. v. 13. Sed S. S. Trinitas ab initio mundi huic ſtatui patrocinium præſtitit, quod facere quoque perget, uſque ad diem noviſſimum. Pii itaque Chriſtiani, calumniis Satanæ illuſis, ſi ad conjugium vocentur, animoſe cum Deo pergant. Sic

Deus

Digitized by Google

Deus Pater eos alet, ut Protoplaſtos noſtros,& animâ & corpore, quibus, poſterisq; eorum totum orbem cibarium conſtituit, Gen.1.v.28.

Filius Dei eis ſuccurret, inopiæ conſulturus,ut viduæ Sareptanæ, 1.Reg.17. v.14. *Spiritus ſanctus* eorum corda in amore copulabit, ut,ſicut una caro: & cor unum & anima una ſint, Act.4.v.32. Eſt enim ſpiritus dilectionis, 2.Tim.1.v.7. deducet ipſos in omnem veritatem, Joh.16.v.13. ut in agnitione Dei proficiant, Col.1.v.11.& liberos ſuos inſtituant, Gen.18.v.19. imò inſtaurabit, confortabit, roborabit, fundabit, 1.Pet.5.v.11. ut bonam militent militiam, 1.Tim.1.v.18. & finem fidei ſalutem animarum reportent,1.Petr.1.v.9.

II. *Tanquam vini procurator.* Hîc miniſtris mandat,ut impleant hydrias aquâ. Deinde jubet ipſos haurire : dum illi hauriunt, illo ipſo momento aquam divinâ ſuâ virtute in vinum generoſiſſimum convertit,hinc Architriclinus ad ſponſum ait: Omnis homo,primùm bonum vinum ponit &c.

Hoc miraculum dupliciter conſiderari debet:

1. *Literaliter.* Sicut enim hîc Chriſtus ex naturali aquâ, licet ſupernaturali modo,vinum optimum produxit : ſic idem adhuc hodiè per naturam facit.

Vitis eſt lignum vile & abjectum : nec paxillus ex eo fabricari poteſt, Ezech.15,2. tamen per benedictionem Dei ſuccum adeò generoſum profert, ut Deum & homines lætificet, Jud.9.v.13. Vide Pſ.104,14.15. Id Chriſto quoq; acceptum ferendum eſt, qui cum patre ſuo operatur, Joh.5.v.17. Propterea non abutamur hoc inſigni dono Dei, ut *bibamus ad menſuras ſine menſura,* ut Auguſtinus loquitur, ex quo plurima incommoda ſequuntur. Vide Eſa.28,8. Oſ. 4.v.11. Sir.31.v.39. Prov.23.v.27.31.

Conſulamus potius eodem indigentiæ noſtræ bibentes ad lætitiam, non ut corda gravemus, Luc.21.v.34. Sir.31.v.33. Hinc Deus ad Jojakim: Pater tuus, nunquid non comedit & bibit, Jer.22.v.15. Idem nobis quoque conceſſum,Eccleſ.5.v.18.19.

2. *Spiritualiter.* Sicut enim in nuptiis Canæ Galileæ vinum defecit : ſic quoque tum temporis nullum ſolatium in mundo fuit. Phariſæi enim & Scribæ,vinum Evangelicæ conſolationis aquâ miſcuerant,Eſa. 1.v.22. & fel Draconum atque venenum inſanabile adſperſerant, Deut.32,v.33. Hîc neque Maria, neque alii ſancti opem ferre potuerunt,ſed ſuſpirarunt duntaxat:Defecit ſanctus,Pſal.12.v.2. Sed ecce! Chriſtus ſolus eſt Dominus ille,qui aquam in vinum convertere poteſt : ideò reformationem non modò in templo inſtituit, Matth. 21. v. 12. ſed & in diebus carnis, ſicut & in his ultimis temporibus optimum vinum infudit, quod deſtinato conſilio huc usque reſervavit, ut omnes gratiæ flagrantes animæ ſpiritualiter inebriari, & in proſperis & adverſis, in copiâ & inopiâ,in vitâ & morte animoſi & lætabundi dicere poſſint : In omnibus tribulationem patimur, 2.Cor.4. v. 7.10.

III. *Tanquam opportunus auxiliator.* Maria exiſtimabat, Dominum opitulaturum, dum adhuc vaſculum vino maderet,ne vini defectus innoteſceret : ſed hoc Domino integrum non erat, propterea ait ad matrem: Quid mihi & tibi eſt mulier ? Nondum venit hora mea. Poſteà verò opportunè ſubſidium tulit, ut non tantum Neonymphos, ſed omnes convivas exhilaraverit.

Digitized by Google

Nobis hoc apprimè obſervandum eſt. Sæpè enim contingit, ut & nos ſimile reſponſum feramus, quando in ærumnis conſtituti, auxilium ſubitò deſideramus. Jeſus enim noſter omnia in numero, pondere & menſurâ creavit, Sap. 11. v. 22. Quod ſi igitur menſura non plena, pondus non integrum, & numerus non impletus eſt, quem definivit, manet hoc reſponſum, quod Mariæ dedit: Hora mea nondum venit. Sed ideò animum non penitus abjiciamus: duriuſculum quidem eſt reſponſum, at certum poſt ſe trahit ſolatium. Si hora tarda, tamen eſt:

1. *Hora certa.* Quemadmodum enim hora horæ ſuccedit: Sic Chriſtus cum horâ ſuâ tandem veniens veniet, & non tardabit, Hab. 2. v. 3. Cuſtodit enim veritatem in ſeculum, Pſal. 146. v. 7. Sicuti igitur promiſit: Invoca me, in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me, Pſal. 50. v. 15. & iterum: Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam, & glorificabo eum, Pſal. 91. v. 15. Ita certò certius præſtabit, quod promiſit, nec fideles ſuos orphanos relinquet, Joh. 14. v. 18.

2. *Hora grata.* Verum enim eſt, quod Auguſtinus ait: *Deſiderata diu, dulcius obtinentur, citò autem data viliſcunt.* Sic Deus auxilium ſuum differt quidem, ſed pòſt eò potentius implet, ut homines annuncient opus Dei, & opera ejus prudenter conſiderent, Pſ. 64, 10.

Quando itaq; tibi tempus nimis longum videtur, mi Chriſtiane! & hora auxilii diu differtur, cogites velim, neque te ſemper ad pœnitentiam reſurrexiſſe, quando à Deo invitatus es: ſic non mirabere, ſi neq; Deus tibi præſto fuit levaminè ſuo, quando & quomodo illud imploraſti. Interea bono eſto animo! *etſi differt, non auffert, modò ſit, qui ſuffert.* Patientia proinde opus, imò neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes, reportemus promiſſionem, Hebr. 10. v. 36. Etiamſi enim affligit, miſerebitur tamen ſecundum multitudinem miſerationum ſuarum, Thren. 3. v. 32. Jam dicitur: vinum non habent. Sed breve poſt intervallum, nuptiæ agni celebrabuntur, Apoc. 19. v. 7. Ubi Jeſus noſter menſâ cœleſti nos honorabit, ubi nos torrente voluptatis potabit, Pſ. 36. v. 9. ut comedentes ſaturemur, bibamus, & lætemur in ſecula, Eſa. 65. v. 13. 14.

Hoc nobis omnibus largiri dignetur Pater cœleſtis, per filium ſuum Jeſum Chriſtum, Redemtorem noſtrum, in Spiritu ſancto, Amen.

Dominica III. poſt Feſtum Epiphanias.

Evangelium Matth 8. v. 1. — 13.

EXORDIUM.

CUm Moſes de monte Sinai deſcenderet, ubi per quadraginta dies & noctes ſine cibo & potu perſeveraverat, utraq; legis tabulâ acceptâ: Iſraëlitæ interea in errorem prolapſi, aureum vitulum fecerant: Cujus intuitu Moſes tantopere indignatus fuit, ut non modo tabulas de manu projecerit, & confregerit eas ad radicem montis: Sed Levitæ quoq; armatâ manu gladiis accincti per medium caſtrorum ire, & occi-

occidere omnes ſibi obviantes juſſi ſunt, inter eos, qui idololatriæ rei facti, de peccato non doluerant, Exod. 32. v. 19. 28.

Hæc mirabilis hiſtoria eſt, ex quâ perſpicimus, quàm diſſimiles & contrarias qualitates Moſes & Chriſtus habeant. Moſes enim de monte deſcendens, zelum ſuum exercebat ob idololatriam, quam Iſraëlitæ cum vitulo aureo commiſerant. Typus hoc fuit Legis, quæ nil niſi iram operatur Rom. 4, 15. & miniſterium damnationis eſt, 2. Cor. 3, 9. Propterea quoq; Iſraëlitæ terrore percellebantur, quādo alterâ vice cū tabulis Legis de monte deſcēdebat, metuentes illū accedere, quòd ſplēderet cutis faciei ejus, Exo. 34, 29.

Sed in prælecto Evangelio audimus, quòd Chriſtus alio modo de monte deſcēderit, non occidens, ut Moſes: ſed tam leproſum, quàm paralyticum de morbo inſanabili liberans & ſanans. Quò indicavit, ſe magiſtrum eſſe ſalvationum, Eſ. 63, 1. miſſum à Deo, ut nos ſingulos de ſpirituali peccatorū leprâ liberare, & per vulnera ſua ſanare debeat, Eſ. 53, 5. Sicut & mirabile fecit conſiliū, & multiplicavit ſapientiam, Eſ. 28, 29. Ideò non metuēdus nobis eſt, ſicut Iſraëlitæ Moſen timuerunt, ſed cum fiduciâ ad thronum gratiæ ejus adire poſſumus, ut miſericordiā conſequamur, & gratiam inveniamus, in auxilium opportunum, Heb. 4, 16. Veluti audimus in Evangelio prælecto, quòd multa ipſi turba obviarit, & ſequuta ſit de monte dependentem, quam omnem partim ſpiritualiter concione ſuâ ſalvificâ, partim corporaliter manu ſuâ miraculosâ & omnipotente refocillatam curavit.

Nos ad Evangelium ipſum acceſſuri, pro inſtituti ratione diſcemus ex eodem:

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

NOn ſine ratione Evangeliſtæ & Apoſtolo Johanni, Chriſtus Servator noſter, oſtenditur ut Rex, qui multas coronas in capite ſuo geſtat, Apoc. 19. Hôc ipſo enim non modò Majeſtas ejusdem in cœlo, in terrâ & ſub terrâ indicatur, Phil. 2, 10. ſed & multitudo beneficiorum, quibus in genere annum, & in ſpecie credentes in omnibus tribus ſtatibus ſive hierarchiis egregiè coronat. Pſal. 65. v. 12. Pſal. 5. v. 13.

Ante quatuordecim dies *ſtatum Eccleſiaſticum* ſplendidâ coronâ ornavit, dum ipſe velut Doctor eruditæ linguæ, in templo Hieroſolymitano in medio Doctorum ſedens, primum Prophetici ſui muneris ſpecimen edidit, tanto cum applauſu, ut omnes auſcultantes, orationis & reſponſi ejus admiratio ceperit, Luc. 2, 46. 47.

Ante octiduum *conjugium* conſecravit, & præſentiâ ſuâ honorabili, primoq; miraculo, quod in Nuptiis Cananæis patravit, publicè probavit, ſtatum eſſe ejusmodi, quem cum Patre & Spiritu ſancto pergratum habeat & amet.

Hodiè in Centurione Capernaitico, qui præcipuus belli miniſter Regius fuit, *ſtatum politicum* & fidem ejusdem adeò prædicat, ut in Iſraël tantam fidem non inveniſſe ſe, aſſeveret: hoc ipſo innuens, Politicum quoque ſtatum ſibi non diſplicere, modò juxta Dei verbum & placitum adminiſtretur. Non eſt enim poteſtas, niſi à Deo, Rom. 13. v. 1. Ideoque Chriſtus in aulâ Suos habet, hæc ferima illa eſt, quâ menſem cœleſtem decorat, dicit enim: De pinguibus convertam, Pſal. 88, 23.

Nos hinc anſam nanciſcimur, ad *notitiam noſtri* perdiſcendam, quando expendimus:

I. Aſ-

Digitized by Google

I. *Afflictorum perfugium.* Uterq; enim & leproſus & Centurio, ille propriâ, hic ſervi ſui miſeriâ preſſus, apud Chriſtum auxilium quærunt. Ille inquit: Domine, ſi vis, potes me mundare. Hic: Tantùm dic verbum, & ſanabitur puer meus. Uterque agnoſcit Chriſtum ejuſmodi Dominum, qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quam petimus, Eph. 3. v. 20.

Varia procul dubio medicamenta illi adhibuerunt, ſed infelici cum ſucceſſu. Paralyſis enim & lepra ejusmodi morbi ſunt, qui non facilè humanâ induſtriâ ſanantur, ſi præſertim invaluerunt nimis & naturam ſuperarunt. Iccircò optimè faciunt, quod ad Chriſtum confugiunt, qui non valentibus, ſed malè habentibus medicus venit, Matth. 9. v. 12. cujus mirificæ, & omnipotentis manus mutatio eſt, Pſal. 77. v. 11. Act. 10. v. 38.

Hic te proba, mi Chriſtiane, an in calamitatibus & anguſtiis conſtitutus, ſolum Chriſti auxilium & ſolatium imploraveris?

Inveniuntur enim homines ſuperſtitioſi, qui ærumnis preſſi ad magos, pythones, & incantatrices confugiunt, exemplo Saulis, 1. Sam. 28. v. 8.

Huc omnes præcantationes, ſuperſtitiones & benedictiones pertinent, quæ à ſuperſtitioſis ſuperſtitioſè adhibentur. Licet enim quandoque fiat, ut ægroti per hæc incantamenta reconvaleſcant: non tamen exiſtimandum eſt, virtute ſanandi illa pollere, ſed permittit id Deus Satanæ, in majorem horum hominum pœnam, 2. Theſſ. 2. v. 10. ſic corpus ſanatur, anima verò vulneratur, & in damnationem præcipitatur. Hinc graviter minatur Deus: Anima quæ declinaverit ad magos & ariolos, &c. Levit. 20. v. 6.

Nos potius cum paralytico & Centurione ad Chriſtum nos recipiamus, qui eſt Dominus Deus, ſanator noſter, Exod. 15. v. 26. qui operatur ſalutem in medio terræ, Pſal. 74. v. 14.

Auxilium ejus eſt *omnipotentiſſimum.* Medicis deſperantibus & omnibus medicamentis effectu carentibus, ipſe vel verbulo morbos fugare poteſt. In manu enim ejus bona & mala, vita & mors ſunt, Sir. 11, 14.

Auxilium ejus eſt *præſentiſſimum.* Cives Hieroſolymitani in Ægyptum ablegabant, contra hoſtes Babylonios auxilium implorantes: ſed melius multò feciſſent, ſi ad Deum confugiſſent, qui non modò validâ manu ex Ægypto eos eduxerat: ſed & gentes coram eis expulerat, regionemq; illis diſtribuerat. Ibi in propinquo auxilium inveniſſent. Pſal. 145. v. 18.

Auxilium ejus eſt *ſolatio pleniſſimum.* Hoc enim more utitur, ut tum demum ſuccurrat, quando hominum auxilium deſperatum eſt, uti videre eſt in tribus viris in ardente fornace, Dan. 3. v. 91. civibus Bethulienſibus, Judith. 14 v. 9. ſeqq. in muliere hæmorrhouſſâ, Luc. 8. v. 43. aliisq;. Hoc ideò facit, ut poſtea auxilium ejus eò gratius ſit, & homines annuncient opus ejus. Pſal. 64. v. 10.

Quia igitur hoc nobis conſtat, media quidem ordinaria non contemnere: ſed nec fiduciam in iis collocare debemus: Verùm toti à Chriſto, velut infans ab uberibus matris pendeamus, ejusq; opem æquo animo expectemus. Licet enim Paulus plantet, Apollo riget, tamen fruſtraneum eſt, niſi Deus det incrementum, 1. Cor. 3. v. 6.

II. *Servorum obſequium.* Hoc Centurio prædicat, ad Chriſtum inquiens: Ego homo ſum, ſub poteſtate conſtitutus, habens

ſub

ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites,& dico huic: Vade,& vadit: & alii: veni,& venit,& ſervo meo,fac hoc,& facit. Ejusmodi obſequio ſervi Dominis ſuis obſtricti ſunt, ſi liberaliter illi ſervire velint. Hinc Paulus Eph.6.v.5.ſeqq.

Hic examinent ſe ſervitiis addicti,ſervi, famuli & ancillæ, utrum & ipſi erga Dominos ſe ita geſſerint, iisq́, debitam obedientiam & fidem præſtiterint?

Hic meritò illud Poëtæ locum habet:
Rara avis in terris, nigroq; ſimillima Cygno!

Sic omnem hodie reverentiam abjecerunt. Gehaſi defraudat Dominum, capiens munera à Naëman, quæ Dominus ſuus reſpuerat, & ideò ab hero compellatus, negat, 2. Reg.5.v.16. Hagar deſpicit Dominam præ faſtu, quia Abrahamo data, Geneſ. 16. v. 4. Ziba calumniis onerat Dominum Mephiboſeth, & hoc ipſo bona ejusdem impetrat, 2.Sam.16. v. 3. Oneſimus relicto Domino ſuo, abit, Philem.v. 11. Hæc exempla V. T. ſunt. In Novo autem non melius, ſed deterius ſe res habet. Diabolus enim qui habet iram magnam, Apocal.12. v. 12. hâc quoque in parte minus feriatur, per ſervitia quoque truculentiam ſuam exerens, dum plurimis, ut inſtrumentis ſuis in Dominorum detrimentum abutitur. Finis enim mundi magis magisq; approperat, de quo Micha prædixit, quod domeſtici inimici ejus, Mich.7.v.6.

Centurionis ſervus fuit:

1. *Servus pius.* Quod inde conſtat,quia Seniores Judæorum tam ſedulò pro eo apud Chriſtum intercedunt, Luc.7.v.4. Sine dubio iis omnem benevolentiam exhibuit, nec minus ſacris ſedulò interfuit: id grato animo recolentes, Chriſto eum commendant.

Sic ſervitiis addicti, imprimis pietate litare, & templum ſedulò frequentare debent, quo fundamentum in Chriſtianiſmo jaciant, & parati ſemper ſint ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ſpe & fide, 1.Petr. 3. v. 15.

2. *Servus induſtrius.* Si enim dico: Vade,vadit: veni,venit: fac hoc,& facit, ait Centurio. Idem fecerunt Eleaſar, Geneſ. 24. v.33. Jacob, Geneſ.31. v.40. Joſeph, Gen.39. v. 4. armiger Jonathani, 1.Sam. 14. v. 6. 7. Abra, ancilla Judith, Judith. 10.v.2. ſeqq.

Aſt multi hodie inveniuntur, qui tantùm præ oculis ſerviunt, Eph.6. v.6. & caſtigati cum Hagar aufugiunt, Gen.16,6. Ideò maledictionem Dei incurrunt, ut in conjugio demum puniatur, quicquid in ſervitiis delirarunt, ſicut Gehaſi, infidelis ille Eliſæi famulus leprâ infectus eſt, quæ ei & omnibus ejus poſteris adhæſit, 2.Reg. 5.v.27.

Quod ſi verò ſervi fidelem operam Dominis ſuis præſtiterint, non dubitent, quin Deus beneficos Dominos excitaturus ſit, qui omnem ipſis benevolentiam etiam morbo correptis præſtent, ſicut Centurio ſervo ſuo: imò ſæpe contingit, ut præcipuus aliquis pater-familiâs ſervo fideli filiam in matrimonium collocet, aut conſilio adjuvet ſalutari, Prov.17.v.2. Die verò noviſſimo ex ore Chriſti vocem amabilem audient: Euge ſerve bone! Matth.25,23.

III. *Centurionis encomium.* Quia enim coram Domino ſe humiliavit & dixit: Domine,non ſum dignus,ut intres ſub tectum meum: ſed tantùm dic verbum, & ſanabitur ſervus meus. Ideò mirabundus Je-

ſus ſequentibus ſe, dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſraël.

In totâ Judæâ miſera tum erat conditio. Phariſæi enim fermento falſæ doctrinæ veram doctrinam corruperant, juxta Eſaiæ querelam, c. 1. v. 22. attamen ſupererant adhuc pii aliqui, ut Zacharias & Eliſabeth, Luc. 1. v. 6. Simeon & Hanna, Luc. 2. v. 25. 36. Nathanaël, Joh. 1. v. 47. quorum ſine dubio inter Apoſtolos, quos de mundo Chriſtus elegerat, fuerunt, Joh. 15. v. 19. Act. 1. v. 8.

Quod verò Gentilis homo eò pervenit, ut, ſi Dominus tantùm unum verbum diceret, verba ejus tantam virtutem habitura eſſent, ut ſervus infirmus iis ſanitati reſtitueretur, crediderit, hoc rarum planè fuit: propterea quoque Jeſus fidem ejus miratus eſt, nec ſatis commendare eandem potuit.

Hic probent ſe Chriſtiani noſtri, qui nomine nudo ſuperbiunt, annon Centurio hic gentilis die noviſſimo, ruborem ipſis incuſſurus ſit, qui velut ethnicus plura de Chriſto novit, quàm Judæi vulgariter, & adhuc hodiè multi, qui de Chriſtiano nomine gloriantur?

Olim, cum Apoſtolus Athenienſium cultus divinos ſpectaret, inter alia aram offendit, in quâ ſcriptum fuit: Θεῷ ἀγνώςῳ, Act. 17. v. 23.

Hæc ara hodiè medios inter Chriſtianos verſatur, pauciſſimi enim Deum rectè agnoſcunt, & licet agnoſcant, tamen factis negant, Tit. 1. v. 16.

Cum Philippus cum Chriſto colloqueretur, inter alia petebat: Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficiet nobis: & reſpondit Chriſtus: Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſti me? Joh. 14. v. 8. 9.

Ejusmodi Philipporum hodiè plurimi occurrunt, qui non modò tres: ſed vel decem, viginti aut triginta annos ſcholam Chriſti frequentarunt, multasque egregias conciones de omnibus fidei articulis audiverunt: & tamen ſunt, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, Pſalm. 32. v. 9. & de Chriſto, aut SS. Trinitate interrogatis mera ænigmata videntur, ſicut Apoſtolis, Johan. 16. v. 25. nihilque horum intelligunt, Luc. 18. v. 34.

Verùm hæc ignorantia vincibilis & affectata eſt, quæ nullam excuſationem meretur. Habemus enim ſcripturam ſacram, in qua ſcrutari, & ex eadem utilia diſcere poſſumus, Joh. 5. v. 39. Præterea conciones ferè quotidianæ habentur, in quibus Chriſtus tam clarè nobis oſtenditur, ut vel puer ſeptennis comprehendere queat, Gal. 3, 1. ideò graviſſima ratio reddenda erit, quando Chriſtus requiret, quid quilibet talento ſibi concredito operatus & lucratus fuerit, Matth. 25. v. 14. & ſeqq. Joh. 15. v. 22.

Quodſi igitur animæ ſalus tibi curæ eſt, ſedulò frequenta templum, & appropinqua, ut audias, Eccleſ. 5. v. 1. Prov. 2. v. 2. Cuſtodi verbum auditum in corde tuo, Luc. 8. v. 15. loquere de eo, ac meditare die ac nocte, Pſal. 1. v. 2. ſic theſaurizabis tibi theſaurum in cœlo, Matth. 6. v. 20. Aurum enim & argentum æruginat, Jac. 5. v. 3. nec liberare valet, in die furoris Domini, Ezech. 7. v. 19. Te verò noſſe, conſummata juſtitia eſt, Sap. 15, 3.

De

Digitized by Google

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alteram partem*, χειροτονίαν, ſive *notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti* contemplaturi. Hic nobis meditandus proponitur:

I. *Tanquam medicus noſter admirabilis*, qui ſolo contactu, imò verbo omnes morbos fugare poteſt.

Duo præclara exempla habemus in prælecto Evangelio, cum in leproſo, tum in ſervo Centurionis paralytico. Illum tetigit, & dixit: Volo: mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra ejus. Hunc verò abſens curavit, dicens ad Centurionem: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illâ horâ.

Ecce, potentiſſimum medicum & Salvatorem! de quo verè dixit Centurio, quòd ipſi omnia obedire teneantur, ſicut ſibi ſervi ſui. Sic ille peſtilentiam, lepram, paralyſin, febrim, aliaq; morborum genera nutu tantum accerſere poteſt & dicere: Venite, & venire oportet, & corripere homines propter iniquitatem, Pſalm.39.v.12. Vel: diſcedite, & ceſſare oportet & evaneſcere. Pater enim cœleſtis omnia ſubjecit pedibus ejus, nihil omiſſo, Hebr.2. v.8. Pſal.33. v.9.

In Inſula Cypro olim ſingularis familia Ophigenum (ἀπὸ τῶν ὀφίων ſic dicta) fuit, quæ ſolo contactu, à ſerpentibus læſos, eorumq; veneno infectos ſalvavit.

Similiter de Galliæ & Angliæ Regibus refertur, quòd ſtrumas, manus contactu, his verbis additis: Tangit te Rex, ſanet te Deus, abigere valeant.

In Hiſpania quoque certa *familia* fuit, *Salvatorum* dicta, quæ canum rabidorum mortiferos morſus curare potuit.

Fides ſit penes Autores! Jeſus verò noſter ſæpiſſimè probavit, unico ſe verbulo & contactu, omnes noſtras infirmitates ſanare poſſe, Pſal. 103. v.3.

Perſæ Mithridatem ſuum, Ægyptii Hermetem, Arabes Sabilen, Judæi Salomonem commendatum eant. Alii cum Hippocrate, alii cum Galeno faciant; nos Chriſtum in delitiis habemus, qui velut medicus experientiſſimus intimè latentes infirmitates perſpicere poteſt. Eſt enim cordium ſcrutator, Act.1.v.24. qui novit quod in homine eſt, Joh.2.v.25. Pollet quoque virtute, viæ ejus paratæ ſunt, & judicia ſua in providentiâ poſuit, Judith. 9. v. 5. Nec minus proclivis eſt ad juvandum. Qui enim venit ad eum, non ejicietur foras, Joh.6. v. 37. Hinc ipſe vocat: Venite ad me omnes. Matth.11. v. 28. Ipſe paratus adſtat, & expectat nos. Noſtrûm eſt, venire, & ejus gratiam accipere, per veram ac vivam fidem, ad exemplum Centurionis & leproſi. Oculi enim ejus reſpiciunt fidem, Jer.5. v.3. Hæc quaſi manus eſt, quâ cor ejus apprehendimus, dicentes cum Jacobo: Non dimittam te, donec benedixeris mihi, Gen.32.v.26.

In omnibus igitur ærumnis & miſeriis ad hunc medicum properabimus. *In medicorum manibus ſanitatis ſpem habere, beſtiale eſt*, ſcribit Baſilius. Ratio in promtu eſt: Quia,

> Interdum doctâ plus valet arte malum.

At hîc dicere poſſumus: *In hujus medici manibus ſanitatis ſpem collocare, & rationale, & ſalutare eſt*, Sap.16. v.12.

II. *Tanquam miniſterii commendator venerabilis.* In V.T. Sacerdotum fuit de

leprâ judicium ferre. Hinc eum, qui à lepra abſolvi volebat, oportebat ſacerdotem accedere, & ſacrificia ſua afferre, nempe duos agnos immaculatos, & ovem anniculam, absq; macula, & tres decimas ſimilæ quæ conſperſa erant oleo, Lev. 14, 10.

Sicut igitur Sacerdotibus certa pars de ſacrificiis ex inſtituto Dei debebatur, Exo. 29. v. 26. Sic vi legis divinæ partem capiebant, poſtquam leproſum mundum pronunciaverant. Hanc ipſis Chriſtus ſubtrahere noluit, ideò leproſum ad Sacerdotem ablegavit, ut miniſterium reverenter habere diſceret, quod fortè hactenus deſpexerat, ſiquidem Deo familiare fuit, contemtum Miniſterii ſacri leprâ punire, ut exemplum Miriam probat, Num. 12, 10.

Obſervent hoc Auditores, ut faciant, quod par eſt:

1. *Spiritualiter.* Quodſi in locum confeſſionis veniunt, non abſcondant peccata: Sed confiteantur ea coram Deo, & Eccleſiæ miniſtro, ſi à ſpirituali leprâ abſolvi, & remiſſionem peccatorum conſequi velint. Hanc enim Deus gratiam abſolutioni impertivit, miniſtrisq; ſuis, Eccleſiæ Paſtoribus poteſtatem ligandi & ſolvendi dedit, Matth. 18. v. 18. Quemcunque itaque conſcientia ob commiſſa peccata angit, ut cum Davide queratur, Pſal. 38. v. 5. Is oſtendat ſe Sacerdoti, confitendo peccata ſua, tum ſolatio verbi divini eum eriget, & abſolutionem annunciabit, verbis Chriſti: Confide fili mi! Confide filia mea! remittuntur peccata tua! Hoc ſalutiferum gratiæ medium eſt, omnibus corde contritis deſtinatum, ideò non deſpici, ſed cum gaudio & animi ſolatio uſurpari debet, Pſal. 32. v. 3. 5.

2. *Corporaliter.*

1. *Per reverentiam*, 1. Tim. 5 v. 17.

2. *Per Obedientiam*, Hebr. 13. v. 17.

3. *Per beneficentiam.* Miniſter verbi ille eſt, qui te quotidie verbo Dei erudit, ut creſcere poſſis in agnitione Dei, in quâ vita æterna conſiſtit, Joh. 17. v. 3. Tui cauſſa ſcrutatur ſcripturas, Joh. 5. v. 39. Tui cauſsâ cor ſuum tradit ad vigilandum diluculo ad Dominum, & in conſpectu Altiſſimi deprecatur, Sir. 39. v. 6. Tui cauſsâ concionando & meditando corpus affligit, Eccleſ. 12. v. 12. Quinimò propter te ſæpè vitâ periclitatur, peſtiferis morbis graſſantibus, ut Aaron, Num. 16. v. 47.

Ut breviter complectar: Nemo illo carere poteſt. Ipſe præſto tibi eſt in nativitate, & baptiſmo te tingit. In vitâ quando te doctrinâ inſtruit, & ſolatio reficit, in morte, quando viatico te ſublevat, & tandem corpus in dormitorium ſuum dededucit. Agnoſce hoc gratâ mente, ut reciprocam gratiam referas. 1. Theſſ. 5, 12. Gal. 6. v. 7.

III. *Tanquam fidei remunerator incomparabilis.* Leproſus erat Judæus, Centurio verò ethnicus, quia autem uterque fide firmâ præditus erat, utrumque Chriſtus amore complectitur, & precationi eorum annuit.

Hinc apparet, quòd Deus perſonarum acceptor non ſit, ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur juſtitiam, acceptus ſit illi, Actor. 10. v. 34. Omnia in fide ſita ſunt, *ea eſt res omnipotens, cujus virtus inæſtimabilis & infinita*, ut B. Lutherus ſcribit. Per hanc Chriſtum induimus, Gal. 3. v. 17. ut in cordibus noſtris habitet, Epheſ. 3. v. 17. Per hanc regeneramur, Col. 2. v. 12. Per hanc

Dia-

Digitized by Google

Diabolo reſiſtere, 1. Pet. 5. v 9. mundum vincere, 1. Joh. 5. v. 4. & tandem vitam æternam conſequi valemus, Joh. 3. v. 16.

Quinimo Deus fidem temporali ſæpe benedictione remunerat, ut exempla leproſi & Centurionis Capernaitici probant, quorum uterque fidei vim ſenſit, & auxilium deſideratum à Chriſto impetravit. Sic fide Enoch translatus eſt, ne videret mortem, Gen. 5. v. 29. Fide Noah ultra annum in arca inter beſtias ſervatus eſt, Gen. 7. v. 1. ſeqq. Fide vocatus Abraham, obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, & exiit, neſciens, quo iret, Gen. 12. v. 4. Fide Sara ſterilis virtutem in conceptione ſeminis accepit, etiam præter ætatis tempus peperit, Gen. 21. v. 7. Fide ſuperavit Jacobus Angelum Jehovam, Gen. 32. v. 28. Fide Iſraelitæ tranſierunt mare rubrum, Exod. 12. v. 22. Vide Heb. 11. v. 1.

Propterea genuinis Chriſtianis incumbit, ut fidem ſibi acquirere ſtudeant. Et quia illa venit ex auditu, auditus autem per verbum Dei, Rom. 10. v. 17. ſedulo concionibus interſint, quo ſcintillam fidei reſuſcitent ne exſtinguatur, 2. Tim. 1. v. 26. Sic Deus incrementum dabit, eosque inſtaurabit, confortabit, roborabit, fundabit, 1. Pet. 5. v. 10. ut militent bonam militiam, habentes fidem & bonam conſcientiam, 1. Tim. 1. v. 18. Et tandem finem fidei, ſalutem animarum reportent, 1. Pet. 1. v. 9.

Concedat id nobis Deus ex gratia, per filium ſuum Jeſum Chriſtum, Servatorem noſtrum, Amen.

Dominica IV. Poſt Feſtum Epiphan.

Evangelium Matth. 8. v. 23.---27.

EXORDIUM.

CUm Deus juſtiſſimus primum mundum diluvio perdere vellet, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & Spiritus Sancti correctionem non admitterent, Noæ ex inſtituto divino arca fabricanda erat, trecentorum cubitorum longitudine, in quam intraret, cum ſuis Ex cunctis quoque animantibus univerſæ carnis, par in arcam introducere tenebatur, maſculini ſexus & fœminei, ut hoc ipſo genus humanum, & genus cæterorum animalium conſervari, & poſt diluvium propagari poſſet. Gen. 6. v. 14.

Hæc arca typus Eccleſiæ fuit, ut ipſe Apoſtolus Petrus confitetur, 1. Pet. 3. v. 20.

Quicquid extra arcam erat, ſive homines ſive pecora erant, id omne in aqua diluvii ſuffocabatur, ſolus Noë remanſit, & quæ cum eo erant in arca, Gen. 7. v. 23. Sic extra Eccleſiam nulla ſalus eſt: Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicare? inquit Apoſtolus, 1. Cor. 5. v. 12.

Arca Noæ non habebat vela, remiges, aut nauclerum ſed Deus gubernabat, & ducebat eam manu ſua, quorſum placebat, Sap. 14. v. 6. Sic Eccleſia non viribus nititur humanis, aut carnalibus: ſed Dominus ſpes ejus, & altiſſimus refugium ejus, Pſal. 91. v. 9. nam vana ſalus hominis Pſal. 60, 13.

Digitized by Google

Sed Dominus novit ſuos è calamitatibus eripere, 2.Petr.2.v.9.

In arca oſtium erat, per quod ingreſſus patebat. Sic etiam Eccleſia oſtium ſuum habet, quod Chriſtus eſt. Joh.10.v.9.

In arca Noæ, munda & immunda animalia erant: Sic in Eccleſia boni & mali permixti ſunt. Quia enim ſpes ſupereſt, fore, ut nonnulli pœnitentiam agant, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ejus voluntatem, 2. Tim. 2. v. 26. Deus benigniſſimus lolium cum tritico pariter creſcere ſinit, Matth. 13. v. 30. & demonſtrat hoc ipſo, divitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis ſuæ, Rom. 2. v. 4. Non enim delectatur morte morientis, ſed ut revertatur & vivat, promiſſionem quoque ſolatii plenam adjecit, quod iniquitatem ejus non recordaturus ſit, Ezech. 18. v. 22. 23.

In arcam Noæ imber decidebat, ſed non penetrare poterat, quia Dominus oſtium occluſerat, Gen. 7, 16. Sic imbres tribulationum non ceſſant: naviculam tamen Eccleſiæ ſubmergere non poſſunt. Qui enim cuſtodit Iſrael, non dormit, Pſal. 121, 4.

Quanto magis aquæ diluvii creſcebant, tanto magis arcam in altum elevabant, ut tandem quindecim cubitis altior fuerit aqua, ſuper montes, quos operuerat, Gen. 7. v. 20. Sic Eccleſia perſecutionibus non opprimitur, ſed quo plus premitur, eo altius aſſurgit, & dilatatur per totum Orbem. In petra enim ædificata, & adeo fundata eſt, ut portæ inferorum non prævaliluræ ſint adverſus eam, Matth. 18. v. 18.

In prælecto Evangelio, alia navigatio nobis deſcribitur, quæ cum Chriſto & diſcipuli ejus contigit. Tantus enim motus factus eſt in illa, ut diſcipuli animis caderent & interitum metuerent. Sed quamprimum Chriſtus expergefactus eſt de ſomno imperavit ventis & mari, ut tranquillitas magna facta ſit, & navicula feliciter ad portum appulerit. Quo ipſo homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic: quia venti & mare obediunt ei.

Nos ad meditationem Evangelii ipſius pergemus, conſideraturi nutu Dei, ex eodem:

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*
II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

Quemadmodum Chriſtus caput Eccleſiæ ſuæ in duplici ſtatu conſideratur, quorum primus eſt: *ſtatus exinanitionis*, ubi ſervi forma apparuit, factus obediens patri ſuo ad mortem uſque crucis, Phil. 2, 7. & alter, *ſtatus exaltationis*, ubi ex mortuis reſuſcitatus, ad dexteram Dei Patris exaltatus eſt, Eph. 1. v. 21. Sic comparatum quoque eſt, cum ſpirituali corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, & quævis fidelis anima; ut hic in ſtatu exinanitionis verſetur, multis tribulationibus vexata & ſubjecta, Pſalm. 34. v. 20. Sed ſtatus exaltationis non emanebit, Dominus tempore ſuo accelerabit, tempeſtatem ſedaturus, nec dabit in æternum fluctuationem juſto, Pſalm. 55. v. 23. Potius dabit ei vincere, & ſedere in throno ſuo, ſicut & ipſe vicit, & ſedet cum patre ſuo in throno ejus. Apoc. 3. v. 21.

Hoc Chriſtus adumbrare voluit per naviculam in prælecto Evangelio, quæ quidem fluctibus operta, ſed mirabiliter conſervata, in portum deducta eſt.

Notitiam noſtri hic diſcere poſſumus, quando intuemur

I. *Ma-*

I. *Maris furorem.* Motus enim magnus factus eſt in mari, ita, ut navicula operiretur fluctibus.

Si literæ nos inhærere, & verba prout jacent, intelligere velimus: arduum ſane eſt, homines inveniri, qui vitam ſuam fragili adeo ligno committant. Sap. 14. v. 5. Aſſurgit enim interdum procellæ ſpiritus, qui fluctus exaltat, ut aſcendant uſque ad cœlos, & deſcendant uſque ad abyſſos, ut animæ navigantium in malis tabeſcant, circumeant, & moveantur ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum devorata ſit, Pſ. 107. v. 25.

Quid Jonæ accidit, cum manum Dei effugere, ſibi perſuaderet? Dominus miſit ventum magnum in mare: & facta eſt tempeſtas magna in mari, & navis periclitabatur conteri &c. Joh. 1. v. 4. 5.

Æque periculoſam navigationem Paulus ſuſtinit, ut conſtat ex Act. 27. v. 20. ſeqq.

Quantum damni hodierno die in mari per tempeſtates & procellas navigationibus contingat, ſine ſtupore audiri nequit, ut non abs re Euripides dixerit:

Quisquis mare navigat, is aut inſanit,
Aut mendicus eſt, aut mori cupit. Ex iis *tribus,*
Non fieri poteſt, quin unum ſaltem verum ſit.

Et Anacharſis dixit: *Qui navigant tantum à morte diſtant, quanta eſt navis craſſitudo.* Vide Sir. 43. v. 26.

Hic teipſum proba, mi Chriſtiane! utrum Deo tuo gratias unquam egeris, quod ab hoc periculo immunis, in terra victum quærere poſſis?

In ſacris literis quidem honorifica navigationum mentio injicitur. Deus ipſe Noæ præſcripſit, quomodo arcam fabricare debuit, Gen. 6. v. 14. Quæ nihil aliud quam navis fuit, ſicut & vocatur, Sap. 14. v. 6.

Salomo, cui Deus bis apparuit, & tanta ſapientia ornavit, quanta nemo ante & poſt eum unquam ornatus eſt, navigiis quoque uſus legitur, miſitque ſervos ſuos ultra mare in Ophir, unde ſumtum aurum, quadringentorum viginti talentorum, 1. Reg. 9. v. 26. Chriſtus Servator ipſe, qui tamen ſuper mare, ut in terra ambulare poterat, Matth. 14. v. 25. ſæpe navibus in mari vectus cum diſcipulis, ut præſens quoque Evangelium probat.

Præterea quoque navigiorum non exiguus uſus eſt. Nam juxta Poetam:

Non omnis fert omnia tellus.

Sed quod uni forte deeſt, ab altero mutuare poteſt. Hoc beneficio navigationum perficitur, quas cupiditas acquirendi excogitavit. Sap. 14. v. 2.

Interea tamen eorum, qui periculo hoc navigationis non indigent, eſt, ut Deo gratias agant, quod victum & amictum, in terra acquirere poſſint. Etſi enim omnibus hominibus moriendum, idque vario mortis genere; & multi in aquis pereant, qui nunquam navim viderunt, multo minus tantam tempeſtatem experti ſunt, ut hic deſcribitur: attamen periculoſiſſimum eſt, navibus trans mare currere, & ſic victum indagare. Nihil enim ibi conſpicitur, quam cœlum & aqua, & ſi violentia tempeſtatis navis frangitur, aut ſubmergitur, tum omnibus, qui in ea ſunt, pereundum, ſive in aqua ſuffocentur, ſive à balænis deglutiantur: in quanto propterea terrore & conſternatione miſeri verſentur, facile conjecturare licet.

Multo itaque feliciores illi habendi ſunt, qui

quiaut in Muſæo,aut in officina, aut in agro victum parare poſſunt. Sic enim vivunt vitam tranquillam,morte quieta diſcedere, & à morte, honeſta ſepultura terræ mandari poſſunt,quam pii Veteres pro præcipua parte terrenæ felicitatis habuerunt. Vide Tob. 4.v.3.5.

His rationibus motus,nemo temere navi ſe credat, ſi vocatione juſta deſtituitur, aut eo ſuperſedere poteſt. Non enim Deus tentandus eſt,Deut.6. v.16. Qui vero amat periculum,in illo peribit.Sir.3.v.27.

II. *Chriſti ſoporem.* Ubi enim mare ſævire cœpit ventis, & fluctus cum violentia in navem irrumpunt, ut præſentem omnia mortem intentent: ecce! interea Dominus ſomno indulget, quaſi nihil ad ſe attineret; idcirco diſcipuli ipſum excitant, dicentes: Domine,ſerva nos,perimus, aut ut Lucas exprimit: Præceptor perimus.

Ah Chriſtiani! quam ſæpe accidit,ut navicula Eccleſiæ, ventorum truculentia invadatur, quaſſetur, & tantum non opprimatur,tanquam navicula miſera,tempeſtate convulſa, Eſa.54.v.11. Quam ſæpe contingit,ut alicui Chriſtianorum aquæ uſque ad animam pertingant,Pſalm.69 v.2.& Deus omnes fluctus ſuos ſuper eum inducat, Pſal.88.v 7.Chriſtus vero ſe gerat, ac ſi parum curet,& dormiat,ut cauſa ſit, ad ipſum clamandi: Exſurge! quare obdormis Domine? Pſalm.44.v.23. aut cum diſcipulis, in Evangelio: Domine,ſerva nos,perimus. Quod ſi vero Chriſtus non ſtatim audiat, & cum auxilio approperet, multi inveniuntur, qui præ impatientia aliorſum ſe vertunt,& cum Turno ap. Virgilium dicunt:

Vos ô mihi manes,
Eſti boni,quoniam ſuperis averſa voluntas.

Hic proba te,mi Chriſtiane! utrum forte ſomnus & remora Chriſti ad impatientiam te aliquando commoverit?

Si ſcripturas nonnihil evolvimus,& ſanctos Dei homines,hac in parte deliquiſſe, deprehendimus. Exempla ſunt, Hiob, c. 7.v.13.David.Pſal.88.v.6.Jeremias, c.15.v. 18.Habacuc,c.2.v.2.

Hoc adhuc hodie fit, quando afflictio longius durat,& auxilium differtur, ut impatientia nobis vel invitis obrepat. Sed graviſſimum eſt peccatum. Nam in oratione Dominica nos Chriſtus precari juſſit: Fiat voluntas tua! Matth.6.v.10. Atqui certi ſumus,nihil fieri,aut fieri poſſe, ſine voluntate Dei. Quapropter patienter eidem nos ſubjicere & cum Micha dicere debemus: Iram Domini portabo,quoniam peccavi ei, Mich. 7. v.9.

Joſephus fratribus ſuis perfidis non ſtatim manifeſtabat ſe, ſed durius loquebatur cum illis, quamvis commota eſſent viſcera ejus præ amore.Gen.42.v.7.

Sic veriſſimum eſt, Deum cor ſuum paternum adverſus fideles non mutare: attamen diſſimulat interdum amorem & miſericordiam erga nos,ut cogitare debeamus, nos quoque clamorem ejus diu vento tradidiſſe,quando nos ad pœnitentiam invitavit, ſicut de fratribus Joſephi memoratur, quod conſcientia eorum evigilaverit,quando Joſeph duriuſcule cum iis locutus eſt. Gen.42.v.21.

Ne vero ſocordes ſimus in precibus, ſed Chriſtum tamdiu inclamemus, appellemus & excutiamus, donec tandem è ſomno expergiſcatur. *Ne deſiſtas,donec accipias, ne recedas, donec invenias, ne ſtudium pulſandi intermittas,donec fores recludantur*, inquit Chryſoſtomus Matth.7. v.7.

III. *Di-*

Digitized by Google

III. *Diſcipulorum timorem.* Cum enim Chriſtus ſomno ſolutus audiret, quam meticuloſos ſeſe diſcipuli exhiberent, & cum maximo clamore, ploratu & ululatu vociferarentur, hic: Domine, ſerva nos perimus. Ille: Magiſter, non ad te pertinet, quia perimus? ut Marcus narrat c. 4. v. 38. Iſte: Præceptor perimus Luc. 8. v. 24. Tum Chriſtus ideo objurgat, & ait: Quid timidi eſtis, modicæ fidei?

Ita quidem cum nobis homuncionibus comparatum eſt, ut non penitus timorem excutere poſſimus, ſiquidem ſervator ipſe Chriſtus cœpit contriſtari & mœſtus eſſe, cum in monte olivarum cum morte luctari vellet, Matth. 26. v. 37. Sed ut ingenue dicamus, aliud quid hic timor poſt ſe trahit, nempe incrudelitatem. Non enim modo dicit: Quid timidi eſtis, ſed ut Marcus ait: ὅτω; timidi eſtis: & addit: Needum habetis fidem? Marc. 4. v. 40.

Quære igitur teipſum, mi Chriſtiane! utrum etiam te tempore calamitatis & diſcriminis nimis meticuloſum & puſillanimem exhibueris?

Conſtat nobis, timorem eſſe duplicem: ſervilem & filialem. Servilem declinare debemus, quia non eſt in charitate, 1. Joh. 4. v. 18. filialem vero cordi noſtro implantare ſtudeamus, eſt enim initium ſapientiæ, Sir. 1. v. 16. Pſal. 86. v. 12. Sed velutihic diſcipuli quidem gratiæ & omnipotentiæ Chriſti recordantur, & tamen cum incrudelitate concludunt: Serva nos perimus: ſic etiam à nobis ſæpe fit, ut ærumnis immerſi, oremus quidem, ſed non ſine dubitatione, dum Chriſto tempus & modum præſcribere non veremur, aut plane animis cadimus.

Hoc iniquum eſt. Non enim amittere debemus confidentiam noſtram, quæ magnam habet remunerationem, Heb. 10. v. 35. ſed præſtolemur cum ſilentio ſalutare Dei, quod bonum eſt, Thren. 3. v. 26.

Chriſtus eſt paſtor noſter, & quidem paſtor ille bonus, Joh. 10. v. 12. Hebr. 13 v. 20. Princeps paſtorum, & Epiſcopus animarum noſtrarum, 1. Petr. 5. v. 4. 1. Pet. 2. v. 25. Sicut itaque Paſtor oviculæ periclitanti ſuccurrit: Sic Chriſtus nobis quoque in calamitatibus conſtitutis non deerit.

Scit ille tempus optimum,
Nobisque nullum dat malum,
Spes hæc repoſta nobis.
Er weiß wohl wanns am beſten iſt /
Und braucht an uns kein Argeliſt /
Des ſollen wir ihm trauen.

Chriſtus eſt cœleſtis gallina, qui nos clamantes audiet, velut gallina pullos ſuos. Matth. 23 v. 27. Jer. 31. v. 20.

Eſt corde materno, imo plus quam materno in nos affectus. Eſa. 49. v. 15.

Hic Medicus noſter paratiſſimus eſt: ægrotos inviſere, Exod. 15. v. 26. & eorum infirmitates ſanare, Pſalm. 103. v. 3. non ceſſabit.

Hic Præceptor aut Magiſter, non ſinit ſibi diſcipulos ſuos eripi, ſed ut olim dicebat: Sinite hos abire, Joh. 18. v. 8. ſic adhuc hodie ſalvum conductum ipſis impertit, qui ipſos tangit, pupillam oculi tangit. Zach. 2. v. 8.

Hic ſponſus facile excitatur à ſponſa ſua, reſpicit enim orationem humilium, Pſalm. 102. v. 18. Cant. 5. v. 2.

Ne itaque timeatis dilecti! ſed ſanctificate Dominum Zebaoth, & erit vobis in ſanctificationem, Eſa. 8. v. 13. & dabit vobis juſto tempore, quod, ſalutare erit animæ, Pſal. 37. v. 4. Pſalm. 145. v. 19. Aſt non vult

ſibi præſcribi tempus: ſed ut omnia creavit numero, pondere & menſura, Sap. 11 v. 22. Sic tandem veniens veniet, & non tardabit. Hab. 2. v. 3.

De Secundo.

Accedemus nunc ad *alteram partem*, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Domini noſtri Ieſu Chriſti* contemplaturi. Hic nobis proponitur in Evangelio hoc noſtro:

I. *Tanquam naviculæ ſuæ gubernator*. Navis ſeipſam gubernare non poteſt, ſed habet gubernatorem & naucleruṁ ſuum, qui ad clavum ſedet, & prudenter navem gubernat, ne in ſcopulos illidat & frangatur.

Nos quoque experientiſſimum *gubernatorem* habemus, cujus manum in mari pater ejus cœleſtis poſuit, Pſal. 89. v. 26. Propterea naviculam ſuam non illidi aut ſubmergi patietur, ſed dabit inter fluctus ſemitam firmiſſimam, Sap. 14. v. 4. ne confundatur aut pereat, 2. Cor. 4. v. 9.

Ipſe novit juſtam *ſemitam*, in mari enim via ejus, & ſemitæ ejus in multis aquis, Pſal. 77. v. 10. Novit, ubi *ſcopuli* deliteſcant, omnia enim ſunt intime patentia oculis ejus. Hebr. 4. v. 13. Ipſe experientiam habet *ventorum*, eosque ſub obſequio habet. Pſalm. 18. v. 8. Ipſe *tempeſtatibus* adſuetus, quas paſſus eſt, tentatus, hinc potens eſt iis, qui tentantur, auxiliari, Heb. 2. v. ult. *Pyxidula nautica* eſt verbum Dei. Ad legem & teſtimonium, Eſa. 8. v. 20. *Symbolum* ſive *ſignum*, ſunt Sacramenta, ut Baptiſmus & cœna Domini, ſicuti expreſſe σφραγῖδες ſigilla juſtitiæ fidei vocantur. Rom. 4. v. 11. *Remiges* ſunt verbi miniſtri; Sic nos æſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, 1. Cor. 4. v. 1. ubi in Gr. eſt vox ὑπηρέτης, quæ remigem remigiis adſiſtentem quoque ſignificat. *Vela* ſunt, vera Dei invocatio, & præſertim crux, quæ naviculam impellit, ne à blandis mundi Syrenibus remorari ſe patiatur, ſed tendat ad deſtinatum ſcopum, ad bravium ſupernæ vocationis Dei, in Chriſto Jeſu, Phil. 3. v. 14. *Anchora* eſt ſpes, quam ſi habemus firmam, incedere uſque ad interiora velaminis poſſumus, ubi præcurſor pro nobis introivit Jeſus, Heb. 6. v. 18.

Quodſi itaque cum Chriſto navigamus, non eſt, quod naufragium pertimeſcamus: ſed tandem ad portum cœleſtis patriæ feliciter appellere poſſumus.

Cum *Columbus* novum orbem repeririſſet, poſt multa pericula, ſociis tandem ſuis, qui moram diuturniorem ægre ferebant, animum addebat, exclamans. Terram video, terram video.

Multo magis nos, qui in impetuoſo hujus mundi pelago navigamus, multisque periculis jactamur, dicamus: Cœlum video, cœlum video apertum, & Jeſum ſtantem à dextris Dei, Act. 7. v. 56. vel cum Poeta:
Inveni portum, ſpes & fortuna valete,
Nihil mihi vobiſcum eſt, ludite nunc alios.

II. *Tanquam periclitantium tentator*. Hic Chriſtum quidem tempeſtate ſurgente, dormire audimus: at cor ejus vigilat tamen, & obſervat facta & geſtus diſcipulorum, ideo timidos vocat, ut puſillanimitatem cum tamē Chriſtum ſecum in navicula habeant.

Adhuc hodie, quando Chriſtus dormire videtur, ideo fit, ut fidem noſtram probet, quæ optimus Chriſtiani theſaurus eſt, qua Chriſtum induit, ut in corde ſuo habitet, Eph. 3. v. 17. cujus virtute mundum vincere, 1. Joh. 5. v. 4. Satanæ reſiſtere, & vitam æternam impetrare poteſt, Joh. 3. v. 16.

Quia

Quia vero multi ſunt, qui de fide gloriantur, & ore dicunt: Domine, Domine, Matth.7.v.21. factis vero negant, Tit.1. v. 16. aut ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, Luc.8. v.13. Ideo examen inſtituit Deus, ut qui probati ſunt manifeſti fiant, 1.Cor. 11. v. 17. non quidem deſpectu ſui, qui corda & renes ſcrutatur, Jerem.17.v.10. & novit, quod in homine eſt, Joh.2. v. 25. ſed reſpectu noſtri, ut infirmitatem noſtram agnoſcamus, & cum Paulo in infirmitate gloriemur, quo Chriſti virtus in nobis inhabitet, 2 Cor.12.

Doloſum enim & ærumnoſum eſt cor hominis, Jerem, 17.v.9. *Doloſum*, ſi proſperæ fortunæ flatu utamur, Pſal. 144 v.12. 13. At *ærumnoſum*, quando fluctus tribulationum inſurgunt, & victus naviculam operire aut ſubmergere ſatagunt: tum enim animis cadimus, & cum diſcipulis Chriſti exclamamus: perimus! Ut hæc duo extrema vitemus, Deus fidei examen inſtituit, ut regia via incedentes, in proſperis non attollamur, in adverſis animum non abjiciamus. Omnia enim bona & mala, vita & mors, à Deo ſunt. Sir.11. v.14.

Scimus tamen, & certi ſumus per Spiritum Sanctum, quod non in æternum iraſcatur Deus: ſed in momento indignationis abſcondat faciem ſuam parumper à nobis, Eſa.54.v.8. Deinde vultum amabilem rurſus oſtendit, conturbantur enim viſcera ejus ſuper nos, Jerem.31.v.20.

Ideo per impatientiam ne deſperemus, ſed animo tranquillo ſimus, cogitantes, Deum fidelem eſſe, qui non patietur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, ſed faciet etiam cum tentatione evaſionem, ut poſſimus ſuſtinere 1.Cor.10.v.13.

Et quando nos ſatis in fornace tribulationis probavit, tum quaſi holocauſti hoſtiam accipiet nos, Sap.3. v.6. & in gaudium cœleſte introducet, ubi in ſignum victoriæ, palmas in manibus geſtantes, Deum celebrabimus propter omnia bona, quæ nobis in hoc mundo exhibuit. Apoc.7. v.9.

III. *Tanquam maris & ventorum Imperator.* Surgens enim imperavit ventis & mari, & facta eſt γαλήνη μεγάλη, ſerenitas magna. Quo indicatur, quod non modo auſteram illam tempeſtatem ſedaverit: ſed cœli quoque ſerenitatem, & amabilem ſolis lucem reduxerit.

Sic Servator noſter Jeſus, verus ille Galenus eſt (à γελᾶν ridendo ita appellatus) qui unico verbo motum maris, & ejus fluctus ſedare & ſopire poteſt. Pater enim cœleſtis, omnia pedibus ejus ſubjecit, Pſal. 8.v. 7.8.

Si piſcibus mandat, in rete ſe conferre, ut capiantur, oportet, Joh.21.v.31.

Si avibus mandat, eas in magna frequentia advolare oportet, ut mactentur, aſſentur & in cibum adhibeantur. Num. 11.v.31.

Si igni mandat, vim flammæ reprimere tenetur, Dan.3.v.22.

Si ferro mandat, aquis innatare, conveniens eſt, 2.Reg.6.v.7.

Si ſoli mandat, curſum ſiſtat, oportet, Joh. 10.v.13. Summa: Ignis, grando, nix, fumus, ſpiritus procellarum, faciant verbum ejus, neceſſe eſt. Pſalm.148. v.8. Hinc multoties in Evangelicâ hiſtoriâ legimus, quòd vel ſolo nutu lepram, paralyſin, febres, cœcitatem, hydropem, ſurditatem, imò mortem ipſam curaverit. Dictum enim ejus eſt factum. Pſalm.33.v 9.

Nec tantum tempeſtates Jeſus noſter ſedare, ſed & aeris ſerenitatem & ſolis amabilem vultum reducere poteſt.

Jacobus Patriarcha diu ob amiſſionem filii lugebat & plorabat: ſed tandem viciſſim exhilarabatur, cum eum vivere audiret, Gen.39.v 45.

David integrum decennium in exilio exulabat: tandem perveniebat ad regnum, 2.Sam.1.v.1.

Hiob opibus & ſanitate orbus, tandem utriusque gaudio perfundebatur. Job. 1. v.42.

Sic adhuc hodie, qui ei confidunt, è tribulatione eripiet, & glorificabit, Pſal.91.v. ult. Thren.32.33.

In vita æterna veniet γαλήνη αἰώνιος, æterna ſerenitas & tranquillitas, cui nulli venti, procellæ & tempeſtates ſeſe admiſcebunt, erimus enim in habitatione pacis & in requie ſecuritatis. Eſa.32.v.18. Ibi replebitur riſu os noſtrum, & lingua noſtra exultatione in æternum.

Largiatur id nobis ex gratia Deus pater, per filium ſuum Jeſum Chriſtum, Servato- noſtrum! Amen.

Dominica V. poſt Epiphanias.

Evangelium, Matth.13. v.24.--- 30.

EXORDIUM.

CUm Patriarcha Iſaac, alienigena in Palæſtina eſſet, ſerebat in terra illa, & inveniebat in ipſo anno centuplum, benedicebatque ei Dominus. Ob hoc invidebant ei Palæſtini, omnesque puteos, quos foderant ſervi patris illius Abraham, obſtruebant. Gen.26.v.12.

Hac in parte *Patriarcha Iſaac typus Chriſti* fuit, qui etiam agriculturam ſuam habet, quæ eſt Eccleſia, 1.Cor.3. v.9. Semen eſt verbum Dei. Luc.8.v.11. Verbi miniſtri ſunt cooperarii, 2.Cor.6.v.1.

Sicut itaque Iſaac ſevit, accepto centuplo fructu: Sic Chriſtus quoque pertranſiit Judæam & Galileam, & multas præclaras conciones habuit, non ſine inſigni fructu, turba libenter eum audivit, Marc.12.v.37. & mirati ſunt in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius, Luc.4.v.22.

Adhuc in hodiernum diem miniſtros ſuos mittit, qui ſunt fideles animarum Paſtores, hos pergere oportet, ubi ipſe incepit, & verbi divini ſemen ſeminare, mane & veſpere, Eccleſ.11.v.6. oportune, importune, 2. Tim.4. v.2. ad præparationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti. Eph.4.v.12.

Quanto diligentior itaque ſeminator, & maturior meſſis eſt, quæ inſequitur: tanto magis diabolus exacerbatur. Et ſicut Palæſtini Patriarchæ Iſaac invidentes, puteos obſtruebant, quod largiter ei benedixerat Deus; ſic diabolus omni conatu, incrementum ſeminis verbi divini impedit, & ſeminatori vitam acerbam efficit, ut gemens officium præſtet. Hebr.13.v.17.

In prælecto Evangelio, zizania in medio tritici inveniri, audimus. Quando vero ſervi patrem familias quærunt, unde habeat? Reſpondet ipſis: Inimicus homo hoc fecit: nempe inimicus diabolus, coram quo gaudet mœrore, Job.41.v.13.

Nos ad ipſam Evangelii meditationem ſine ulteriori præfatione pergemus, ex inſtituto noſtro conſideraturi:

I. Ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

Sicuti Noah, navigatione exantlatâ, poſt diluvium ex arcâ egrediens, agriculturam exercuit, Gen. 9. v. 10. Ita & cœleſtis Noah, Dominus & Salvator noſter Jeſus Chriſtus. Ante navigationem ejus conſideravimus: jam de ſpirituali agriculturâ concionem inſtituit.

Materia in vulgus nota eſt. Es iſt eine bekante Bauren-Poſtill. Sed Dominus verbum & Evangelium ſuum reſpicit, quomodo illud per zizania ſuffocetur, hominibus dormientibus, nec ſalutem cum metu & tremore operantibus. Phil. 2. v. 12.

Diſcimus autem inde *notitiam noſtri*, ſi intuemur

1. *Hominum torporem.* Cum enim dormirent homines, venit inimicus ejus: & ſuperſeminavit zizania. Hoc de ſecuritate intelligendum venit.

Naturalis aliàs ſomnus, eſt donum Dei, quo vires enervatæ reparantur, & homo, ſi per diem laborando defeſſus eſt, egregiè reficitur. Dulcis enim eſt ſomnus operanti, Eccleſ. 5. v. 10. Contra verò manet illud Poëtæ:

Quod caret alternâ requie, durabile non eſt.

Homo enim creatura eſt infirma, nec fortitudo lapidum, fortitudo ejus, nec caro ejus ænea eſt, Hiob. 6. v. 11. Hoc bene novit Deus, ideò diem ad laborem, noctem vero ad requiem creavit, Pſ. 104, 20. 22.

Sicuti autem facilè in exceſſu peccari poteſt, quando intempeſtivè dormitur, aut nimium, ut non immeritò ſapientiſſimus Salomo ſomniculoſos excitet, Prov. 6. v. 9. Sic multò turpius eſt, ſi in peccatis dormiamus, aut vocationem negligamus, juxta illud: Maledictus, qui opus Domini facit fraudulenter, Jer. 48. v. 10.

Hîc examines te velim, mi Chriſtiane! annon & ipſe interdum intempeſtivius ſomno indulſeris, & Diabolo occaſionem ſubminiſtraveris, zizania pro libitu ſuo ſeminandi?

Hoc identidem accidit:

1. *In choro.* Dedit enim Deus ſpeculatores domui ſuæ Ezech. 3. v. 17. quæ eſt Eccleſia, 1. Tim. 3. v. 15. ut pervigilent pro animabus auditorum, Hebr. 13. v. 17. & clament ex gutture, annunciantes populo transgreſſionem, & domui Jacob peccata eorum, Eſa. 58. v. 1.

Hoc præfiguratum eſt, per tunicam oculatam Summi Sacerdotis, Exod. 28. v. 6. hâc enim indicatur, miniſtros verbi ſemper vigilare, & auditorum rationem habere debere. Act. 20. v. 28. Quodſi vero ſpeculatores cœci neſciunt, canes muti, non valentes latrare, Eſa. 56. v. 10. tum Satanæ fores patent, ad zizania diſſeminanda, quod tempore Aaronis factum, à populo eò perſuaſi, ut aureum vitulum formaret, Exod. 32. v. 4. Tum enim querela locum inveniebat: Defecit ſanctus, Pſal. 12. v. 1. Omnes enim deleviſſet Deus, niſi Moſes interpellaſſet, Exod. 32. v. 31.

2. *In foro.* Cum Magiſtratus officium negligit, & injuſtitiæ frena laxat, malis indulgens exemplis, nec Eccleſiæ curam impendens, tum ſublato judicio impius circumvenit juſtum, & ſic Satanas zizania ſeminat,

Google

minat, Hab. 1. v. 4. Vide Num. 25. v. 4. Sedulam itaque Magiſtratus officii rationem habeat, ne dormiat, juxta Pauli monitum: qui præeſt, in ſolicitudine, Rom. 12. v. 8.

3. *In Toro.* Cum Patres- & Matres-familiâs neglectâ liberorum educatione, iis nimium indulgent & in peccatis connivent, non contrahentes frontem contra eos exemplo Eli, 1. Sam. 3. v. 13. Hinc tot inveniuntur Abſolones, qui adverſus Parentes inſurgunt, 1. Sam. 3. v. 13. tot Eſavi, qui amaritudo Spiritus parentibus ſunt, Gen. 26. v. ult. tot Dinæ, quæ præ laſciviâ hinc inde ſpatiantur, & virginitatem perdunt, Gen. 34. v. 1. Hæc nil niſi zizania ſunt, quæ Diabolus ſpargit, hominibus dormientibus, unde bene obſervemus admonitionem Chriſti, quâ ſomnolentos diſcipulos excitat: Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem, Matth. 26. v. 41.

Somnus corporalis fugatur trifariam:

1. *Solis radiis.* Quando enim Solis radii oculis ſeſe ingeminant, tùm ſomnus minus invenit. Iccircò noctem Deus quieti deſtinavit, quâ Solem abducit, ne quies turbetur, ſicut mater feneſtras obnubilat, quando infantem quieti tradit. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, 1. Theſſ. 5, 7.

2. *Vocationis curis.* Sicut Jacob adeò aſſiduus erat in ſervitio, ut ſomnus fugeret ab oculis ejus, Gen. 31, 41. De Ahaſvero quoq; dicitur, quod Regni occupationibus excitatus, noctem duxerit inſomnem, Eſth. 4, 1.

3. *Dolorificis morbis.* Infirmitas enim gravis ſobriam facit animam, & ſomnum auffert, Sir. 31. v. 2. Quâ de re Hiob conqueritur, c. 7. v. 4.

Per eadem media ſomnus quoq; peccatorum fugari debet. Evangelii enim lux hodie tam clarè refulget, ut meritò operum tenebrarum nos pudere debeat. Rom. 13, 12. 13.

Deinde labores Vocationis quoq; habemus, quos cuilibet Deus demãdavit, ratioq; reddenda eſt villicationis noſtræ, Luc. 16, 2.

Tertio quoque pleni doloribus ſumus, quamdiu vivimus, Job. 14, 22.

Hæc meritò excitent nos, ut de vero medico, & magiſtro ſalvationum circumſpiciamus, qui omnes infirmitates noſtras ſanare poteſt, Pſal. 103. v. 3. Imprimis quia exploratum nobis eſt, Diabolum ceu leonem rugientem quà dies quà noctes circumire, ut devoret nos, 1. Pet. 5. v. 8.

II. *Satanæ morem.* Nocte enim ille venit, ut Chriſtus hic ait, & ſeminat zizania, non in extremitate, ſed ἀνὰ μέσον τοῦ σίτου, in medio tritici.

Hic nobis deſcribitur.

1. *Sationis tempus*, quod eſt nox. Eſt enim Princeps tenebrarum, Eph. 6. v. 12. qui nocte circumvagatur, & poteſtatem ſuam exerit, Luc. 22. v. 53. Etſi enim die quoque nunquam ceſſat, ſed vehementer operoſus eſt: tamen noctu quàm optimè ſcelera ſua perpetrare valet, juxta illud:

Nox & amor, vinumq; nihil moderabile ſuadent.

Omnis qui malè agit, odit lucem, Joh. 3, 20.

2. *Sationis locus.* Seminat enim in medio tritici. Ubi zizania jam ſunt, eò Diabolus minus pervenit, quia jam tum ſua ſunt: ſed triticum inficere, aut per zizania ſupprimere, maximopere ſtudet. Hinc in Eccleſia tot hæretici exſurgunt, qui ſcripturas, & genuinum earum ſenſum detorquent, 2. Pet. 3, 16. quiq; per dulces ſermones & aſſentationes, ſeducunt corda innocentium, Rom. 16, 18. Alius dicit: hîc eſt Chriſtus, alius dicit illîc. Alius: Ecce in deſerto eſt, Alius: in penetralibus eſt, Matth. 24, 23. 26. quo ipsô ſimplicio-

pliciores in errores deducuntur, ut neſciant, quid credant, & ſic naufragium ſalutis faciant, 1. Tim. 1. v. 19.

Hic te proba, mi Chriſtiane, annon etiam ejusmodi noctambulo fueris, qui aliis dormientibus, Diabolo in zizaniis diſſeminandis operam tuam locaveris?

Non deſunt ſanè, qui in operibus tenebrarum delectantur, & quia interdiu, ne infamiam incurrant, illa in actum deducere non poſſunt, noctu perficere ſtudent, non perpendentes: quod coram Deo nox ſicut dies illuminata ſit, ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus, Pſal. 139. v. 28.

Huc pertinent

1. *Scortatores & adulteri.* Job. 24. v. 15.

2. *Luſores & aleatores*, qui conventicula ſua habent, & ſibi invicem crumenas evacuant, uxore & liberis intereà inopiâ laborantibus. Hi infidelibus deteriores ſunt, quia domeſticorum curam non habent. 1. Tim. 5. v. 8.

3. *Helluones & potatores.* Eſa. 5. v. 11. 12.

4. *Fures & latrones.* Hiob. 24, 14.

Ut jugulent homines, ſurgunt de nocte latrones.

5. *Noctambulones*, qui gladiis & aliis inſtrumentis nociferis per plateas diſcurrunt, rixas quærunt, feneſtras perfringunt, & clamore Cyclopico alios offendunt, ſicut Sodomitæ juſti Lothi ædes circumvallabant, vi in illas irrupturi, ſi per Angelos licuiſſet, Gen. 19. v. 4.

Hi contribules Satanæ ſunt, qui ipſum zizania diſſeminare juvant, qui operatur in filiis diffidentiæ, Eph. 2. v. 2. Unde pios Chriſtianos decet, ab hoc ſodalitio diſcedere. Et quemadmodum olim Deus Noctuam inter aves immundas numeravit, & Iſraelitas comedere & ſanctificare eam prohibuit, Levit. 11. v. 16. Sic abominabiles Deo ſunt hi noctambuli, quos mittet in caminum ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium, Matth. 13, 15.

III. *Servorum rigorem.* Servi enim Patrisfamilias ire volebant, collecturi zizania. Hæc carnalis vindicta erat, quam hi ſervi exercere ſatagebant, ad exemplum Jacobi & Johannis, Luc. 9. v. 54. 55.

Hîc te velim probes, annon & ipſe nonnunquam intempeſtivo zelo percitus limites officii tranſilieris?

Hoc defectu multi juniores verbi miniſtri, Politici præſules, & Patresfamiliâs laborant, hinc Lutherus dicere ſolitus eſt: Junior JCtus vult ſummum jus, junior Theologus ſummam ſanctitatem, & junior Magiſtratus ſummam obedientiam. Sed vide, ne quid nimis! Prov. 30. v. 33.

Abiſai Saulum in tentorio jacentem, lanceâ in terrâ ſemel perfoſſurus erat, ut ſecundò opus non eſſet: Sed David prohibuit, qui manſuetudine Saulum reconciliare ſibi ſatagebat, 1. Sam. 26, 8. Hæc principe digna virtus eſt! *Neſcit imperare, qui neſcit diſſimulare*, Imperator Fridericus dicere ſolitus fuit, Prov. 16, 15. Luc. 22, 25.

Eccleſiarum quoq; Paſtores provideant ſibi, ne excommunicationem intempeſtivius exerceant: ſed potius inſtaurent ſpiritu lenitatis, ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, Eph. 6. v. 1. Simpliciores tolerent, ſi non omnia ad amuſſim intelligant. Qui enim ſimpliciter ambulat, confidenter ambulat. Prov. 19. v. 1.

Nec probamus, ſi præcipiti zelo abrepti, omnes Calvinianos & Pontificios indiſcriminatim Diabolo conſecrent, & ſi liceret, cum ſervis hiſce dicerent: Vis, imus & colligimus zizania? Utin. Lutherani omnes non

ſal-

ſalvantur, ſic nec omnes Calviniſtæ & Pontificii damnantur. Meritum Chriſti eſt, quod ſalvat nos, hoc qui verâ fide apprehendit, ſalutis æternæ hæres erit, Joh. 15. v. 14.

Alii hoc in more habent, ut omnia, quæ ad aures ſuas perveniunt, in ſuggeſtu illicò propalent: præſertim ſi perſonam ſuam concernat, minus concoquere id poſſunt, cum tantâ enim iracundiâ cauſam ſuam ſæpe tuentur, ut nemo non infirmitatem ipſorum agnoſcere queat. Sir. 20, 6. Sed ubi gradus obſervantur, quos Chriſtus præſcripſit? Matth. 18. v. 15. Vide quid Paulus inculcet. 2. Tim. 2. v. 24. ſeqq.

In ſtatu enim Oeconomico etiam ejusmodi inveniuntur Capricorni, cum quibus quaſi litigium natum eſt, ita rixis, jurgiis & altercationibus rem familiarem turbant, modò in uxorem, modò in liberos, modò in ſervos iram ſuam effundentes. Exemplo eſt. Laban, 1. Sam. 25. v. 11. Sed ira in ſinu ſtulti requieſcit, Eccl. 7. v. 10. quem interficit iracundia, Job. 5. v. 2. officit rei familiari, dum ſervitia, quæ mutuam ei operam præſtant, diſcedunt, ut Oneſimus ep. Philem. v. 15. & ſalute privat. Eſt enim opus carnis, quod qui faciunt, regnum Dei non hæreditabunt, Gal. 5. v. 20. 21.

De Secundo.

PErgemus nunc ad alteram partem, χειϱογνωσίαν ſive *notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti* conſideraturi. Ille proponitur nobis in Evangelio præſente:

1. *Tanquam boni ſeminis ſeminator.*

In creatione primâ vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant bona valdè. Gen. 1, 31. Poſtquam verò humani generis hoſtis in ipſo paradiſo zizania inter triticum ſeminavit, & peccatum in mundum introduxit, ecce! iterum ille hominem gratiâ ſuâ prævenit, & omnia bona fecit, quæ Protoplaſti, à Satanâ ſeducti, malè fecerant, dum propitiatio factus pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm: ſed pro totius mundi peccatis, 1. Joh. 2. v. 2.

Quæcunque zizania itaque in orbe inveniuntur, ea non à Deo, ſed à Diabolo originem trahunt, ideò ſervis hîc quærentibus: Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Paterfamiliâs reſpondet: Inimicus homo hoc fecit. Hic mendax eſt, & pater mendaciorum ab initio, Joh. 8. v. 44.

Sicut igitur zizania inimicitiæ in cor Caini, Gen. 4. v. 5. Zizania rebellionis in cor Abſolonis, 2. Sam. 15. v. 1. Zizania libidinum in cor Davidis, 2. Sam. 11. v. 4. Zizania avaritiæ in cor Judæ, Matth. 26. v. 15. Zizania ſuperbiæ in cor Haman, Eſth. 5. v. 9. Zizania immiſericordiæ in cor Nabalis, 1. Sam. 25. v. 10. Zizania crapulæ in cor Epulonis, Luc. 16. v. 17. ſeminavit: Sic adhuc hodiè omnis mali author eſt, & qui facit peccatum, ex diabolo eſt: quoniam ab initio Diabolus peccat, 1. Joh. 3. v. 8.

Quare nemo dixerit: Per Deum abeſt: quæ enim odit, ne feceris. Non dicas: ille me implanavit: non enim neceſſarii ſunt homines impii. Omne exſecramentum erroris odit Dominus, Sir. 15. v. 11.

Quàm ſeverè prohibet peccata, & quàm acriter illa punire minatur, hîc in tempore, & illic in æternum? Non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit juxta te malignus, Pſ. 5. v. 5.

Hoc ſatis probavit in primo mundo, quem diluvio inundavit, Gen. 7. v. 17. in

Sodo-

Sodomâ & Gomorrâ, quas igne cœlitus conflagravit, Gen. 19. v. 24. In ſeditioſa factione Core, Dathan & Abiram, quos vivos terra abſorpſit, Num. 16. v. 32. Adhuc hodie quoque probat, in iis, qui divitias bonitatis ejus, & patientiæ & longanimitatis contemnunt, nec ad pœnitentiam redire volunt. Rom. 2. v. 4. Eſt enim fortis zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, Exod. 20. v. 5. nec miſeretur omnibus, qui operantur iniquitatem. Pſ. 59. v. 6.

Contrà verò benefacit Dominus bonis & rectis corde, Pſalm. 125. v. 4. Et mandat, ut benefaciamus, Eſa. 1. v. 17. vires nobis largiendo per Spiritum Sanctum, ut idem poſſimus, ſi in cordibus piorum operatur, & velle & perficere, pro bona voluntate, Phil. 2. v. 13. idque largiter remuneratum ibit, Rom. 2. v. 7.

Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filii cariſſimi, Epeſ. 5. v. 1. Et ſeminate bonum ſemen, nempe juſtitiam & caritatem, Oſe. 10. v. 12. Verâ fide adhærentes Jehovæ, qui juſtitia noſtra, Jer. 23. v. 6. & pro modulo facultatum diſpergentes, dantes, pauperibus Pſalm. 112. v. 9. Et meſſis opulentiſſima olim ſequetur. Gal. 6. v. 8.

II. *Tanquam zizaniorum tolerator.* Hic audimus ſervos quærentes: an ire, & zizania colligere debeant? Et reſpondet Pater-familiâs quod non, cauſâ hâc additâ, poſſe fieri, ut ſimul triticum exſtirparent; tandem hæc concluſio ſequitur: Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem.

Sicut igitur bonum ſemen, quod Chriſtus ſeminat, nihil aliud, quàm verbum Evangelii eſt, & omnes ii. qui illud verâ fide ampſectuntur: ſic è contrario per zizania non omnes, qui adverſus Decalogum peccant, intelligendi ſunt, ſed falſi Doctores duntaxat, & qui falſæ eorum doctrinæ adhærent. Secus ſequeretur, quod Magiſtratus, nullum maleficum è medio tollere, & capitis damnare poſſit: quia hîc Paterfamiliâs ſervis mandat, ut zizania & triticum pariter creſcere ſinant. Quod non congruit cum dicto Pauli, expreſsè de Magiſtratu conteſtantis: quod non ſine cauſa gladium portet, Dei enim miniſtrum eſſe, vindicem in iram, ei, qui malè agit, Rom. 13. verſ. 4.

Quod verò Pater-familiâs zizania h. e. omnis generis falſos doctores, hæreticos & ſchiſmaticos, non planè exſtirpandos vult, hoc ideò fit, ut orthodoxi, & verè credentes hoc ipſo exerceantur & probentur. Deut. 31. v. 1. ſeqq.

Hoc fidei examen eſt, quod Deus cum ſuis interdum inſtituit. Quodſi enim eccleſia ſemper in pace & quiete viveret, ſecuritas ſequeretur, ut non multum de ſcriptura & genuino ejus ſenſu laboraret. *Hæreſes* enim *ſunt purgamenta eccleſiæ*, ait Auguſtinus, quibus precioſum à vili, ſcoreæ ab auro, hypocritæ à verè credentibus diſtinguuntur, 1. Corinth. 11. verſ. 19.

Ne itaque ſcandalizemus, quando Deus adhuc hodie inimico permittit, ut zizania inter triticum ſeminet, hoc enim, uti dictum, facit:

1. *In gratiam bonorum.* Et quidem primò ideò, ne unà cum zizaniis exſtirpentur: propter pios enim Deus & impiis ſæpe benefacit, ſicuti ſcimus, Deum Abrahamo promiſiſſe, ſi decem inventi fuerint juſti in Sodoma, non ſe eam deleturum, ſed toti regioni parſurum eſſe. Gen. 18. verſ. 32.

M Dein-

Digitized by Google

Deinde quoque ideò, ut exercitium habeant, in fide, in amore, in oratione, in patientia, & aliis Chriſtianis virtutibus magis magisque ſe exercendi. *Omnis enim malus ideò vivit in mundo, vel ut corrigatur, vel, ut per eum bonus exerceatur*, ait Auguſtinus, juxta illud: Vexatio dat intellectum. Eſa. 28. v. 19.

2. *In correctionem malorum*, ut tempus reſipiſcendi habeant. Scimus enim, Deum non velle mortem peccatoris, Ezech. 33. v. 11. ideò tamdiu zizania inter triticum tolerat, ut impii divitias bonitatis ejus, & patientiæ & longanimitatis non contemnere debeant, ſed ejus occaſione ad pœnitentiam reverti, Rom. 2. v. 4.

Quodſi Deus Saulum minas ſpirantem ſtatim exſtirpaſſet, jam nullum Paulum allegare poſſemus, tot præſtantium Epiſtolarum ſcriptorem, Act 9 v. 1.

Quodſi Petrum ſtatim abjeciſſet, poſtquam ternâ eum vice abnegavit, pœnitentia ejus ſolatio nobis non foret, Matth. 26. verſ. 75.

Quodſi Matthæum ad telonium ſedentem neglexiſſet, nunquam ille Evangeliſta & Apoſtolus evaſiſſet. Matth. 9. v. 9.

Quodſi Mariam Magdalenam non in gratiam recepiſſet, lateret nos, utrum in impudicitia viventes gratiam conſequi poſſent, Luc. 7. v. 8. Ideò hi & omnes alii miſericordiam conſecuti ſunt, ut in ipſis oſtenderet Jeſus Chriſtus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui crédituri ſunt illi, in vitam æternam. 1. Tim. 1. verſ. 16.

Nos quoque ejuſmodi lenitate in proximum uti debemus, ut eos, qui præoccupati fuerunt, in aliquo delicto, inſtauremus in ſpiritu lenitatis, Gal. 6. v. 1. Matth. 5. v. 5.

III. *Tanquam meſſis futura conſummator.* Sic enim ipſe Pater-familiâs ait: In tempore meſſis, dicam meſſoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos, ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum.

Per meſſores intelliguntur ſancti Angeli, quos Chriſtus, die noviſſimo ad ſeparanda zizania de tritico emiſſurus eſt, illa ad comburendum, hoc ad colligendum in horrea ſua.

Hæc mira prorſus permutatio erit. In hoc mundo, zizania inter triticum eminent, vel, in tanta frequentia propullulant, ut fermè neſcias, quid agri proprium ſit, triticum ne an zizania. Sed die noviſſimo, tempore meſſis adventuriente, Dominus ſeparationem inſtituet; triticum, quod exterius rubicundum, interius verò album eſt, h. e. Chriſtianos fideles, qui exterius formâ contemtâ apparent, & ſtigmata, purpureæ crucis Chriſti, in corpore portant, Gal. 6. v. 12. ſed intrinſecus, pleni fidei & bonorum operum ſunt, in horrea æternæ vitæ congregabit, & ejuſmodi panem ex eo conficiet, ut comedentes ſaturandi, & præ exultatione cordis jubilaturi ſimus, in æternum. Eſa. 65. v. 14. zizania verò in faſciculos alligabit, & unicuique reddet juxta opera ſua Pſalm. 62. v. ult.

Idololatras & ſuperſtitioſos in faſciculum; hypocritas & blaſphemos in faſciculum; contemtores Dei & ejus verbi in faſciculum; immorigeros & impios liberos in faſciculum; Scortatores & adulteros in faſciculum; Ebrioſos, ſeditioſos, litigioſos in faſciculum; fures & furibus communicantes in faſciculum; criminatores, calumniantes & mendaces in faſciculum. Et ſic ulterius.

Tum

Tum ſententia proferetur, & abjicientur, in flammam ignis infernalis, ubi pœnas dabunt, interitum æternum, à facie Domini, & à gloria virtutis ejus. 2. Theſſal. 1. verſ. 9.

Hoc tempus proximè præſens, cum gaudio expectemus, ſicut agricola expectat, pretioſum fructum terræ: patienter ferens, donec accipiat imbrem temporaneum, & ſerotinum. Jac. 5. v. 7. 8. Ibi alios faſciculos fideles reportabunt Pſal. 126. v. ult. Nempe faſciculos immortalitatis; faſciculos Angelicæ claritatis; faſciculos ſummæ ſapientiæ; faſciculos abundantiæ; faſciculos, ut ſemel dicam, æternæ lætitiæ, gloriæ & beatitudinis. Hanc largiatur nobis Deus omnibus, ex gratia, per filium ſuum Jeſum Chriſtum! Amen.

Dominica VI. poſt Epiphanias.

Evangelium Matth. 17. v. 1. --- 9.

EXORDIUM.

CUm DEUS juſtiſſimus, Sodomam & Gomorram, ob atrociſſima peccata, igne & ſulphure cœlitùs delere conſtituiſſet; juſto Lotho, qui ut alienigena ibidem commorabatur, per Angelum id annunciari juſſit, & admonuit, ut cum ſuis oppido egrederetur, ne ab exitio & ipſe ſubitò invaderetur. *Salva animam tuam*, inquit Angelus, *noli reſpicere poſt tergum, nec ſtes in omni circà regione: ſed in monte ſalvum te fac, ne & tu ſimul pereas.* Gen. 19. v. 17.

Hæc *allegoricè* interpretabimur.

Mundus nihil aliud eſt, *quàm ſpirituale Sodoma*, Apoc. 11. v. 8. Ut enim in Sodoma omnia nefanda peccata perpetrabantur, quæ clamorem ad cœlum penetrantem excitabant: Sic feces hujus mundi non meliores ſunt, quin potius nequiores. Oſ. 4. v. 1. Thren. 4. v. 6.

De Sodomitis dicit Ezechiel: Ecce, hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & felicitas tranquillitatis ipſius, & filiarum ejus, & manum egeno & pauperi non porrigebant. c. 16. v. 49.

Si comparationem inſtituere, & mundum hodiernum cum illis conferre vellemus, non ovum ovo magis ſimile foret. Siquidem ipſe Chriſtus hoc confirmat Luc. 17. v. 26. ſeqq.

Noſtrûm erit, qui peregrinantium inſtar in ſpirituali hâc Sodomâ commoramur, ut ad egreſſum nos accingamus, & ante omnia videamus, quò animam noſtram liberemus, quam Chriſtus ſanguine ſuo pretioſè emit. 1. Cor. 6. v. 20.

Liberamus autem animam noſtram, quando è damnabili hujus mundi Sodomâ eximus, non corpore, ſed animo. Hoc eſt, non conformamur huic ſeculo, Rom. 12. v. 2. immaculatos nos cuſtodimus ab hoc ſeculo, Jac. 1. v. ult. abnegamus impietatem, & ſecularia deſideria, Tit. 2. v. 12. conſiderantes, quod mundus tranſeat, & concupiſcentia ejus, qui autem facit voluntatem Dei, maneat in æternum, 1. Joh. 2. v. 17.

Hoc verò fieri oportet, juxta præſcriptum Angeli,

1. *Ut non reſpiciamus*, & mundum denuò amplectamur, 2. Petr. 2. v. 20. ſeqq.

2. *Ut non ſubſiſtamus.* Rectè enim pii vete-

veteres dixerunt: *In viis Domini non progredi, eſt retrogredi*, 1. Corinth. 9. v. 24.

3. *Ut montana conſcendamus.* In monte, inquit Angelus, ſalva animam tuam. Quo ipſo ſpiritualiter intelligitur, *mons eccleſia*, ſicut quoque paſſim mons in ſcripturis illa appellatur, Pſalm. 43. v. 3. Pſalm. 74. v. 2. Intelligitur quoque per eum, *mons cœli*, unde nobis auxilium venit, quâ de causâ etiam oculos noſtros ad montes illos identidem elevare debemus, Pſ. 121. v. 1. Ut ſurſum corda habeamus, Phil. cap. 2. verſ. 13. 14.

Eò nos ablegat prælectum Evangelium, in quo audimus, quomodo Servator noſter Petrum, Jacobum & Johannem ſibi adſciſcat, & in montem excelſum abducat. Ibi cœlum ipſis intuendum aperit, adeò, ut coram eis transfiguretur, ubi Moſes etiam & Elias apparent, ex quo Petrus tantâ lætitiâ afficitur, ut exclamet: Domine, bonum eſt, nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hîc tria tabernacula, tibi unum, & Moſi unum, & Heliæ unum.

Hæc hiſtoria conſolatione pleniſſima eſt, quam meritò omnes pii Chriſtiani noſſe, & ſedulò conſiderare debent, ob ſpem infallibilem, quæ hoc ipſo in nobis excitatur, quòd poſt hanc vitam, & quidem beatam, & nunquam terminandam expectandam habeamus.

Nos abſque ulteriori præfamine ad ipſum Evangelium pergemus, ut diſcamus ex eo:

I. *ανθρωπολογίαν*, ſive *notitiam noſtri.*

II. *χριστογνωσίαν*, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

De Thabor & Hermon vaticinatus eſt David, quod exultaturi ſint in nomine Domini. Pſalm. 89 v. 13.

Hæc elegans eſt Proſopopœia, ubi de his duobus montibus Propheta dicit, quod exultaturi ſint, quæ proprietas hominum, non montium eſt. Reſpicitur autem eo ad *tempus Novi Teſtamenti*, quo Jeſus Salvator noſter libenter in montibus verſatus eſt, & inter alios quoque montem Thabor precibus ſuis ſanctificavit, & transfiguratione ſua glorificavit, ut præſens Evangelium teſtatur.

Nobis hoc Evangelium anſam miniſtrat, ad *notitiam noſtri* perdiſcendam, ſi conſideramus

I. *Annotatum tempus.* Nempe die ſexto transfiguratio Chriſti facta eſt. Sic enim Evangeliſta: Et poſt dies ſex aſſumſit Jeſus Petrum & Jacobum & Johannem, & transfiguratus eſt ante eos.

S. Lucas memorat, quòd factum poſt dies octo. Sed nulla eſt inter ipſum & Matthæum diſcrepantia. Primum enim diem illum habet, quô Chriſtus de paſſione ſua prædixit; & octavum habet eum, quo facta eſt transfiguratio. Sed Matthæus & Marcus tantùm recenſent ſex illos dies, qui interfuerunt. In præcedente enim 16. capite audimus, Chriſtum ad diſcipulos ſuos triſtiſſimam concionem habuiſſe, iisque oſtendiſſe, oportere ſe Hieroſolymam ire, & multa pati, à ſenioribus, & ſcribis, & principibus ſacerdotum, & occidi, & tertiâ die reſurgere. Indicavit quoque, quod omnes, qui ſe ſe-

Digitized by Google

ſe ſequi velint, ſeipſos abnegare, & crucem ſuam tollere debeant.

Hoc auditô, diſcipuli frontem corrugabant, & magnoperè ſolliciti erant, quod Dominus & Magiſter ipſorum de morte meditaretur, & ſibi ipſis non melior merces reſtaret. Propterea Dominus, ſollicitudinem ipſorum levare vult, quâ jam tum dies aliquot tenebantur, aſſumtis tribus prædictis diſcipulis, quos in montem Thabor abducit, ut transfigurationem ſuam intuentes, cæteris quoque Apoſtolis de ea referrent, firmâ ſpe freti, quòd abſolutis diebus ærumnæ, ad ſimilem gloriam evehendi ſint, ſicut Chriſtus promiſit, Joh.12.v.26.

Hic probate, mi Chriſtiane, utrum & ipſe hos ſex dies fideliter ſuſtinueris, & futuram transfigurationem æquo animo expectaveris?

Hoc cujuslibet Chriſtianorum debitum eſt, quod non negligi debet. Sicut enim Deus ter Opt. Max. intra ſex dies cœlum & terram creavit, ſed ſeptimo die quievit, quem etiam quieti deſtinavit, Gen.2. v.3. Sic omnes quaſi ſex dies habemus, quibus laborandum, & in ſudore vultus noſtri panis nobis eſt quærendus, Gen. 3. v. 19. Patiendum nobis, quod Deus immittit, Pſalm. 38. v.18. Certandum eſt cum Diabolo, mundo, & carne, Job.7. v.1. Sed finitis ſex diebus, ſabbathum æternũ ſequetur, Eſ.66, 25.

Vetus traditio Eliæ cujusdam, non Prophetæ illius, ſed Rabbini alicujus circumfertur, quæ ita habet: *Sex millia annorum erit mundus, duo millia inane, duo millia lex, duo millia dies Meſſia, & propter peccata noſtra, quæ multiplicata ſunt, exierunt nobis, qui exierunt.*

Hanc aliqui Antiquorum Patrum magni fecerunt, & cum ea hos ſex dies contulerunt, quòd, ſicut Chriſti transfiguratio poſt ſex dies facta: ſic ſimiliter, poſt ſextum millenarium, Chriſtus cum adventu, & transfiguratione fidelium adventurus ſit, ſiquidem unus dies coram Deo, ut mille anni. 2.Petr.3.v.8.

Alii alias opiniones fovent, quas loco ſuo relinquimus.

Intereà hoc certum eſt, quod quilibet verus Chriſtianus, ſex dies afflictionum habeat, ubi non ſolum *audit* verbum de cruce, 1. Cor.1. v.18. ſed multas quoque tribulationes *experiri* tenetur, Pſalm.71.v.20.

Sed hic nullum ſalutarius remedium eſt, quàm cum ſilentio præſtolari ſalutare Dei, Thren. 3. verſ. 26. Per fidem enim & patientiam promiſſio reportanda, Hebr. 10. verſ.36. Sed poſt ſex dies demum, quando tempus paſſionis exantlatum, tum ſequetur lætiſſimus reſurrectionis dies, quo Chriſtus fidèles ſuos adſciſcet ſibi, & abducet in montem Thabor, ubi transfiguratio futura, & corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem, 1.Cor.15. v. 53.

Qui montana adſcendere geſtit, cum vultus ſudore adſcendat, neceſſe eſt: Quodſi cœlum ingredi volumus, montem crucis prius conſcendere nos oportet, & per multas tribulationes intrare, Act.14. v. 22. Sir. 2. v.1.

Æquo igitur eſto animo, & ſuſtine, quæ ſuſtinenda ſunt, Deus te non patietur tentari ſupra id, quod potes, 1.Cor.10. v.13. Nulla utique proportio eſt inter ſex dies & æternitatem, Sir. 18. v. 8. 2. Cor. 4. v.17.

II. *Apoſtolorum metus.* S.Lucas recenſet, quod Petrus, & qui cum illo erant, gravati ſint ſomno, ſed nube ipſos obtene-

Digitized by Google

brante, & voce de nube auditâ, timuerunt valde, & evigilarunt. Hoc *mirabile* & *ſingulare* eſt. *Mirabile*, quod Apoſtoli ſomno indulgent, cum tamen meritò cum gaudio gloriam hanc intueri debuiſſent. *Singulare*, quod timent, dum vocem audiunt, & lucidam nubem conſpiciunt, quâ obumbrati ſunt. Illud ſocordiæ carnis, hoc verò humanæ infirmitati adſcribendum eſt. Nos enim homines, non percipimus ea, quæ ſunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2. v. 14. Et quemadmodum Iſraëlitæ olim perterriti erant, cùm ſonitum buccinæ & Deum Moſi reſpondentem audirent, Exod. 19. v. 17. Sic neque nos majeſtatem & gloriam Dei in hac mortalitate ferre poſſumus, quin moriamur. v. 24.

Hic proba te, mi Chriſtiane, annon & ipſe gloriam hanc corde & oculis ſomniculoſis contemplatus fueris?

Hodie in omnibus ſtatibus multi ſomnolenti offenduntur, qui in ſtatione ſua priori ſunt, Rom. 12. v. 11. præſertim, quod eorum ſalutem concernit: plurimi enim terrena ſapiunt, Phil. 3. v. 19. ſapientes ſunt, ut faciant mala, bene autem facere neſciunt, Jer. 4. v. 22.

Quoties domum Domini intramus, Chriſtus quaſi in montem Thabor nos ſeducit, ut omnes vigilantes, & cum voluptate conciones ſacras audiamus, Qui enim ex Deo eſt, verbum Dei audit, Joh. 8. v. 47. Sed plurimi ſecuri dormiunt, & conciones ſusque deque habent.

Si flagitia & peccata corriguntur, plurimi nihil ad ſe id pertinere arbitrantur, inſtar adulteræ illius, quæ tergens os ſuum dicit: Non ſum operata malum, Prov. 30. v. 20.

Si quomodo piè vivendum, rectè credendum, patienter ſuſtinendum, fideliter orandum, & tranquillè moriendum ſit, inculcatur, itidem vento tradunt, ut verum in ipſis ſit illud Pauli: Hebr. 5. v. 12. 2. Tim. 3. v. 7.

Sic conciones quoque pœnitentiales flocci fiunt, multis præ animi faſtu dicentibus: Quis oſtendit nobis bona? Pſ. 4. v. 6. Et ſic ulterius.

Nos potius expaveſcamus iram & judicium Dei, quando de cœlo auditum facit judicium, Pſal. 76. verſ. 9. Beatus enim, qui ſemper pavidus, Pſalm. 28. v. 14. Hoc ipſo peccatum expellitur, Sir. 1. v. 27. Et pietas implantatur, Pſalm. 66. v. 11. In vita æterna, ubi corpora glorificata habebimus, non timebimus amplius ad conſpectum Domini: ſed à facie ad faciem intuebimur, 1. Cor. 13. v. 12. 1. Joh. 1. v. 3. 1. Cor. 2. v. 9.

III. *Petri jubilus.* Cum enim ille Chriſtum in claritate ſua intueretur, ſimul Moſen & Eliam, qui dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Hieruſalem, Luc 9. verſ. 31. & lucidâ nube obumbraretur, tandem in hæc verba plenus lætitiâ prorumpebat: Domine, bonum eſt nos hîc eſſe: ſi vis, faciamus hîc tria tabernacula, tibi unum, & Moſi unum, & Heliæ unum.

Quamvis autem Petrus hic erret, & intempeſtiviùs tabernacula hæc exſtructum eat: tamen evidenter cernimus, gloriam & Majeſtatem vitæ æternæ adeò immenſam fore, ut ſi ſemel ejus participes evaſerimus, nihil tum amplius deſideraturi ſimus, ſed potius optaturi, ut ſine termino ibi maneamus, Pſal. 84. v. 11.

Hic te proba, mi Chriſtiane, utrum tu quoque tanto gaudii cœleſtis deſiderio tenearis,

Digitized by Google

ris, ut ejus intuitu, omnia, quæ in mundo ſunt, pro damno & ſtercore ducas, & cum Chriſto Servatore eſſe, quàm in hoc mundo diutius vivere malis?

Naturâ homines nos mundum in delitiis habemus, & terrenorum amore inebriati ſumus, haud ſecus, ac ſi cum morte fœdus percuſſerimus, & cum inferno pactum fecerimus, Eſ. 28, 15. Cum tamen omnis mundi gloria tranſitoria ſit, Sir. 14. v. 21.

Mundus eſt vallis lacrymarum, & tamen Deus eum tam magnificè exornavit, tegumentum aureis aſtris, fundum virente gramine: Quantò formoſius, magnificentius, erit cœlum novum & terra nova, quæ Deus creabit? Ibi inveniemus pulchram domum in pulchra civitate; pulchram civitatem in pulchra regione; pulchram regionem in pulchro regno; pulchrum regnum, in quo DEUS ipſe Rex, & Imperator eſt. Eò adſpiremus, & omnia quæ mundi ſunt, deſpiciamus. Miſcentur enim triſtia lætis, ut patet ex Maccab. 9. verſ. 37.

Ibi *jubilus noſter erit perfectiſſimus!* Joh. 16. v. 24. Ibi bonum erit eſſe!

1. *Ratione domicilii.* Hîc habitamus domus luteas, Jer. 9. v. 11. ubi adſcendit mors per feneſtras, Jer. 9 v. 21. Hebr. 13. v. 14. Eſa. 38. v. 1. Sir. 14. v. 18. ſed ibi Jeſus nos introducet in cœleſtem Hieroſolymam, Apoc. 21. v. 21. In domum Patris cœleſtis. Joh. 14. v. 2. In paradiſum lætiſſimum. Pſ. 36. v. 5. Pſ. 16. v. ult.

2. *Ratione conſortii.* Sicut enim hic Petrus Candidatos æternitatis Moſen & Eliam offendit: ſic etiam nos univerſum chorum cœleſtem offendemus, Dan. 7. v. 10. Et ſicut Petrus hos viros novit, nunquam antehâc viſos: ſic & nos omnes æternæ vitæ Candidatos primo intuitu cognoſcemus, 1. Cor. 13. v. 13.

3. *Ratione colloquii.* Moſes & Elias dicebant exceſſum Chriſti, quem completurus erat in Hieruſalem: Sic & nos in vita æterna totam SS. Trinitatem non modò videbimus: ſed cum Moſe & Elia, imò cum Chriſto ipſo colloquemur, de maximis myſteriis, quæ in hoc mundo capere non potuimus. Pſal. 61. v. 8.

Retineant igitur homines mundani gaudium & felicitatem ſuam, quam in hoc quærunt, ſi frumentum & muſtum eorum multiplicata ſunt, Pſalm. 4. v. 8. aut in abundantia vivunt, Ezech. 16. v. 49. Nos aliud habemus domicilium, ad quod Deus nos vocavit, 1. Theſſ. 5. v. 9. Luc. 16. v. 9. ubi non audietur ultra vox fletus, & vox clamoris, Eſa. 65. v. 19. ſed vox exultationis & ſalutis. Pſ. 118. v. 15.

De Secundo.

TRanſibimus nunc ad *alteram partem*, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti* contemplaturi. Hic nobis in Evangelio hoc proponitur:

1. *Tanquam idea futuræ glorificationis*, quæ etiam in piis conſummabitur, ſuo tempore.

De Chriſto in Evangelio dicitur, quod Diſcipulos ſuos duxerit in montem excelſum: Sic ad hanc gloriam pervenire non poſſumus, niſi per Chriſtum. Hic verus ille Jonathan eſt, qui adſcendit, & armiger ejus poſt eum, 1. Sam. 14. verſ. 13. Et niſi hic Angelus fœderis præcedat, & introducat nos in cœleſtem Canaan, nunquam eò perveniemus, Exod. 23. v. 20. Deſcendit enim de cœlo in carnem, & adſcendit, Johan. 3. v. 13. Qui hunc unicum media-

mediatorem & perruptorem verâ fiduciâ apprehendet, perrumpet & gradietur per portam cœli, Mich. 2. v. ult.

De Chriſto dicitur, quod transfiguratus ſit, non quidem *ſubſtantivè*, ſed *qualitativè*. Idem nobis expectandum, in revelatione Domini Jeſu de cœlo, 2. Theſſ. 1. v. 7. ibi transfigurabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, Phil. 3. v. 21. Videbimus enim eum, ſicuti eſt, 1. Joh. 3. v. 2. 1. Cor. 15. v. 49.

De Chriſto dicitur, quod reſplenduerit facies ejus, ſicut ſol: Et nos hanc promiſſionem habemus. Dan. 12. v. 3. Matth. 13. verſ. 43.

De Chriſto dicitur, quod veſtimenta ejus facta ſint alba, ſicut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere, Marc. 9. v. 3. ſic ſponſæ quoque ejus dabitur, ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido. Apoc. 19. v. 3. Hoc erit

1. *Veſtis gloriæ.* Apud Romanos uſu fuit, ut honoratiores candida veſte amicirentur, unde quoque Candidati appellabantur: Sic Jeſus, electos ſuos candida veſte amiciet, ut indicet, eſſe eos in ſtatu beato, ubi amantur à Deo, qui, ut benedictos filios eos adſciſcet, Matth. 25. v. 34. honorabuntur ab Angelis, qui eos in conſortium ſuum aſſument. Hebr. 12. v. 22. Prædicabuntur ab omnibus cœli concivibus, qui beatos deprædicabunt, quod vicerint. Apoc. 3 v. 4.

2. *Veſtis lætitiæ*, quâ triumphare poſſunt & dicere ex Eſa. 61. v. 10. Et veluti Jacobus filio Joſepho tunicam fecit polymitam, quòd diligebat eum. Geneſ. 37. v. 3. Sic etiam Pater cœleſtis filios ſuos magnificè exornabit, de capſulis aureis, Pſalm. 45. v. 14. ut præ lætitia geſtire & dicere poſſint ex Pſal. 146. v. 3.

3. *Veſtis innocentiæ.* Candidum colorem ſemper ſignum innocentiæ habuerunt, Luc. 23. v. 11. Ergò candida hæc veſtis ſignificat perfectam juſtitiam, quâ pii in vita æterna honorabuntur, non tantùm *imputativè*: ſed & *inhæſivè*. Eſa. 60. v. 21.

Quodſi itaque in hac mortalitate corpus geris infirmum, & variis morbis ſubjectus es, quibus tanquam à tinea conſumitur pulchritudo tua, Pſal. 39. v. 12. Expecta paulisper! Jeſus tuus brevi veniet, & transfigurabit corpus tuum, ut ſit glorioſum, immortale, incorruptibile, ſpirituale, 1. Cor. 15. v. 43. 44.

Quodſi propter peccata, corpus tuum inhabitantia, cum Paulo querendum ex Rom. 7. v. 18. Lætitiâ exulta! ibi angelis erimus ſimiles, Matth. 22. v. 30. ibi veſte Adamiticâ planè abjectâ, ſerviemus Deo in decore ſancto, Pſalm. 110. v. 3. Jeſus enim ſponſam ſuam ſibi exhibebit ſanctam & immaculatam, Eph 5. v. 27. Intereà unuſquiſq; declinet peccata, quæ abominatio ſunt in oculis Dei, Apoc. 21. v. 26. & ſectetur ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum. Hebr. 12. v. 14.

II. *Tanquam idea neceſſaria reformationis.* Pater enim ejus cœleſtis clamat ex nube: Hic eſt filius meus dilectus, in quo complacui, hunc audite!

Quod ſi itaque viam cœli invenire, & patriam cœleſtem inhabitare cupimus, Chriſtus & verbum ejus nobis eſſe debet:

1. *Cynoſura rectè credendi.* Ipſe enim magnus ille Cancellarius eſt, qui nobis notas fecit vias vitæ, Pſ. 16. v. 11. Joh. 1. v. 18. Joh. 8. v. 31.

Ab

Digitized by Google

Ab ipſo habemus *Evangelium*, quod eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti, Rom.1.v.16. Joh.1.v.17.

Ab ipſo habemus *Sacramentum Baptiſmatis*, Matth.28.v.19. Marc. 16. v.16. ut & *ſacramentum Cœnæ*. Matth.26.v.26. Marc. 15.v.22. Luc.22.v.19. 1.Cor.11.v.23.

Docuit quoque nos, quomodo cœleſtia myſteria rectè uſurpare debeamus, nempe non ratione metiri: ſed credere. Joh. 20. verſ.29.

Quodſi itaque ſimpliciter credamus, quæ Chriſtus è ſinu patris nobis manifeſtavit, non dubitandum, quin reportaturi ſimus finem fidei, ſalutem animarum. 1. Pet. 1. v.9.

2. *Cynoſura bene vivendi.* Præivit enim nobis, in juſtitia, in caritate, in humilitate, in manſuetudine, patientiâ & obedientiâ, aliiſque præclaris virtutibus, & exemplum reliquit nobis, ut inſiſtamus veſtigiis ejus, 1.Petr.2.v.21. Sic:

Omnia nos Chriſti vita docere poteſt.

Propterea quoque vocatur Magiſter noſter, Joh.13.v.13. Ut igitur probus diſcipulus Præceptori in omnibus morem gerit: ſic noſtrum erit, unicè Chriſto adhærere, per quem Pater cœleſtis ad nos loquitur. Deut.18.v.18.

De Alexandro M. refertur, quod ſummâ veneratione Ariſtotelem, cui puer formandus traditus fuerat, proſecutus ſit, dicens: ſe illi non minus quàm patri debere: quòd à patre quidem vivendi, à præceptore verò bene vivendi initium accepiſſet.

Nos multò præſtantiorem Præceptorem in Chriſto habemus, iccirco ipſum ſuper omnia diligamus, Matth.10. v.37. Ipſum ſuper omnia honoremus, quia Pater cœleſtis eum gloriâ & honore coronavit, Pſalm.8.v.6. Ut ſit Dominus ſuper omnia, Act.10.v.36. Gratias quoque ipſi ex animo agamus, non modò quod ſimus, ſed & juſti ſimus: non modò quòd vivamus, ſed & ſanctè vivamus, & demùm per ipſum vitam æternam accipere poſſimus. Joh.3.v.ult.

III. *Tanquam idea veræ humilitatis.* Nam deſcendentibus illis de monte præcepit eis Jeſus dicens: Nemini dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat.

Si Chriſtus ambitioſus & vanæ gloriæ cupidus fuiſſet, non viſionem hanc conticere, ſed manifeſtare juſſiſſet. Sed prohibet tantiſper, dum à mortuis reſurrexerit. Et licet diſcipuli tum temporis divulgaſſent, vix tamen quiſquam credidiſſet. Sed poſt reſurrectionem facilè credi poterat, eum, qui à mortuis reſurrexerat, etiam imaginem transfigurationis propoſuiſſe. Eſt proinde hoc veræ animi humilitatis indicium, quæ ad ſtatum exinanitionis pertinuit, teſte Paulo, Phil.2.v.6.8.

Intueamur hoc ſpeculum, & *ſtudeamus humilitati, quæ toti SS. Trinitati pergrata eſt. Deus Pater* altiſſimus eſt, & tamen humilia reſpicit in cœlo & in terra, Pſalm.113. verſ.5.6.

Deus Filius gaudio frui potuiſſet in gloria cœleſti: ſed noſtri cauſâ ſuſtinuit crucem, confuſione contemtâ, Hebr. 11.v.25. Matth.20.v.28.

Deus Spiritus Sanctus libenter habitat, cum humilibus, & contritis ſpiritu, 1.Cor.1. verſ.28.

Ne itaque ſuperbiamus donis & bonis noſtris, quæ non à nobiſmetipſis: ſed à Deo accepimus, ille poteſt dare & auferre, dividit enim ea ſingulis, prout vult, 1.Cor. 12.v.11.

Cum Moſes cum Deo in monte Sinai

Digitized by Google

colloculus eſſet, ſplendebat cutis faciei ejus, ex conſortio ſermonis Domini. Propterea timebant Iſraelitæ propius accedere, ille autem velamen poſuit ſuper faciem ſuam, locuturus cum Iſraelitis, Exod. 34, 19.

Hoc & Chriſtus Salvator fecit, & diſcipulos prohibuit, de hac transfiguratione dicere, ad noſtram inſtructionem, ne ob dona à Deo accepta ſuperbiamus, aut criſtas tollamus: ſed velamine humilitatis ea contegamus, & ad gloriam Dei & proximi emolumentum uſurpemus. Luc. 18, v. 14.

Interea idem nobis accidit, quod Judæis; qui templum intrare volebat, tenebatur ante in atrium venire: Sic cœlum eſt templum pulcherrimum & magnificentiſſimum, in quod Chriſtus ante nos ingreſſus eſt, Hebr. 9. v. 12. Tantiſper vero in atrio Eccleſiæ militantis maneamus oportet, & per verbum & ſacramenta in fide creſcamus, donec in verum illud templum perveniamus, ubi Chriſtus inclamabit nos: Aſcendite ad me, Apoc. 11. v. 12. Ibi complebuntur dies luctus noſtri! Eſa. 60. v. 20. Angelis & Archangelis nos cum jubilo excipientibus, & dicentibus: Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna &c. Apoc. 7. v. 14. & ſeqq.

Largiatur hoc nobis Deus Opt. Max. per Filium ſuum Jeſum Chriſtum, Amen.

Dominica Septuageſima.

Evangelium Matth. 20. v. 1. -- 16.

EXORDIUM.

DE Abrahamo legimus, quod duos habuerit filios, alter vocatus eſt Iſmael, ex Agar ancilla natus, quam uxor Sara, hactenus ſterilis ei dederat, ex ſe liberorum generationem vix ſperans. Alter appellatus eſt Iſaac, quem poſtea ſuſcepit, ex Sara libera, cum illa jam nonaginta, & Abraham centum annorum eſſet. Quia vero Sara videbat, Iſmaelem irriſorem, dixit ad maritum ſuum: Ejice ancillam hanc, & filium ejus: non enim erit hæres ancillæ cum filio meo Iſaac. Dure hoc accepit Abraham pro filio ſuo at dixit Deus: Non tibi videatur aſperum ſuper puero, & ſuper ancilla tua, omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus, quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Gen. 21. v. 10.

Hæc ſunt *per Allegoriam* dicta, Gal. 4, 24. Abraham interpretative eſt *pater multarum gentium*: Sic Deus eſt pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnes, & in omnibus, Eph. 4. v. 5. 6.

Sicut igitur duos ille habuit filios, Iſmaelem ex ancilla, juxta carnem, Iſaacum vero ex Sara libera juxta promisſionem natum: ſic etiam cœleſtis Pater, Deus, duas in Eccleſia gentes habet.

1. *Carnales*, qui ſpiritum ſervitutis habent. Rom. 8. v. 15. Operibus ſuis nitentes, iisque cœlum permereri ſatagentes, unde cum Deo expoſtulant: Quare jejunavimus, & non adſpexiſti? afflximus animas noſtras, & neſciſti? Eſa. 58. v. 3. Hi illi ſunt, qui ignorant juſtitiam Dei, h. e. eam juſtitiam, quam filius Dei perfecta obedientia ſua nobis acquiſivit: ſed quærunt juſtitiam

tiam ſuam ſtatuere, Rom. 10. v. 3. quæ tamen coram Deo eſt, quaſi pannus menſtruatæ, Eſ. 64,6. nec miſericordiam provocat, Judith. 8. v. 12. Job. 9. v. 3.

2. *Spirituales*, qui ex fide Abrahami ſunt, & in miſericordia divina unice ſalutem ſuam fundant, quam nobis in filio ſuo Jeſu Chriſto promiſit. Quemadmodum Abraham & *S*ara naturaliter ratione ſenectutis nullum filium amplius ſperare poterant, & tamen promiſſione Dei nixi, Deo gloriam dabant, pleniſſime ſcientes, quia quæcunq; promiſit Deus, potens eſt facere, ideo & reputatum eſt eis ad juſtitiam, Rom. 4. v. 16. Unde quoque Paulus, Eph. 2. v. 8. 9. Gratia ſalvati eſtis.

Idcirco Iſmael excludebatur ab hæreditate Abrahami: Iſaac vero hæres ex aſſe erat, omnium paternorum bonorum, ut indicaretur, juſtitiam non venire ex lege: ſed per fidem, in omnes & ſuper omnes, qui nituntur verbo promiſſionis. Rom. 4, 4. & ſeqq.

Quod igitur per duos Abrahami filios præfiguratum legimus in V. T. idem in eleganti parabola nobis Chriſtus ob oculos ponit, quando regnum cœlorum in Evangelio præſente cum vinea comparat, in qua diverſi operarii offenduntur. Nonnulli confidunt in eo, quod portaverint pondus dies & æſtus, & flagitant mercedem ex merito: Nonnulli vero in gratia Dei acquieſcunt, boni conſulentes groſſum gratiæ, juxta conventionem patris familias. Nos abſque ulteriori prælimine ipſum Evangelium accedemus conſideraturi pro inſtituti noſtri ratione:

I. Ανθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

HOdiernam Dominicam olim *Septuageſimam* appellarunt, quia ſi ab ea numeres, præter propter ſeptuaginta dies ſunt uſque ad reſurrectionis feſtum, Domini noſtri JESU Chriſti: ſicut & ſequentem Dominicam *Sexageſimam*, huic ſuccedentem *Quinquageſimam*, & porro ſequentem *Quadrageſimam* dixerunt. Ex quo colligere poſſumus, quanto pii Veteres deſiderio feſti Paſchatos flagrarint, ut ferme omnes dies numeraverint, dum *lætum Reſurrexit* in Eccleſia cecinerint.

Nos quoque non multos felices dies in hac miſeriarum valle numerare poſſumus: Dies enim annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni? ſi autem in excellentia, octoginta anni: & latitudo eorum labor & dolor. Pſalm. 90. verſ. 10. Sed ſi Jeſum nobis faventem habemus, in *media paſſione Lætare* celebrare poſſumus, & cum Palmarum ramis Domino obviam procedere, qui olim tanquam ſymbola victoriæ adhibiti ſunt, 2. Maccab. 10. verſ. 7. Longe enim vincimus propter eum, qui dilexit nos, Romanor. 8. verſ. 37. Et victoria, quæ vincit mundum fides noſtra eſt, Johan. 5. verſ. 37. Uſque dum perpetuum Paſcha in vita æterna celebraturi, lætum illud ἐπινίκιον canamus: Ubi eſt mors victoria tua? Ubi eſt mors ſtimulus tuus? DEO au-

Digitized by Google

autem gratias, qui dedit nobis victoriam, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, 1.Cor.15.v.55.57.

Intereà *notitiam noſtri* docebit nos Evangelium noſtrum, quando conſideramus:

I. *Operariorum conductionem.* De Patrefamiliâs refert Evangeliſta, quòd primo mane exierit, ad conducendum operarios in vineam ſuam: deinde circa horam tertiam; iterum circa horam ſextam & nonam, & demum circa undecimam. Ita vocationi ſuæ fideliter præfuit, cum principio diei, usque in ſeram noctem, quò vineam ſuam, ut decet, colere, & ejus emolumento frui poſſet.

Hic examinent ſeſe omnes Patres-familiâs, utrum & ipſi ejusmodi induſtriâ commodum ſuum promoverint, manè & ſerò negotiis ſuis invigilando?

Hoc apprimè opus eſt. Licet enim nec velocium eſt curſus, nec fortium bellum, nec ſapientium panis, nec intelligentium divitiæ, nec artificum gratia: ſed tempus, caſusque (eventus divinitus ordinatus & definitus) in omnibus, Eccleſ. 9. v.11. attamen non in diem ſtertendum: ſed manè ſurgendum eſt, ut ipſe quaſi ſervus ſis, & rem familiarem ordines, ſicut hic Pater-familiâs, qui ipſe in operariis conducendis operoſus eſt, luculento tibi præit exemplo.

Neminem hujus rei ſuppudeat. Homo enim natus eſt ad laborem, ut avis ad volatum, Hiob.5.v.7. & ſi quis non vult operari, non manducet. 2.Theſſ.3.v.10.

Paterfamiliâs idem eſt in re familiari, quod gubernator in navi. Sicut autem navis facilè colliditur aut ſubmergitur, niſi nauclerus ad clavum ſedeat, eamque gubernet: ſic etiam res familiaris exitio proxima eſt, & tandem peſſum it, niſi à prudente Patre-familiâs, velut nauclero regatur.

Horologium quidem curſum ſuum abſolvit, & definito tempore ſonum edit, ſed idem in tempore adornandum eſt, aliàs magis mutum quàm piſcis erit: ſic & Paterfamiliâs rem familiarem juſto tempore ordinare debet, ſi quilibet domeſticorum negotia ſua obire, & votis ſuis reſpondere debeat.

Tritum eſt proverbium: *Oculus Domini ſaginat equum.* Quod ſi verò Dominus ſocordiæ litet, & in diem ſtertat, quomodo ſaginabitur?

Ejuſmodi ſomnolentum excitat Salomo, quando ait: Usquequò piger dormies? quando conſurges è ſomno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conſeres manus tuas, ut dormias? & veniet tibi quaſi viator egeſtas, & pauperies, quaſi vir armatus. Proverb. 6. verſ. 9. 10. 11.

II. *Conductorum ſolutionem.* Cùm enim ſerò factum eſſet, dicit Dominus vineæ Procuratori ſuo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à noviſſimis, usq; ad primos. Et dedit procurator cuilibet denarium ſuum, uti Pater-familiâs mandaverat.

Hic examinent ſe omnes Patres-& Matres-familiâs, & in genere omnes, qui operarios conducere & aliorum miniſterio uti ſolent, utrum iisdem ſine mora & tergiverſatione, meritam mercedem ſolverint?

Multi inveniuntur, qui lucrum putant, ſi operariis & famulis meritam mercedem de die in diem, de ſeptimana in ſeptimanam, imò de anno in annum protrahant,

vel

vel planè negent, variiſque technis eos defraudent, uti Laban, qui induſtrio genero ſuo decem vicibus mercedem immutabat, quicquid à beſtia laceratum erat, aut furtim peribat, vel interdiu vel nocte, ille reddere tenebatur. Gen. 31. v. 39.

Hoc injurium eſt. Deus enim ſeverè juſſit, non negare mercedem indigentis, & fratris pauperis, ſive advenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas eſt: ſed eadem die reddere ei, pretium laboris ſui, ante ſolis occaſum. Deuteron. 24. verſ. 14.

Equidem infideles inveniuntur famuli, qui non ex animo, ſed præ oculis duntaxat ſerviunt, plus damni inferentes, quàm emolumenti adferentes. Fit quoque, ut ex negligentia vel oſcitantia aut etiam malitia heris incommodent, & damno rem familiarem impleant: Ibi ſanè ipſa rei æquitas poſtulat, ut damnum illatum reſarciant. Attamen Dominorum eſt, non ad amuſſim omnia exigere, ſed locum quoque hîc habet illud Friderici Imperatoris: *Neſcit imperare, qui neſcit diſſimulare.*

Cæterum pii Patres & Matres-familiâs obſervent regulam ſenioris Tobiæ, quam filio ſuo præſcripſit: Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarii tui, omnino apud te non remaneat. Tob. 4. verſ. 15. Quicunque enim hac in parte peccant, anſam præbent mercenariis, qui nil habent, niſi quod manibus ſuis acquirunt, ut ad Deum ſuſpirent, & ſæpe gravem ab eo vindictam impetrent. Quale exemplum in Pharaone conſpicimus, qui Iſraëlitis mercedem ſubtrahens, in mari rubro ſuffocabatur, Exod. 14. v. 28. Siracides ſuccinctè quidem, ſed nervoſè ait: Panis egentium, vita pauperum eſt, qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt. Sir. 34. v. 25.

Nemo proinde operarios debitâ mercede defraudare debet, ne pro tantillo lucro majus damnum accipiat, & Dei gravem offenſionem incurrat. Hoc enim Deus, qui ipſos ad tui emolumentum, ut tibi inſerviant, creavit, non inultum abire ſinet. Ecce! merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat: & clamor eorum, qui meſſuerunt, in aures Domini Sabaoth introivit. Condemnaſtis & *occidiſtis* juſtum, & non reſtitit vobis. Jac. 5. v. 4. 6.

III. *Solutorum murmurationem.* Primi, quia diutius in vinea laboraverant, & diei pondus & æſtus portaverant, perſuaſerunt ſibi, ſe plus quàm reliquos accepturos, qui partim unam ſaltem horam opus fecerant: ſpe verò hâc decollatâ, non ſaltem limis oculis adſpexerunt collaborantes: ſed & cum Procuratore expoſtularunt, quòd noviſſimos ſibi pares feciſſet. Hæc mera invidia erat, quæ adhuc hodie non infrequens, ſed maximè vulgaris eſt, dum nemo non veretur, ne à contribule vel vicino in lucro capiendo exuperetur, quod jam tum ſuo tempore innuere voluit Aſcræus ille Poëta:

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων,
Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.
Et figulus figulo ſuccenſet, & faber fabro,
Et mendicus mendico invidet, cantorque cantori.

Imò ſæpius contingit, ut alter alterius felicitatem, quacunq; ratione poteſt, impeditum eat, ſicut Palæſtini invidentes omnes puteos obſtruxerunt Iſaac, quia benedixerat ei Dominus. Gen. 26. v. 14.

Hic explorent ſe illi, qui mercedem merentur, annon & ipſi interdum æquitatis lineas tranſilierint, aut aliis fortunas ſuas inviderint?

Hoc nimis familiare eſt, in hac mundi fece, ut illi experiuntur, qui ad operas ruſticas aliorum ſervitio indigent. Ubi ſervi & mercenarii tantam ſæpe mercedem requirunt, ut tartaream eorum ingluviem implere vix poſſis. Adde, quod cibo & potu non ſatis opiparè tractari, nec verbis ſatis blandè compellari poſſint. Hoc ſæpe dolorem injicit piis Patribusfamiliâs, & tamen operâ eorum carere non poſſunt, cum intereà multa aculeata verba digerere teneantur, ſubinde à talibus, quos non digneris ponere cum canibus gregis, Hiob. 30. v. 1. Imò eſſe oportet, tanquam ſurdum, qui non audit, & ſicut mutum, qui non aperit os ſuum. Et ſicut homo, qui non audit, & quaſi non habet in ore ſuo redargutiones. Pſalm. 38. v. 15. 16. Ea enim jam ætas adeſt, ubi puer ſuperbit contra ſenem, & homo inhonorabilis contra virum gravem. Eſa. 3. v. 5. Sed veniet aliquando tempus, ubi Dominus ſervum ejusmodi nequam dividet, Luc. 12. verſ. 46. & unuſquisque quod fecerit, à Domino recipiet, ſive ſervus ſit, ſive liber. Eph. 6. v 8.

Sic *invidiam* quod attinet, ea tam familiaris eſt hoc tempore, ut civitatem, pagum, imò domum nullam ab ea immunem reperias. Sed vitium eſt *turpiſſimum* & *nocentiſſimum. Turpiſſimum*, quia ab ipſo tartaro à Dæmonibus exulare videtur, juxta Chryſoſtomum: *Invidet Dæmon, ſed hominibus, non Dæmoni: tu verò cum homo ſis, invides hominibus, & quomodo veniam conſequeris? Nocentiſſimum* verò, quia ipſi incommodat autori. Unde iterum Chryſoſtomus: *Melius eſt, in corde habere viperam, quàm invidiam.* Vipera enim corpus modò veneno inficit: invidia verò opus carnis eſt, præcipitans & animam & corpus in gehennam. Galat. 5. verſ. 18. ſeqq.

De Secundo.

PRogrediemur nunc ad *alteram partem*, *Χριστογνωσίαν*, ſive *notitiam Chriſti* contemplaturi. Hic nobis proponitur

I. *Tanquam cœleſtis œconomus*, qui non modò domum Univerſi hujus in eſſe ſuo conſervat, dans omnibus vitam & inſpirationem, Actor. 17. v. 25. & aperiens manum ſuam, implens omne animal beneplacito, Pſalm. 145. v. 10. ſed etiam domum ſpiritualem eccleſiæ Paſtoribus & Doctoribus inſtruit Eph. 4. v. 11. & verbo & ſacramentis animas gratiæ cupidas nutrit, ne deficcant in via, Marc. c. 8. verſ. 3. dans lapſis virtutem, & robur multiplicans, Eph. 40. v. 29. ut dignè Evangelio Chriſti illi converſentur, Phil. 1. verſ. 27. donec tandem, fine obtento, ambulent coram Domino in regione vivorum. Pſalm. 116. v. 9.

Chryſoſtomus ſcribit, ideò vocari Chriſtum oeconomum, quia tres familias ſuſtentat. *Triumphantem in cœlis, propter gloriam, trepidantem in inferno propter iram, & militantem in terris per gratiam.*

Hoc nobis *conſolationi* eſſe debet. Tempora ſubinde ſunt miſera, res familiaris diffi-

difficilis & alimenta deficiunt, ut dicere poſſis: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Matth 6. verſ. 31. Sed Ethnicis hanc diffidentiam relinquere debemus. Nos opulentum Patrem-familiâs habemus, qui neque dormitat, neque dormit, Pſal. 121. v. 4. ipſe pro nobis vigilat, Er hütet und wacht/es ſteht alles in ſeiner Macht. Hujus ſalutare in ſilentio præſtolabimur, Thren. 3. verſ. 26. non derelinquet ille juſtum, Pſal. 37. v. 25. ſed in diebus famis ſaturabit eum, verſ. 19.

Cum noſtris enim curis nihil omnino efficere valemus. Vanum eſt vobis, ante lucem ſurgere, Pſalm. 127. verſ. 2. Ora igitur & labora, ipſe faciet. Pſal. 37. v. 5.

II. *Tanquam vinea Dominus.* De Patrefamiliâs hic dicitur, quod ſummo mane egreſſus fuerit ad conducendum operarios in vineam ſuam. Per hanc vineam nihil aliud intelligitur, quàm *Eccleſia*, quæ *vinea* comparatur

1. *Ratione figuræ.* Vinea exterius nullum habet ſplendorem, ignarus vix crederet, tam ſuavem ibi liquorem deliteſcere: lignum quoque adeò infirmum eſt, ut de eo non paxillus fabricari poſſit. Ezech. 15. v. 3. Sic Eccleſia in his terris eſt populus pauper & egenus, Soph. 3. v. 12. Lampas contemta, apud cogitationes divitum, Job. 12. v. 5. omnium peripſema, 1. Cor. 4. verſ. 13. Hinc quoque ovili comparatur, Joh. 10. v. 1. tugurio in cucumerario. Eſa. 1. v. 8. trunco quercûs. Eſa. 6. v. 13.

2. *Ratione curæ.* Vinea ſoli expoſita eſſe debet, ſi maturos & gratos botros illa juſto tempore proferre debeat; Sic Eccleſia & membra ejus Chriſtum reſpiciant oportet, qui eſt ſol juſtitiæ, Mal. 4. v. 2. illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Joh. 1. v. 9.

Vinea conſepiri, ſtercorari & paſtinari debet. Sic Deus eccleſiam ſuam verbo ſuo ſepſit, ſanguine filii irrigavit, & certè ſpiritualem vineam paſtino legis paſtinat, ne ſpinæ voluptatum radices in ea agere poſſint.

Vinea ricinis & pedamentis fulcienda eſt, quò uvæ ſe erigere, & à ſole irradiari poſſint: Sic Eccleſia à Chriſto velut capite pendet, Eph. 5 v. 23. Spiritus Sanctus vinculum eſt, Eph. 4. v. 3. Imber, quo vinea hæc irrigatur, eſt verbum Dei, Eſa. 55. v. 10. Hanc vineam Deus ſanguine ſibi ſuo acquiſivit, Actor. 20. v. 2. ut jam peculium ejus ſit, Tit. 2. v. 14. eamque ſibi multò minus patietur eripi, quàm olim Naboth. 1. Reg. 21. v. 3. Sap. 3. v. 19.

O ter quaterque felices nos, qui tanto patrono gaudemus, qui tam exactam vineæ ſuæ curam gerit. Quapropter animum abjicere minus debemus, ſi quandoque omnem eccleſiæ curam abjeciſſe, ejusque oblitus eſſe, videatur, Eſa. 49. v. 14. Ipſe novit, quid vineæ conveniat: Dominus eſt omnipotens & terribilis omnibus, quando de cœlo auditum facit judicium, Pſalm. 76. v. 9. quidni vineam ſuam defendere poſſit? Ipſe dicit: Vinea mea coram me eſt, Cant. 8. v. 12. q. d. defendam eam, ne portæ inferorum prævaleant, adverſus eam. Matth. 16. v. 18.

Quando itaque videmus, vulpes aſtu, vel apros violentiâ, h. e. hæreticos falsâ doctrinâ & Tyrannos perſecutionibus hanc vineam infeſtare, eandem devaſtaturi: ſuſpiremus modò ad hunc Dominum, ex Pſalm. 80. v. 15. Tum ipſe reſponſurus eſt ex Eſa.

Digitized by Google

Eſa.27.v.2. ipſe eſt fulcrum eccleſiæ ſuæ, Eſa.25.v.10.

Holofernes oppidum Bethuliæ arctè quidem obſidebat, at occupare non poterat, ipſam ibi vitam profundens. Judith. 13. v.10. ſic eccleſia quidem puſillus eſt grex, qui à Diabolo ejusque membris undique vehementer oppugnatur: ſed expugnari nunquam poterit, quia Dominus firmamentum ejus eſt, Pſalm. 18. v. 3. propterea non timebimus, quid facient nobis homines? Pſal. 118. v. 6. Eſa. 8. v. 9.

III. *Tanquam remunerator gratuitus.* Etſi enim nihil omnino meremur, Luc. 17. v. 10. attamen idem ille, qui ſecundum peccata noſtra nobis non facit, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis, & quomodo pater miſeretur filiorum, Pſ. 103. v. 13. ex gratia opera noſtra bona remuneraturus eſt. Icticco audimus in Evangelio hoc, quod Paterfamiliâs ad procuratorem ait: Voca operarios & redde illis mercedem, incipiens à noviſſimis, uſque ad primos. Ex quo ſatis apparet, mercedem hanc diſtributam non eſſe, ad meritorum proportionem: ſecus enim, qui totum diem laboraverant, & diei pondus & æſtus portaverant, plus accipere debuiſſent, quàm qui circa undecimam horam conducti erant.

Nil hîc valet quàm gratia,
Peccata condonari:
Nam noſtra ſordent crimina
In optimo conari.
Nil vana gloriatio,
Sed prona condonatio,
Quâ nos amat dignari.

Allhie gilt nichts denn Gnad un̄ Gunſt/
Die Sünde zu vergeben:
Es iſt mit unſerm Thun umbſonſt/
Auch in dem beſten Leben.
Vor Gott niemand ſich rühmen kan/
Deß muß ſich fürchten jederman/
Und ſeiner Gnade leben.

Ex gratia nos ad imaginem ſuam creavit, Gen. 1. v. 27. Ex gratia nobis filium ſuum donavit, Joh. 3. v. 16. Ex gratia nos de tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum, 1. Petr. 2. v. 9. Ex gratia largitur nobis Spiritum Sanctum, qui nos deducit in omnem veritatem, Joh. 16. v. 13. adjuvat infirmitatem noſtram Rom. 8. v. 26. ne in tribulationibus deſperemus: ſed bonam militemus militiam, habentes fidem & bonam conſcientiam, 1. Tim. 1. v. 19. Ex gratia quoque in virtute ſua cuſtodit nos per fidem in ſalutem, 1. Petr. 1. v. 5.

Hæc noſtra ſit confidentia in vita & in morte, & nunquam confundemur, ſed reipſâ experiemur;

Quod hîc Deus certiſſimus,
Spoſpondit in verbo bonus,
Jurans ſuum per nomen:
Id certius certo fiet,
Qui nos ut angelos beet,
Per Chriſtum Jeſum, Amen.

Was uns der ewig gütig Gott/
In ſeinem Wort verſprochen hat/
Geſchworn bey ſeinem Namen:
Das hält und gibt er gewiß fürwahr/
Der helff uns zu der Engelſchaar/
Durch Jeſum Chriſtum Amen.

Do-

Dominica Sexageſima.

Evangelium Luc.8. v. 4. -- 15.

EXORDIUM.

CUm Deus Iſraelitas ex Ægypto liberaſſet, cibavit eos in deſerto Arabico pane cœlitus delapſo, is erat, quaſi ſemen coriandri, album, guſtus que ejus quaſi ſimilæ cum melle. Propterea Moſes juſſus eſt urceolum implere ex eo, ut cuſtodiretur in futuras generationes, & eædem viderent panem, quo Deus eos in ſolitudine aluiſſet. Sed Iſraelitæ nauſea illius capti ſunt, dicentes: anima noſtra nauſeat, ſuper cibo iſto leviſſimo. Idcirco Deus eos occidit in deſerto, ut de ſexcenties millibus virorum, nemo præter Joſuā & Caleb Palæſtinam ingreſſus fuerit. Exod.16 v.14.& ſeqq Num.21,5.

Hæc *Allegorice* interpretabimur:

Nos quoque in deſerto hujus mundi peregrinantes, in Palæſtinam cœleſtem tendimus, h.e. cœleſtem Hieroſolymam, in qua nobis πολίτευμα, per abitum ſuum ad patrem acquiſivit, Phil. 3,20. Ne vero in via deficiamus, Marc.8,3. Chriſtus ſpirituali manna verbi ſui beatifici nos cibat, quod dulcius eſt ſuper mel & favum, convertens animas, Pſal. 19.v.11.8. unde verbum vitæ, Joh.6,68. & potentia Dei ad ſalutem omni credenti appellatur, Rom.1.v.16.

Sicut itaque Moſes juſſu Dei Gomor de manna, qua Deus Iſraelitas aluerat, in urceolo, ſive ut Epiſtola ad Hebræos loquitur, in urna aurea tenebatur in memoriam conſervare, & in arca cuſtodire: Sic noſtrum quoque erit, hoc ſpirituale manna, ſive panem hunc cœleſtem non pedibus conculcare: ſed in aurea urna cordis noſtri ſedulo conſervare & cuſtodire, ut non modo auditores, ſed & factores verbi ſimus, Jac.1,22. multosq; fructus feramus in æternam vitam Joh.15.v.5.

Sed plerique noſtrum cum Iſraelitis tanta hæc beneficia non agnoſcunt, & ut iſti flagrabant deſiderio carnium, piſcium, cucumerum, & peponum, porrique, cæparum & alii, quibus in Ægypto cibati erant, Num.11. v.4.5. & vocabant mannam cibum leviſſimum, Num.21,5. Ita verbum Dei quoque à multis in parvo habetur pretio, ut eis factum ſit in opprobrium, & non delectentur eo, Jer.6.verſ.10. ſed habent aures prurientes, peregrinæ doctrinæ, ut aliquid novi audiant, 2. Timoth. 4. v.3. Imprimis cor plenum habent, concupiſcentiæ oculorum, concupiſcentiæ carnis, & ſuperbiæ vitæ, 1.Joh.2,16. ut ſemen verbi divini locum non habeat, nedum in eo radices agat, ſpicetur, & fructum ferat. Hinc etiam eſt, quod tot hominum millia damnentur, & cœleſti Palæſtina excidant, non enim verbum ſuſcipiunt, ſed conſilium Dei adverſus ſemetipſos ſpernunt, Luc.7,30. Quî igitur crederent? Rom.10,14. qui illuminarentur? qui converterentur, juſtificarentur, & ſalvarentur? Potius illud impletur: Oblitus es legis Dei tui, obliviſcar filiorum tuorum & ego, Hoſ.4.v.6.

Hæc omnia præclare nobis explicantur, in prælecto Evangelio, per parabolam de terreno aliquo ſeminatore, qui quidem unum ſemen ſeminat: ſed non ubique bo-

Digitized by Google

nam terram offendit. Aliud enim cecidit ſecus viam,& partim conculcatum eſt, partim à volucribus cœli comeſum. Aliud ſupra petram,& natum exaruit. Aliud inter ſpinas : & ſuffocatum eſt. Aliud denique cecidit in terram bonam , & fecit fructum centuplum. Hoc Chriſtus verbo divino applicat, quod adeo diverſimode ab hominibus ſuſcipitur , unde etiam effectum ſuum apud omnes non poteſt conſequi, ut animas eorum ſalvet. Jac.1. v.21.

Nos ad parabolam ipſam nos accingemus,& contemplabimus :

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*

II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

MAxima beneficentia Dei eſt , quod quotannis annum ille benignitate ſua coronat, Pſal.65,12. & educit panem de terra, & vinum, quod lætificat cor hominis, Pſ.104,15. Sed majoris æſtimandum eſt, quod verbi ſui ſemen tam largiter diſſeminat, quo corda noſtra frugifera redduntur, & renaſcuntur ad vitam æternam, 1.Pet.2,23 Hinc audimus quoque in Evangelio prælecto, de magno populi ad Chriſtum acceſſu , cum ille, ut cœleſtis ſeminator exit, ad ſeminandum ſemen ſuum , nam multus jam confluxus populi erat, & plures ad eum de civitatibus properabant, ſicut in ipſo Evangelii principio percipimus.

Notitiam noſtri inde diſcere poſſumus, ſi intuemur

I. *Auditorum pluralitatem.* Turba enim plurima convenerat , & quidem tanta, ut Domino non locus relinqueretur in terra, ſed in navim aſcendere teneretur , quo commodius populum è navi docere poſſet, ut à Marco explicatur, c.4,1.

Hoc inde erat, quia ſermo Dei precioſus erat in diebus illis, ut tempore Eli, 1.Sam. 3,1. ut miſeri nullum ex concionibus ſolatium capere poſſent , ſed quoties templum frequentarent, male affecto corde & vulnerata conſcientia abirent, ob legis ſeveritatem , quæ omnes maledictos pronunciat , qui non permanent in ſermonibus legis , Deut.27,27. unde etiam jugum intolerabile illa vocatur, Act.15,10.

Poſteaquam vero Chriſtus Servator blande omnes invitabat : Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſt , ego reficiam vos, Matt.11,28. Hinc multi invitati eum ſequuntur, ut mederetur contritis corde Eſ.61,1. Hoc quoq; fideliter fecit pientiſſimus Servator, neq; enim corporales morbos modo virtute ſua vivifica fugavit: ſed animis quoque ſalutarem conſolationem inſtillavit , ſervis Sacerdotum & Phariſæorum ipſis, id confitentibus: Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo, Joh.7,47. Erat enim quaſi poteſtatem habens, non ut ſcribæ. Marc.1. v.22.

Hic te proba, mi Chriſtiane! utrum te etiam tantùm deſiderium Concionum ſacrarum & verbi divini ceperit?

Chriſtus Servator adhuc hodie exit, ad ſeminandum ſemen ſuum , neque enim aliud habemus verbum , ſed idem illud, quod Chriſtus & Apoſt. ejus prædicarunt. 2. Cor.5

Sed devotio hodie plane frigida eſt. Non opus hodie eſt, procul abire , ut conciones audiamus , ſed præ foribus habemus verbū divinum, & tamen multi ex negligentia idem audire nolunt. Ex quo colligimus, quod multis pietas cordi non ſit Qui enim ex Deo eſt, verbum Dei audit. Joh.8,4. Qui igitur verbum Dei non libenter audit , ſine dubio de ſatanæ Synagoga eſt. Apoc.3,9. Et habet ſententiam ſcriptam , quod pars ejus futura

ſit

Digitized by Google

ſit in ſtagno, ardente igne & ſulphure, Ap. 21,8. Qui enim non mecum eſt, inquit Chriſtus, contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit. Luc. 11. v. 23.

Regina Arabiæ veniebat à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, 1. Reg. 10. v. 1. Et ecce! plusquam Salomo hîc, Matt. 12.42.

Protagoras ſedulus erat Præceptor, ſed ſocordes habebat diſcipulos: hinc vulgo de ipſo dictũ eſt: eum dextra diſcipulis porrigere ſapientiã: quam illi læva modo acciperent.

Sic Servator noſter præceptor fideliſſim9 eſt, qui Eccleſiæ ſuæ paſtores & Doctores dat, Eph. 4, 11. qui nobis viam cœli oſtendunt: ſed ingratitudo tanta eſt, ut multi ſiniſtra arripiant, quod dextera manu ipſis exhibetur; h. e. repellunt verbum, & indignos ſe judicant vita æterna, Act. 1, 46. quos juſta pœna inſequetur, ut non guſtaturi ſint cœnam cœleſtem. Luc. 14, 24. Neq; exiſtimare debemus, Evangelium nobis in matrimonium datum; Nequaquam. Facile à nobis idem auferri poteſt. Nonne Judæi erant regnum ſacerdotale, & genus ſancta? Exod. 19. v. 6. ſed propter incredulitatem fracti ſunt, Rõ. 11, 20. Idem nobis accidere poteſt, nolite errare, non irridetur Deus, Gal. 6. v. 7.

II. *Agri diverſitatem.* Quia enim Servator, ut erat omniſcius, optime videbat, multum diſcriminis inter auditores ſuos eſſe, nonnulli ſiquidem venerant ex curioſitate, ut novi quid viderent & audirent: nonnulli ex invidia, ut aliquid ex concionibus ejus exciperent, quo exitium ipſi ſtruerent: nonnulli dicis cauſa, ut tempus conſumerent: pauciſſimi firmum propoſitum afferebant diſcendi, & vitam emendandi: inde ille anſam arripiebat, de ſeminatore & ſemine ejus parabolam proferre, cujus ſumma hæc eſt: Quando agricola ſemen ſuum ſpargit, multa ſeſe ipſi objiciunt obſtacula, quæ in cauſa ſunt, ut ſemen impediatur, nec ille ſcopum præfixum attingere queat. Hæc ſunt:

1. *Terra calloſa.* Quod enim in viam cadit, partim conculcatur, partim ab avibus cœli comeditur. Sic verbum Dei ſæpe ejuſmodi corda offendit, quæ omni pietate carent, & dicunt cum Epicuræis ex Sap. 2, 2.3. Quodſi nonnunquam ſtimulum quendam conſcientiæ ex verbo accipiunt, facile ille elabitur, ſi ad contribules ſuos redeunt. Verũ ſiquidem eſt quod David ait, Pſal. 18. v. 25.

Hoc animadverſo, diabolus occaſionem reperit, unde ceu infernalis prædator advolat ad rapiendum verbum de cordibus ipſorum, ſicut exemplum in Eva habemus, Gẽ. 3.

2. *Terra petroſa.* Sæpe enim fit, ut de ſemine, quod agricola ſpargit, quicquam in lapidem vel petram cadat, ceſpite opertam. Ibi quidem brevi enaſcitur ſemen, ſed quia humore deſtituitur, radices agere nequit, & exareſcit. Hi illi ſunt, qui cum verbum audierunt, cum gaudio excipiunt illud; & hi radices non habent, ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, ut Chriſtus ipſe explicat. Ejuſmodi farinæ homines multi erant tempore Chriſti, ut patet ex Joh. 12, 42. S. Paulus quoque Galatas ſuos non uſq; adeo commendat, quando ait: Currebatis bene: quis vos impedivit, veritati non obedire? Gal. 5. v. 7. Nec minus de Dema conqueritur, 2. Tim. 4, 10. Hi ſunt inimici crucis Chriſti, de quibus Paulus conqueritur, Phil. 3, 19.

3. *Terra ſpinoſa.* De hac dicitur: Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ, ſuffocaverunt illud. Per hoc illi intelliguntur, qui verbum audierunt, & à ſollicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes, ſuffocantur, & non referunt fructum

Digitized by Google

Divites hujus mundi, quando templum inviſunt, nō ſine inſtructione dimittuntur, ſæpe enim inculcatur, quod avari & fœneratores non hæreditatem habeant in regno Dei & Chriſti, Eph. 5,5. Vide 1. Tim. 6,9. Eſa. 58,7. Rom. 12,13. Sed hoc ipſo corda eorum non commoventur, finita vix concione, lucro inhiant, & verbi divini obliviſcuntur. In cauſa ſunt ſpinæ divitiarum, quibus adeo implicati ſunt, ut non facile ſe explicare iis poſſint. Ubi enim theſaurus hominis, ibi & cor ejus. Matth. 6. v. 21.

Ex tertia hac parte non multum ſperandum, ſed propterea ſemen non plane deperditum eſt, datur enim:

4. *Terra bona*, in qua ſemen germinat; radicatur, & fructum fert, aliud centuplum, aliud ſexagecuplum, aliud vero trigecuplum. Matth. 13,23. Hac illi intelliguntur, qui verbum non modo audiunt, ſed & retinent, & fructum ferunt in patientia. Si quis enim tātū auditor verbi eſt, & non factor, hic cōparabitur viro, conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo: conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt, qualis fuerit, Jac. 1,23. 24. Hi nullum fructum capiunt ex verbo, judicabuntur enim per illud, in die noviſſimo, Joh. 12. 48.

Hic quilibet ſe probet, ad quam claſſem pertineat: Pauci enim invenientur, apud quos ſemen verbi divini in terram bonam cadit. David jam tum ſuo tempore de hoc conqueſtus eſt, Pſalm. 12. v. 1. Micha ſimiliter c. 7. v. 1. ſeqq. Chriſtus eò progreſſus eſt, ut dixerit: Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra, Luc 18. v. 8.

Sic quilibet ſe examinet, ne ſibi videatur aliquid eſſe cum tamen nihil ſit, Gal. 6,3.

Quodſi reperis, cor tuum eſſe, ut viam calloſam, & tritam, ubi ſemen verbi divini nullas radices agere poteſt, ne ægre feras, quando verbi miniſter, ut ſpiritualis agricola utitur raſtro legis, quo calloſam hanc viam proſcindere vult, ſed ſuſcipe inſitum verbum in manſuetudine, Jacob. 1. v. 21. Et precibus Deum ſollicita, ne poteſtatem largiatur, prædatori diabolo, ut rapiat, quod ſeminatum eſt in corde tuo, Matth. 13. v. 19. Hunc circiter in modum: Sanctifica me pater in veritate tua, verbum tuum veritas eſt. Joh. 17. v. 17. vel cum Eccleſia:

Te corde quæſo ſupplice
Ne ſemen auffer verbi
Tui, meo de pectore:
Sic non queo confundi
In crimine,
Nam gratiæ
Spes me ruæ tenebit,
Qui firmiter
Hoc nititur
Is mortem non videbit.

Ich bitt O HErr aus Hertzengrund /
Du wollſt nicht von mir nehmen /
Dein heilges Wort aus meinem Mund /
So wird mich nicht beſchämen /
Mein Sünd und Schuld /
Denn in dein Huld
Setz ich all mein Vertrauen /
Wer ſich nun veſt
Darauf verläſt /
Der wird den Tod nicht ſchauen.

Quodſi itaque animadvertis, ſemen verbi divini cadere apud te, in terram petroſam, h. e. quod doloſum in ſecundis, æſtuoſum in adverſis rebus, Jer. 17,9. ora Deum, ut cor lapideum auferat, de carne tua & det tibi cor carneum, Ezech. 36. v. 26. Præterea certa & labora, 2. Tim. 2. v. 5. & quidem uſque ad finem, Matth. 10. v. 22.

Quodſi

Digitized by Google

Quodſi cor tuum ſpinis ſolicitudinum, divitiarum,& voluptatum implicatum eſt, iterum ora cum Davide,ex Pſalm.119.v.36. ne cum divite epulone in damnationem incidas,Luc.16.v.24.

Quodſi autem cor tuum terra bona eſt,in qua verbum Dei radicatur,germinat,& fructum fert in patientia, perge in hoc curriculo,& tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam,Apoc.3. v.11. ſic optimam partem elegiſti,Luc.10.v.42.verbum enim hoc te illuminabit, ut Camerarium Reginæ Candaces,Act.8.v.36. In cruce te lætificabit,Pſalm.119.v.92. Et tandem ſalvabit, 2.Tim.3.v.16.

III. *Seminis generoſitatem* quod eſt verbum Dei, ut Chriſtus ipſe explicat, quo renaſcimur ad vitam æternam,1.Petr.1.v.23. Sicut enim ſemen, quamdiu in granario conſervatur, nullum fructum fert, ſed tum demum, quando terræ illud mandatum eſt; ſic quoque verbum Dei nullum gignet fructum, niſi diligenter auditum, lectum, ruminatum, imò cordibus noſtris incluſum fuerit,ut fiat λόγος ἔμφυτος, ut Jacobus ait c.1.v.21.

Hic proba te, utrum tu quoque ſemen verbi divini exceperis, velut ſemen incorruptibile,cujus virtute poſſis renaſci, ut Chriſtianiſmus tuus requirit?

Quamvis enim Deo placuerit, per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes,1.Cor.1.v.21. attamen multi inveniuntur, qui conciones in tenui pretio habent, hinc templum rarius frequentant, vel tamen parum devotionis afferunt, hinc non mirum eſt,ſi re infectâ illi viciſſim exeant, nullum emolumentum capientes, & vim ſeminis divini inhibentes, ſemper diſcentes & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes,2.Tim.2.v.7.

Veri Chriſtiani Deo gratias agere debent, quod ſemen verbi ſui beatifici adeò largiter diſſeminari facit, ideoque, cum diligentia & devotione attendant, excipiant, & in corde conſervent, quò in caſu neceſſitatis eô uti queant. Qui enim in tempore colligit, tempore opportuno habebit. Neque quiſquam rectè dixerit, quid eſt hoc? ſuo enim tempore admodùm commodè apparent,Sir.39.v.22. Hoc qui fecerint, tandem cum exultatione venient, portantes manipulos ſuos. Pſalm. 126.v.6.

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alteram partem* χριστογνωσίαν, *ſive notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti* percepturi. Hic nobis proponitur:

I. *Tanquam cœleſtis ſeminator.* Exiit enim, qui ſeminat ſemen ſuum. Hic nemo alius eſt, quàm æternus Dei Filius, per quem omnia facta ſunt, quæ facta ſunt, Joh.1.v.3.

Exiit autem

1. *per æternam generationem*, modô, hominibus nobis incomprehenſibili, ita ut nihilominus per eſſentiæ divinæ unitatem in Patre manſerit, ut ipſe ait: Ego in Patre, & Pater in me eſt, Johan. 14.v.10. De hoc egreſſu non dicitur hic, utpote qui factus eſt ab æterno, adhuc fit in tempore, & fiet in æternum intra eſſentiam divinam, ſine reſpectu ad creaturas, quæ in tempore creatæ ſunt, Gen.1. v.3.ſeqq.

2. *per variam ablegationem:* Propterea vocatur λόγος, Joh.1.v.1. quia Pater

cœleſtis per eum in V.T. per Patriarchas & Prophetas locutus eſt. Deum enim nemo vidit unquam, unigenitus filius, qui in ſinu Patris eſt, ipſe enarravit, Joh. 1. v. 18.

3. *Per factam incarnationem*, ubi ſpecie viſibili, poſt ſuſceptum Baptiſmum obambulavit, & ſemen Evangelii diſſeminavit, in Judæa, Galilæa & Samaria, tanto cum ſucceſſu, ut populus cumulatim eum ſecutus, non ſatiari potuerit. Non enim tantùm ſummus noſter Sacerdos: ſed etiam Propheta eſſe debebat, & quidem idem ille, de quo Moſes prædixerat. Deut. 18. v. 15. Hoc munus fideliter exantlavit, dum non modò ipſe in diebus carnis populum docuit: ſed & poſteà, ubi diſcipulos & Apoſtolos ſuos miſit in univerſum orbem, ad Evangelium omnibus creaturis prædicandum. Marc. 16. v. 15. Quin adhuc hodie is eſt, qui Hieruſalem Evangeliſtas dat, Eſa. 41. v. 27. qui ſemen verbi divini diſſeminare pergunt, & ſpiritualem agriculturam exercent, donec tandem in ultimo die exibit, & colliget, quod ſeverunt illi, Apoc. 14. v. 14.

Obſervabimus hoc:

In conſolationem noſtram, Deus Pater per Filium ſuum cœlum & terram ex nihilo produxerat, & omnia, quæ in illis ſunt, viditque cuncta, quæ fecerat, & erant bona valde, Gen. 1. v. ult. Præcipuè hominem ad imaginem ſuam creaverat, quæ in poſteros ipſius quoque propaganda erat, ut fructus ſpiritus ſeſe exererent. Gal. 5. v. 22. Sed alius ſeminator exiit in Paradiſum, qui Protoplaſtorum cordibus ſemen ſerpentis nocentiſſimum infidelitatis & ambitionis implantavit, ut deperditâ Dei imagine liberos genuerint, non ad Dei, ſed ſuam imaginem, Gen. 5. v. 3.

Hoc valde doluit divinum Numen, Et quia non delectatur in perditionibus noſtris, Tob. 3. v. 21. remedium aliquod pro infinita ſapientia ſua reperit, quo humanum genus reſtitutum eſt, ita nimirum, ut Filius ejus unigenitus carnem noſtram induerit, & velut cœleſtis agricola ejuſmodi ſemen ſparſerit, quo virtute Spiritus S. renaſci & ad vitam æternam conſervari poſſimus. Propterea cum gratiarum actione hoc agnoſcere debemus, & quando ſeminatoris hujus ſemen in corde noſtro excepimus, ita fovere, ut nemo non cognoſcat, nos agriculturam Dei eſſe, 1. Cor. 3. v. 9. Sic luceat lux noſtra coram hominibus, Matth. 5. verſ. 16. ſic ſeminemus in juſtitia, Oſ. 10. v. 12. nec defatigemur, ut tempore ſuo metamus delaſſati, Gal. 6. v. 9.

II. *Tanquam bonus Concionator.* Captui enim auditorum ſeſe attemperat, novitque ſimplicioribus myſteria regni cœlorum in notis parabolis adeò ob oculos ponere, ut conſideratione rerum terrenarum aſſurgere & paulatim diſcere queant, quæ ædificationi ſuæ inſerviunt. Quid vulgarius eſt agriculturâ? Quis neſcit, quomodo cum vinea comparatum ſit? attamen Doctori huic eruditæ linguæ, Eſa. 50. v. 40. anſa inde ſubminiſtratur, ad varias utiles conciones formandas, ut in præcedente & præſente Evangelio audimus.

Hoc idem faciant verbi miniſtri & Eccleſiarum paſtores, ut non ad artem conciones ſuas, ad demonſtrandam ſapientiam & eruditionem ſuam: ſed potius ad exemplum Chriſti componant, & quàm fieri poteſt, ſimpliciſſimè, quod meditati ſunt, proferant, ex virtute illa, quam adminiſtrat Deus, 1. Petr. 4. v. 22. Eſt enim *ſcriptura fluvius, in quo agnus peditat, & Elephas natat*, juxta

Digitized by Google

juxta Gregorium. h. e. qui verbum Dei ad artem ſuam tractare geſtit, ſtultus fiet, Roman.1.v.23. Qui verò literæ inhæret, credens contra ſpem in ſpem, ad exemplum Abrahami, Rom.4.v.1. huic feliciter ſuccedet, ex ore enim infantium & lactentium perfecit ſibi Deus robur. Pſal.8.v.2.

Hoc quoq; de concionibus intelligi debet, non enim Deus in die noviſſimo quæret, quàm ſubtiliter, ſed quàm utiliter docueris. *Gloria prædicatoris eſt profectus auditoris*, ut Gregorius ait, ultra quem ſcopum conciones extendi non debent. Hoc probè obſervavit D. Lutherus noſter, quamvis enim linguarum & diſciplinarum experientiſſimus eſſet, tamen omnia ad auditorũ captum accommodavit, ut ipſe confitetur his verbis: Wenn ich alhier zu Wittenberg predige / ſo laß ich mich auffs tieffſte herunter / ſehe nicht an die Doctores und Magiſtros, deren etwa viertzig drinnen: Sondern auff den Hauffen junger Leute / Kinder und Geſind / deren wol hundert oder tauſend da ſeyn / denen predige ich / nach denen richte ich mich / die dörffens / wollens die andern nicht hören / ſo ſtehet ihnen die Thür offen.

III. *Tanquam myſteriorum reſerator*, qui nemini regni ſui myſteria abſcondit, ſed vult, ut omnes ad agnitionem veritatis perveniant 1.Tim. 2. v. 4. Propterea hîc exclamat: Qui habet aures audiendi, audiat! Quinimò malè contentus eſt cum iis, qui ante explicationẽ hujus parabolæ abibant: Diſcipulos verò ſuos, qui eum de genuino hujus parabolæ ſenſu interrogabant, commendat, & dicit: Vobis datum eſt, noſſe myſterium regni Dei; cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, & audientes non audiant & intelligant. Quæ non ita intelligenda, ac ſi Deus definito quodam conſilio ad hoc prædeſtinaverit eos, ut myſteria hæc ignorare debeant, quod blaſphemum eſt: Hoc enim modo nemo excluſus eſt. Dederat Deus his quoque aures, quibus verbum haurire poterant, offerebat gratiam, ut verbo credere poſſent; quia verò concionem Chriſti flocci facientes, pro ſermone ruſtico, qui duntaxat de agricultura terrena ageret, habebant, & ante explicationem parabolæ diſcedebant, indigni prorſus erant, qui ulterius quicquam auſferrent, juxta illud 1.Sam.2.v.30.

Aliàs nemo ſimpliciter à gratia Dei excluſus eſt, qui ſeipſum non excludit incredulitate & ſecuritate ſuâ, nihil enim Deus odit eorum, quæ fecit, Sap.11,25. ſed miſerationes ejus ſuper omnia opera ej9. Pſ.145,9.

Ob hunc finem quoq; Chriſtus in mundum venit, ut nobis voluntatem Patris cœleſtis manifeſtaret, Joh.6.v.40. ideoq; , ſi modò diſcipulos ſe interrogaturos animadvertebat, ſemper eos reſponſione ſuâ præveniebat, hoc ipſo indicans, quàm promtus ſit ad inſtruendum ipſos, Joh.16.v.19.

Poſt reſurrectionem ſuam, multis argumentis per dies quadraginta illis apparuit, locutus cum eis de regno Dei, Act.1.v.3. Et cœlô conſcensô, non eos orphanos reliquit, Joh.14,18. ſed alium paracletum miſit, qui duxit eos in omnem veritatem, Joh. 16.v.13. & donis ſufficientibus ad Evangeliũ prædicandum inſtruxit, Act.2,11. Rom. 5. v.19. Adhuc hodie dat verbum, Evangeliſtas magno exercitu, Pſ.68,12. qui nos docent utilia, Eſa.48.v.17. Et notas faciunt vias vitæ, Pſal.16.v.11. 2.Tim.1.v.12.

Hæc magna gratia eſt, quam Deus nobis in Chriſto exhibuit, propterea accedamus ad ipſum, ut inſtruamur ab eo, quando infor-

informatione in rebus fidei indigemus, ipſe enim eſt magiſter noſter, Matth. 23. v. 10. In quo omnis ſapientiæ & ſcientiæ theſauri abſconditi, Col. 2. v. 3. Propterea quoque ipſe Deus Pater eum nobis commendavit in monte Thabor, Matth. 17. v. 5. Medium verò ad Chriſtum nos deducens eſt potiſſimum ſacra ſcriptura, quam ſcrutari jubemur, Joh. 5. v. 39. Hoc ſi fecerimus, indies in agnitione Dei proficiemus, & tandem intuebimur eum, à facie ad faciem, 1. Cor. 13. v. 12. Nec amplius ſeminabimus, ſed metemus, quod hìc ſerimus. Pſalm. 126. v. 5. Omnes eum cognoſcemus, Jer. 31. v. 34. & coram eo ambulabimus in terra vivorum, Pſalm. 116. v. 9. Quod Deus Pater noſter cœleſtis, nobis omnibus ex gratia largiatur, per Filium ſuum Jeſum Chriſtum, Servatorem noſtrum unicum, in Spiritu Sancto! Amen.

Dominica Quinquageſima.

Evangelium Luc. 18. v. 31. --- 43.

EXORDIUM.

CUm Regius Propheta David ob rebellem Abſolonis impetum fugeret, & operto capite, montem olivarum adſcendens fleret: Exiit vir de cognatione domûs Saul, nomine Simei, qui non modò maledixit Davidi: ſed & lapides miſit contra eundem, dicens: Egredere, egredere, vir ſanguinum, & vir Belial: Reddidit tibi Dominus univerſum ſanguinem domûs Saul, quoniam invaſiſti regnum pro eo. 2. Sam. 16. v. 18.

Hoc elegantem nobis Allegoriam ſubminiſtrat.

Quod enim Regio Prophetæ Davidi contigit, id in hodiernum diem accidit filio Davidis, Salvatori noſtro Jeſu Chriſto: quando Hieroſolymam progreditur, ut noſtri causâ illudatur, contumeliis afficiatur, conſpuatur, flagelletur, crucifigatur, & occidatur; hoc præſertim tempore, quo filii hujus mundi Bacchanalia celebrant, & crapulâ & ebrietate, aliisq; fœdis libidinibus, larvati, tantis ſceleribus ſeſe contaminant, quibus æternus Dei Filius denuò crucifigitur, Hebr. 6. verſ. 6. & ſanctiſſimus ejus ſanguis conculcatur, Hebr. 10. verſ. 29.

Hoc peccatum multò majus eſt, quàm quod Simei adverſus Davidem commiſit, quamvis capite iccirco multatus, 2. Reg. 2. v. 46. Quid quæſo de iis fiet, qui ipſum filiũ Dei, in via jam verſantem, ut eorum causâ crucifigatur & occidatur, adeò ignominiosè tractant, ut pro ludo Bacchanaliorum habeant, & non reputant, quanti æſtimandus ſit, Eſ. 2. v. ult. Sine dubio durum ipſis erit contra ſtimulum calcitrare, Act. 9. v 5. Hebr. 10. v. 28. 31.

In hanc finem Majores noſtri, prælectũ Evangelium in hodierna Dominica explicandum ordinarunt: Ubi in prima parte, Dominus ipſe de paſſione & morte ſua prædicit. In altera verò parte cœcus Bartimæus nobis proponitur, in quo videmus, quam fœdè nos Satanas larvis ſuis depravarit, ut non neceſſum ſit, Bacchanantium inſtar, larvis nos deformare: cùm potius iter Chriſti ad mortem conſiderare debeamus, de quo diſcipulis ſuis concionatur, ajens: Ecce, adſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas,

Digitized by Google

phetas, de filio hominis &c. ut hinc agnoſcamus, quanto nos pretio, ab Ethnicorum hâc turpitudine redemerit, nempe non temporali auro & argento: ſed ſanctiſſimâ ſui ſanguinis profuſione & morte, ſi de poteſtate tenebrarum liberandi in regnum lucis transferri debuimus. Col. 1. v. 13.

Nos ad ipſum Evangelium accingemus nos, & diſcemus pro inſtituti ratione, ex eodem:

I. ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

QUando ſanctus Patriarcha Jacobus ſcalam in ſomnis videt, ſtantem ſuper terram, & cacumine cœlum tangentem, Gen. 28. v. 12. per eam ſummum unionis perſonalis naturarum myſterium in Chriſto adumbratur, quod nimirum verus homo, & ſimul Deus Jehova ſit, 2. Sam. 7. v. 20.

Has duas naturas in diebus carnis ſuæ opere ipſo luculenter demonſtravit: humanitatem, in paſſione & morte; niſi enim verus homo eſſet, quomodo pati & mori potuiſſet? Quin imò ideò veram humanam naturam in unitatem perſonæ aſſumſit, ut in ea pro genere humano pati & mori, & morte ſuâ vitam & incorruptionem illuminare potuerit, 2. Tim. 1, 10. ſine ſanguinis enim effuſione, non fit remiſſio, Heb. 9, 22. Divinitatem verò in miraculis, Joh. 3, 2 Joh. 5, 36.

Utriusq; teſtimonium in Evangelio habemus, in quo Chriſtus & de paſſione, & morte ſua vaticinatur, & ſimul virtute ſua divina cœco viſum reſtituit. Hoc opus erat Meſſiæ venturi, Eſa. 35. v. 5.

Notitiam noſtri hîc diſcere poſſumus, quando perpendimus:

I. *Chriſti adſcenſionem.* Aſſumtis enim duodecim dixit: Ecce adſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis &c.

Hoc adſcendere noſtro deſcendere opponitur, ita, ut juxta quorundam placitum, eo loco, ubi poſteà Hieroſolyma conſtructa eſt, antè terrenus Paradiſus fuerit, ibiq; alter Adamus, ceu eodem illo loco, pati, & paſſione victoriam obtinere, ubi prior Adã victoriâ & felicitate exciderat, voluerit: quò nobis veram *Quinquageſimam*, ut olim Dominica hæc appellata fuit, ſive beatum anni Jubileum adduceret: pleniſſimã ſcil. omniũ cœleſtium theſaurorũ reſtitutionem, quorum Protoplaſti in ſe & poſteris ſuis vetiti pomi comeſtione jacturam fecerant, ſicuti Iſraëlitæ in V. T. tempore anni Jubilæi ſua bona, ſive oppignorata, ſive divendita recuperare poterant. Levit. 25. v. 13.

Hic examina te, mi Chriſtiane! an tu quoq; ad Chriſtum in cruce ſequendum paratus ſemper fueris, & crucem tibi ab eo immiſſam, patienter tuleris?

Diſcipuli Chriſti, falsâ terreni regni Chriſti imaginatione faſcinati, inviti cum Chriſto Hieroſolymam adſcendebant, unde Petrus id ipſum diſſuadet, Matth. 16, 22.

Neq; nos libenter cum Chriſto crucem ſubimus. Sed Chriſtianus crucianus, 2. Tim. 2. v. 11. Quare promti & alacres ſimus ad illã ferendam. Quando igitur filii hujus ſeculi Dionyſia celebrant, in omnibus voluptatũ carnalium generibus ſeſe volutantes, nos cum Chriſto Hieroſolymam adſcendamus, perpendentes, quid ibi ſuſtinuerit, & paſſus fuerit. Omnia quippe in emolumentum noſtri facta ſunt, ut firmiſſimum in omnibus calamitatibus habeamus ſolatium.

Nos miſeri homunciones ſub poteſtate tenebrarum eramus. Col. 1. v. 13. Heb. 2, 15.

Sed Chriſtus Servator peregrino ſe magiſtratui, Pontio Pilato ſubjecit, ut merito ejus hæreditatem apud Patrem cœleſtem conſequeremur. Jam lætabundi jubilare poſſumus ex Col.1.v.12. Si ergo filius nos liberavit, verè liberi ſumus. Joh.8.v.36.

Sic illuſus, contumeliis affectus, & conſputus eſt, ut gloriam nobis acquireret, qui aliàs à Diabolis illudi, & omni carni abominatio eſſe debuiſſemus, Eſa.66.v.ult.

Flagellis cæſus eſt, ut livore ejus ſanaremur. Eſa.53.v.5.

Occiſus eſt, ut vitam haberemus, & abundantius haberemus, Joh.10.v.11.

Sepultus quoq; eſt, ut ſepulchra noſtra ſanctificaret, & reſurrectionem, imò claritatem corporum noſtrorum nobis impetraret, 1.Cor.15.v.42.43.

Sic Chriſtus ut fortis præruptor nobis viam ſtravit, & in omnibus tentatus eſt ſicut nos quoq;, Heb.4. v.16. hinc potis eſt nobis, qui tentamur, auxiliari, Heb.2.v.ult. Per patientiam igitur curramus, in propoſito nobis certamine, adſpicientes in ducem fidei, Heb.12,2. ſicut enim ipſe per paſſionẽ & mortem in gloriam intravit, Luc.24, 26. ſic non dabit in æternum fluctuationem juſto, Pſ.55,23. ſed ex lacrymarum hac valle transferet in cœleſtem gloriam. Pſ. 84. v.11.

Quapropter genuini illi Chriſtiani non ſunt, qui ſemper in delitiis agere volunt, in hoc mundo, & Chriſtum ſequuntur, quando nuptiis intereſt, Joh.2.v.2. aut panes diſtribuit, Joh.6,11. Sed ad crucem vocantem, Marc.8,34. relinquunt Joh.6,6. Ideò ſæpe fit, ut caſtigatione ejus paternâ indigni reputentur, & reſerventur, quaſi oves ad mactandum, Jer. 12,3. *Nemo enim gaudere poteſt, in utroque ſeculo*, juxta Auguſtinum: ſed qui cum divite hîc gaudet, cum quoque cum eodem in inferno torqueri oportet.

II. *Prædictam crucifixionem*. Nam filium hominis quoq; occident, h.e. ut Matthæus recenſet, crucifigent eum. Hoc erat genus mortis crudeliſſimum, ut Cicero autumat, imò, maledictio Dei eſt, qui pendet in ligno, Deut.21.v.23.

Sed quàm ignominioſa & doloroſa mors hæc Chriſto fuit, tam lætabilis & ſolatio plena nobis eſt, ideò enim pro nobis maledictum factus eſt, ut nos à maledictione legis redimeret, Gal.3.v.13.

Crudeliſſimè milites Chriſtum tractarunt, dum eum veſtibus nudatum, manibus pedibusque cruci affixerunt, ut inter cœlum terramque medius ipſe penderit. Imò prorſus nefandum eſt, quod inter maleficos ipſum ſuſpenderunt, ceu nebulonem ſceleratiſſimum, Eſa.53.v.11.

Hic examina te, mi Chriſtiane, annon & ipſe Chriſtum nonnunquam crucifixeris, & adhuc crucifigas peccatis voluntariis?

Hoc multifariam fieri ſolet.

1. *Per Apoſtaſian.* De hac intelligendum eſt, quod Paulus ait, Hebr. 6. v.4. Equidem Servator noſter corporaliter non amplius crucifigi poteſt, Rom.6.v.9. interim maximo afficitur dolore, quando ii, qui veritatem ſemel agnoverunt, ipſam abnegant, & reſiliunt in regnum ſatanæ, ex quo ipſos ſanguine ſuo redemit, 1.Cor.6. v. 20. Ideò ſanè queri poteſt ex Eſa.1.v.3.4.

2. *Per blaſphemiam*, quæ fermè in hac mundi fece peccatum non amplius habetur. Sed non *minus peccant, qui blaſphemant regnantem in cœlis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris*, ut Tertullianus graviter ait. Judæi enim pro nudo homine eum habuerunt, unde fabrum ipſum vocant, Marc.6.v.3. Nos verò Chriſtiani ſcimus, quod

quod non ſit merus homo, ſed Deus ſuper omnia benedictus in ſecula, Rom. 9, 5. & tamen ſacramenta, ſanguinem & vulnera ejus in abuſum trahimus, & iis dē proxima omnia mala imprecamur. Hæc loquela eſt obnoxia morti, non inveniatur in hæreditate Jacob, Sir. 23. v. 15.

3. *Per vitam impiam.* Sicuti enim peccata noſtra Chriſto mortem crucis doloroſam cauſarunt, ut ipſe queritur, Eſa. 43. v. 24. ſic quoq; adhuc hodie cor ejus peccatis voluntariis qs. transfoditur; præprimis hoc fit ab iis qui ethnico more, & diabolico furore Bacchi impia feſta hoc tempore celebrant, & larvati crapulâ & ebrietate, fœdis libidinibus, ſtupris, & aliis horrendis ſceleribus ſe contaminant, ubi potius paſſionem & mortem ejus conſiderare debebant.

O homines nefandi! qui deteſtabili veſtro gaudio ſanctiſſimum hoc tempus prophanatis, mementote, quomodo Chriſtus in horto Oliveti cœperit triſtari, contremiſcere & mœſtus eſſe, Matth. 26. v. 37.

Vos *noctambulones*, reputate quam miſeram Chriſtus noctem duxerit, ubi ab uno injuſto judice ad alterum abductus eſt.

Vos *helluones*, qui potentes eſtis ad bibendum vinum, Eſ. 5, 22. Recordamini ſitis Chriſti, ubi in ara crucis felle & aceto potatus eſt.

Vos *larvati*, qui contra mandatum Dei alienis veſtibus inceditis, Deut. 22, 8. cogitate chlamydem coccineā, & veſtē albam, quâ Chriſtus indutꝰ eſt, Matt. 27, 19. Luc. 23, 11.

Vos *luſores* reminiſcimini militum, qui de tunica Chriſti ſortiti ſunt, Joh. 19. v. 24.

Sic *memoria crucifixi crucifigat in nobis omne vitium*, ut Bernhardus monet. Qui enim ſunt Chriſti, crucifixerunt carnem ſuā, cum affectibus & concupiſcentiis, Gal. 5. v. 24. Ad hoc urget nos caritas Chriſti, 2. Cor. 5. v. 14.

III. *Cœci adductionem*, ſimulac enim hic cœcus Chriſto adducitur, viſum ſuum recuperat. Quô ipsô Chriſtus probare voluit, licèt paſſionem & mortem noſtri causâ ſubiturus eſſet, non ſe ideò infirmiorem fore: ſed potius in morte quoq; virtutem ſuam exerturum eſſe, & oculos noſtros illuminaturum, ne obdormiamus in morte, Pſal. 13. v. 4. ſed ſurgamus de ſomno peccatorum, Rom. 13. v. 11. & videamus bona Domini, in terra viventium, Pſalm. 27 v. 13.

Hic examina te, mi Chriſtiane! annon etiā ejuſmodi cœcus Bartimæus ſis, qui multa non videas, quæ tamen videre, & cavere debebas?

Cœcus multis modis miſer eſt, ein blind Mann/ein arm Mann. Tob. 5. v. 12. Sed multò miſerior eſt, qui ſpiritualiter cœcus eſt. Tales naturâ omnes ſumus, ut verè de nobis dici queat illud Prophetæ: Palpavimus ſicut cœci, Eſa. 59. v. 10. Et quamvis Chriſtus ut vera lux venerit, illuminans (quantum in ſe eſt) omnes homines venientes in hunc mundum, Joh. 1. v. 9. attamen multi ſunt, qui ſeipſos quaſi excœcant, & oculos mentis obnubilant. Neque enim videre volunt:

1. *Internam corruptionem.* Tales ſunt, qui conciones legis ferre nequeunt, & quamvis peccata eorum in propatulo ſint, tamen colorare ea ſatagunt. De his dicit Salomo: Generatio, quæ ſibi munda videtur, & tamen non eſt lota à ſordibus ſuis, Prov. 13. v. 12. Dicunt, ſe divites eſſe, & locupletatos, & nullius egere, & tamen ſunt miſeri & miſerabiles, & pauperes, & cœci & nudi, Apoc. 3. v. 17. putant ſe aliquid eſſe, cum nihil ſint, Gal. 6. v. 3. Sic φιλαυτία homines occœcare poteſt, ut ſeipſos non agnoſcant.

2. *externam ſeductionem*, quam Diabolus procurat, quæ fit

1. *peccata colorando.* Hinc eſt, ut quemadmodum Sebul, umbras montium pro viris habebat: Jud.9.v.36. ita nos ob innatam cœcitatem umbram pro veritate, & maxima crimina pro virtutibus reputemus, & malum manuum noſtrarum dicamus bonum, Mich.7.v.3.

2. *maxima extenuando.* Sicut Phariſæi præcepta Dei in majora & minora diviſerant, Matth.5.v.19.

Sic multi ſunt, qui ſcortationem tantummodò pro ludo, & oblectamento juventutis reputent, ut ille apud Comicum ait: *Num flagitium putas adoleſcentem ſcortari*, cùm tamen nullus fornicator & immundus partem habeat in regno Dei & Chriſti, Eph.5. verſ.5.

Sic multi inter ebrietatem & ebrioſitatem, ut inter infernum & purgatorium diſcrimen ſtatuunt.

Sed *minuta etiam peccata, ſi negligantur, occidunt*, Auguſtino dicente.

Cùm Lothus Sodomiis egreſſus eſſet, exiſtimabat, ſe planè in vado eſſe: ſed in hac ſecuritate circumventus eſt à Dæmone, ut inceſtum cum filiabus ſuis commiſerit, Gen.19,33. Sic nos in ſecuritate degentes, eò faciliùs à ſatana ſeducimur. Propterea obſervemus illud Salomonis: Beatus, qui ſemper eſt pavidus, at qui indurat cor ſuum, corruet in malum. Prov.28.v.14.

3. *Continuationem ſollicitando.* Ubi anguis cum capite pertranſit, facilè totum corpus ſequitur: Sic ſi Diabolo in minimis obſequimur, ab iniquitate ad iniquitatem nos trahit, Rom.6,19. tandem in barathrũ infernale præcipitat, Apoc.21.v.8.

Hoc ſi juſtâ animi lance perpenderimus, nos quoq; cum Bartimæo oculis captos eſſe, deprehendemus, at non oculis corporis, ſed mentis, non percipientes ea, quæ ſunt Spiritûs Dei, 1.Cor. 2.v.24. Ideò aſſiduè oremus cum Davide: Revela Domine oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua, Pſ.119.v.18. is enim illuminatos oculos cordis noſtri dare poteſt, Eph.1,18. & corda noſtra aperire, ut Lydiæ cor, Act.16,14. ut attendamus verbo Prophetico, 2.Pet.1,9. & indies creſcamus in cognitione Dei, Col.1. v.11. uſq; dum ad perfectionem adſpiremus per ſpeciem non per fidem ambulantes, 2.Cor.5.v.7. coram Domino in terra vivorum, Pſ.116.v.9.

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alterã partem*, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti* contemplaturi. Hic nobis in hoc Evangelio proponitur

I. *Tanquam agnus immolandus.* Ecce! inquit Servator, adſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas, de filio hominis.

In V.T. Judæi varia ſacrificia habuerunt, quorum tamen nullum peccata expiare potuit, ſed typi duntaxat fuerunt, Chriſti immolandi, qui unâ oblatione confirmavit in ſempiternum eos, qui ſanctificantur, Hebr. 10.v.14.

Hoc ſummum opus inchoavit in hoc Evangelio, ubi cum Apoſtolis Hieroſolymam adſcendit, haud ignarus, quid ibidem ſibi obventurum ſit. Et quî neſciret? Ipſe ſiquidem conſilio divino de redemtione generis humani interfuit, Act.4. v.27.28. Propterea ait: Ecce venio, Pſalm. 40. v.9.

Ex hoc amorem ejus ardentiſſimum erga nos cognoſcere poſſum9, de quo Bernhard.

O De-

O Domine Jeſu, quid tibi eſt? Mori nos debuimus, & tu ſolvis? Nos peccavimus, & tu luis? Opus ſine exemplo! gratia ſine merito! charitas ſine modo!

Firmam hinc in cruce conſolationem capere poſſumus. Quodſi enim ſervator noſter adeo prompte aſcendit Hieroſolymam peccata noſtra expiatum: quidni nobis in cruce auxiliarem manum ferret? Ibi mortem ſubire tenebatur. Aſt hic unico verbo nobis opitulari valet. Matth. 8. v. 8. Propterea apud ipſum ſolum conſilium & opem quæramus, ipſe ex amore pro nobis mortuus: amor ejus erga nos, emortuus non eſt, ſed miſeretur timentium ſe, ut pater filiorum, Pſ. 103, 3. Hinc recte Eccleſia:

Homo ille deteſtabilis,
Remotus à ſalute:
In carne cui ſolaminis
Spes, non Dei virtute:
Qui namque numen alterum
Elegit, hoc abjecit,
Hunc dæmonis mox orphanum,
Vis & dolus terrebit.

Der Menſch iſt gottlos und verflucht /
Sein Heyl iſt auch noch ferne/
Der Troſt bey einem Menſchen ſucht /
Und nicht bey Gott dem HErren.
Dann wer ihm wil ein ander Ziel /
Ohn dieſen Tröſter ſtecken /
Den mag gar bald des Teufels Gewalt
Mit ſeiner Liſt erſchrecken.

Imprimis reſpicienda hic eſt dignitas perſonæ, quæ non merus homo, ſed Deus omnipotens eſt, ut vaticinio de paſſione, & curatione Bartimæi comprobat.

Equidem Deus antehac per Angelos & homines multa heroica facta patravit. De Angelis vide Exod. 12. v. 29. 2. Sam. 24, 15. 2. Reg. 19, 35. Heroes hominum fuerunt, David, 1. Sam 17, 50. Gideon, Jud. 7, 12. Simſon, Jud. 15, 15.

Sed redemtionem generis humani neq; Angelorum neque hominum quiſpiam exantlare potuit. Sed talis hic requiſitus eſt, qui in unitate perſonæ Deus & homo eſſet. *Deus qui poſſet, & homo, qui deberet*, ut Anshelmus loquitur. Hinc de Judæis dicitur, quod Dominum gloriæ crucifixerint, 1. Cor 2, 8. & principem vitæ occiderint, Act. 3, 15. attamen non juxta divinitatem, ſed humanitatem, *paſſus enim Chriſtus quieſcente verbo*, ut Irenæus loquitur: *Divinitas erat in dolente, ſed non in dolore: paſſus eſt in unitate perſonæ, non in proprietate naturæ*, ut Leo ait. Hinc Petrus: Chriſtus paſſus eſt carne, 1 c. 3, 18. confer. Col. 1. 22.

Quia igitur tanta perſona pro nobis paſſa & mortua eſt, pleniſſimam habemus expiationem peccatorum, & dicere poſſumus: Sanguis Jeſu Chriſti, filii Dei emundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1, 7.

II. *Tanquam Dominus adorandus.* De cæco enim Bartimæo audimus, quod clamet: Jeſu, fili David, miſerere mei! Atqui Chriſtus filius Davidis eſt juxta humanam naturam, ergo hinc ſequitur, quod eum ſecundum humanam naturam adoraverit, & ſecundum eandem à nobis quoque adorari debeat. Non quidem ex, & per ſe: ſicuti enim non per ſe ſubſiſtit, ſic nec per ſe adoranda eſt, ſed propter perſonam, in quam humana natura per unionem perſonalem aſſumta eſt. Vide Dan. 7. v. 13. Phil. 2, 9. Eo quoque decretum Synodi Epheſinæ contra Neſtorium habitæ collineat: *Si quis diceret, aſſumtum hominem coadorandum Deo verbo, ac non potius una adoratione venerentur immanuelem, unamque glorificationem ei*

dependit , ſecundum quod verbum caro factum eſt, anathema ſit.

Hæc noſtra quoque mens eſt , quicquid alii diverſi ſentiant, videbunt illi aliquando, in quẽ pupugerint, Zach 12.10. Chriſtus enim recte agnoſcendus eſt, ſi ſalvari per eum velimus. Quia enim caro ejus caro vivifica, Joh. 6. v. 51. & ſanguis ejus emundat nos à peccato , 1. Joh. 1. v. 7. Humanam ſanè in Chriſto naturam , divinæ virtutis, majeſtatis, & gloriæ participem factam, neceſſe eſt, ſecus enim divina hæc idiomata de ea efferri non poſſent. Propterea quoque totum Chriſtum, ut θεάνθρωπον una adoratione invocamus, qui exploratum habemus, ſicut in diebus carnis ſolo contactu multos curavit: ſic multo magis eum ſuſpiria noſtra exauditurum , poſtquam ad dexteram Dei evectus eſt, Eph. 1. v. 20. Ut enim pater ejus operatur, ſic & ipſe operatur, Joh. 5. v. 17. & operatur ſalutem in medio terræ Pſal 74, 12.

III. *Tanquam Oculiſta deprædicandus.* Corporalis cæcitas diverſas habet cauſas: Quandoque pellicula oculi obducuntur nonnunquam ſuffuſione homo laborat. Aut etiam in nervis opticis ſalſus humor reſidet , qui ſpiritus viſionis debilitat, ut parum vel nihil ille cernere queat.

Hoc vero multifariam fieri conſuevit.

Nonnulli enim cœci naſcuntur, quale exemplum legimus, Joh. 9. 1. Alii per accidens viſu privantur, ut Tobias, cap. 2. v. 11.

Interdum contigit , ut oculi huic vel illi eruti ſint, ut Samſoni , Jud. 16. v. 21. vel aliquis peculiari Dei fato caligine infeſtetur, uti Elimas magus, Act. 13, 11.

Imprimis vero ſenectus viſum debilitat, vel plane auffert, ſicut de Iſaac memoratur , quod caligaverint oculi ejus, Gen. 27. v. 1. Hic quidem Medici corporales aliquid adjumenti adferre poſſunt, ſi conſilium eorum in tempore adhibetur. Quando vero pupilla læſa vel plane amiſſa eſt , nemo invenietur, qui illam reſtaurare valeat. At ſervator noſter facillime idem præſtare poteſt. Vocat enim ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, Rom. 4. v. 17. & potens eſt facere ſuperabundanter, ſuper omnia, quæ petimus, aut intelligimus. Eph. 3. v. 20.

Quod corporalem ſanationem attinet , exemplum in præſente Evangelio habemus, in cœco Bartimæo, cui verbo viſum reſtituit, eoque ſatis probat, ſe Dominum eſſe dicentem & facientem, Ezech. 17. v. ult.

Spiritualiter vero adhuc hodie artem ſuam in nobis oſtendit , qui cœci ſumus, & manu tentamus, 2. Petr. 1, 9. Ipſe enim eſt Dominus Deus, ſanator noſter. Exod. 15. v. ult. Sicut igitur alias corporalis viſus reſtituitur:

1. *Perſpicillo* , quæ inventio Opticorum eſt, qua per vitrum , res ab oculis longe remotas , quaſi præſentes cognoſcere valemus: Sic etiam in ſpirituali hac ſanatione perſpicillo ſuo utitur , quod eſt ſacra Scriptura. Per hanc in cœlum perſpicere poſſumus, & Deum quoad eſſentiam & voluntatem cognoſcere. Deut 6, 4. Matth. 3, 16. 17. In infernum penetrare, & μεθοδείας diaboli obſervare , Eph. 6, 11. in mundo providere ne concupiſcentia carnis & oculorum, & ſuperbia vitæ nos ſeducant, 1. Joh. 2 v. 16. quin & in ipſa cordis penetralia, inſpicere, & malitiam ejus ſcrutari , Gen. 6, 5. Imo hoc perſpicillo utentes , revelata facie gloriam Domini, tanquam in ſpeculo , recipimus, 2. Cor. 2. v. ult.

2. *Veſicatorio.* Quia enim ejuſmodi oculorum defectus ſaltem à pituita originem tra-

trahit, ideo veſicatoria pone aures applicare ſolent, quibus curſus ejus inhibetur, & ab oculis aliorſum derivatur. Sic cœleſtis noſter oculiſta multis oculos aperit, quando iis veſicatorium applicat, per crucem, & humores innatæ concupiſcentiæ ſupprimit, quæ oculos intellectus ita hebetat, ut inflati ſint, 1. Tim. 6. v. 4. & non cognoſcant, quæ ad pacem eorum faciunt, Luc. 14, 42.

Hoc multum ſæpe utilitatis affert. Vexatio enim dat intellectum, Eſa. 28. v. 19. Tum *reſpicimus* & cogitamus, quid peccatis noſtris meriti ſimus, dicentes cum Micha: Iram Domini portabo, Mich. 7. v. 9. *Suſpicimus* & deprehendimus crucem non fortuito, ſed à Domino immitti. Pſal. 68. v. 21. *Inſpicimus* nationes hominum, Sir. 2. v. 11. Jac. 5. v. 11. *Deſpicimus* denique & perpendimus, quod peccatis noſtris damnationis rei facti ſimus, ſi Deus juxta juſtitiam ſuam nobiscum agere vellet: ſed miſericordiæ ejus in nos exarſerunt, Oſe. 11, 8. 9. Hinc Paulus, 1. Cor. 11. v. 32.

3. *Inſtrumento Chirurgico*, quod eſt acus argentea, qua ſuffuſio oculorum, manu Chirurgi, tollitur.

Hoc etiam ſpirituali ſuffuſioni applicari poteſt. Inveniuntur homines qui ita in peccatis obdurati ſunt, ut ea in conſuetudinem quaſi deduxerint, ſicut Paulus de Ethnicis ſcribit. Eph. 4. 19. Et quemadmodum ſuffuſio, ante triennium vel quadriennium non tolli poteſt: Sic & hi peccatum in conſcientia ſua non ſentiunt: ſed in foribus adeſt, Gen. 4, 7.

Hic proinde Deus miniſtros ſuos ordinavit, qui acu legis ſuffuſionem removere juſſi, ipſis peccata indicare tenentur, quæ alias videre nequeunt, Pſal. 40. v. 14. Pſal. 19. v. 89.

4. *Collyrio*. Sicut legimus de juniore Tobia, quod de felle piſcis liniverit oculos Patris ſui, & cœperit albugo ex oculis ejus, quaſi membrana ovi egredi. Tob. 6. v. 9. c. 11. v. 13. Sic ſuadebat filius Dei Angelo Eccleſiæ Laodiceæ, collyrio inungere oculos ſuos, ut videret. Apoc. 3. v. 18. Hoc collyrium h. m præparari poteſt:

R. Camphoram Contritionis.
Myrrham Mortificationis,
Adde: Species Dia Apoſtolorum.
Species Dia Martyrum,
Species Dia Sanctorum.

Affunde aquam Euphraſiæ, cum guttis aliquot lacrymarum Chriſti: Miſceantur hæc omnia in mortario conſcientiæ, coquantur ad ignem tribulationis; Fiat unguentum, probatum eſt; Conſiderabis non modo mirabilia de lege Dei, Pſ. 119. v. 18. Sed aliquando etiam in vita æterna videbis faciem Dei in juſtitia, Pſ. 17, 15.

Hæc media illa ſunt, quibus cœleſtis oculiſta noſter, adhuc hodie nobis oculos aperit, ſi iis uti recte velimus. Qui vero media hæcce ſpernunt, illi juvari non poſſunt. Ideo dicitur in Pſalmo; Abibit ad progeniem patrum ſuorum, & usque in æternum non videbit lumen. Pſal. 49, 20. Quod à nobis clementer avertat miſericordiſſimus pater, per filium ſuum, Jeſum Chriſtum, Dominum & Servatorem noſtrum,

Amen.

DO-

Dominica Invocavit.

Evangelium Matth.4. v.1.-.11.

EXORDIUM.

ZAchariæ Prophetæ olim in viſione oſtendebatur ſummus Sacerdos Joſua, ſtans coram Angelo Domini: & Satanas ſtabat à dextris ejus, ut adverſaretur ei. Sed dixit Dominus ad Satanam: increpet Dominus in te, ſatan: increpet Dominus in te. Et dabat ipſi ambulantes de his, qui aſſiſtebant ei, Zach.3,1. ſeqq.

Hæc mirabilis viſio eſt, cujuſmodi Prophetæ V.T. multas habuerunt, juxta illud: Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. Num.12,6.

Joſua fuit typus Chriſti, non ſolum propter *nomen*, Joſua enim interpretatur Salvator: Sic Chriſtus ſalus Dei eſt, uſque ad extremum terræ, Eſ.49 6. Sed etiam propter *officium*. Erat enim ſummos ſacerdos. Sic Chriſtus quoque verus Pontifex N. T. eſt Heb.9,1. caput Eccleſiæ ſuæ, Eph.5,23. Dominus templi, Mal.3,1.

Joſua indutus erat veſtibus ſordidis, h.e. non ornatus erat ſanctis illis veſtibus, quæ ſummo ſacerdoti Aaroni deſtinatæ erant, Ex.40,13. Sic Chriſtus noſtri cauſa, velut maleficus morti eſt traditus, quia pater ejus cœleſtis in eum conjecerat peccata omnium noſtrum, Eſ.53.v.6 2.Cor.5. v.ult.

Pontifici Joſuæ Satanas à dextris ſtabat, ut reſiſteret ei: Sic & Chriſtus à ſatana in deſerto tentatus eſt à dextris & ſiniſtris, trifariam: ſed non potuit eum ſuperare tandemque cum ignominia eum relinquere coactus eſt. Ut enim ibi Angelus Domini dicebat; Increpet te Dominus ſatan, & dabat Joſuæ ſanctos Angelos, qui eum tuerentur; Sic & Chriſtus ſatanam tentatorem abegit, dicens: Apage ſatan! Ubi lætisſima Cataſtrophe ſequutá eſt, de qua Evangeliſta ait: Tunc reliquit eum diabolus, & ecce! angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.

Nos absq; ulteriori præfamine ad ipſum Evangel. nos conferemus, & diſcemus ex illo

I. ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*

II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

QUod primus Adam in Paradiſo eſu pomi deperdidit, id alter Adam jejunio quadrageſimali reſtituit, & vindicavit morſum calcanei, quo ab infernali ſerpente læſus, ita, ut caput ejus contriverit, Gen.3.15. tandemque in ara crucis omnia conſummaverit, Joh.19,30. Hinc omnibus nobis magnum reſultat ſolatium. Eſa.55.v.5.

Notitiam vero *noſtri* ſuppeditat nobis

1. *Chriſti examen*, quo in deſerto tentatus eſt. Quia enim Servator Baptiſmum ſuſceperat, à Johanne, ubi vox Patris cœleſtis inſonuerat: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, Matth.3,17. Hinc anſam quæſiit diabolus Chriſtum tentandi. Permittit igitur Deus id ſatanæ, filiumque ſuum hunc in finem à Spiritu Sancto in deſertum duci vult, ut cum diabolo in arenam deſcendat, & trophæum hoc inſigne reportet, eoque ſe ipſum illum Prophetam, à Moſe promiſſum, eſſe demonſtret. Deut. 18,15.

Idem omnibus veris Chriſtianis contingit, ut tentatione diaboli non poſſint ſuperſedere, ideoque ſat cauſæ habent, ex oratione Dominica precandi:

Ten-

Tentationem ne feras,
Quum nos malignus Satanas
Captat ſiniſtre, dextere;
Da fortiter reſiſtere,
Firma cataphractos fide
Sanctique Spiritus ope.

Führ uns HErr in Verſuchung nicht/
Wann uns der böſe Geiſt anficht/
Zur lincken und zur rechten Hand/
Hilf uns thun ſtarcken Widerſtand/
Im Glauben veſt und wohl gerüſt/
Und durch des Heilgen Geiſtes Troſt.

Hic proba te, mi Chriſtiane! utrum etiam hac in parte cum voluntate Dei contentus fueris, aut potius, te ſine tentatione in Chriſtianiſmo fore, tibi perſuaſeris?

Multi ſane inveniuntur, qui ideo ſaltem templum frequentant, concionem audiunt, Sacramentis utuntur, & precantur, ut à cruce & tentationibus immunes eſſe velint, quod ſi itaque calamitatibus & ærumnis infeſtantur, iniquo animo id ferentes dicunt, ex Mal. 3, 14.

Tales ſibi aureum ſeculum cum Evangelio habiturum, perſuadent, non perpendentes quod vita hominis perpetua militia ſit, Job. 7, 1. Idem enim ille diabolus, qui Chriſtum tentavit, adhuc hodie circumit, velut leo rugiens, quærens quem devoret, 1. Pet. 5

Chriſtus in deſerto, ſine dubio in Arabiæ deſerto erat, cũ à diabolo tentaretur, in quo olim Moſes & Elias tanquam typi Chriſti jejunaverant.

Nos quoque in eremo hujus mundi ſumus, quo ex paradiſo ob peccata relegati ſumus, ut igitur hic totus in maligno poſitus eſt. 1. Joh. 5, 19. ſic & nos parati ſtemus adverſus inſidias Diaboli, Eph. 6, 11. qui princeps & Deus hujus mundi nominatur, Eph. 6. v. 12. 2. Cor. 4. v. 5.

Deſerta ſunt ſterilia, in quibus præter arbuſta & ſpineta parum offenditur.

Sic in mundo hoc parum boni reperitur Periit ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt, Mich. 7. v. 2. Oſe. 4, 1. Tandem hæc ſterilis arbor delebitur & in ignem mittetur. Matth. 7, 19.

Deſerta ſunt invia, ut facile in iis aberrare poſſis, ut Hagar, Gen. 21, 14. Sic in deſerto hujus mũdi, multæ & variæ ſunt viæ, ut via meretricis, Prov. 7, 8. Via Balaam, filii Boſor, 2. Pet. 2, 15. Via augurum, Jud. 9, 37. & curvæ viæ aliæ, Pſ. 125, 5. ad perditionem ducentes, Matt. 7, 13. Ideoq; caute ambulare debemus, non ut inſipientes, ſed ut ſapientes, Eph. 5, 15. Una enim tantum via ad cœlum eſt, Joh. 14, 6. In hac ambulare nos oportet, non declinantes neq; ad dexteram, neque ad ſiniſtram, Eſa 30, 21.

In deſerto fures & latrones latent, qui viatoribus inſidiantur, Luc. 10, 30.

Sic in hoc mundo dantur viri mendaces, qui nequiores ſunt furibus, Sir. 20, 27. latrones animarum, Joh. 10, 1. & alii nefandi homines, qui proximi animæ & corpori, honori & opibus incom̃odant, inter quos pii habitant, velut inter ſpinas & ſcorpiones, Ezech. 2. v. 6.

In deſerto vagantur omnis generis feræ, ideo de Chriſto dicitur, quod fuerit μετὰ τῶν θηρίων. Marc. 1, 13. Tales quoque inveniuntur inter homines, ut Deus ipſe conqueritur. Eſa. 1, 3.

Et ſicut Iſraelitæ inter Cananitas habitare tenebantur, ut per ipſos Iſraelitas probaret, Jud. 1, 28. Sic Deus quoq; fideles ſuos in deſertum abducit, ut eos tentet, & eorum fidem exploret. Recte enim Bernhardus: *Lilium eſſe inter lilia, magnum non eſt, ſed lilium eſſe inter ſpinas, hoc vere magnum.* Sir. 13. v. 1. Sap. 4. v. 12.

Hæc tentatio bono noſtro inſervit. Sicut

Digitized by Google

enim aurum in igne, ſic homines recepti-biles in camino humiliationis probantur, Sir.2,5. Non itaque iræ indicium ſunt tentationes piorum, ſed gratiæ, Tob.12,13. At ſine tentatione eſſe periculoſiſſima tentatio eſt, hinc Gregorius: *Diabolus eos tentare negligit, quos jure perpetuo ſe poſſidere ſentit.* Piis vero inſidiatur, velut venator, Pſ.91, 3. multasque habet *μεθοδείας*, quibus eos invadit. Eph.6.v.11.

Quia enim diabolus à ſalute excluſus eſt, ideo & hominibus eandem invidet; ideoq; dies noctesque terram perambulat, Joh.1, 7. & variis technis utitur, ad homines capiendos, quodſi ſolus nequit, ſeptem ſibi aſſumit ſpiritus nequiores, Luc. 11. verſ.26. Hoc quia non latet nos, ſtemus in virtute Dei, per arma juſtitiæ à dextris & ſiniſtris, 2.Cor.6,7. apprehendentes gladium ſpiritus, & clypeum fidei. Eph.6.v.16.

III. *Diaboli tentamen.* Ubi Evangeliſta triplicem tentationem recenſet: Aggreditur enim Chriſtum

1. *Spiculo paupertatis & inopiæ*, quia enim Chriſtus eſuriit, poſtquam quadraginta diebus & noctibus jejunaverat, hinc anſam tentator cepit, dicens, ad Chriſtum: Si filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant. Sed Jeſus reſpondit: Non in ſolo pane vivet homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Deut.8.v.5.

Potuiſſet quidem Chriſtus, juxta Auguſtinum, è lapidibus panes facere, ut brevi poſt in nuptiis Cananæis aquam in vinum transmutavit, Joh.2,10. Sed noluit hoc diabolo dare. Ibi enim fides in diſcipulis ſequebatur; ſed hic fides deſperata prorſus erat. Neq; n. diaboli à Deo hanc gratiam habent: ſed ut catenis noctis ligavit eos: ſic cruciandi reſervantur in judicium, 2.Pet.2.v.4.

Quodſi itaque adhuc hodie diabolus miſeriam & inopiam tibi exprobrat, noli propterea animum abjicere, non enim Chriſtianiſmus noſter, & quod filii Dei ſumus, conſiſtit in pane naturali: Sodomitæ enim omnia in abundantia habebant, qui tamen à facie Dei abjecti, igne & ſulphure delebantur, Gẽ. 19,24. Sed in omni egreſſione oris Domini, ſine verbo promiſſionis Dei, Deut.8,3. quo ſibi confidentes lætificat, licet non ſuum, ſed aliorum frumentum & muſtum multiplicata ſint, Pſal. 44. v.8.

2. *Spiculo temeritatis & ſuperbiæ.* Adſumſit enim tentator Chriſtum in ſanctã civitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi, & dixit. Si filius Dei es, mitte te deorſum. Scriptum eſt enim: quia angelis ſuis mandabit de te: & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem, pedem tuum. His verbis ad temeritatem Chriſtum perducere ſatagit, ut vocatione ſua abjecta, ſaltum per aera faceret, & in diſcrimen vitæ veniret, ideoq; omittit, quod è re ſua non eſt, nempe *in viis tuis*, in quibus vermis maximum momentum poſitum eſt. Prov.21,8. Sed Chriſtus refellit eum viciſſim ex Scriptura inquiens: Scriptum eſt: non tentabis Dominum Deum tuum. Deut.6,16.

Hoc ſpiculo adhuc hodie multos infeſtat Diabolus, quãdo iis inanem gloriam proponit, & ambitionem animis inſtillat, ut Abſolom, 2.Sam.15,3.4. & Ario contigit.

Pertinent huc etiam funambuli, natatores & *πολυπράγμονες* alii, qui tenuis lucri gratia periculum vitæ adeunt. Item Alchymyſtæ, qui compendio diteſcere volunt, ubi tamen multi hoc ipſo in mendicantium ordinem rediguntur. Promiſit enim nobis Deus opem & ſubſidium, *in viis non in præcipitiis*, ut Bernhardus loquitur. Qui amat enim periculum, peribit in eo. Sirac. 3. v.37.

3. Spi-

3. *Spiculo ſublimitatis & avaritiæ.* Duxit enim Chriſtum in montem excelſum valde: & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia dabo tibi, ſi cadens adoraveris me. Qualis hic mons fuerit, non exprimitur. Neque enim mons tam excelſus datur, in quo omnia mundi regna conſpici poſſint. Ideoque Lucas addit, factum eſſe, ἐν στιγμῇ χρόνου. Ex quo conſtat, quod tantum phantaſma fuerit, in quo Chriſto πάσας τὰς βασιλείας τοῦ κόσμου commonſtravit.

Sed hoc admiratione dignum eſt, quod Chriſto pollicitatur: *Hæc omnia tibi dabo.* En, ſpiritum impudentiſſimum! *qui regna mundi promittit illi, qui regna cælorum credentibus præparavit*, ut Chryſoſtomus ſcribit. *Spondet, ſe omnia regna daturum, qui nihil habet, ei, qui omnia poſſidet. Ab eo jubet ſe adorari in terra, quem Angeli & Archangeli adorant in cælo.* Ideoque Chriſtus amplius auſcultare minime vult, ſed ait: Vade Satana, ſcriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.

Hic probet ſe unusquisque, annon & ipſe diabolo morem geſſerit, ut ex diffidentia adverſus Deum, ex ambitione aut præpoſtero mundi amore & gloria ejus deliquerit?

Experientia utiq; ſatis ſuperque teſtatur, multos eſſe, quibus, quando in morbos, egeſtatem, aut alias calamitates incidunt, diffidentiam ſatanas inſtillare ſatagat, ut fiduciam in Deum, preces & bonam conſcientiam abjicere debeant, ſicut idipſum in Jobo probavit, c. 2, 9. 10. Sed pii Chriſtiani non abjiciant fiduciam, ſed reputent ſecum, quod Paulus ait: Quos Deus diligit, caſtigat, Heb. 12, 6. & ſeqq.

Quot inveniuntur eorum, qui ambitione adeo efferuntur, ut ſorte ſua contenti eſſe nolint, ſed prohibita media apprehendant, quibus ad dignitatem adſpirent, ad exemplum Protoplaſtorum, qui Deo ſimiles eſſe volebant, Gen. 3, 5.

Quoties contingit, in hac mundi ſenecta, ut homines leves inveniantur, qui diabolum adorent terreni lucri ergo? & à veritate Evangelica declinantes, Deum Maozim venerentur? Dan. 11, 38. Ubi nulla alia cauſa ſubeſt, quam quod ipſis diabolus oſtendit regna mundi & gloriam eorum.

Qui igitur nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: & qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc. Ecce, venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum opera ſua, inquit primus & noviſſimus, Apoc. 22, 11. 12.

Genuini Chriſtiani gratia & ope Dei contenti ſint, nec animis cadant, licet omnia in deterius vergant, non enim mediis adſtrictus eſt naturalibus: ſed potens eſt facere ſuperabundanter, quam petimus aut intelligimus, Eph. 3. v. ult. Neque tentent Deum uti cives Bethulienſes, Judith. 8, 11. Neque prohibita media apprehendant, ut ad ſagas & ariolos ſe convertant, Levit. 20, 6. neque obturent corda, Pſ. 95. v. 8.

Caveant quoque, ne mundi pompa oculos ſuos perſtringat; Eligant magis affligi cum populo Dei, quam temporalem peccati habere jucunditatem, Heb. 11, 25. Mundꝰ enim tranſit, & concupiſcentia ejus. 1. Joh. 2.

III. *Subſecutũ levamen.* Cum n. diabolus nimis impudens eſſet, abegit eum Chriſtus à ſe, dicens: Vade Satan; Et continuo relinquere Dominum cogebatur. Et ecce! angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. Sic tandem Dominus victoriam reportavit, & ſatis probavit, ſe ideo in mundum veniſſe, ut diſſolveret opera diaboli, 1. Joh. 3. v. 8.

Digitized by Google

Hic examines velim te, utrum etiam Satanam ſic à te abegeris, vel potius opera ejus uſus fueris.

Venefici & ſagæ, qui peculiare fœdus cum diabolo pepigerunt, ipſi ut Domino ſuo, in omnibus obſequuntur, & ſic ſalutis jacturam faciunt.

Sed veri Chriſtiani abominantur ſpiritum hunc malignum & ſtudent potius ſalvatori ſuo fideles eſſe usq; ad mortem, Ap. 2,10. Licet enim hoc in mundo, duram pauperiem pati teneantur, & ſæpe plus lapidum quam panum habeant, hoc tamen ſolatio ſuſtentantur, quod poſt hanc vitam æterna futura ſit, ubi abundantia omnium bonorum ſequetur. Eſa. 65. v. 14.

Quodſi in hoc mundo in infimo ordine ſpreti & abjecti vivunt, Job. 12,5. norunt tamen ſe reges & ſacerdotes fore, Ap. 1,6. qui die & nocte Domino ſerviant, in templo ejus, Ap. 7,15. Ibi dicetur: Amice aſcende, Luc. 14,10. Sap. 5,2.

Quodſi mundanis dignitatibus & gloria deſtituantur, reputent ſecum, non ſe de mundo hoc eſſe, Joh. 15,19. Sed πολίτευμα ſuum habere in cœleſti Hieroſolyma, Phil. 3,20. & Dominum mercedem ſuam fore, ubi accipent regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini. Sap. 5. v. 17.

Si ita diabolo repugnaverimus, nihil nobis efficere poterit, ſicut nec Chriſto obfuit, omnia enim poſſumus in eo, qui nos confortat, Chriſto, Phil. 4,13. Et ſicut hic Chriſtum relinquere coactus fuit: ſic & Deus qui fidelis eſt, non patietur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, ſed faciet etiam cum tentatione evaſionem, ut poſſimus ſuſtinere, 1. Cor. 10,13. Tob. 3. v. 21. & ſeqq.

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alteram partem* χειρογωγίαν, ſive *notitiam Chriſti* contemplaturi. Hic proponitur nobis in Evangelio hoc præſente:

I. *Tanquam frater noſter ſuaviſſimus*, qui nobis in omnibus ſimilis factus eſt, excepto peccato. Heb. 2,17.18. Hoc elucet:

1. *Ex quadrageſimali jejunio.* Hoc ipſo Moſi & Eliæ ſe conformare voluit, qui etiam tantiſper ſine cibo & potu conſervati ſunt, quod quoq; procul dubio in eadem eremo factum eſt. Lucas memorat, Dominũ quadraginta diebus tentatum, ex quo colligere poſſumus, tentationem diaboli non tunc primum incepiſſe, ſed continue duraſſe. Neque enim diabolus quieſcit, ſed dies noctesque operoſus eſt, 1. Pet. 5,5. Quod vero Matthæus ſcribit, tentatorem tunc Chriſtum acceſſiſſe, hoc de tentatione graviori intelligendum eſt, qua diabolus eum invaſit, cum jam poſt quadrageſimale jejuniũ fame premeretur, quod alias quoq; ei cōtigit Mat. 21.

Nos hinc colligimus, quod verus homo, & ſic frater noſter ſit. Eſurire enim humana proprietas eſt, quæ ad temporalem hanc vitam ſpectat. In altera enim non amplius eſuriemus; Non enim regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu S. Rom. 14.17. Apoc. 7. v. 16.

2. *Ex tentationis periculo.* Erat Chriſtus Filius Dei vivi, Mat. 16,16. Et ita ille ipſe, qui prævaricationem conſummare, peccatum obſignare, & iniquitatem delere debebat, Dã. 9,24. Attamen hic cum diabolo in arenam deſcendere, & juxta beneplacitum patris cœleſtis, tentationem ejus experiri cogitur. Facile igitur cogitare poſſumus: Si hoc fit in ligo viridi, in arido quid fiet? Luc. 23. v. 31. Ideoque cum metu & tremore ſalutem noſtram operari debemus. Phil. 2,12.

Sufficiat nobis ſcire, quod Chriſtus frater noſter ſit. Quodſi enim jejunare tenemur, & ipſe ante nos jejunavit; quodſi à diabolo

tentamur, ipſe ante nos tentatus eſt: Et per meritum ſuum jejunium & tentationem, noſtram ita ſanctificavit, ut diligentibus Deum, omnia cooperentur in bonũ, Rom. 8. v. 28. ſciunt enim & humiliari & abundare, ſatiari & eſurire, Phil. 4, 12. ſciunt, quæſtum eſſe maximum, pietatem, cum animo, ſuâ ſorte contento, 1. Tim. 6, 6. Scimus præterea Diabolum ex ſe nihil poſſe, *ſi enim tantum poſſet, quantum vult, aliquis piorum non remaneret*, ut Auguſtinus ait. Coram eo enim gaudet mœror, Hiob. 41, 13. Sed poteſtas ejus ſub poteſtate eſt, & ſic ligata, ut citra Dei voluntatem, nec pediculum procreare poſſit. Exod. 8. v. 18.

II. *Tanquam proſtrator Diaboli potentiſſimus*, Sicuti enim aliàs Deus omnia ordinavit, in numero, pondere & menſura, Sap. 11. v. 22. Sic neq; Chriſtum ultra id Diabolus tentare potuit, quàm ei à Deo permiſſum fuit. Menſurâ itaq; tentationis impletâ, amolitur eum Chriſtus, inquiens: Apage ſatan! Et illicò diſcedere & mittere Chriſtum tenebatur. Hoc *conſolatione* plenum eſt.

Diabolus aliàs *ſpiritus* eſt *terribilis*:

1. *Propter potentiam*, unde etiam giganti comparatur, Eſ. 49, 25. Sicut itaq; omnes Iſraëlitæ Goliathum ſtupebant, & metuebant nimis, 1. Sam. 17, 11. Sic omnes naturâ Diabolum metuimus, quia peccatores nos eſſe ſcimus, & per peccata domum ei ornamus, ut ſcopis mundatam inveniat, & ingrediatur eam. Luc. 11, 25. Neq; ullâ corporali vi ei reſiſtere valemus, Job. 41. v. 19.

2. *Propter verſutiam.* Sicut enim peritus belli Dux, urbem vel munimentum aliquod invaſurus aut obſeſſurus, prius omnes aditꝰ explorat, ut ſciat, ubi commodiſſimè munimentum adoriri & oppugnare debeat; ſic Diabolus, ut ſpiritus verſutiſſimꝰ, *novit, cui adhibeat æſtus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ, novit, quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione ſeducat. Omnium diſcutit conſuetudines, ventilat curas, ſcrutatur affectus, ibiq; cauſas quærit nocendi, ubicunq; viderit ſtudioſius occupari*, Verba ſunt Leonis, Serm. vii. de Nat. Domini. Unde nõ incommodè mille artifex, qui nomina mille, mille nocendi artes novit, ille appellatur.

De Catilina refertur, quòd quò plures ad partes ſuas perduceret, variis modis homines ineſcaverit: *avaris offerebat pecunias, ſuperbis reip. munia, voluptuoſis voluptates*. Sic Diabolus cujusq; naturæ & complexioni ſe accommodare novit, eſt enim ſerpens directus & ſerpens tortuoſus. Eſa. 27. v. 1.

3. *Propter induſtriã.* Non enim dormit, ſed nocte quoq;, nobis dormientibus ambulat, & zizania inter triticum ſeminat. Matt. 13, 25.

Pius ille Anachoreta Antonius aliquando totum mundum reſtibus qs. opertum, cernebat, quibus exterritus, exclamabat: O Domine, quis evadet!

Quodſi & nobis oculi aperirentur, ut famulo Eliſæi, 2. Reg. 6, 18. Cum admiratione ſanè videremus, quot Diabolus laqueos explicaverit, in paupertate, & copia, in cibo & potu, in dormiendo, & vigilando, à dextris & ſiniſtris, 2. Cor. 6. v. 7.

Sed Chriſtus Servator victor eſt Diaboli, qui univerſa ejus arma abſtulit, quibus confidebat, Luc. 11. v. 22.

Si Diabolus potens, hic multò potentior eſt. Pſalm. 135. v. 6.

Si Diabolus verſutus, hic multò aſtutior eſt, novitque fideles è tentationibus eripere. 2. Petr. 2. v. 9. Prov. 21. v. 30.

Si Diabolus alacris & indefeſſus, hic multò vigilantior eſt, & nocte & die conſervans ſuos, Eſa. 27. v. 3. Pſalm. 121. v. 5.

Digitized by Google

Quæramus igitur *victoriam, per eum, qui nunquam victus eſt, ſed qui vicit in omnibus*, ut Ambroſius monet, ſic & nos vincemus propter eum, Rom. 8, 37. 1. Joh. 5, 4.

III. *Tanquam Dominus Angelorum magnificentiſſimus*. Diſcedente enim Diabolo, Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.

Sancti Angeli ideò creati ſunt, ut Deo miniſtrent, & adſiſtant, quam ob cauſam etiam πνύματα λειτυργικὰ nominantur, Heb. 1, 14 qui coram facie Dei adſiſtunt, & non ſolum ejus mandata expediunt, Pſ. 103, 20. ſed etiã Deum ter ſanctum indeſinenter celebrant, ipſiusq; gloriam, ter geminâ hymni repetitione, velut amplificant. Job. 38, 7. Eſ. 61, 1. 3.

Hoc etiam de Chriſto intelligendum venit, qui tanto melior Angelis effectus, quanto excellentius præ illis nomen hæreditavit. Hebr. 1. v. 4. Phil. 2. v. 10. 11.

Angelus conceptionem ejus annunciavit, Luc. 1. In Nativitate ejus totus militiæ cœleſtis exercitus apparuit, & intonuit: Gloria in Excelſis Deo, Luc. 2. v. 30.

Joſepho Angelus in ſomnio apparuit, & fugam Ægypti conſuluit, cùm Herodes quæreret puerum perdere, Matth. 2. v. 13.

In paſſione Angelus ipſum confortavit. Luc. 22. v. 43.

In reſurrectione Angeli mulieribus apparuerunt, & dixerunt: Surrexit, non eſt hic. Marc. 16. v. 6.

In Adſcenſione Angeli currum ejus triumphalem adornarunt, cumq; in numero vicies centenorum millium comitati ſunt. Pſ. 68. v. 18. Die noviſſimo rediturus eſt in majeſtate ſua, & omnes ſancti Angeli cum eo. Matth. 25. v. 31.

Ex quibus omnibus ſatis apparet, quod Jehova ille ſit, qui angelos ſub obſequio habet.

Rex Salomo quadraginta millia equorũ habebat, qui ad currus jungebantur, & duodecim millia equeſtrium, quos præfecti Salomonis nutrire tenebantur, 1. Reg. 4, 26.

Hoc nihili æſtimandum venit, ratione Chriſti. De hoc enim dicitur: Millia millium (Angelorum) miniſtrabant ei, & decies centena millia adſiſtebant ei. Dan. 7, 10. Propterea vocatur Dominus Zebaoth, Pſ. 24. v. 10. In quorum numerum quoq; ſancti Angeli referendi ſunt, qui omnes ipſi à ſervitiis ſunt, & celeres, inſtar ventorum, mandata ejus exequi tenentur. Pſalm. 104. v. 4.

Quapropter cum animi piâ devotione eum invocemus, quodſi enim infernalis ille tentator ad nos venit, jaculis ſuis ignitis nos læſurus, dabit ille nobis, de his, qui adſiſtunt ſibi, ut in Exordio ex Zacharia audivimus: hi nos cuſtodient, in omnibus viis noſtris, Pſalm. 91. v. 11. & tandem in hora mortis animam noſtram, quando corpore ſoluta eſt, portabunt in ſinum Abrahæ, Luc. 16. v. 11. Ubi nullum tanget eam tormentum. Sap. 3. v. 1. Largiatur hoc nobis Deus ter Opt. Max. per Jeſum Chriſtum, Dominum & Salvatorem noſtrum!

Amen.

Dominica Reminiſcere.

Evangelium. Matth. 15. v. 21. --- 28.

EXORDIUM.

Cum Amalekitæ in Raphidim irrupiſſent, & extrema Iſraëlitarum caſtra, quæ ex mulieribus & liberis conſtabant, percuſſiſſent, Moſes Joſuæ mandabat, ut eligeret viros, & pugnaret adverſus Amalec, ipſe verò adſcendebat ſuper verticem col-

collis. Cumq; levaret manum Moſes, vincebat Iſraël; ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec. Ideò Aaron & Hur etiam adſcendebant montem, & quia manus Moſi erant graves, non ſolùm ſumentes lapidem poſuerunt ſubter eum, in quo ſedit: ſed etiã ſuſtentarunt manus ejus ex utraq; parte, dũ Joſua Amalec planè deleviſſet. Hæc mirabilis erat victoria, propterea Deus mandabat Moſi, ut hoc ob monumentum in libro ſcriberet; & Moſes ipſe grato hoc animo agnoſcebat, ædificato altari, quod vocavit: Jehova Niſſi, Dominus vexillum meũ. Exod. 17.v.8. & ſeqq.

Ex hoc cognoſcere poſſumus, vim devotæ & indefeſſæ orationis, cui adhuc hodie ſtudere debemus: ſcimus enim infernalem Amaleck nihil boni machinari, ſed dies noctesq; ambulare, ut nobis viam ad cœleſtem patriam intercludat. Imprimis verò invadit mulieres & pueros, h.e. ſimpliciores, ſive infirmos in fide, qui ei non æq; reſiſtere valent ac illi, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus, ad diſcretionem boni & mali, Heb.5,14. Quando verò cum Moſe ſuper verticem collis adſcendimus, h. e. ab omnibus terrenis cor abſtrahimus, & ad Deum elevamus, qui operatur ſalutem in medio terræ, Pſ.74,12. Et ſimul, ſi manus graves eſſe incipiunt, illas fulcimus, ex una parte, Dei veritate, quòd mentiri nequeat, Heb. 6.v.18. ex altera parte, Dei omnipotentiã, qui non modò exauditionem nobis promiſit: ſed & potens eſt implere promiſſa, Eph. 3.v.20. Ante omnia verò ſuper Chriſto preces noſtras fundamus, qui verus ſalutis noſtræ lapis angularis eſt, Eph.2,20. nihil adeò difficile erit quin impetremus: Pater enim diligit filium, Joh.5,20. Et quæcunq; petierimus Patrem in nomine ejus, dabit nobis, Joh.16,23. Ideò ſonticam cauſam habemus, ut exſtruamus Domino altare, cum hac inſcriptione: Jehova Niſſi, Dominus vexillum meum, in fortitudine ſalutis dexteræ ſuæ, Pſ.20,7. propterea in diebus meis invocabo eum, Pſalm.116.v.2. Pſalm.13.v.6.7.

Egregium Exemplum habemus in muliere Cananæâ, in prælecto Evangelio, quæ adeò ardenter & inſtanter oravit, ut Chriſtum, utut ſe valde inhumanum & auſterũ præbuerit, tandem vicerit, & victoriam reportarit, ſiquidem ipſe in calce Evangelii palmam ei tribuit, dicens: O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis. Ideoq; & ipſa dicere potuiſſet: Jehova Niſſi. Quod ſi enim verum eſt, quod Patrum nonnulli exiſtimãt, quod mulier hæcce è poſteris viduæ Zarpath fuerit, quæ in annonæ anguſtiis Eliam hoſpitio excepit. 1. Reg.17,15. Deus horum beneficiorum eam participẽ reddidit, ut per fidem hæc ethnica mulier ſuperaverit, & tantum Elogium à Chriſto reportaverit, de quo uſq; ad diem ultimum in Eccleſia Dei prædicabitur, ad inſtar mulieris, quæ Chriſtum in domo Simonis leproſi Bethaniæ unguento pretioſo delibutum reddidit, Matth.26.v.13.

Nos abſq; ulteriori præloquio ad ipſum Evangelium nos convertemus, pro inſtituti ratione conſideraturi,

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

HOdierna Dominica appellata olim fuit *Reminiſcere*, quia in Eccleſia Latina ſub initium cultûs divini cantatum eſt: Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiarum tuarum, quæ à ſeculo ſunt, ex Pſalm.25.v.6.

Hoc mulier Cananæa ſedulò egit, quæ Chriſto Reminiſcere hoc, tamdiu ingeminavit, donec

Digitized by Google

donec tandem reſponderit: Fiat tibi, ſicuti vis. Ideò hodie Eccleſia nobis fidem ejus proponit, ut diſcamus ab ea, quomodo & nos in ſpiritualibus tentationibus, quando Deus faciem à nobis abſcondidiſſe videtur, ad exemplum ejus precibus inſtare, & tamdiu opem Dei implorare debeamus, dum reſpondeat nobis, Fiat, fiat, hæc ita debent evenire.

Notitiam noſtri verò diſcere poſſumus, quando perpendimus:

I. *Filiolæ tribulationem*, quam h.m. mulier Cananæa Chriſto proponit: Miſerere mei Domine, fili David: Filia mea malè à Dæmonio vexatur. Κακῶς δαιμονίζεται eſt in Græco, quo ipſo innuitur, Diabolum corporaliter eã obſediſſe, & miſerandis modis cruciâſſe, ut neq; dies neq; noctes quiete frui illa potuerit. Marc. 7, 25. appellat θυγάτριον, & memorat ſimul, quod habuerit, πνεῦμα ἀκάθαρτον: ſpiritum immundum, unde colligi poteſt, quod non modò à Diabolo miſerè afflicta: ſed & ad maledictiones & blaſphemias impulſa fuerit.

Hoc miſeriæ ſpeculum matri quotidie ante oculos verſabatur, quô mirificè illa turbata fuit. *Poſt ſenſũ enim iræ divinæ, ſummus eſt dolor illi, quẽ parentes ex calamitate ſobolis percipiunt*, ut Philippus Melanchton ait. Exempla habes in Hagar, Gen. 21, 16. Jacobo, Gen. 37, 34. David, 2. Reg. 4. v. 17. aliiſque.

Idem adhuc hodie in parentibus cernimus, quantâ ægritudine & mœrore conficiantur, ſi liberorum ærumnas intueri coguntur.

Φίλτρῳ γὰρ συνέζευξε θεὸς τοκέας τε γονῆας

inquit Gr. Nazianzenus. Ita Deus parentes & liberos conglutinavit, acſi in poculo ipſis amorem infudiſſet. Si itaq; liberis bene, & illis bene eſt: ſin malè, non major iis dolor accidere poteſt.

Hic examines velim te, mi Chriſtiane, ſi ejuſmodi malum incurris, annon peccatis tuis id provocaveris?

Hoc ſæpiuſculè fieri certum eſt. Familiare enim Numini ſupremo eſt, ut peccata parentum in liberis puniat, quia novit, majorem inde ſollicitudinem parentibus advenire, quàm ſi ipſorum corpus affligat. Liberorum enim dolor proprius dolor, Kinder kommen von Hertzen / und gehen wieder zu Hertzen / ut in Proverbio dicitur. Hinc parentes ſæpe adeò affligantur, ut qs. ſtupeſcant, & miſeriam lacrymis delere nequeant. Imò ſæpe præ nimia animi ægritudine lacrymam nullam emittere queunt, & reipsâ probant illud Pſammenitti: *Domeſtica mala majora ſunt lacrymis.*

Sedulò igitur providendum eſt, ne in juventute, impiâ vitâ noſtrâ aliquid intriverimus, quod deinde, poſtquam conjugium contraximus, liberis noſtris exedendum ſit, ut Iſraëlitæ de eo querebantur, Ezech. 18, 2.

Deus enim Dominus noſter, fortis eſt Zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem. Exod. 20. v. 4.

Caveamus quoq; diligenter, ne ad exemplum impiorum parentum liberis noſtris maledicamus, & mala imprecemur, aut diris eoſdem devoveamus. Benedictio enim patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris evertit fundamenta. Sir. 3. v. 10.

Potius noſtrum erit, eoſdem educare in timore & diſciplina Domini, Eph. 6, 1. Eoſdẽ caſtigare. Stultitia enim colligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ fugabit eam, Prov. 22, 15. Bonis exemplis prælucere, & precibus eoſdẽ Deo commendare, Exemplo Abrahami, Gen. 17, 18. Sic nullã in iis potentiam ſatanas inveniet, cui aliàs volupe eſt nobis,

Digitized by Google

nobis, noſtrisq; incommodare, Job41,13. Pſal.109.v.27.

II. *Matris ſupplicationem.* Et ecce, mulier Chananæa à finibus illis egreſſa, clamavit, dicens: Miſerere mei Domine, fili David: Filia mea valdè à Dæmonio vexatur. Marcus vocat Syrophœniſſam & gentilem. Quia itaq; multa de miraculis Chriſti audiverat, ideò quoq; ipſi miſeriam ſuam exponere vult, & firmâ hâc fiduciâ nititur, per Chriſtum ſe & filiam ſuam ab hoc malo liberatum iri.

Hoc ideò nobis proponitur, ut ab hâc muliere diſcamus, quorſum in calamitatibus ire, & ad quem convertere debeamus nos, auxilium & liberationem imploratum.

Hic velim examines te, mi Chriſtiane, utrum in adverſis, quando uxor & liberi adversâ valetudine laborarunt, aut pecudes veneficio infectæ fuerunt, aut alius caſus incidit, juſto loco auxilium quæſitum iveris?

Hæc res magni eſt momenti. Calamitas quidem & ærumnæ nunquã deficiunt, quotidiè infortunium præ foribus quieſcit, ſed multi verum opitulatorem in malis non volunt agnoſcere, derelinquentes fontem aquæ vivæ, & fodientes ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas, Jerem. 2. v. 13.

Sic in Papatu liberi Sanctorum cuipiam devoveri ſolent, ſi forſan morbus ei obrepat. Multi ad Sagas, veneficos & alia Diaboli organa currunt, & ibi opem quęrunt, uti Saul, 1.Sam.28. v. 7. ſeqq.

Sed impium hoc eſt, & veris Chriſtianis indignum!

Mulier Cananæa rectâ ad Chriſtum ivit, qui in mundum ideò venit, ut diſſolveret opera Diaboli, 1.Joh. 3. v. 8. & ſalutem operatur in medio terræ, Pſalm.76.v.12.

Idem etiam nobis faciendum eſt. Imò veri Chriſtiani citius mortem oppetere debent, quàm per iniqua, nedum venefica media vitam conſervare, aut convaleſcere velle. Anima enim magis eſt quàm corpus. *Omnia nobis duplicia dedit Dominus, duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes, ſi igitur alterum horum lædatur, per alterum conſolamur neceſſitatem: Animam verò unam tantùm dedit, ſi hanc perdiderimus, quâcunq; vivemus?* inquit Chryſoſtomus.

Omnes enim qui per venefica ejusmodi media, cujus cujus farinæ illa ſint, ſanantur, corporis quidẽ interdũ levamen ſentiunt: ſed anima graviſſimè ſauciatur. Ergò quilibet audiat vocem Angeli: Salva animam tuam, Gen. 19, 17. Matth.16, 26.

III. *Apoſtolorum interpellationem.* Cum enim mulier illa fruſtrà Dominum inclamarct, diſcipuli, commiſeratione moti, accedentes, rogabant Eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat poſt nos.

Pontificii hoc ipſo invocationem Sanctorum ſtabilire ſatagunt. Sed fruſtrà. Neq; enim hic legimus, mulierculam hanc, Petrũ, Jacobum, Johannem, aut B.Mariam invocaſſe: potius illa *ad fontem* ſe confert, ut Chryſoſtomus ait, fontẽ nempe miſericordiæ, qui eſt Chriſtus, inquiens: Domine fili David, miſerere mei! Prætcrea ex verbis diſcipulorum colligere non poſſumus, quòd eum in finem pro eâ interceſſerint, ut ipſi opem ferrent: ſed præ impatientiâ potius eos hęc verba protuliſſe videtur, q.d. Dimitte, & amolire eam, ne nobis clamore ſuo moleſta ſit. Simile exemplum occurrit, Marc.6, 36.

Poſitô autem, diſcipulos pro hâc mulierculâ interceſſiſſe, hinc tamen minimè ſequitur, ſanctos demortuos, aut animas corpore ſolutas de interceſſione invocandas eſſe. A-

R braham

Digitized by Google

braham enim neſcit nos, & Iſraël ignorat nos, Eſa.64.v.16. Hinc Elias ad Eliſam in cœlum adſcenſurus ait: Poſtula quod vis, ut faciam tibi, antequam tollar ad te, q. d. jam opportunũ eſt, me verò ablato, fruſtrà precaberis, 2.Reg.2.v.9.

Hic interroges te velim, mi Chriſtiane! utrum & tu proximo tuo inſervieris, & pro eo, ubi opus fuit, interceſſeris?

Hoc officium noſtrum requirit.

1. *In foro poli.* Sic enim Jacobus: Orate pro invicem, c.5.v.16. Et Paulus jubet obſecrationes & orationes fieri pro omnibus hominibus, 1.Tim.2.v.1. Hoc mandatum Dei eſt, cui obtemperare tenemur. Sed hoc diſcrimen obſervandum eſt, quantum hoſtes veritatis concernit, quod trifariam conſiderari debeant. Quidam enim perſequuntur eccleſiam, & ejus membra, ex ignorantiâ, pro his orandum eſt, ad exemplum Chriſti, & Stephani: Domine ne ſtatuas illis peccatum hoc, quia neſciunt, quid faciant, Act.7.v.ult. Alii faciunt ex præcipitantiâ, quia ab hoſtibus veritatis ita perſuaſi ſunt, cùm tamen aliâs non adeò mali ſint, & ſpes ſit ipſos converſum iri, ſi modò melius informari poſſent. Pro his orandum, ut aut Deus convertere, aut eorum propoſitum inhibere velit, Prov.16.v.9. Nonnulli verò ex petulantiâ faciunt, ibi ſalvâ conſcientiâ precibus pro iis abſtinere poſſumus, uti Samuel pro Saulo orare prohibebatur, 1.Sam.15.v.35. Et Jeremias pro impiis Iſraëlitis, Jerem.7 v.16. Huc omnes imprecationes adverſus impios pertinent, Pſ.55,24. Pſ.109,6. Pſ.129,5 Et imprimis zelus Pauli: Utinam exſcindantur, Gal.5,12.

Hoc ergò fideliter obſervabimus, ut ſemper pro nobis invicem oremus. Paſtores pro Auditoribus, ad exemplum Samuelis, 1. Sam.12.v.23. Auditores pro Paſtoribus, ad exemplum ſanctorum Hieroſolymitanorum, Act.12.v.12. Pii Magiſtratus pro ſubditis, exemplo Davidis, 2.Sam.24.v.17. Subditi pro Magiſtratu, ut captivi Judæorũ in captivitate Babylonicâ pro NebucadNezare, Jer.29,7. Parentes pro liberis ſuis, uti Abraham, Gen.17.v.18 Liberi pro parentibus, ut quartum præceptum requirit. Hoc non fruſtraneum erit. Voluntatem enim timentium ſe, faciet Deus, & clamorem eorum exaudiet, Pſ.145.v.19.

2. *In Foro ſoli.* Aperi os tuum muto, & age cauſam omniũ, qui exterminantur, Prov.31,8. Neque Paſtoribus vitio vertendum, ſi quando pro Auditoribus ſuis intercedant. Sic enim Concilii Sardicenſis decretum ſonat: *Honeſtum eſt, ut Epiſcopi interceſſionẽ his præſtent, qui aliquâ vi opprimuntur, aut ſi vidua affligatur, aut pupillus exſpolietur.* Quã interceſſionem Eliſæus Sunamitidi offert, 2.Reg.4,13. Hoc caritas Chriſtiana requirit, Rom.12,15. Gal.5,13. 1.Petr.1,11.

De Secundo

PErgemus nunc ad alteram partem, χριςογνωσίαν ſive *notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti* contemplaturi. Is nobis hîc commendatur:

1. *Tanquam fidei noſtræ probator*, qui ſuos probat, ut fides multò pretioſior ſit auro, quod per ignem probatur, 1.Petr.1,7.

Exemplum habemus in muliere Cananæâ, quæ multa de Chriſto audierat, ut Marcus teſtatur, quo ipſo fidem cõceeuta erat in eum, ceu mundi promiſſum Meſſiam, unde non dubitat, quin ſibi quoque opitulaturus ſit: ſed Chriſtus ſeſe tam auſterum erga eam exhibet, ut minimè mirum, ſi ipſa, re infectâ, diſceſſiſſet.

Hic adhuc hodie ejus mos eſt. Fides præcipuum

Digitized by Google

cipuum noſtrm ornamentum eſt: Per hanc enim habitat Chriſtus in cordibus noſtris, Eph.3, 17. & vires ſuppeditat homini interiori, ut corroboretur ſpiritu, & mundum cum principe ſuo vincat, 1. Joh. 5,4.

Quia verò multi de fide gloriantur, & ore dicunt, Domine, Domine, Matth.7,21. factis a. negant, Tit.1,16. vel tempore tentationis deficiunt, Luc.8,13. ideò ſæpè inſtituit Dominus examen, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant, 1.Cor.11,19. non quidem reſpectu ſui, ipſe enim corda & renes ſcrutatur Jer 17,10. & ſcit quid in homine ſit, Joh.2. v.25. ſed in noſtrũ commodum, ne exiſtimemus, nos aliquid eſſe, cùm nihil ſimus, Gal. 6,3. ſed cum Paulo gloriemur in infirmitatibus noſtris, ut inhabitet in nobis virtus Chriſti, 2.Cor.12,9.

Mulierem Cananæam Chriſtus probavit trifariam.

1. *Silentio.* Non enim reſpondit ei verbũ. Hæc gravis erat tentatio, quâ non parum turbata illa fuit. De Meſſiâ enim prædictum erat, non turbulentus nec triſtis erit, Eſ. 24. v.4. Antequam clament, ego exaudiam, Eſ. 65,24 Nec minus ab aliis commendatus erat, quod afflictos libenter audiret, & adjuvaret: ſed hîc contrarium illa experitur.

Multi adhuc hodiè idem experiuntur, ut calamitatibus preſſi, putent, occluſiſſe eum orationem ſuam, & concluſiſſe vias lapidibus quadris. Thren.3,7.8. hinc querelæ: Domine uſque quò, Pſal. 13,1.

At non propterea animum abjicere debemus, ſed ſemper inſtare, & cum Jacobo dicere: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi, Gen.32,26. Et juſto tempore ſubſidio veniet nobis, precesq; noſtras exaudiet, juxta illud Hiobi: licet hæc celes in corde tuo, tamẽ ſcio, quia univerſorũ memineris. c.10, 13. *Ideò enim non vult citò dare, ut tu diſcas ardèntius orare,* ut Auguſtinus ait. Neq; n. tempus ſibi præſcribi vult, qui opportunũ juvãdi tempus optimè novit. Vid. Luc.18,8.

2. *Repudio.* Non enim ſum miſſus, ait, niſi ad oves, quæ perierunt, domus Iſraël, q.d. tu gentilis es, ideò beneficia mea ad te nõ pertinẽt, quæ ſanè duriora verba ipſi Cananææ cauſam præbere potuiſſent ad vale Chriſto dicendum. Non autem hæc ita intelligenda ſunt, acſi Chriſtus non omnium hominũ ſalvator ſit, nec ad eos redimendos in mundum venerit: ſed diſcrimen facit Chriſtus, inter munus propheticum & Sacerdotale. Hoc univerſale eſt, & ad omnes homines pertinet, 2. Cor.5,15. Illud v. propriè Judæos concernebat, & quidem *ratione ordinis*, quibus prius Evangelium prædicandum erat, quàm ethnicis, Act. 13 46. unde etiam Miniſter circumciſionis ille dicitur Rom.15,8.

Quodſi igitur & nobis dubitatio ſuboritur, utrum ad vitam æternam electi ſimus, non nimis ſcrupuloſi ſimus, ſed nitamur univerſali Dei promiſſione, qui omnes laborantes & oneratos ad ſe vocat, Matth.11,28. Nec curemus, quicquid alii in contrarium afferant, non dubitantes, quin Deus nolit ullos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti, 2.Pet.3,15.16.

3. *Opprobrio.* Poſtquam enim denuò illa inſtat, dicens: Domine, adjuva me. Ille tertiò repudiat eam, ajens: Non eſt bonum, ſumere panem filiorum, & mittere canibus. Judæos vocat filios Dei, gentiles verò canes, qui foris ſunt, Apoc. 22,15.1.Cor.5,12. Illa dolorem diſſimulans, Chriſti verba apprehendit, eumq; quaſi proprio, ut dicere ſolemus, gladio jugulat, dicens. Etiam, Domine. Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorũ. Sic Dominum cogit, ut micas gratiæ ſuæ ſibi concedat, ad exemplum Davidis, Pſ.27,8.

Digitized by Google

Quodſi igitur & nobis conſcientia noſtra evigilat, ratione peccatorum commiſſorum, ut nos indignos reputemus, oculos noſtros ad cœlum attollere, & gratiam divinam precibus ſollicitare: Indignitatẽ noſtrã nos abſterrere nõ patiamur, ſed verbo promiſſionis firmiter inhæreamus, in quo Deus omnibus ſeriam pœnitentiã agentibus gratiam & remiſſionem peccatorum promiſit. Nihil itaq; reſtat, niſi ut è colluvie peccatorum ſurgamus, per ſeriam pœnitentiam, & cum filio perdito dicamus: Pater, peccavi in cœlum, & corã te, jam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me, ſicut unum de mercenariis tuis, Luc.15,18. Tum Deus, qui nihil magis deſiderat, quàm converſionẽ noſtrã, reſpondebit: Quod locutus ſum tibi, adhuc recordor. Iccircò conturbata ſunt viſcera mea ſuper te: miſerens miſerebor tui. Jer.31.

Hic optimus modus eſt, omnes tentationes ſuperandi; Qui verò incredulus eſt, non erit recta anima ejus in ſemetipſo, Hab.2,4.

II. *Tanquam fuga ſanctificator.* Chriſtus Phariſæos & Scribas acriter objurgaverat, & vaticinium Eſaiæ iisdem applicaverat, Eſa. 29,13. Id nimis moleſtum iis erat, ideoque conſilium inibant, quomodo ipſum occiderent. Hoc verò Chriſto, ut καρδιογνώστῃ, clam non erat, propterea egreſſus eſt inde, & ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis.

Hoc ipsô docere nos voluit, ut cuilibet aliàs Chriſtiano: ſic & Eccleſiæ Paſtoribus permiſſum eſſe, fugam in perſecutione apprehendere, unde etiam Diſcipulos ſuos ita inſtruxit: cum perſequentur vos in civitate iſtâ, fugite in aliam. Matth.10,23. Idem fecit Paulus, Act.9,23. & Petrus, Act.12,19. Sicut & primæ Eccleſiæ Doctores, Athanaſius, Chryſoſtomus, Ambroſius aliiq;. Qui enim amat periculum, peribit in eo, Sir.3,27.

Quodſi verò univerſalis perſecutio ingruit, quæ toti eccleſiæ communis eſt, non Paſtorem ſolum concernens: tum Paſtor cũ oviculis manere, & pati debet, quod Deus ſibi, & Auditoribus ſuis decrevit, hoc ſolatio fretus, quod non patiatur, quaſi homicida, aut fur, aut maleficus: ſed ut Chriſtianus, glorificans Deum in iſto nomine, 1.Petr.4. v.15.16.

Licet enim nullæ delitiæ ipſum comitentur, fretus tamen bonâ conſcientiâ ſuâ, angelorum quoque comitatu & protectione gaudere poteſt. Imò Chriſtus ipſe fugâ ſuâ, noſtram ſanctificavit, nobisque perennem mãſionẽ in cœleſti Hieroſolymâ acquiſivit, ubi cum ipſo ſemper erimus, 1.Theſſ.4,17.

Væ autem illis, qui occaſionem præbẽt, ut verbi miniſtri etſi innocentes in exilium abigantur: Dominus enim numerat fugas eorum, Pſalm.56.v.9. & gemitus eorum, quos ad cœlum mittunt, non abſconditi ſunt ab eo, Pſal.38,10. ideoque juſtum erit apud Deum, reddere iis, qui affligunt nos, afflictionem: & nobis, qui tribulamur, requiem, in revelatione Domini Jeſu de cœlo, 2.Theſſ.1.v.6.7.

III. *Tanquam perſeverantiæ coronator*, qui omnibus maſculè certantibus pulcherrimam coronam impoſiturus eſt: Qui enim perſeveraverit uſque ad finem, hic ſalvus erit, Matth.10.v.22.

Mulier Cananæa omnes tentationes Chriſti fortiter ſuperat, ideò eleganti eam Chriſtus ornat coronâ, dicens: O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi, ſicut vis. Et ſanata eſt filia ejus, ex illâ horâ.

In hoc mundo, Imperatores & Reges coronis inſigniuntur. Imò Pontifex Romanus triplicem portat coronam, quâ denotatur, quod in cœlo, in terra & ſub terrâ domi-

dominetur. Sed hæ coronæ non adeo conſtantes ſunt, Deus enim facile vanam, vanam, vanam facere poteſt, ejuſmodi coronam, Ezech. 21. v. 27. juxta illud Siracidis: Rex hodie eſt, & cras morietur, c. 10. v. 12.

Imo terrenæ hæ coronæ ſæpe plus moleſtiæ, quam voluptatis afferunt.

Memorabile eſt, quod in Comitiis Auguſtanis, Anno 1530. accidit. Cum enim Imperatori Carolo V. Germani nonnulli Principes homagium præſtarent, ille ſub cœlo quodam, in hunc finem adornato, ornatu Cæſareo ſedebat, Coronam Imperatoream in capite geſtans cum autem poſt nonnullos actus abſolutos quidam alii adhuc abſolvendi reſtarent, moleſtia coronæ Imperator affectus juſſit demi. Hoc poſt deliberationem factam fecerunt, Electores, Moguntinus, & Palatinus, tradentes Regi Ferdinando aliquantiſper tenendam. Sed hic quoque tædio ejus captus., dedit eam Baroni de Limburg, qui poſtquam aliquamdiu eam in manu tenuit, pari ejus moleſtia affectus eſt.

Ita comparatum eſt, cum terrenis coronis; ſed cœleſtis gloriæ corona, eſt immarceſſibilis, 1. Petr. 5. v. 4. Hac redimitus fulgebit ut ſol, in regno Patris, Matth. 13. v. 43. Eſt corona vitæ, Apoc. 2. v. 10. hanc qui geſtat, non læditur à morte ſecunda, Apoc. 2. v. 11. Eſt corona perfectæ ſapientiæ Sir. 6. v. ult. hanc qui habet, plenus erit cognitionis Dei, eumque videbit ſicuti eſt, 1. Joh. 3. v. 2. & à facie ad faciem, 1. Cor. 13. v. 12. Eſt corona juſtitiæ, 2. Tim. 4. v. 8. hac inſignitus, nulla afficietur injuria, nihilque injuſti unquam patrabit, ſed veniet in tabernaculum juſtorum, ubi juſtitia habitat, 2. Pet. 3. v. 13. Rom. 14. v. 17. Id quod largiatur nobis Deus ex gratia per filium ſuum Jeſum Chriſtum, Dominum & Redemtorem noſtrum, in Spiritu Sancto, Amen.

Dominica Oculi.

Evangelium Luc. 11. v. 14. -- 29.

EXORDIUM.

CUm Saulus Rex Iſraelitarum, voci Dei minus auſcultaſſet, Spiritus Dei receſſit ab illo, & exagitavit eum Spiritus malus à Domino. Unde ſuaſu ſervorum ſuorum quæri juſſit hominem, ſcientem pſallere cithara, adductusque eſt David ad Saulum: quandocunque igitur ſpiritus malus veniebat ſuper Saulem, tum David tollebat citharam, & ludebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & bene habebat: recedebat enim ab eo ſpiritus malus. 1. Sam. 16. v. 15. ſeqq.

Hac Hiſtoria egregium typum continet, hodierni Evangelii.

Quod enim David reſpectu Saulis cithara ſua effecit: Idem filius Davidis Servator noſter pientiſſimus multifariam in diebus carnis ſuæ præſtitit, per verbum vivum & potentiſſimum, quod ex ore ejus egreſſum eſt; cujus plurima exempla habemus, in

Novo teſtamento, inprimis in prælecto Evangelio, ubi nobis miſeriæ ſpeculum proponitur, in homine obſeſſo, quem diabolus ita perdiderat, ut ſurdus, mutus & ut Matthæus addit, c. 12. v. 22. cœcus eſſet. Sed Chriſtus Servator expellit diabolum per digitum Dei, & reſtituit hunc hominem, ut ſenſibus ſuis uti potuerit, quos ſatanæ truculentia corruperat.

David delineatur, quod fuerit fortiſſimus robore, vir bellicoſus, & intelligens rem, vir pulcher & Dominus cum eo, Pſ. 18. Hæc omnia in Chriſto in gradu excellentiori reperiuntur, eſt enim Dominus fortis & heros, Dominus heros in prælio. Pſalm. 24. v. 8.

David leonem & urſum percuſſit, & ovem ex ore eorum liberavit, 1. Sam. 17. v. 35. Chriſtus diabolum, qui circuit, velut leo rugiens invaſit, 1. Petr. 5. v. 8. eumque non modo ſæpe expulit, ubi quem expreſſerat, Act. 10. v. 38. ſed arma quoque ejus abſtulit, in quibus confidebat, ut ipſe teſtatur in Evangelio. Ut nos quoque metu ejus ſoluti ſimus, ſi victoriam ejus, per paſſionem, mortem, reſurrectionem & aſcenſionem nobis partam, vera fide apprehendamus, omnia enim poſſumus, in eo, qui nos confortat, Chriſto. Phil. 4. v. 13.

David intelligens erat in omnibus rebus: Chriſtus ſimiliter, Col. 2. v. 3. Pſal. 147. v. 5.

David erat pulcher Sic & Chriſtus. Pſal. 45 v. 3.

Cum *Davide erat Dominus*: In Chriſto tota plenitudo divinitatis habitat σωματικῶς, corporaliter. Col. 2. v. 9.

Agnoſcamus proinde Chriſtum, ut Prophetam illum, quem Deus per Moſen mittere promiſit. Deut. 18. v. 15. qui cum in finem in mundum venit, ἵνα λύσῃ ut diſſolvat opera diaboli. 1. Joh. 3. v. 8.

Sicut autem David malam mercedem reportavit: Saulus enim lancea miſſa, percuſſurus erat eum, & confixurus cum pariete: Sic etiam Servator noſter, ob præclarum in obſeſſo patratum miraculum, varias calumnias ſuſtinere coactus fuit, quaſi commercium cum diabolo haberet, & per Beelzebub principem diabolorum ejuſmodi miracula patraret. Quæ blaſphemiæ haud ſecus ac lanceæ & ſagittæ cor ejus vulnerarunt, gladii enim fulgentes ſunt filii hominum, dentes eorum haſtæ & ſagittæ: & lingua eorum, gladius acutus. Pſal. 57. v. 5.

Sed ad ipſum Evangelium nos accingemus, tractaturi ex illo:

I. Ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri*.

II. Χριστολογίαν, ſive *notitiam Chriſti*.

J. J.

Exegeſis.

Sicut Chriſtus ſuos aquilis comparat. Mat. 24. v. 28. quæ acie oculorum pollent, Job. 39. v. 32. Ita hodierna Dominica Oculi, indigemus oculis aquilinis, quo caute ambulemus, Eph. 5. v. 15. & generis humani hoſtem hæreditarium obſervare poſſimus, ne nos infeſtet, ſpiritualiter, aut corporaliter. Ita enim μεθοδείας ſuas occultare callet, ut non ante animadvertamus eas, quam nos in retia ſua pertraxerit, unde vocatur ſerpens directus, & ſerpens tortuoſus, Eſ. 27, 1.

Utriusque exemplum habemus in Evangelio noſtro: *Corporaliter* obſederat diabolus miſerum illum hominem, quem ſurdum mutum, & cœcum reddiderat. *Spiritualiter* vero calumniatores Phariſæos, & ſcribas, qui hoc miraculum Principi dæmoniorum, Beelzebub adſcribunt, Chriſtumque calumni-

Digitized by Google

[ca]lumniantur, quod commercium cum diabolo habeat, ut ſponte ſua ille, juſſu Chriſti, ex obſeſſis migret. Hæc nefanda erat calumnia, à diabolo orta, qui quidem obſeſſum reliquerat, at Scribas & Phariſæos ſpiritualiter occupaverat, ut calumniando ſibi miniſtrarent: *mentiri* enim & *calumniari*, & *inficiari* diabolo, ejusque organis familiaria ſunt, unde κατ᾽ ἐξοχὴν διάβολος καὶ ψεύστης; ab initio ille appellatur. Joh. 8. v. 44.

Nos hinc anſam capimus, ad *notitiam noſtri* perdiſcendam, quando contemplamur:

I. *Diaboli obſeſſionem*, qua adhuc hodie homines infeſtat:

1. *Corporaliter*, quando permiſſu Dei homines occupat, eorumque organis ad libitum ſuum abutitur, ut loquantur, & quidem præter voluntatem, quod nefas eſt, & faciant, quod abominandum eſt, in quos, quaſi in cloacam diabolus omnem peccatorum colluviem congerit, ut voluntatem ſuam inviti expedire teneantur. Talis eſt obſeſſus hic in Evangelio noſtro, cui præcipuos ſenſus diabolus obſtruxerat ut iis uti non poſſet. Simile exemplum habuimus ante octiduum in filia mulieris Cananææ. Vide plura obſeſſorum exempla, Matt. 8. v. 28. Marc. 5. 4. Marc. 9. 21. Luc. 8. v. 2. 29. ex quibus truculentia ſatanæ ſatis apparet; ideoque non ſecuri eſſe debemus, ſed vigilare & orare, ne in tentationem incidamus. Matt. 26. v. 41.

2. *Spiritualiter*, quod hodie maxime familiare & frequens eſt. Corporaliter obſeſſorum exempla non adeo multa occurrunt ut in primitiva Eccleſia, hoc non inde eſt, ac ſi diabolus melior factus eſſet, contrarium enim apparet ex Apoc. 12. v. 12. Nec inde, quaſi homines non adeo mali ſint, ac olim fuerunt: quo enim magis mundi finis appropinquat, eo nequiores evadunt, juxta illud, 2. Tim. 3. v. 2. Sed vera cauſa eſt, quia diabolus animadvertit, ſe plus efficere, quando homines ſpiritualiter, quam ſi corporaliter eos obſideat. Plerumque enim corporalis obſeſſio permittitur à Deo, in interitum carnis, ut Spiritus ſalvus ſit, in die Domini Jeſu, 1. Cor. 5, 5. Quin regnum ſatanæ hoc ipſo quaſi imminuitur, quod ſi enim alii ejusmodi miſeriæ ſpeculum intuentur, prohibentur, ne nimium extollantur, 2. Cor. 12. v. 8. imo, dum truculentiam ſatanæ agnoſcunt, hoc ipſo, ad ipſi diligentius reſiſtendum excitantur. Jacob. 4. 7. 1. Petr. 5. v. 5.

Hic proba te, mi Chriſtiane, utrum, te inſcio, fortaſſis à diabolo obſeſſus ſis?

Diabolus habet regnum valde abſtruſum, ut multi ejus ſubditi ſint qui ſe Dei filios arbitrantur: & contra multi ſint filii Dei, qui ob tentationes pro obſeſſis habentur. Propterea accurato hic judicio opus eſt, ne fallamur, ut incolæ Inſulæ Melitæ, Act. 28, 3. 6.

Præcipua obſeſſorum indicia ſunt

1. *Inconſueta linguarum peritia*, quale exemplum Philippus Melanchton recenſet, de muliere, quæ literas neſcierit, expedite tamen Græce & Latine locuta fuerit, quod procul dubio diaboli opera factum, qui ex obſeſſis loquitur. Matth. 8. v. 28.

2. *Notata locutionis differentia*, qua vox diaboli & obſeſſi diſcerni poteſt, ut rixam quaſi obſervare poſſis, quale exemplum Simon Pauli refert.

3. *Rerum mirabilium & abſtruſarum notitia*, quæ deprehenſa in puella ſpiritum Pythonem habente, Act. 16 v 16.

Interdum diabolus obſeſſis ſe conſpiciendum præbet ſpecie alicujus animalis vel inſecti, apparens ut cuculus, corvus, canis, caper, vel ut aranea, muſca, fucus &c.

Im-

Digitized by Google

Imprimis hoc diligenter obſervandum venit, an ejuſmodi homines ad preces inſtigati, faciles ſint, aut vi adigi debeant.

Ex quo ſatis apparet, non omnes eos, pro obſeſſis habendos, qui à Melancholia graviori infeſtati, adeo ſæpe ſæviunt, ut catenis conſtringendi illi ſint. Affectus ſpleneticus idem efficere poteſt, ut in multis expertum, qui tamen tandem per Dei gratiam, alloquio verbi divini aſſiduo, & Eccleſiæ publica interceſſione reſtituti ſunt.

Interea deplorandum eſt, ſpiritualem diaboli obſeſſionem hodie eo magis invaluiſſe, ut multi à diabolo avaritiæ, ut Judas, Matth. 26. v. 15. aut diabolo ſcortationis ut David, 2. Sam. 11. v. 4. aut diabolo ebrietatis, ut dives epulo Luc. 16. v. 19. aut ſuperbiæ, ut Jeſabel, 2. Reg. 9. v. 30. aut alio modo ſeducantur. Huic linguam conſtringit, ut mutus ſit loqui juſtitiam, Pſalm. 57. v. 2. illi oculos, ut in tenebris ambulet, & palpet, ſicut cœci parietem, Eſa. 59. v. 10. Iſti aures, ut nolit audire verbum Dei, Jer. 6. v. 10.

Cum hiſce homuncionibus multo periculoſius ſe res habet, quam cum corporaliter obſeſſis: hi enim ſciunt ſe obſeſſos eſſe, illi minus, ſed diabolus ducit eos de iniquitate ad iniquitatem, Rom. 6. v. 19. uſque dum in lacum ſulphuris & ignis præcipitet, Act. 21. v. 8. Propterea aſſiduis nos precibus muniamus, iisque reſiſtamus diabolo, Eph. 6. v. 18. Aſſidue quoque ad audiendum verbum Dei, in templum nos conferamus, ut in ſpeculo hoc nos conſpiciamus, & quod Chriſtianos minus decet, in tempore abrogemus, & in novitate vitæ ambulemus, Rom. 6. v. 4. quo ſic agamus, quæ Deo placent, & cum Eccleſia oremus:

Protector alme Eccleſiæ
Opem fer omni tempore:
Cunctis malis nos libera,
Per ſanctiora vulnera.

Beſchirmer HErr der Chriſtenheit/
Dein Hülf allzeit ſey uns bereit:
Hilf uns HErr GOtt aus aller Noth/
Durch dein heilig fünf Wunden roth.

II. *Diaboli ejectionem.* Cum enim obſeſſus Chriſto adduceretur, miſericordia ejus affectus, expellit diabolum: propterea ſtupebant omnes turbæ & dicebant: Nunquid hic eſt filius David? Phariſæi autem audientes dixerunt: Hic non ejicit dæmones, niſi in Beelzebub, principe dæmoniorum. Matth. 12. v. ſeqq.

Hoc Chriſtus ex propria poteſtate fecit; Apoſtoli vero in nomine ejus, ut ipſi fatentur, Luc. 10. v. 17. ſicut & Paulus in ejuſdem nomine ſpiritum Pythonem ex ancilla Philippis expulit, Act. 16. v. 16.

In Papatu variis Ceremoniis, utpote, aqua, ſale, cereis conſecratis, & id genus aliis ſuperſtitioſis rebus utuntur ad diabolos expellendos, ſed tenui cum ſucceſſu: hoc enim genus dæmoniorum non ejicitur, niſi precatione & jejunio, ut Chriſtus ipſe ait, Matth. 17. v. 21.

Quid Exorciſtis tempore Pauli contigerit, luculenter recenſetur, Act. 19. v. 13. & ſeqq.

Sic mirum non foret, ſi adhuc hodie diabolus temerariis illis Exorciſtis ſimilem perſolveret mercedem: ſed ille valde aſtutus eſt, und läſt ſich manchmal austreiben / verba ſunt Lutheri: Wann er wil / auch von einem böſen Buben / unterdeſſen b eibt er doch unausgetrieben / ſondern beſtrickt eben damit die Leute deſto ſtärcker mit Abgöt-

götterey und Aberglauben / daß ſie unbedachtſamer Weiſe hinein plumpen / und ſprechen: O hie wohnet GOtt / da ſiehet und greifft man die Wunder und Zeichen / dann ſie können das nicht faſſen / daß es der Teufel eben darum thut / die Leute zu betriegen und zu verſuchen / dencken auch nicht / daß uns Chriſtus ſolches alles zuvor geſagt / und gar treulich dafür gewarnet hat. Hactenus Lutherus.

Hæc reapſe ita ſe habent. Ideo cum aliquando Monachi multi, in ſplendida, ut vocant, proceſſione, vexillis, cereis & hymnis obſeſſum accederent, diabolum expulſuri: Diabolus ſonora voce exclamabat: O popule meus, quid feci tibi?

Hic examina te, mi Chriſtiane! utrum hoſce laudum ſuarum buccinatores, qui neſcio quos diabolos exterminaſſe ſe profitentur, admiratus ſis, eorumque ſuperſtitioſis adminiculis fidem adhibueris?

Hoc intendit diabolus, cum ad nutum horum ceſſiſſe ſe ſimulat, ut homines in ſuperſtitionem, quæ regno ſuo amplificando inſervit, abducere poſſit. Sed Auguſt. Confeſſio talia media neſcit, in ſcriptura quoque neq; mandatum, neq; promiſſio invenitur, quibus niti hac in parte queamus. Sed quod in primitiva Eccleſia factum, id ad dona miraculoſa pertinet, quæ nunc in Eccleſia plantata deſierunt.

Quodſi vero obſeſſi nobis hodie offeruntur, media illa adhibemus, quæ Chriſtus ordinavit, nempe *pœnitentiam & orationem*, quibus non paucos liberatos eſſe, multis exemplis probare poſſemus, ſi inſtituti ratio permitteret.

Sed quid multis? Nonne multi diaboli ab Evangelicis hodie expelluntur?

Multi obſeſſi ſunt diabolo avaritiæ, qui quando ex concionibus audiunt, avaros non habere hæreditatem in regno Dei & Chriſti, Eph. 5. v. 2. per Dei gratiam liberantur, ut in poſterum non amplius in Mammona fiduciam ponant: ſed in Deo vivo, 1. Tim. 6. v. 17. quia noverunt, hoc optimum eſſe lucrum, 1. Tim. 6. v. 6.

Alii diabolo ebrietatis, calumniarum, & ſcortationis obſeſſi ſunt, qui itidem liberantur, quando audiunt quod neque ebrioſi, neque ſcortatores neque maledici regnum Dei poſſeſſuri ſint, 1. Cor. 6. v. 10. Imo eadem opera ad ſobrietatem, Rom. 13. v. ult εὐλογίαν, Exod. 20, 7. Phil. 4. v. 8 Matth. 12. v. 36. & caſtitatem reducuntur. Heb. 13. v. 4. 1. Theſſ. 4. v. 4. 5.

Et hoc de omnibus aliis peccatis intelligendum eſt. *Quot enim quis habet vitia, tot in corde habet Dæmonia*, ut Auguſtinus ait: Quando itaque peccata per conciones pœnitentiales expelluntur, Diaboli imperium ceſſat in iis, nec opus aliis ſuperſtitioſis adminiculis eſt, niſi verbo Dei & oratione, quæ media nobis Chriſtus, & Apoſtoli commendarunt, Eph. 6. v. 17.

Mittemus itaque Exorciſtas illos, & gratias Deo habemus, quod nos ab illorum jugo liberarit. Interea nos mediis à Deo præſcriptis porro utemur, inſtaurantes ſpiritu lenitatis, qui delicto aliquo occupati ſunt, Gal. 6. v. 1. Hoc rectum in conſpectu Dei eſt. Jerem. 17. v. 16.

III. *Diaboli reverſionem*. Cum enim immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa quærens requiem, & non inveniens dicit &c.

Quæ verba de iis intelligenda ſunt, qui per pœnitentiam ſemel jugum diaboli excuſſerunt, & denuo carni frena laxant, & diabolo per peccata voluntaria morem gerunt: hi feneſtram ipſi aperiunt, ut aſſumtis ſeptem nequioribus ſpiritibus revertatur,

& de iniquitate ad iniquitatem eos deducat, quò diſcant malum, Jer. 13. v. 22. & iniquè agendo ſeſe fatigent, Jer. 9. v. 5.

Hic te proba, mi Chriſtiane, utrùm & ipſe poſt Converſionem, in anteriora peccata ex deſtinato propoſito relapſus, diabolo ſeptemplici ſodalitio comitato, revertendi ad te anſam ſubminiſtraveris?

Hoc à multis ſubindè fit, dum poſt confeſſionem & Sacræ Synaxeos uſum, ubi vitam ſe emendaturos promiſerunt, rurſum poſt exiguum temporis intervallum ad ingenium redeunt, & ſic Diabolo, ad ſe revertendi fores pandunt. De his rectè S. Petrus ait 2. ep c. 2. v. 21. 22.

Domus elegans facilè habitatorem reperit: Sic & cor, Deum & verbum ejus nihili pendens, & preces negligens, peccatis præterea contrà conſcientiam ſeſe contaminans pulchrum & commodum Satanæ diverſorium eſt, in quod ille cum gaudio divertit. Et quemadmodum militiæ Dux, ab hoſte caſtello expulſus, ſi idem denuò occupet, multò firmioribus præſidiis cuſtodit, quàm antea: ſic & Satanas, ſi hominem, quem aliquamdiu relinquere coactus eſt, rurſus invadit, aſſumtis ſeptem ſpiritibus nequioribus, quàm ipſus eſt, ibi habitat, & eum in perverſum ſenſum trahit, ut frontem meretriciam acquirat, nolens amplius erubeſcere. Jer. 3. v. 3. ſed peccata peccatis cumulet.

Hinc rectè Salomo: Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur, Prov. 5. v. 22. Quemadmodum enim reſtio funem ex fune nectit: Sic & impii, qui ex propoſito peccant, ſemper funem funi jungunt, quo Satanas eos prehendit, eosque captivos tenet, ad voluntatem ſuam, 2. Tim. 2. v. ult. Sicuti legimus de Delilâ, quod Simſonem diverſis vicibus ligaverit, donec fortitudine amiſſâ, oculos ſimul amiſerit. Jud. 16. v. 6. ſeqq. Sic conſtringit Diabolus hominem peccatorum laqueis, donec amiſſis oculis ſpiritualibus, peccatorum turpitudinem & iram Dei non conſpiciat, & in barathrum æternæ damnationis præcipitetur, ex quo nulla unquam redemtio Pſalm. 49. v. 15.

Quodſi itaque vinculis peccatorum per Dei gratiam ſemel ſolutus fueris, per ſeriam pœnitentiam, cautius in poſterum mercari diſce, & operare ſalutem tuam cum timore & tremore. Phil. 2. v. 12. Ne denuò te capiat Diabolus, & ultima deteriora fiant prioribus. Attende, quid Paulus dicat, Hebr. 10. v. 26.

De Secundo.

TRanſibimus nunc ad *alteram partem*, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti* contemplaturi. Hic proponitur nobis in Evangelio præſente:

I. *Tanquam Satanæ exturbator.* Tanquam fortior enim ſupervenit Diabolo, vicit eum, & univerſa ejus arma abſtulit, quibus ille confidebat.

Hoc Diabolus expertus eſt in deſerto, ubi Dominum tentavit, Matth. 4. v. 1. In prædicatione Evangelii, quâ regnum ejus debilitavit, Matt. 9. v. 32. nec non in opere redemtionis, Rom. 4. v. 25. Hoc ipſo adeò contritum eſt caput hujus fortis armati. Gen. 3. v. 15. ut ab ejus metu liberi longè vincere poſſimus, propter eum, qui delexit nos Rom. 8. v. 37. *Non debet timere hoſtem fortem, qui habet Dominum fortiorem*, ait Chriſoſtomus. Hôc nixi, cum Eccleſiâ canere poſſumus:

Nil ecce noſtris viribus,
Mox ille nos proſtravit:

No-

Noſtris at eſt à partibus,
Quò Jova nos beavit.
Si quæris ille quis?
Chriſtus vocatur is,
Rex gloriæ ſummus,
Nec alter eſt Deus.
Manebit hic invictus.
Mit unſer Macht iſt nichts gethan/
Wir ſind gar bald verlohren:
Doch ſtreit für uns der rechte Mann/
Den Gott ſelbſt hat erkohren.
Fragſt du wer er iſt
Er heiſt Jeſus Chriſt/
Der HErre Zebaoth
Und iſt kein ander Gott/
Das Feld muß er behalten.

Diabolo impoſſibile eſt aliquid ex nihilo creare Exod.8.v.18. Sed Chriſtus ἰσχυρότερος, per hunc enim omnia facta ſunt. Joh.1.v.3.

Diabolus non poteſt creaturas ampliare: Sed Chriſtus ἰσχυρότερος. Marc.8.v.9. Joh. c.6.v.11.

Diabolus non poteſt creaturas transmutare: ſed Chriſtus ἰσχυρότερος, Joh.2,11.

Diabolus non poteſt mortuos reſuſcitare: ſed Chriſtus ἰσχυρότερος Joh 5.v.25. Et ſic ulterius

Quod ſi itaque Diabolus fortis eſt, Chriſtus multò fortior.

Si inſtructus eſt ſeptem vel legione auxiliariorum: Chriſtus multò magis. Dan.7. v.10.

Quod ſi iracundus ut leo rugiens 1.Pet.5. v.8 Nolite timere Leo de tribu Judà ipſum vicit. Apoc.5.v.5. Sine ejus permiſſione nihil poteſt porcis, Matth.8.v 31. nedum hominibus nocere, Matth 10.v.30. Ideò huic Domino confiſi, dicite: Oculi mei ſemper ad Dominum Pſ 25.v 15 Et ſciet ſuos tentationibus eripere, 2 Petr. 1.v 9. Et poterit quoque, quia nihil apud eum impoſſibile. Luc.1.v.39.

II. *Tanquam Calumniatorum refutator.* Quia enim Phariſæi & Scribæ hoc miraculum calumniabantur, ac ſi Satanæ ope & virtute factum eſſet, ideò Chriſtus nervoſâ Apologiâ ſe tuetur, & demonſtrat, quod non opera Satanæ, ſed per digitum Dei illud patraverit.

Sic & nobis permiſſum eſt, malignorum calumnias refellere, ſed modeſtè, ne reddamus malum pro malo, nec maledictum pro maledicto 1.Pet.3.v.9 Melius enim eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ. Prov.22. v 1. Ut igitur Naboth reſiſtebat Regi Achab, vineam ſibi erepturo, 1.Reg 21.v.1. Sic & nos famam pro virili tueri debemus, cætera Deo commendemus, qui innocentiam noſtram in apricum producet dañ er richt/ wañ niemand ſpricht / uti in Chriſto videmus, qui ut maleficus morti tradebatur, ſed cœlum & terra, Deus & homines de ejus innocentiâ teſtabantur Matt 27,54. Marc.15. v.39.

Quis hodiè dubitat de innocentiâ Joſephi? Gen.39,17. Danielis, Dan.6,15.16. Stephani? Act.7,57. Hos enim adeò vindicavit Deus, ut in hodiernum usq; diem de eâ in Eccleſiâ prædicetur.

Quod ſi itaq; bonâ conſcientiâ gaudes, frui hoc ſolatio potes, & cum Davide orare: Judica me Domine, quoniam in innocentiâ meâ ingreſſus ſum, Pſ.26.v.1. & Pſ.43.v.1.

Sed caveſis, ne & tu inter Calumniatores inveniaris. Vir enim linguoſus non dirigetur in terrâ, Pſ 140,12. Et ſicut cœleſtis ſapientia hîc ſe Scribis & Phariſæis opponit, & calumnias eorum redarguit: ſic adhuc hodiè ſpiritus ſapientiæ, non liberabit maledictum à labiis ſuis. Sap.1.v.16.

III. *Tanquam verè piorum beatificator.*

Muliercula enim præſens, Apologiæ Chriſti nervoſitate mota, profunda voce exclamat: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti.

Alias dicitur: *Mulier taceat in Eccleſia*, 1. Cor. 14. v. 34. Sed idem hic mulierculæ huic evenit, quod Monicæ, matri Auguſtini, quæ ſacra cœna utens, præ animi pia devotione exclamavit: *Evolemus in cœlum, quia Deus cœli habitat in nobis.* Quamvis itaque hoc non improbemus, ſed devotioni piæ condonemus: ſic in eo errat, quod laudem qua filium ornare debebat, matri attribuit, quod melius obſervavit Eliſabetha, Luc. 1. v. 45.

Ideoque interpellat ipſum Chriſtus, dicens: Quinimo, beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

Duo hic Chriſtus requirit ab omnibus Chriſtianis:

1. *Ut verbum Dei audiant.* Doctores enim & Auditores ſunt correlata: quia itaque Deus verbum ſuum prædicari ſinit, ideo id facit, ut illud ſedulo audire debeamus, ſecus enim fruſtra illud prædicatur. Fides enim ex auditu eſt, Rom. 10. v. 17. Quodſi itaque Spiritus Sanctus fidem operari debeat, non aures obturandæ ſunt, ſed potius cum Samuele dicendum: Loquere Domine, ſervus tuus attendit. 1. Sam. 3. v. 9.

2. *Ut verbum Dei cuſtodiant.* Hoc præcipuum eſt, ne diabolus ſemen verbi viciſſim auferat. Matth. 13. v. 19.

Quid prodeſt homini cibus, niſi concoquatur, eſt enim indicium male affecti ſtomachi, qui niſi in tempore curetur, indubius mortis anteſignanus eſt:

Sic nihil prodeſt verbum audire, niſi cuſtodiatur, & niſi hoc non fit, indubius character æternæ mortis eſt. Sermo enim, quem non cuſtodierunt, judicabit eos in noviſſimo die. Joh. 12. v. 48. Hic Spiritus Sancti adjutorio apprime opus eſt, qui eam ob cauſam quoque oſtiarius appellatur, Joh. 10. v. 3. Hic ſedulo quoque ideo invocandus eſt, hunc circiter in modum:

Ich bitt ô HErr aus Hertzengrund/
Du wollſt nicht von mir nehmen/&c.

Hac ratione ad æternam ſalutem, quam Chriſtus morte & ſanguine ſuo nobis acquiſivit, pertingere valemus, ubi audiemus quæ auris non audivit, & videbimus, quæ oculus non vidit, 1. Cor. 2. v. 9. nempe abundantiam gaudiorum, & delectationes in dextera Dei, in æternum, Pſal. 16. v. ult. Largiatur id nobis cœleſtis pater, per Jeſum Chriſtum Dominum & Salvatorem noſtrum, Amen.

Dominica Lætare.

Evangelium, Johan 6. v. 1. -- 15.

EXORDIUM.

Refert Moſes, quod tempore Joſephi in Ægypto degentis maxima annonæ caritas invaluerit, quæ totum ſeptennium duraverit, tanta cum vehementia, ut in toto orbe panis defuerit: Joſephus vero ex ſumma agrorum ubertate magnas frumenti copias ante comportaverat, quo ſublevabat defectum hominum, ne fame interirent. Gen. 47. v. 13.

Hoc

Hoc allegoricè interpretabimur.

Mundus nihil aliud eſt, quàm terra inopiæ; modò panis neceſſarius deficit, & fames terram premit, ut nullibi frumentum inveniri poſſit, licet carè emere velis, hinc eſt, ut qui antè veſcebantur voluptuosè interierint in viis ſuis, Thren.4.v.5. Modò verbum Dei pretioſum eſſe incipit, ut tempore Eli, 1.Sam.3.v.1. ut vagandum ſit à mari uſque ad mare, & ab Aquilone uſque ad Orientem, quæſitum verbum Domini, & non inveniatur, Amos.8.v.12.

Hæc magna eſt miſeria, neque enim homo carere his poteſt; pane naturali indiget ad ſuſtentationem corporis, ſpirituali ad roborationem animæ, propterea Chriſtus ait: Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei, Matth.4.v.4.

Sicut autem tum temporis unusquisq;, qui frumenti inopiâ laborabat, Joſephum accedebat, qui cuilibet pro pecuniâ, tantum largiebatur, quantum opus erat: Similiter & nos ditiſſimum habemus Procuratorem, qui aperit manum ſuam, & implet omne animal beneplacito, Pſal.145.v.16. Ab eo eſt panis naturalis, quem quotannis educit de terra, Pſal,104.v.15. Ab eo quoque eſt panis cœleſtis, quem in Eccleſiâ diſtribui ſinit, & quidem ſine pecuniâ, Eſa.55.v.1. ut quilibet, quantum ad ſalutem indiget, accipere poſſit, juxta illud: Venite, omnia parata ſunt, Luc.14.v.17.

Quandocunque itaque alterutrius inopiâ laboramus, ad Chriſtum confugere poſſumus, quem Pater cœleſtis ideò in mundum miſit, ut in eo vitam habeamus, & abundantius habeamus, in æternum, Joh. 10. v. 10.

Præclarum exemplum habemus in turbâ, cujus mentio in Evangelio injicitur, quam Chriſtus ſpiritualiter & corporaliter cibavit. Docuit enim eos multa, Marc. 6. v.34. & quia cum deſiderio eum audiebant, uſque ad veſperam, incibatos dimittere nolebat, ſed quinque panibus hordeaceis & duobus piſcibus cibabat quinque millia virorum, præter fœminas & pueros, adeò largiter, ut non modò ſaturarentur, ſed & duodecim cophini fragmentorum colligerentur.

Nos ad ipſam Evangelii tractationem nos conferemus, contemplaturi

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

QUodſi Evangelium prælectum in compendium redigere velimus, commodè illud includi poterit aureolo illi Chriſti: Quærite primùm regnum Dei & juſtitiam ejus, & cætera omnia adjicientur vobis, Matth.6.v.33. Ubi tum officium noſtrum, tum larga Dei remuneratio nobis ob oculos ponitur. Officium noſtrum eſt, ut quæramus regnum Dei & juſtitiam ejus. Remuneratio eſt in his verbis: & cætera adjicientur vobis.

Quid regnum Dei ſit, ante octiduum audivimus, nempe, ubi per digitum Dei Diabolus expellitur, & conſcientiæ, efficaci ſolatio Evangelicæ veritatis conſulitur. Teſtimonia enim tua fidelia ſunt valdè, domus tua eſt habitatio ſancta, Domine, in longitudine dierum, Pſal.93.v.6. Quomodo verò regnum quærere debeamus, turba nos docet in Evangelio, quæ Chriſtum tantâ devotione inſequitur, ut non modò rem familiarem poſthabeat: ſed cibi quoque cor-

poralis præ deſiderio verbi ejꝰ audiendi obliviſcatur, hinc ſequitur remuneratio, ut præter expectationem miraculosè à Chriſto cibo reficiantur.

Notitiam noſtri hinc diſcere poſſumus, quando intuemur:

1. *Chriſti providentiam.* Sublevavit enim oculos Jeſus, & vidit, quia multitudo maxima venit ad eum. Chriſto omnia in conſpectu verſantur, ideò reſpectu ſui non opus habet attollere oculos. Omnia nuda ſunt, & intimè patentia oculis ejus, Hebr. 4.v.13. Sed noſtri causâ hoc ſcriptum eſt; ſæpè enim in eâ perſuaſione ſumus, quaſi Chriſtus oculos clauſerit, & negligat nos, uti etiam diſcipuli opinabantur, cum Chriſtus in navigio dormiret, Matth.8.v.24. Ut huic tentationi conſulatur, hîc mentio fit, quod Chriſtus oculos ſublevaverit, & viderit multitudinem ad ſe venientem.

De Xerxe refertur, quod in altiſſimo monte exercitum ſuum, qui ex decies centenis millibus virorum conſtabat, luſtraverit, lacrymis juxta emiſſis: quæſitus, cur id faceret, reſpondit: affici ſe triſtitiâ, quòd præterfluxis centum annis, ne unus quidem ex his fortiſſimis viris ſuperfuturus ſit.

Chriſtus Servator multò aliter oculos attollit, ita, ut ſimul media meditetur, quibus indigentiæ noſtræ conſuli poſſit, novit enim quibus indigemus, Matth.6.v.32. novit quoque pios de tentatione eripere, 2. Petr.2.v.9.

Hoc teſtimonia & exempla ſacræ Scripturæ luculenter teſtantur.

Sic ſcriptum eſt Sapientiæ 6,8. Puſillum & magnum ille fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus. Non longè eſt ab unoquoq; noſtrûm, in ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus, Act.17.v.27.

Hic beneficentiſſimus Pater Iſraëlitas in deſerto, Exod.16,13. Eliam in annonæ caritate, 1.Reg.17,4. Danielem in lacu leonum ſuſtentavit, Dan.6,16. Et adhuc hodie, ut locupletiſſimus procurator, *unumquemq; noſtrûm curat, tanquam ſolum, & omnes tanquam ſingulos*, ut Auguſtinus ait. Bonus enim eſt univerſis, & miſerationes ejus, ſuper omnia opera ejus, Pſ. 145,9.

Hic proba te, mi Chriſtiane, utrum etiam proximi indigentiam pro virili, ut debitum tuum, ſublevaveris!

Quod enim Deus reſpectu noſtri facit, eo nobis exemplũ præbet, ut & nos ſanctorum neceſſitatibus communicemus, Rom. 12.v.13. & miſericordes ſimus, ſicut & pater noſter cœleſtis miſericors eſt, Luc.6,36.

Sed parum hoc obſervatur, ubi enim *homo homini Deus* eſſe debebat, potius *homo homini lupus* eſt. Abundavit enim iniquitas, & requieſcit caritas multorum, Matth. 24.v.12. juxta adagium: Wer reit der reit/ wer leyt der leyt; ſive ut Jeremias ait, Jer. 9.v.4.5.

Sed hoc caritati Chriſtianæ repugnat; Chriſtus populum hunc *oculis* adjuvat: ſic neq; nos oculos avertamus ab indigentibus, ſed eosdem præ comiſeratione intueamur, qui enim deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam. Prov.28,27.

Chriſtus populum hunc adjuvat *corde*, miſertus enim eſt ſuper eos, quia erant ſicut oves, non habentes paſtorem, Marc.6,35. Neque nos corda noſtra indigentibus claudere debemus, 1.Joh.3.v.17.

Chriſtus adjuvat hunc populũ *manibus*, non n. ſaltem benedicit panibus & piſcibus, ſed diſcipulos quoq; præſentibus diſtribuere jubet: Sic noſtrûm quoq; erit, frangere eſurienti panem noſtrum, Eſ.58,7.Eph.4,28.

Hoc

Hoc ſi fecerimus, benedictio Domini ſequetur nos, nam mutuò dat Domino, qui miſeretur pauperis, & retributionem ſuam reddet ei, Prov. 19 v. 17.

II. *Apoſtolorum diffidentiam.* Quia enim ſecum decreverat, hunc populum, qui cum devotione ipſum audierat, corporali quoq; cibo reficere, manifeſtat hoc propoſitum diſcipulis ſuis, eorum mentem exploraturus, ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus. Quo itaq; appareat, quid diſcipuli hactenus in ſcholâ ſuâ profecerint, hîc eos quaſi in examen abducit, ut cogitationes diffidentes quæ in cordibus ipſorum deliteſcebant, manifeſtæ forent. Ideò dicit ad Philippum: Unde ememus panem, ut manducent hi? Philippus, ut bonus calculator extemplò rationem ſubducit, quantum opus ſit, dicens: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unusquisq; modicum quid accipiat. Hoc ipsô Philippus incredulitatem ſuam manifeſtat: Diu hactenus ſcholã Chriſti frequentarat, multaq; ſigna & miracula expertus fuerat, ideò rectius feciſſet, ſi ad hunc modum reſpondiſſet: Tu optimè noveris, Magiſter: quomodo indigentiæ conſulere debeas, qui enim in nuptiis Cananææ aquam in vinum transmutaſti, neq; deficies panis inopiæ ſuccurrere in deſerto hoc. Sed artem ſuam probare vult, quis aliàs noviſſet, eum tam accuratum ratiocinatorem fuiſſe?

Accedit & Andreas, hic quia puerum viderat, habentem quinque panes hordeaceos, & duos piſces, Domino id indicat, ita tamen, ut ſubductâ ratione ſubjungat: Quid hoc inter tam multos?

Hoc adhuc hodie prædicatur, non eum in finem, ut Andream & Philippum cum conſiliis ſuis derideamus, ſed ut exemplo illorum inſtructi, infirmitatem noſtram, quâ naturâ laboramus, agnoſcamus, qui ſæpè perſuademus nobis: tantâ nos prudentiâ inſtructos eſſe, ut vel Domino ipſi conſilium ſuppeditare poſſimus.

Hic examinet ſe unusquisq;, annon & ipſe nonnunquam cum Philippo ratiunculam ſubduxerit, Deoq; ultra externa media, parum crediderit?

Moſes magnus erat Propheta, & in omni Dei domo fideliſſimus, ut Deus ore ad os ei loqueretur, Num. 12, 8. & miracula Dei non modò viderat, ſed & ipſe patrarat: & tamen hâc in parte peccavit: ideò à Deo objurgatus eſt his verbis: Nunquid manus Domini invalida eſt? jam nunc videbis, utrum meus ſermo opere compleatur, Num. 11, 21.

Sic adhuc hodie apud multos fides infirmior ſit, imò planè evaneſcit, præſertim ſi liberorum numerus adſit, & reditus exigui ſint, ut dicant: Unde ſumemus panem, ut manducent hi? Ibi calculus, ſive ratio non concordare vult cum *Arithmeticâ, ratione quantitatis & numeri*, multi enim adſunt, qui edere volunt, at penus exiguum eſt. Non convenire vult cum *Phyſicâ, ratione actionis & paſſionis*, parùm enim acquiritur, & multum expenditur. Non congruere vult cum *Logicâ, ratione quando & ubi*, tempora enim difficilia ſunt, & terra per bellum devaſtata, licet aliquid colligatur, non tamen ſufficit. Quid hoc inter tam multos?

Contra hanc tentationem ſoletur nos, quod Dominum *omniſcium* habeamus, cui miſeria noſtra abſcondita non eſt, novit n. tribulationes noſtras, ſcit quid faciamus, & ubi habitemus, Apoc. 2, 13. ideoque pleni fiduciæ cum Abrahamo dicere poſſumus, Dominus providebit, Gen. 22. v. 8.

Solemur nos, quod Dominum habeamus

mus *miſericordiſſimum.* In eo enim invenimus *cor verè paternum,* Pſal.10.v.13. In eo invenimus *cor maternum*, imò plus quàm maternum, Eſa.44.v.15. In eo invenimus Schaddaim, *bina ubera,* Eſa.66.v.10. quæ præſtant nobis omnia abunde ad fruendum,1.Tim.6.v.17. conturbata ſunt viſcera ejus ſuper nos,Jer.31.v.20.

Solemur nos, quod Dominum habeamus omnipotentem,Eph.3.v.20.

Qui his *tribus fulcris* verâ fide innititur, inſtar petræ immobilis perſiſtit, Matth.16. v.18. funiculus enim triplex, difficile rumpitur, Eccleſ.4.v.12.

III. *Miraculi Excellentiam.* Non enim plus aderat, quàm quinque panes hordeacei,& duo piſces, quos παιδάριον puerulus portabat, ex quo colligi poteſt, non uſque adeò magnos illos fuiſſe, manducantium autem numerus fuit, quinque millia virorum, exceptis mulieribus & parvulis, quorum procul dubio non exiguus numerus fuit,Matth.14.v.21. Luc.9.v.14.

Sic nulla erat *proportio* inter cibum & inter cibandos: nihilo minus novit Dominus panes& piſces ita *dividere* & *multiplicare,*ut inter manus Apoſtolorum creſcant,& non modò ſaturando populo ſufficiant, ſed & duodecim cophini fragmentorum reſidui colligantur. Quo ipſo Chriſtus ſatis comprobavit,ſe Dominum eſſe, cujus manus non abbreviata ſit,Eſa.59.v.1. cui non difficile ſalvare, vel in multis vel in paucis, 1.Sam.14.v.6.

Quando de Iſrëlitis legimus, quòd Deus in deſerto eos per quadraginta annos Mannâ cibaverit, Exod.16.v.35. item,quod viduæ Sareptanæ hydriæ farinæ, & lecytho olei benedixerit,1.Reg.17.v.16. nec non de viginti panibus hordeaceis, quos vir de Baalſaliſâ in veſte ſuâ detulit, quibus Propheta Eliſæus centum viros cibavit, ut ſuperfuerit,2.Reg.4.v.42.non immeritò Dei omnipotentiam admiramur:Hîc Chriſtum Servatorem idem feciſſe,audimus: quis igitur de omnipotentiâ ejus dubitaret, & non potius diceret cum turbâ in Evangelio? Hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum? Opera enim quæ fecit,teſtimonium perhibent de eo, Joh.5.v.36.

Hîc probate,mi Chriſtiane! utrum Chriſto credas, quod exiguam tuam ſupellectilem augere & amplificare ille poſſit?

Reperiuntur homines, qui tantùm externis mediis intenti ſunt,& his carentibus animum abjiciunt,non perpendentes,quod ipſa natura refiguretur, deſerviens ejus præceptis,Sap.19.v.6.

Ipſe fideles ſuos ſine cibo, ſupernaturali modo,ſuſtentare valet, ut Moſen & Eliam, Exod.34.v.28. 1.Reg.19.v.8.

Quodſi verò per media naturalia agit, pane ſuos nutrit,eundem

1. *Singulariter procurando.* Sicuti Eliæ per angelum panem,& per corvum carnem adducere juſſit, 1.Reg 17.v.6. cap.19.v.6.7. Vide Dan. 6. v.23.Exod.16.v.35.

2. *Pauca multiplicando*, quale exemplum habemus. Hocadhuc hodie facere amat, ideò canere ſolemus:

Terram coronavit bonis,
Ut fructibus ſit fertilis:
Montes rigat cum vallibus,
Gramen parat pecoribus.
Et terra panem ſuggerit,
Vinumq; large ſuppetit,
Quantum cuiq; ſufficit.
Undæ redundant piſcibus,
Sic conſulit defectibus,
Excluſa ut ova conſpicis,

Pullis

Pullis volucrum veſceris.
Sic eſculenta ſumimus,
Boûm ſuûmq; carnibus,
Oveſq; largitur Deus.

Er hat die Erden zugericht/
Läſts an Nahrung mangeln nicht/
Berg und Thal die macht er naß/
Daß dem Vich auch wächſt ſein Graß.
Auß der Erden Wein und Brodt/
Schaffet Gott und gibts uns ſatt/
Daß der Menſch ſein Nahrung hat.
Das Waſſer das muß geben Fiſch/
Die läſt Gott tragen zu Tiſch/
Eyer von Vögeln eingelegt/
Werden junge darauß geheckt.
Müſſen der Menſchen Speiſe seyn/
Hirſchen/ Schafe/ Rinder/ Schwein/
Schaffet Gott und gibts allein.

Pecora multiplicantur, Gen.31.v.38. frumentum fructum fert, Matth.13.v.23. plantæ multiplicantur, hæc eſt benedictio Domini, quæ ditat ſine moleſtia, Prov.30, 22. Ne proinde deſpondeamus animum, ſed Chriſto confidamus, qui in diebus carnis ſuæ paucis panibus & piſcibus quinque millia virorum pavit. Quantò magis potentiam ſuam demonſtrabit, ad dextram Dei exaltatus? Eph.1.v.21. Propterea, cogitate per generationem & generationem: quia omnes, qui ſperant in eum, non infirmantur, 1. Macc.2.v.61.

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alteram partem*, χριςογνωσίαν, ſive *notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti* contemplaturi. Hic nobis proponitur in præſente Evangelio.

1. *Tanquam cibi & potus ſanctificator.* Exemplum habemus in quinque panibus hordeaceis & duobus piſcibus, quos accepit in manus ſuas & gratias Deo egit, qui eos creaverat propterea ſupernaturaliter illi augentur, ut non modò ſatiandis tot millibus ſufficiant, ſed & duodecim cophini fragmentorum colligantur. Sic adhuc hodie cibus & potus noſter, per verbum Dei & orationem ſanctificatur, 1.Tim.4.v.5. Ut per benedictionem Dei, nos leguminibus & aquâ magis reficiamur, quàm alii lauto atque opiparo obſonio, Dan.1.v.12.

Ideoq; hoc de Chriſto diſcere debemus, ut ſemper ſive accumbamus, ſive de menſa ſurgamus, oratione cibum ſanctificemus. Sive ergò manducatis, ſive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, ait Paulus 1.Cor.10.v.31. Hoc non ſine inſigni noſtrûm emolumento fiet. *Menſa enim, ab oratione incipiens, & in orationem deſinens, nunquam deficiet*, ut Chryſoſtomus ait. Sic verè dicere poſſumus: Dominus eſt paſtor meus, nihil mihi deerit, bonitas & miſericordia perſequentur me, omnibus diebus vitæ meæ, ex Pſalm.23.v.1.6. Id quod bene obſervarunt pii veteres, hinc Tertullianus: *Non prius diſcumbitur, niſi oratio ad Deum prægustetur.* Imò ipſi Judæi, quando cibis fruuntur, orationem non intermittunt, Pater enim familiâs accepto pane, ait: Benedictus Dominus Deus, qui educis panem de terra. Cui reliqui reſpondent: Benedictus ſit is, cujus cibo fruimur, ut Paulus Fagius recenſet.

Idem & nos facere debemus, nihil enim à nobis ipſis habemus, ſed Dei munificentiâ fruimur, *cujus mendici ſumus*, ut Auguſtinus ait, Pſalm.104.v.27.28.

Equidem Diabolus facilè veneno cibum noſtrum inficere poteſt, juxta illud: Mors in ollâ, 2.Reg.4.v.41. Quodſi verò oratione devotâ cibum noſtrum ſanctificamus,

tum malitiâ ſuam exercere non poterit. Scimus enim, quòd Deum diligentibus omnia in bonum cooperantur. Rom. 8, 28.

II. *Tanquam Parſimoniæ commendator.* Iccircò ad diſcipulos ſuos ait: Colligite fragmenta, ne quid pereat, quô ipſis oſtendit *viam parſimoniæ*, ut Chryſoſtomus ſcribit, welche ein groſſer Zoll iſt am Rhein / ut veteres dictitarunt. Bonus enim Servatius, poteſt etiam eſſe bonus Bonifacius, ut vulgò dicitur. Niſi Joſephus tempore abundantiæ frumentum collegiſſet, poſteà annonâ ingraveſcente, non potuiſſet tam largè illud diſtribuere, Gen. 41, 49. ſeqq.

Inveniuntur homines, qui omnia bona ſua abliguriunt, nihil reſervantes ſive ſenectuti, ſive morbis, quibus obrui poſſunt, neque liberis ſuis. De his dicit Paulus: Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & infideli eſt deterior. 1. Tim. 5. v. 8.

Genuini Chriſtiani meminerint paupertatis in tempore abundantiæ, & neceſſitatem paupertatis in die divitiarum, Sir. 18. v. 25. Ideò fragmenta colligunt, ut alio quoq; tempore proferre queant. Theſaurus deſiderabilis, & oleum in habitaculo ſapientis, & imprudens homo devorabit illud, Prov. 21. v. 20. Qui nummum non curat, non pervenit ad groſſum, qui groſſum vilipendit, non pervenit ad thalerum, & qui ſpernit modica, paulatim decidet, Sir. 19. v. 1.

III. *Tanquam gloriæ mundanæ recuſator.* Cùm enim populus eum rapere & Regem facere vellet, fugit iterum in montem, ipſe ſolus. Ad hæc verba Auguſtinus: *Fugit, quia non erat talis Rex, qui ab hominibus fieret, ſed talis, qui Regnum hominibus daret.* Ideoque dicit coram Pilato: Regnum meum non erit de hoc mundo, Joh. 18. v. 36.

Regna terrena per externa arma, gladios & haſtas conſervantur, Rom. 13, 4. Sed Chriſti Regnum non indiget externâ vi, ſed per verbum & ſacramenta moderatur, hæc virga directionis eſt, Pſal. 45. v. 7. Qui itaque ex Deo eſt, verbum Dei audit, Joh. 8. v. 47.

Regna terrena conſiſtunt in urbibus & caſtellis, in quibus Reges reſident. Regnum Chriſti in cordibus fidelium eſt, in quibus Chriſtus per fidem habitat, Eph. 3, 17.

Regna terrena, Privilegia & immunitates terrenas habent, quibus ſubditi potiuntur. Sed Chriſti regnum eſt juſtitia, pax & gaudium in Spiritu ſancto. Rom. 14. v. 22.

Regna terrena ſuo ambitu continentur: Sed Chriſti regnum per totum orbem vagatur, dominatur à mari, uſque ad mare; & à flumine, uſque ad terminos orbis terrarum, Pſal. 72. v. 8.

Regna terrena habent periodos ſuos, & breve tempus durant: ſed Chriſti Regnum ſempiternum eſt, Dan. 7. v. 27. & cujus non erit finis, Luc. 1. v. 33.

Qui itaque carnaliter affectus eſt, & diligit hoc ſeculum, 2. Tim. 4. v. 10. ab Regis hujus regno excluſus eſt, amicitia enim hujus mundi, inimicitia Dei eſt, & quicunque voluerit amicus eſſe ſeculi hujus, inimicus Dei conſtituetur, Jac. 4. v. 4. In Regno Regis hujus meri ſpirituales theſauri & cœleſtia bona nobis expectanda ſunt, quæ etiam temporalia longiſſimè ſuperant. Mundus enim tranſit & concupiſcentia ejus, qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum, 1. Joh. 2. v. 17.

Quod-

Quodſi itaque peccatorum mole oppreſſus es, ut cum Paulo queri tenearis: Scio quod in me, hoc eſt, in carne meâ nihil boni habitat &c. ex Rom. 7. v. 18. ſeqq.

Regnum Chriſti non eſt terrenum regnum, ideò neutiquam mireris, in mortalitate hâc peccatum tibi adhærere, aliud enim regnum futurum eſt, ubi populus Dei omnes juſti erunt. Eſa. 60. v. 21.

Quodſi inopiâ laboras, in hâc miſeriarum valle, ut mulier illa de uxoribus Prophetarûm, quæ nihil quicquam in domo ſuâ habebat, niſi laguneulam olei, 2. Reg. 4. v. 2. Regnum Chriſti non eſt terrenum, in quo affluentia terrenorum bonorum ſit: ſed qui conregnabit, ante ſuſtineat oportet, 2. Tim. 2. v. 12. Elegit enim Deus pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromiſit, diligentibus ſe. Jacob. c. 1. v. 5.

Quodſi maximis calamitatibus opprimeris, ut cum Jobo queri poſſis: Si appenderetur afflictio mea in ſtaterâ, & calamitates meæ apponerentur, tunc graviores eſſent, quàm arena maris, Job. 6. v. 3. Iterum memineris regnum Chriſti non terrenum eſſe, ſed qui hîc diſcipulus ejus eſſe vult, abneget ſeipſum oportet, & tollat crucem ſuam, & ſequatur Chriſtum, Matth. 16. v. 24. Interim hoc ſolatium nobis reliquum eſt, quod momentanea levitas tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operetur in nobis. 2. Cor. 4. v. 17. 18.

Quodſi mortem exhorreſcis, qui animam à corpore ſeparat, ut tanquam à tineâ conſumatur pulchritudo tua. Pſalm. 39, 12. Regnum Chriſti non eſt terrenum, adhuc alia vita nobis reſtat, in quâ mors non erit, Apoc. 21. v. 4. ſed abundantia gaudiorum in vultu Dei, & delectationes in dexterâ ejus, in æternum. Id quod nobis largitatur Deus ter Opt. Max. per Jeſum Chriſtum Dominum, & Salvatorem noſtrum! Amen.

* * *

Dominica Judica.

Evangelium, Iohan. 8. v. 49. --- 59.

EXORDIUM.

Refert liber Sapientiæ, quòd eo in loco, ubi olim Sodoma & Gomorrha ſita fuerunt, arbores creſcant, quæ immaturos fructus ferunt, hoc inde ortum, quia Deus igne & ſulphure has civitates delevit. Sap 10. v. 6. Gen. 19. v. 24. His non modò terra in qua civitates hæ ſitæ fuerunt, exuſta & vaſtata eſt: ſed cumulavit ſe quoque ibidem fœtens bitumen, quod adhuc hodiè urit, & mare mortuum appellatur, ob venenatos vapores, ex eo orientes, animalibus pariter, & avibus ſupervolitantibus peſtiferos. Ad littus arbores viſuntur, fructus ferentes, colore edulibus ſimiles, carpentium verò manibus in fumum diſſolvuntur, & cinerem, ut non modò Judaicus Scriptor Joſephus: ſed & ethnici, Solinus & Tacitus teſtantur. Vetuſtiſſimus Latinorum Patrum Tertullianus, his verſibus comprehendit:

Tota rogus regio eſt, hinc atro horrore favilla
Hincq; ſitu cano cineres incendio ſignant,
Semiperemta etiam ſi qua illic jugera, lætas
Autumni conantur opes, facilè optima ſeſe
Promittunt oculis, pyra, perſica & omnia mala,
Donec carpuntur: Nam protinus indice tactum
Solvitur in cinerem, fit vana favillaque pomum.

Hæc poma Sodomitica imago ſunt, omnium hypocritarum, qui exterius pietatem & humanitatem ſimulant, interius autem in felle amaritudinis ſunt, Act.8.v 23. Imprimis verò externum ſplendorem ſæpè fallere videmus, quo illi, quorum oculi eo obfuſcantur, ſæpè decipiuntur. Ideò orat David: Domine averte oculos meos, ne videant vanitatem, Pſ.119.v.37.

Quis non exiſtimaſſet, Hieroſolymis ſanctiſſimos quosque habitaſſe, ſemper clamabant: Templum Domini, templum Domini, Jer.7.v.4.

Sed in prælecto Evangelio audimus, quid monſtri aluerint: Chriſti enim autoritas apud ipſos nulla eſt: ſed ut Samaritanum, qui Diabolum habeat, eum calumniantur. Contrà, Abrahamum patrem ſuum jactant, cùm tamen de fide Abrahami planè declinaſſent, Abraham enim exultavit, ut videret diem Meſſiæ, & vidit, & gaviſus eſt, ut Chriſtus ipſe ait. Judæi verò perſequebantur Meſſiam, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos, Luc.19,14. Ecce! poma Sodomitica, exterius colorem mentientia, ſed intus nil niſi fumum & favillam, h. e. immunditiem & malitiam.

Nos absque ulteriori præloquio ipſam Evangelii tractationem accedemus, ut diſcamus ex eo:

I Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

Hodierna Dominica à piis Veteribus appellata eſt *Judica*, quia olim ex Pſal. 43. v.1.2. in introitu cecinerunt: Judica me Domine, & diſcerne cauſam meam.

Quo ipſo procul dubio reſpexerunt Evangelium noſtrum, in quo audimus, quàm acris diſceptatio inter Chriſtum & Judæos orta ſit. ubi hi quidem lapidibus judicare Chriſtum voluerunt, ſed non permiſit id Deus petulantiæ eorum: poſtquam enim Chriſtus veritatem ſatis defendiſſet, abscondit ſe, & exivit de templo.

Nos hinc anſâ captâ, *notitiam noſtri* diſcere poſſumus, ſi intuemur:

1. *Chriſti innocentiam.* Confidenter enim cauſam ſuam tuetur, & ait: Quis ex vobis arguet me de peccato? In Græco eſt vox ἐλέγχειν, quæ non modò arguere, ſed firmis rationibus convincere ſignificat, ut nihil in contrarium afferre poſſis. Judæi ſanè Chriſtum de multis arguebant, modò voracem & vini potatorem, Matth. 11. v. 19. modò ſeditioſum, Luc. 23. v. 2. modò Diabolum habere eum criminabantur, uti in prælecto Evangelio audimus. Sed ſi idem probare debuiſſent, procul dubio aqua ipſis hæſiſſet. Sic adhuc hodie non deſunt, qui famam proximi lædere ſtudent, ſed probatio ſubinde deficit,

quæ vel maxime requiritur. Accuſare enim ſi ſufficit, quis erit innocens? ſæpe enim fit calumnia. Sir. 19. v. 15.

Cum Propheta Samuel ab Iſraelitis rejectus eſſet in ſenectute ſua, hoc facinus eorum, egregia Apologia, publice coram omnibus redarguebat, 1. Sam. 12. v. 3.

Sic & Judæi Chriſtum repudiaverant, in propria enim venit, & ſui eum non receperunt, Joh. 1. v. 11. ingenti igitur animi fiducia innocentiam ſuam probans, omnibus quaſi indicandum ſeſe ſiſtit, ut conſcientiæ integritatem in apricum producat.

Hic te, velim, examines, mi Chriſtiane, utrum & ipſe vitæ innocentiæ ſemper operam dederis, ut cum Chriſto dicere poſſis: Quis veſtrum omnium arguet me de peccato aliquo mortali? Quod ſim maledicus & blaſphemus, ſcortator & adulter, fur & latro, contemtor verbi & Sacramentorum, quod officii & vocationis rationem minus habeam, & ſic ulterius.

Equidem poſt triſtiſſimum protoplaſtorum lapſum, adeo corrupti ſumus, ut non ſine defectu ſimus & eſſe poſſimus, peccatum enim quaſi iniquitatem bibimus, Hiob. 15. v. 16. vel juſtus ſepties cadit, Prov. 24. v. 16. Interim tamen quilibet ita vitam inſtituere debet, ut ſit irreprehenſibilis, ut is, qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum, dicere de nobis, Tit. 2. v. 8.

Gentiles ſemper magni fecerunt puritatem conſcientiæ, unde Horatius:

Hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Quanto magis noſtrum erit conſcientiæ integritati operam dare, qui à Chriſto nomen habemus, & conſcientiæ bonæ fœdus in Baptiſmo cum Deo pepigimus, 1. Pet. 3, 1. Sir. 14, 2. Prov. 15, 15. Prov. 25, 1.

Hæc erat conſolatio Moſis, contra Core, Dathan & Abiran, Num. 16. v. 15. Jerem. c. 17, 16. Pauli, 1. Cor. 4. v. 3. Heb. 13. v. 19.

Nos horum veſtigiis inſiſtere, & in id ante omnia incumbere debemus, ut converſationem inter gentes habentes bonam, qui detrectant de nobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus nos conſiderantes, glorificent Deum, 1. Petr. 2. v. 12. *Duæ ſunt res, conſcientia & fama: conſcientia neceſſaria eſt tibi, fama proximo, qui fidens conſcientiæ ſuæ famam negligit, crudelis eſt*, inquit Auguſtinus. Vide 41. v. 15.

Ecce quam decorum eſt, ſi quis cum Chriſto dicere poteſt: Quis arguet me de peccato? quam decorum, ſi & Echo ita reſpondet, ut de Noah dicitur, quod fuerit vir juſtus atque perfectus in generationibus ſuis, & cum Deo ambulaverit, Gen. 6. v. 10. aut ut Raguel ad juniorem Tobiam ait: Tob 7. v. 7.

De Imperatore Maximiliano I. refertur, quod ſepulchrum Eberhardi Barbati, Ducis Würtebergici inviſens, lacrymis eum honoraverit, & dixerit: *Hic jacet ſapientiſſimus Princeps Imperii.*

Hæc magnifica laus eſt, ad quam omnes contendere debemus vitæ innocentia, quæ unicum illud medium eſt, quo bonam famam conſequi valemus, *qualis enim vita hominum, talis & fama*, ait Fr. Petrarcha. Ne itaque famæ noſtræ labeculam adſpergamus, non malum duntaxat, ſed *ſpeciem* quoque *mali* vitare debemus, 1. Theſ. 5. v. 22. Quod fiet, ſi ad normam verbi divini omnem vitam noſtram componamus, ergo *virtutem cole dum vivis, & famam habebis in ſepulchro*, ut iterum Petrarcha ait.

II. *Iudæorum maledicentiam.* Sic enim

blaſphemant illi: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes?

Quales Samaritani fuerint, deſcribitur, 1.Reg 17. v.24. ſeqq. Joſephus ita deſcribit eos, quod fuerint inſignes hypocritæ, & homines leviſſimi, qui modò à Judæorum modò à Gentilium partibus ſteterunt, prout fortuna alterutri parti favorabilis fuit, ideò Judæis erant abominabiles, Joh 4 v.9.

Dum itaque hîc Chriſtum Samaritanum criminantur, ut hominem levem & in religione parum conſtantem eum calumniantur, qui legi Moſaicæ Evangelium ſuum admiſcere vellet, quod tamen admodùm abſurdè fieret. Neq; enim regni Chriſti qualitatem intelligebant, qui primò terret, & deindè conſolatur, mirabile enim facit conſilium, & magnificat ſapientiam. Eſa.28, 29.

Sed non in hoc acquieſcentes, virulentiora adhuc convitia evomunt, & dicunt, illum habere dæmonium. Hoc convitio ſanctiſſima ejus miracula vellicant, quæ paſſim in Judæâ patraverat, juxta vaticinium, Eſa.35.v.5.6.

Hoc probè advertere debemus, pertinet enim ad paſſionem Chriſti Servatoris noſtri, qui ad Judæos venerat, liberaturus eos à poteſtate Satanæ, Joh.8.v.36. ipſi verò opera ejus Diabolo adſcribunt, Luc. 11. v.15. quod horrendum prorſus eſt, quia præſertim à Sacerdotibus & perſonis Eccleſiaſticis hoc fit. Sed hic mos Diaboli eſt, qui mendax & calumniator ab initio eſt, Joh. c.8.v.44. imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius, Sap.2.v.ult.

Hic te proba, mi Chriſtiane, utrum & ipſe inter illos verſeris, qui famam proximi arrodere, eique maculam quandam inurere minus verentur?

Nihil enim familiarius eſt, in fece hujus mundi, quàm ut frater fratrem ſupplantet, Jer.9.v.4. ſi non apertè id fit, attamen clanculariè, ſicut Doeg calumniator Sacerdotes Domini apud Saulem ſugillabat, ut innocentes vitâ privarentur. 1. Sam. 22. v. 9. Diaboli enim regnum tribus his quaſi fulcris innititur, *mentiri, calumniari, & inficiari*, quod continuabitur, usque ad diem noviſſimum. Non itaque hoc nobis mirum videri debet, ſed potius verba Chriſti ad animum revocemus nobis: Beati eſtis, cum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum adverſum vos, mentientes propter me, Gaudete &c. Matth.5. v.11.12.

Quid B. Luthero, illo adhuc vivente, contigerit, notius eſt, quàm ut hîc recenſere opus ſit. Quantis etiam calumniis S. Athanaſius ab Arrianis laceſſitus ſit, pariter ex Eccleſiaſticâ hiſtoriâ conſtat.

Quodſi idem nobis fortè contingat, bonæ conſcientiæ ſolatio id ſuperemus, cogitantes quid Seneca dicat: *Qui tibi detrahit, aut verum dicit, aut falſum, ſi verum, quid miraris, ſi falſum, ad te non pertinet.* 2.Cor. 1. v.12. Pſalm.37.v.6.

III. *Argumentorum violentiam.* Tulerunt enim lapides, ut jacerent in eum, quo ipſo ceu ſorices ſeſe prodiderunt, cujus ſpiritus fuerunt, Luc.9.v.55.

Antehâc Diabolus Chriſto obtulerat, ut ex panibus lapides conficeret, Matth.4.v.3. Hîc Judæi eum lapidibus impetere volunt, hæc argumenta *ex officinâ carnificum* mutuaverunt, ut Tertullianus ait. Sic Moſes ipſe conqueritur, parùm abfuiſſe, quin lapidaverint ſe, Exod.17.v.4. Idem fermè Davidi contigiſſet, cum Amalekitæ in Sigeleg impetum feciſſent, & diripuiſſent, 1. Sam. 30. v. 6. Sic cum Rex Roboam Aduram, qui

qui erat ſuper tributa, miſiſſet, lapidavit eum omnis Iſraël. 1. Reg. 12. v. 18. Pari modo trucidarunt Zachariam Barachiæ filium, juxta Regis Joas mandatum, in atrio domus Domini, 1. Reg. 12. v. 18.

Sic hi veſtigiis parentum inſiſtere, eoque probare volunt, ſe filios eſſe eorum, qui Prophetas occiderunt. Matth 23. v. 31.

Hic ſcruteris vel teipſum, utrum & ipſe cum Judæis lapides corripueris, & veritatem perſecutus fueris?

Hoc multifariam fit.

1. *In ſenſu proprio*, & quidem

1. *Directè*, ſicut Cain fratrem Abelem interfecit, Gen. 4. v. 8. Sicut adhuc hodiè Pontifex, cum aſſeclis ſuis, Evangelicos perimendos vult, juxtà illud: Venite, & diſpergamus eos, ne ſint gens, & non memoretur nomen Lutheri ultra, Pſalm. 83. v. 5. Unde Palingenius Poëta Pontificius ſic ſcribit:

Clemens Martinum cupiens abolere Lutherum,
Non diſputando aut ſubtilibus Argumentis,
Sed ferro atq; armis mavult ſua jura tueri,
Pontifices nunc arma juvant, ſunt cætera nugæ.

2. *Obliquè*, per varias technas, quando Evangelici apud Imperatorem, Reges Electores, & alios Imperii ordines decolorantur, quòd falsò Chriſtianorum nomen obtineant, ſicut Bellarminus expreſsè ſcribit, *nullum inter Evangelicos eſſe bonum*, quod ſæpè apud imperitos fidem invenit. Unde Siracides c. 28. v. 15. 21.

2. *In ſenſu myſtico.* Quod ab iis fit, qui nomine Chriſtianorum gloriantur, at veritatem ferre nequeunt, hi ob peccata reprehenſi, lapidibus ſæpè eccleſiæ miniſtrum impetunt; *lapide* modò *diffamationis*, dum ut ſeditioſum eum traducunt, quod Eliæ accidebat, 1. Reg. 18. v. 17. modò *lapide retaliationis*, dum vindictam adverſus eum meditantur, Sir. 10. v. 6. modò *lapide relegationis*, ut eum ab officio removeant, & in exilium mittant, quod Amoſo contigit, Amos. 7. v. 13.

Utrumque grande peccatum eſt. Genuini Chriſtiani caveant ſibi ne illud committant, Qui enim eos tetigerit pupillam oculi Dei tangit, Zach. 2. v. 8. Deus iis facilè refugium procurare poteſt, ut in die malorum protegantur, Pſalm. 27. v. 5. à ſuperbiâ malorum, Pſalm. 31. v. 21. ut Jeremias, c. 38. Perſecutores autem eorum à portu & perfugio excludentur, quando conſcientia malefactorum eos exagitabit; ſed licet de cubiculo in cubiculum abſcondant ſe, 1. Reg. 22. v. 5. & montibus dicant, cadite ſuper nos, & abſcondite nos, Apoc. 6. v. 16. tamen protrahentur, & pœnas dabunt, interitum æternum, à facie Domini, & à gloriâ virtutis ejus. 2. Theſſ. 1. v. 7.

Secunda pars.

PRogrediemur nunc ad *alteram partem*, *χριστογνωσίαν*, *ſive notitiam Chriſti*, meditaturi. Hic nobis proponitur in Evangelio hoc:

1. *Tanquam Exemplar ſanctitatis*, qui ſolus in veritate dicere poteſt, quis veſtrum arguet me de peccato?

Scimus, *peccatum duplex* eſſe:

1. *Originale*, in quo concipimur, & naſcimur, Pſalm. 51. v. 7. Job. 14. v. 4. Unde Adam poſt lapſum filios genuit, non ad Dei, ſed ſuam imaginem. Gen. 5. v. 3.

2. *Actuale*, quod perpetramus, cogitationibus, verbis, & operibus, omittendo & committendo, à quo renati quoque non omninò excluſi, juxta illud Rom. 7. v. 21.

Sed de Chriſto dicere verè poſſum9, quod

ab

Digitized by Google

ab utroque,tam originali, quam actuali immunis ſit,ideo vocatur, ſanctus ſanctorum, Dan.9. v.24 qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus. 1. Pet. 2.v.22. Hujus innocentiæ ſuæ in paſſione ab ipſis hoſtibus, præclara teſtimonia impetravit. *Iudas* ait: Peccavi, tradens ſanguinem juſtum. Matth.27.v.4. *Vxor Pilati*, maritum monet: Nihil tibi, & juſto illi; multa enim paſſa ſum hodie in ſomnis, propter eum, Matth.27. v.19. *Herodes* veſte alba eum induit, in teſtimonium innocentiæ, Luc.23. v.12. *Centurio ſub cruce*, concionem ei funebrem habuit, hiſce verbis: Vere hic homo juſtus erat. Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant, ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua, revertebantur. Luc.23.v.48.

Hæc probe obſervabimus,

1. *Ratione ſolatii.* Nos omnes declinavimus, non eſt, qui faciat bonum, non eſt, usque ad unum. Pſalm.14. v 3. ideoque omnes damnandi eſſemus, niſi Chriſtus in mundum veniſſet, & innocentia ſua peccata noſtra expiaſſet: ipſe enim factus eſt nobis, ſapientia à Deo, & juſtificatio, & redemtio, 1. Cor.1. v.30. Quod itaque hic nobis deſit, in nobis non quærere poſſumus, & licet quæreremus, in nobis tamen non invenire licet. Omnis enim juſtitia noſtra eſt ſicut pannus menſtruatæ. Eſa 64.v. 6. ſed de Chriſti plenitudine accipere oportet gratiam pro gratia. Joh.1.v.16. Sic enim Deo, patri cœleſti placuit. Col.1. v.19. 20.

2. *Ratione exempli.* Licet enim Chriſtum in ſanctimonia plane adæquare non valeamus, attamen imitatores ejus eſſe debemus, & quantum fieri poteſt, ſanctimoniæ operam dare, ſine qua nemo videbit Dominum, Heb.12.14.

Præprimis obſervare hoc debent miniſtri Eccleſiæ, ut & Chriſtiani magiſtratus, ut dicere poſſint cum Paulo: Eſtote imitatores mei, ſicut ego Chriſti. Nam: Regis ad exemplum totus componitur orbis. Vide Sir.10.v.2.

II. *Tanquam Doctor veritatis.* Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Per veritatem nihil aliud intelligit, quam verbum ſuum ſalvificum, quod è ſinu patris prolatum, hactenus docuerat, Joh.1. v.18. Sicut enim ipſa veritas eſt, Joh.14.v.6. nec mentiri poteſt, Hebr.6.v.18. ſic quoque verbum ejus eſt verbum veritatis, Joh.17.v.17. Ideo dicit coram Pilato: Ego in hoc natus ſum, ut teſtimonium perhibeam veritati. Joh.18. v.37.

Quandocunque ita controverſiæ in religionis negotio oriuntur, non melius eas dijudicare poſſumus, quam ſi ad normam infallibilem, verbum ejus, eas revocemus, quicunque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia. Gal.6.v.15.

Alias verum eſt, omnis homo mendax, Pſal.116.v.11. Sed Chriſtus eſt verus Deus, & vita æterna, 1. Joh.5 v.20. Omnes promiſſiones Dei, in ipſo ſunt etiam, & in ipſo ſunt Amen. 2. Cor.1.v.20.

Inſerviat hoc nobis

1. *Ad refutandum illos*, qui poſthabita cœleſti veritate, docent, quæ non oportet, turpis lucri gratia, Tit.1. v.11. His Chriſtus itidem dicit: Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi?

Judæi, Turcæ, Ethnici, Arriani, Photiniani, & Anti-Trinitarii alii abnegant SS. Trinitatem. Hoc inde eſt, quia Chriſto non cre-

credunt, qui in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti baptizari juſſit.

Pontificii non per ſolam fidem, ſed per operum merita cœlum acquirere ſatagunt, unde hoc? quia non credunt verbo Chriſti, Joh. 3. v. 16.

Reformati in SS. cœnâ nihil præter nuda ſymbola, panem & vinum eſſe, arbitrantur, quibus beneficia Chriſti, per paſſionem parta nobis adumbrentur. Quod non ſtatuerent, ſi verbis inſtitutionis, quæ Chriſtus locutus eſt, inhærerent, & crederent Matth. 26. v. 26. Marc. 16. v. 23.

Noſtrum proinde eſt, omnem intellectum in captivitatem redigere, in obſequium Chriſti, 2. Cor. 10. v. 5. Beati enim qui non vident, & credunt, Joh. 20, 5.

2. *Ad dehortandum.* O quàm multi inveniuntur, qui verbum Dei ſusq; deq; habent, & ſuo arbitratu vivunt, non perpendentes, quod ſecuris ad radicem arborum poſita ſit. Matth. 3. v. 10. Hi Chriſtum audiant: Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Durum eis erit adverſus ſtimulum calcitrare, Act. 9, 7. Joh. 12, 48.

3. *Ad conſolandum.* Inveniuntur, qui à Satanâ territi, animum deſpondent, perſuaſi, quod iniquitas major ſit, quàm ut remittatur, ut Cain, Gen. 4, 13. Cum tamen claram Chriſti promiſſionem habeant: Qui venit ad me, non ejiciam foras, Joh. 6, 37. Et ſciant, filium hominis non veniſſe animas perdere ſed ſervare, Luc. 9, 56. Si veritatem auditis, quare non creditis? Peccatum abſolutè non damnat, aliàs nemo ſalvaretur, 1. Reg. 8, 46. Sed quando incredulitas & perſeverantia accedunt, Hebr. 10, 29. tum demum damnatio conſequitur. Joh. 3, 18.

Alii crucem iniquo animo ferunt, præſertim ſi auxilium diu differtur, & Deus dormire videtur. Sed quid ait Chriſtus? Non relinquam vos orphanos, Joh. 14. v. 18. Ne turbetur cor veſtrum, Joh. 14, 27. Ego vobiscum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi, Matth. 28. v. 20. His verbis ſolatio pleniſſimis inhærere debemus, ne Chriſtus cauſam habeat querelam ſuam repetendi: Si veritatem dico vobis, quare vos non creditis mihi? Expecta Dominum, Pſal. 27. v. 14. Veniens veniet & non tardabit, Hab. 2. v. 3. Nec patietur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, 1. Cor. 10. v. 13. qui tandem ab omni malo liberabit, 2. Tim. 4. v. 18.

III. *Tanquam pater æternitatis.* Dicit enim ad Judæos: Amen, Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum. Quæ verba non intelligenda ſunt de humanâ ejus naturâ, hanc enim in plenitudine temporis adſumſit, Gal. 4. v. 1. ſed de divinâ, quæ ante Abrahamum, & ab æterno fuit. Hinc vocatur, pater æternitatis, Eſa. 9. v. 6. cujus egreſſus ab initio, à diebus æternitatis, Eſa. 9. v. 6. cujus egreſſus ab initio, à diebus æternitatis, Mich. 5. v. 2.

Sic *Chriſtus eſt pater æternitatis, ſive æternus ſalvator,*

1. *Subjectivè.* In principio enim erat verbum, Joh. 1. v. 1. Apoc. 22. v. 13.

Eſt hoc infallibile argumentum, quo Hæreticos, qui æternam Chriſti Deitatem abnegant, refellere poſſumus. Quod ſi enim ante Abrahamum fuit, cum patre & ſpiritu ſancto æternus Deus erit, unum enim hi ſunt, 1. Joh. 5. v. 7.

Et quia ejusmodi ſalvatorem habemus, qui æternus eſt, mundum hunc tranſitoriũ diligere non debemus, ut Demas, 1. Tim. 4. v. 10. ſed theſaurizare theſauros permanentes in cœlo, Matth. 6, 20. Joh. 2, 26.

2. *Effectivè*, per verbum ſuum, de quo ait: Amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſervaverit, non guſtabit mortem in æternum. Aliàs dicitur:

Contra vim mortis non eſt medicamen
In hortis.

Sed hîc nobis Chriſtus monſtrat veram panacæam, quâ nos præſervare poſſumus, ne mors temporalis nobis amara ſit, Sir. 41, 1. ſed ſomnus placidus fiat, Joh. 11, 11.

Præſervare quoq; nos poſſumus, ne ſpiritualis mors nobis noceat; ſed ſicut in Baptiſmo Chriſtum induimus, Gal. 3. v. 27. Sic cum Stephano cœlos apertos videmus, Act. 7, 56. & impetramus ſalutem à modò, quamprimũ anima è corpore migrat, Apoc. 14, 13.

Ethnici de hâc arte nihil noverunt, ideò Imperator Septimius Severus, jam moribundus dicebat: *Omnia fui, omnia habui, ſed jam mihi nihil prodeſt.*

Ariſtoteles in agone exclamabat: *O ens entium miſerere mei!* Cui diſcipuli ejus reſpondebant: *Qui ſuſcipit animas Philoſophorum, ſuſcipiet etiam tuam.*

Nos habemus verbum Chriſti, quod eſt verbum vitæ, Joh. 6 v. 68. & medicina, quæ omnia ſanare poteſt, Sap. 16. v. 12. Diligamus itaque illud ſuper millia auri & argenti, Pſal. 119. v. 72. Sic Jeſus Servator nos viciſſim amabit, & in fine vitæ inſtaurabit, confortabit, roborabit, fundabit, 1. Pet. 5. v. 10. Ut in virtute ejus ſtrenuè vincere, & per mortem in vitam tranſire poſſimus. Quod nobis omnibus ex gratia concedere dignetur, Deus ter Opt. Max. per Jeſum Chriſtum, Amen.

Dominica Palmarum.

Concio de Cœna Domini.

EXORDIUM.

CUm Eleaſar ſervus Abrahami ſenior, formoſam Rebeccam ad fontem offendiſſet, animadverſô, illam hanc fore, quam Deus heri ſui filio Iſaaco præparaſſet, dedit ipſi inaurem auream, cujus pondus erat dimidium ſicli. Hæc arrha erat, quâ eam quaſi alligare, & amorem in corde ejus accendere & conſervare volebat, Gen. 24. v. 22.

Hæc hiſtoria elegantem nobis Allegoriam ſuppeditat.

Deus, cœleſtis ille pater, adhuc hodie Eleaſaros ſuos emittit, qui ſũt fideles Eccleſiæ miniſtri & paſtores, ut filio ſuo Jeſu Chriſto deſpondeant & exhibeant ſponſam caſtam, 2 Cor. 11. v. 2. quam in judicio & juſtitiâ, in miſericordiâ & in miſerationibus ſibi deſponſare vult, Oſ. 2. v. 19. Hanc ob cauſam illis concredidit:

1. *Inaurem auream*, h. e. verbum ſuum ſalutiferum, quod ideò prædicatur, ut audire, nec modò audire, ſed & in corde fideliter conſervare debeamus. Ex auditu enim fides eſt, Rom. 10. v. 17. ſine fide verò impoſſibile placere Deo, Hebr. 11. v. 6. proptereà non inconcinnè inauris aurea dicitur, quam ſuper millia auri & argenti æſtimemus, Pſalm, 119. v. 27. Argentum enim & aurum non valebit nos liberare in die furoris Domini, Ezech. 7. v. 19. ſed ver-

verbum Dei poteſt ſalvare animas noſtras, Jac. 1. v. 21.

2. *Armillas duas*, quæ ſunt duo Sacramenta. *Baptiſmus* eſt *ſacramentum initiationis*, & quaſi porta prima gratiæ, per quam ingredimur in Eccleſiam, & tanquam cives regni cœlorum nominibus noſtris in librum vitæ inſcribimur, unde Chriſtus ait: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt ingredi regnum cœlorum, Joh. 3. v. 5. *Sacra* verò *Cœna* eſt *Sacramentum Confirmationis*, quo fides non modò excitatur, ſed & roboratur, per pignus corporis & ſanguinis Domini Jeſu Chriſti pretioſiſſimum. Caro enim mea verus eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus; qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in die noviſſimo, inquit Servator ipſe, Joh. 6. v. 54.

Ecce! hi ſpirituales Eccleſiæ theſauri ſunt, quos Deus Eccleſiæ miniſtris concredidit, ut iisdem fœnerari, & multa animarum millia lucrari debeant, Matth. 25. v. 16.

Quoniam igitur hodiernâ Dominicâ Palmarum, Doctrina de Cœnâ Domini in Eccleſiis A.C. hujus Civitatis tractari ſolet: Nos quoq; huic inſtituto nos conformabimus, poſtquam a. ante Annum, *Cauſam efficientem principalem* examinavimus: Hâc vice *Cauſam hujus Sacramenti materialem* contemplabimur, & quidem

I. *Materiam viſibilem & terreſtrem.*
II. *Materiam inviſibilem & cœleſtem.*

J. J.

Exegeſis.

QUemadmodum per diem tres apparatus ciborum fiunt, ab iis præſertim, qui res manuarias faciunt, jentaculum, prandium & cœna.

Sic etiam Deus ter Opt. Max hoc tricuplum tempus obſervavit cum hominibus. Patriarchis ante & poſt diluvium exhiberi fecit *jentaculum*, per Melchiſedeckum, Regem in Salem. Revertenti enim Abrahamo, de prælio, in quo Kedorlaomor, percuſſerat, obviam ſe ei ferebat Melchiſedec Rex Salem, proferens panem & vinum, quô Abraham & ſervi ejus vires defeſſas reficere potuerunt, Gen. 14, 18. Habuerunt & prætereà paucas guttulas de ſacrificio Abelis, Gen. 4, 3. & Abrahami, Gen. 15, 9.

Deinde tempore Moſis Deus aliquantò lautius cibavit, & *prandium* inſtruxit: Ibi Judæi habebant panes propoſitionis, agnû Paſchalem, Manna, & multiplicia illa ſacrificia, quæ per Leviticum totum deſcribuntur. Sed umbræ duntaxat, & Typi Chriſti erant, qui unâ ſanctiſſimâ oblatione ſuâ conſummavit in æternum eos, qui ſanctificantur, Hebr. 10. v. 14.

In novo verò Teſtamento *ſacram Cœnam* inſtituit, in eaq; corpus ſuum in cibum, & ſanguinem ſuum in potum ordinavit. Ecce, epulas lautiſſimas!

In Nuptiis Cananææ, Procurator Sponſum commendabat, quod bonum vinum uſq; ad finem ſervaſſet. Joh. 2, 10. Sed multò magis laudem & gratiarum actionem meretur, quod cœleſtis noſter Sponſus Chriſtus Jeſus, optimum vinum, quo tanquam medio, ſanguinem ſuum in cœnâ nobis exhibet, uſque ad tempus correctionis reſervavit, ut novi teſtamenti tempus appellatur, Hebr. 9. v 12.

Quodſi verò de *Materiâ viſibili* agimus, quam Dominus ipſe ad communicationem corporis & ſanguinis ſui ordinavit, ibi

 pri-

primùm invenimus, *verum & naturalem panem,* ſicuti ex aquâ farinâ piſtus eſt, nec refert, utrùm ſit rotundus aut oblongus, ſiligineus ſive triticeus, fermentatus vel non fermentatus, quantum enim ad hoc attinet, habet Eccleſia libertatem ſuam, in quâ meritò ſtat, Gal. 5. v. 1.

Deinde adeſt quoq; *verum & naturale vinum,* ut ex vite generatum, & uvis expreſſum eſt, & viciſſim nihil intereſt, rubrumne an album illud ſit, quod in Eccleſiæ arbitrio ſitum eſt, modò ſit verum, naturale vinum, quod ita generatum, non factitium eſt, genimen vitis, ut Chriſtus appellat, Matth. 26. v. 29.

Hæc ita externa media ſunt, in quibus, cum quibus, & ſub quibus, nobis Chriſtus, verum ſuum corpus, & ſanctiſſimum ſuum ſanguinem, edendum & bibendum exhibet. Propterea adſpiciamus ea,

I. *Tanquam Symbola divinæ clementiæ.* Deus enim ſpiritus eſt, Joh. 4 v. 24. & lucem inhabitat inacceſſibilem, 1. Tim. 6. v. 16. Ideoq; nobiſcum per media externa agit. *Condeſcendit nobis,* ut Chryſoſtomus loquitur. Sicut aliàs quoque Spiritus ſanctus linguâ & voce concionatoris utitur, ut iisdem fidem in hominum cordibus accendat & excitet: Eodem modo in ſacrâ Cœnâ externis mediis panis & vini utitur, ut fidem per verbum in nobis accenſam, confirmet, & roboret.

Veluti igitur aliàs panis naturalis hominem roborat, ejusq; vitam conſervat: Sic Chriſtus, panis ille vitæ de cœlo deſcendit, ut daret vitam mundo, ut ipſe ait, Joh. 6. v. 33. Et ſicut vinum lætificat cor hominis, Pſ. 104, 15. Sic etiam ſanguis Chriſti, corda afflictorum exhilarat, ut impleantur ſpiritu, loquentes ſibimetipſis in Pſalmis & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes, in cordibus ſuis Domino, Eph. 5. v. 18. 19.

II. *Tanquam Symbola fraternæ benevolentiæ.* Sicuti enim unum granulum alteri farinam, & acinus alteri ſuccum ſuum libenter communicat, ut unus panis & unum vinum fiat: Sic nos quoq; unum corpus, & una anima ſimus oportet:

Ex corde diligamus ut nos invicem,
In pace conſervemus affectum & parem.
Daß wir uns von Hertzen einander lieben/
Und in Frieden auff einem Sinne bleiben.

Si cœnâ dignè uti velimus. Hinc Auguſtinus nominat eam, *ſacramentum pietatis, ſignum unitatis, vinculum caritatis.* Ex quo conſequitur, eum, qui ſacrâ Cœnâ uſurus eſt, omnem inimicitiam & rancorem deponere debere, juxta illud, Matth. 5, 23. 24.

III. *Tanquam Symbola Chriſtianæ patientiæ.* Sicuti enim frumentum & vinum multis tribulationibus ſubjectum eſt. Frumentum enim triturandum, inter molares lapides conterendum & pinſendum: vinũ verò calcandum primùm, dein torculari immittendum, prelo ſubdendum, & ſic muſtũ primâ, iterataq; preſſurâ elieiendum eſt: Sic etiam nos in hâc miſeriarum valle innumeris calamitatibus & preſſuris ſubjectos eſſe oportet, ſi aliquando mundus panis & generoſum vinum, menſâ cœleſti digni inveniri volumus, 2. Tim. 3, 12. Hebr. 10, 36.

Grana quidem tribulantur, & pinſuntur: Vinum calcatur, & torculari exprimitur: ſed hoc modo perfectionẽ ſuã conſequũtur, & ſcopũ, ad quẽ à Deo creati ſunt: Sic ſi nos in torculari iræ divinæ probè preſſi, & in furno miſeriæ excocti fuerimus, in emolumentũ noſtrũ cedit, ut fides noſtra multò precioſior ſit auro, quod per ignẽ probatur, 1. Pet. 1, 7.

IV. *Tanquam ſigna neceſſaria pœnitentiæ.* Sicut enim Chriſtus in inſtitutione hujus cœnæ pane azymo ſive infermentato uſus eſt, ut & nos Hoſtiis hodiè infermentatis utimur: Sic idem inſtruit nos, ut puro corde ad ſacram cœnam accedere, & fermentum vetus expurgare debeamus, ut ſimus nova conſperſio, ſicut ſumus azymi. Etenim paſcha noſtrum, pro nobis immolatus eſt Chriſtus &c. 1. Cor. 5. v. 7.

V. *Tanquam ſymbola cœleſtis munificentiæ.* Licet enim hîc nihil, niſi naturalis panis, & naturale vinum oculis videatur, & linguâ guſtetur: attamen viſibilia hæc elementa, per conſecrationem Sacerdotis, vi verborum inſtitutionis Chriſti, à communi uſu ſeparantur, ut ſint ὀχήματα, ſalutaria media, quibus Chriſtus corpus ſuum in cibum, & ſanguinem ſuum in potum, nobis exhibere promiſit.

Sicut igitur in admirationem rapiebantur Iſraëlitæ, cum primùm Manna viderent, ut dicerent: Manhu, ſive, quid illud eſt? Sic & nos admiremur ſaluti feram hanc Domini noſtri Jeſu Chriſti inſtitutionem, quod nobis in ſacrâ cœnâ panem oſtendit, & cum eo corpus ſuum ad edendum, vinumque oſtendit, & cum eo ſanguinem ſuum bibendum exhibet. Quod omnia miracula longè ſuperat. Magna ſunt opera Domini, inveſtigata in omne beneplacitum eorum. Pſalm. 111. v. 2.

De Secundo.

ACcedemus nunc ad *alteram partem, materiam inviſibilem & cœleſtem* contemplaturi. Quod eſt verum corpus, & verus ſanguis, Domini noſtri Jeſu Chriſti. Idem illud corpus, quod pro nobis in mortem crucis tradidit, & idem ille ſanguis, quem pro nobis in arâ crucis effudit. Ita enim habent, verba inſtitationis: Accipite & bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus, novi teſtamenti, qui pro multis effunditur, in remiſſionem peccatorum.

Hic verum habemus legatum, quod nobis Chriſtus, tanquam cœleſtis teſtator, in ſacrâ cœnâ inſtituit, & legati nomine reliquit. Sed à multis ſiniſtrè exponitur, & intelligitur.

I. Nonnulli enim hîc peccant *in exceſſu*, ut Pontificii, qui exiſtimant, poſt conſecrationem illicò panem & vinum in corpus & ſanguinem Domini transmutari, ad modum uxoris Lothi, in ſtatuam ſalis transformatæ, Gen. 19. v. 26. & aquæ, in nuptiis Cananææ in vinum verſæ. Joh. 2. v. 8.

Hoc figmentum, nullo ſacræ ſcripturæ, præſertim verborum Inſtitutionis, fundamento nititur. Filius Dei æternus, ſemel verum humanum corpus, ex Mariâ virgine adſumſit, hoc retinet in æternum, & valdè abſurdum eſt, quòd Adverſarii noſtri, quotidiè vi verborum conſecrationis, virtute magicâ, quam verbis inſtitutionis recitatis affingunt, novum ipſi corpus ex pane formare volunt: ſicuti ex eodem hoc fundamento, Sacrifici in libro, *Stella Clericorum* inſcripto, *Creatores creatoris* appellantur. Quinimò, licet alias Mariam virginem plus æquo extollant, ſcribere tamen minus verentur, quod Sacrificola, reſpectu Miſſæ ipſi præferendus ſit, quandoquidem Maria Chriſtum ſemel tantùm pepererit, hic verò, quoties Miſſam celebret, Chriſtum creare & producere poſſit.

Nos verbis inſtitutionis inhæremus, in quibus *transſubſtantionis*, ut ipſi loqui amant, nullo apice mentio injicitur. Chri-

ſtus enim non ſimpliciter dicit, eſt corpus meum: ſed in neutro genere, τοῦτο, quod nimirum cum pane exhibeo, hoc eſt corpus meum, vel ut hic loquendi modus maximè familiaris eſt, quando duæ res ſimul porriguntur, ut alterutrum ſaltem, quod videtur, exprimamus. e. g. ſi centum taleros cum crumenâ alicui exhibiturus ſum, dicere ſoleo: Accipe, hoc ſunt centum Imperiales. Similiter ſi cantharum vini alicui porrigo, ſic loquor: Accipe hoc eſt vinum. Exempla in ſacris ſunt, Exod.2 v. 6. Matth. c.3.v.16. Joh.20.v.22. Act.2.v.3. Ad eundem modum hæc Chriſti verba à Paulo explicantur: Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Chriſti eſt, & Calix benedictionis, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? 1.Cor.10.v.16.

In primitivâ Eccleſiâ hoc monſtrum planè incognitum fuit, ſed ut Balæus recenſet, à Moniali quadam, quam Pontifex Urbanus IV. in delitiis habuit, ortum, huic quia in ſomnis viſum fuit, panem in corpus Chriſti transmutari, in gratiam ejusdem articulum fidei eſſe voluit, qui poſteà, Anno 1215. in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. & tandem in Concilio Tridentino confirmatus eſt.

Ex hoc fundamento nunc corruit,

1. *Miſſificatio*, quam incruentum ſacrificium, vivis & mortuis utile fingunt; Sed in verbis inſtitutionis de eo ne gry quidem apparet. Non enim dicit Chriſtus, ſacrificate, ſed edite, hoc eſt corpus meum, bibite, hoc eſt ſanguis meus, hoc facite in mei commemorationem, intellige, unius illius ſacrificii, quod in arâ Crucis ceu verus Nov. Teſtam. ſummus Pontifex præſtiti, æternâ redemtione inventâ. Hebr.9.v.12.

Quod ſi verò Sacrificium Miſſæ, cultus Deo adeò gratus eſſet, uti Pontificii opinantur, non dubium eſt, quin id Chriſtus cum omnibus Circumſtantiis & Ceremoniis expreſſerit: ipſo præſertim aſſeverante, ſe omnia, quæcunque à patre ſuo audivit, nota feciſſe diſcipulis. Joh.15.v.15.

Nec ullo fundamento ex Patribus & hiſtoriâ Eccleſiaſticâ probari poteſt, Miſſam ſive ab Apoſtolis, ſive eorum Succeſſoribus in prioribus quinque Seculis ita eſſe celebratam, ut nunc illa adminiſtratur. Sed oratione duntaxat Dominicâ conſecrationem perfecerunt, & populum, corpore & ſanguine Domini, ſub pane & vino benedictis, refocillarunt.

Propterea nos Miſſam illam Papiſticam explodimus, & retinemus unicum illud ſacrificium expiatorium, quod Chriſtus in arâ Crucis præſtitit, de quo Paulus agit Eph. c 5.v.2. hoc perfectum & efficax eſt, & infinita propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed pro totius mundi. 1.Joh 2 v.2. Et virtus ejus durat in æternum, in omnibus qui verâ ſibi fide illud applicant. Hebr. 10. v.12. Hoc nullâ iteratione opus habet, ſive fiat cruento, ſeu incruento modo. Quia enim ſacrificia V.T. reiteranda fuerunt, liquidò conſtat, quod imperfecta illa fuerint, & homines à peccatis liberare non potuerint, ut Epiſtola ad Hebræos luculenter probat, cap.10. verſ.1. Quodſi itaque & Sacrificium Chriſti reiterandum foret, ſequeretur hinc, quod imperfectum idem fuerit, quod cogitatu, nedum dictu blaſphemum eſt.

Præterea ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Hebr. 9. v.22. quî igitur Sacrificium Miſſæ hâc virtute polleret, vivorum pariter & mortuorum peccata expiandi? Sanè

Sanè in tentationibus nullum præſtabit ſolatium. Sed ſanguis Jeſu Chriſti filii Dei emundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. v. 7. Qui hoc fretus, vivit & moritur, ita vivit, ut placidè mori poſſit Joh. 5. v. 24.

2. *Circumgeſtatio & odoratio*, quæ quotannis in Papatu in Feſto Conſecrationis exercetur, ubi Hoſtiam conſecratam in capſula incluſam, in magna populi frequentia, quam Proceſſionem vocant, circumgeſtant, eamque in genua procidentes adorant. Sed nefanda eſt idololatria, ubi gloriam, quæ Chriſto ſoli debetur, creaturæ panis aſſignant, & ſic gloriam incorruptibilis Dei, in imaginem corruptibilis panis mutant. Rom. 1. v. 23. Non enim Chriſtus eum in finem ordinavit panem, ut circumgeſtetur, & adoretur, ſed ut edatur. Proptereà conſecratio planè inefficax eſt, ſi hunc finem non aſſequatur, ut panis & vinum edatur & bibatur, juxta Regulam: *Extra uſum nihil habet rationem Sacramenti.*

Paulus, utut in tertium cœlum raptus, nihil de eâ memorat, 1. Cor. 11. verſ. 23. Præterea planè exploratum eſt nobis, Idololatriam hanc, ab Urbano IV. demùm, circa annum Chriſti 1264. invectam eſſe. Unde etiam Caſſander in Conſultatione ſuâ ad Maximilianum & Ferdinandum Imperatores ſcripſit: Expedire, ut circumgeſtatio hæc Sacramenti intermitteretur, quia Chriſtus non ad oſtentationem, ſed ad uſum idem inſtituerit. Ideoque nos in Eccleſiis noſtris unicè verbis Inſtitutionis inhæremus, nec addimus nec detrahimus iis quicquam, certiſſimi, quod Teſtatoris noſtri ultimam voluntatem impleamus, & verè ejus diſcipuli ſimus. Joh. c. 8. v. 31.

3. *Mutilatio.* Ubi Laici uſu calicis privantur, & nudo pane contentos eſſe oportet. Sicuti in Concilio Conſtantienſi hoc decretum factum, licet Chriſtus ſub utrâque ſpecie ſacram cœnam inſtituerit, hoc tamen non obſtante, Laicos unâ ſpecie contentos eſſe debere. Quem errorem quoque omnes Pontificii in hunc usque diem contra conſcientiam ſtabilitum eunt. Præcipuum, quo errorem hunc ſuum colorare nituntur hoc eſt, quod Laici cum corpore Chriſti, ſanguinem ejus ſimul accipiant, quia nullum verum corpus ſine ſanguine eſſe poſſit. Sed unumquemque, qui Chriſti diſcipulus eſſe vult, inſtitutioni Chriſti inhærere oportet. hæc docet nos, quod Chriſtus primùm panem acceperit, eumque diſcipulis diſtribuerit, dicens: Accipite, edite hoc eſt corpus meum: ὡσαύτως: & calicem, & dixerit: Bibite ex hoc omnes. hoc eſt ſanguis meus. Ita nos quoque ſacrâ cœnâ uti debemus, ſub pane benedicto, corpore Chriſti; & ſub vino benedicto, ſanguine Chriſti, ſicut Chriſtus ipſe inſtituit, & ordinavit.

Chriſtus non jubet nos ſanguinem ſuum edere: ſed corpus ſuum edere, ſanguinem verò bibere. Ab hâc inſtitutione & mandato Chriſti, nulla nos humana gloſſa avertere debet. *Aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, eò, quod diviſio unius, ejuſdemque ſacrificii, ſine grandi ſacrilegio nequeat provenire*, inquit Papa Gelaſius.

Præterea Evangeliſta expreſsè addit: & biberunt ex illo omnes, Marc. 14. v. 24. nobis in exemplum, ut & nos accepto, & eſo pane, omnes ex calice bibere debeamus. Si hoc fecerimus, verbis inſtitutionis conformamus nos, & portæ infe-

rorum non prævalebunt adverſus nos. Matth. 16. v. 18.

Hominis teſtamentum confirmatum, nemo abrogat, Gal. 3. v. 15. Atqui Sacra Cœna, Chriſti teſtamentum eſt, quod ſanguine & morte ſuâ confirmavit, iccircò illud non contemnere, eique nihil addere, nihil detrahere debemus, ne auferat Deus partem noſtram de libro vitæ Apoc. 22. v. 19.

II. Alii peccant *in defectu*, ſicut Reformati, qui veram eſſentialem præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti inficiantur, & externis Elementis nihil adſcribunt, niſi *vim analogicam & repræſentativam*, quibus beneficia Chriſti præfigurentur, quæ Chriſtus in arâ crucis per fractionem corporis ſui 1. Cor. 11 v. 24. & effuſionem ſanguinis ſui acquiſiverit, ideò tam vehementer urgent *fractionem panis*, eamque velut eſſentialem ſacræ cœnæ partem probatum eunt. Præcipuum eorum fundamentum eſt, quod Chriſtus verum humanum corpus habeat, quod non poſſit omnibus locis præſens eſſe: quoniam itaque Chriſtus cœlum adſcenderit, eſſe & manere eum in cœlo, usque dum die noviſſimo rediturus ſit, ad judicandum vivos & mortuos.

Sed nulla conſequentia eſt. Nudi hominis corpus, juxta naturalem proprietatem, hoc vel illo modo comparatum eſt, Ergò etiam corpus Chriſti. Illud corpus, quod in ſubſiſtentiâ & cum ſubſiſtentiâ Filius Dei indiſſolubiliter unitum eſt. Joh. 1. v. 14. Illud corpus, in quo tota divinitatis plenitudo habitat corporaliter. Col. 2. v. 3. Illud viſum corpus, quod omnem poteſtatem habet in cœlo, & in terrâ. Matth. 28, 18. Et quidem cum manifeſtè magno pietatis myſterio. 1. Tim. 3. v. 16. in quod deſiderant Angeli proſpicere. 1. Pet. 1. v. 12. Chriſtus enim non modò cœlos adſcendit, ſed ſedet quoque ad dextram Dei, in ejusmodi throno, ubi toti mundo dominatur, non abſenter, ut Reges terreni, ſed præſenter, tam in medio inimicorum, Pſalm. 110. v. 2. quàm in medio candelabrorum. Apoc. 1. v. 13. Matth. 18. v. 20.

Nos Lutherani verba inſtitutionis in proprio ſenſu retinemus, & exiſtimamus, quando Communicanti panis exhibetur, ſimul quoque ei exhiberi corpus Chriſti; ſicut igitur panem ore edit, ſic etiam corpus Chriſti edit ore, non tamen propterea eſt oralis naturalis comeſtio, ſed oralis ſacramentalis comeſtio, quæ ſupernaturali & prorſus divino modo fit, nec ullâ humanâ ratione capi & comprehendi poteſt. Cum vino pariter ſe res habet.

Eſto nobis ſacroſancti hujus convivii inſtitutio.

1. *Tanquam ſignum maximæ dilectionis.* Cum Rex David benevolentiam ſuam erga Mephiboſethum claudicantem conteſtaturus eſſet, dicebat ad eum: Tu comedes panem in menſâ meâ ſemper, 2. Sam. 9. v. 8. Hoc Mephiboſeth pro tantâ gratiâ reputabat, ut adoraret eum, & diceret: Quis ego ſum ſervus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem mei v. eod. Sed quid hoc eſt, reſpectu amoris beneficentiæ & miſericordiæ Cœleſtis Davidis, qui nos menſâ cœleſti dignatur, & ſeipſum nobis comedendum exhibet? Quid eſt homo, quod agnoſcis eum? aut filius hominis, quia reputas eum? Pſalm 144. v. 3. Cum Joſephus fratres ſuos dimitteret, dabat iis, in teſtimonium amoris cibaria in viâ. Gen. 42 v. 25. Sic Chriſtus, cœleſtis ille Joſephus, cibaria nobis largitus eſt, ne deficiamus in viâ: ſed in cœleſtem patriam feliciter perducamur.

2. *Tanquam pignus intimæ conjunctionis.* Quia

Quia enim corpus ejus verè edimus,& ſanguinem ejus verè bibimus, ore noſtro, hinc ſponte ſequitur, quod cum eo verè uniamur. Et ſicuti ſurculus inſititius, de ſtirpe, cui inſeritur, ſuccum & vigorem attrahit: Sic etiam nos per dignam comeſtionem corporis & ſanguinis Chriſti, ei tanquam arbori vitæ quaſi implantamur, & ut ipſe vivit,& nos vivemus.Joh.14.v.19.

3. *Tanquam memoriale noſtræ obligationis.* Cum Chriſtus quinq; panibus & duobus piſcibus, quinq; millia virorum cibaſſet, rapere eum,& facere Regem volebant. Joh.6. v.15. Multò magnificentius nos Chriſtus cibat in ſacrâ cœnâ, non panibus hordeaceis & piſcibus: ſed proprio ſuo corpore & ſanguine; nos quoque ipſum prehendentes, tanquàm Regem cœli & terræ, ut fidos ſubditos decet, laude & gloriâ mactemus, atque adoremus. Cùm Iſraëlitæ Manna deſpicerent, Deus ad juſtam iram ab ipſis provocabatur: Quantò magis ira Dei exardeſcet, ſi nos, ut ingrati, in peccatis perſeveraverimus,& gratiarum actionem omiſerimus? Ergò ſacrifica Deo laudem,& redde Altiſſimo vota tua,ſacrificans n.laudem,honorabit me.Pſ.50.v 14.& 23. Largiatur nobis Deus omnibus gratiam ſuam, ut in viis ejus ambulemus in verâ caritate & pietate,ne cibi hujus nos aliquando pœniteat. Kyrie eleiſon,

Amen!

In Feſto Paſchatos.

Evangelium, Marc.16.v.1 --- 8.

EXORDIUM.

MAndavit olim Deus Iſraëlitis, ut, ſi terram ingreſſi fuerint, quam Deus ipſis dederat, & meſſuri eſſent ſegetem, faſciculos ſpicarum, primitias meſſis ſuæ ad Sacerdotem perferrent, feſto Paſchatos, ſive altero die Sabbathi, ut Sacerdos moveret faſciculum coram Domino, & ſic acceptabile eſſet; priusquam hoc fieret, panem & polentam, & ſpicas comedere non poterant Levit.23.v.11.

Hoc egregius Typus Chriſti fuit, ut ipſe Apoſtolus eò collineare videtur, cum Chriſtum vocat, primitias dormientium, 1.Cor. 15.v.25. Sicuti enim Judæi primitias meſſis ſuæ ad Sacerdotem perferre tenebantur, altero die Paſchatos: Sic Chriſtus die Paraſceves mortuus eſt,per Sabbathum in ſepulchro quievit, ſed poſtero die à mortuis reſurrexit, primitiæ factus dormientium, ut Apoſtolus loquitur. Hoc ipſo nobis acquiſivit, meſſem beatiſſimam, quæ die noviſſimo fiet, ubi omnes, qui jam Chriſto per veram fidem adhæreſcimus, ad vitam æternam reſurrecturi & prodituri ſumus. Joh.11.v.25.26. Intereà

Sic veſcimur, & plaudimus,
In azymo paſchali:
Fermentum avitum explodimus,
A voce gratiali.
Vult Chriſtus eſſe edulium,
Cibare nobis corculum,
Hunc reſpicit fides bonum.

So eſſen wir und leben wol
In rechten Oſter-Fladen/
Der alte Sauerteig nicht ſol
Seyn bey dem Wort der Gnaden.
Chriſtus wil ſelbſt die Speiſe ſeyn/
Und ſpeiſen unſre Seel' allein/
Der Glaub wil keins andern leben.

In Vet. Teſt. Judæos agno Paſchali irrationali contentos eſſe oportuit, habebant enim tantùm umbram futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum, Hebr. c.10.v.1. Sed nunc Dominus novum creavit ſuper terram, Jer. 31.v.22. Vetera transierunt, tempus correctionis advenit, Hebr. c.9.v.10. Habemus jam aliud paſcha, quod eſt Chriſtus, pro nobis immolatus, itaque feſta celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis. 1. Cor.5. v.7.8.

Pluribus nos inſtruet præſens Evangelium, ubi audiemus, quomodo Angeli reſurrectionem Chriſti mulierculis annunciant, quæ venerant corpus Chriſti uncturæ. Surrexit ajunt, non eſt hîc. Hæc bona illa nova ſunt, quæ adhuc hodie animos noſtros gaudio perfundunt. Quæcunque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Rom.15.v.4.

Nunc ad ipſam Evangelii tractationem nos conferemus, meditaturi:

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*
II. Χριστογνωσίαν ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

CUm David adhuc adoleſcens, immanem Philiſtæum Goliathum percuſſiſſet, egreſſæ ſunt mulieres, de univerſis urbibus Iſraël, in occurſum ejus, cantantes, choroſque ducentes, & dicentes: Percuſſit Saul mille, & David decem millia. 1. Sam. 18. v. 6.

Nos ſufficientiorem cauſam habemus, ut Chriſto obviam procedamus hodiè, poſtquam infernalem Goliathum ſuperavit, & omnes hoſtes noſtros profligavit, lætiſſimum illud ἐπινίκιον cum jubilo perſonantes: Ubi eſt mors ſtimulus tuus? ubi tua, inferne, victoria? 1.Cor. 15. v. 55.

Devotæ mulieres præclarum nobis reliquerunt exemplum, dum valdè manè peregrinationem ad ſepulchrum ſuſceperunt, ſed Chriſtum non invenerunt, quia jam reſurrexerat, ut Evangelium teſtatur.

Intereà nos *notitiam noſtri* diſcere poſſumus, ſi excuſſerimus,

I. *Devotionis exemplum.* Valdè enim manè ante exortum Solem ſurgunt, & iter ad ſepulchrum faciunt.

Apoſtoli Chriſtum in horto Oliveti turpiter reliquerant, nec metu Judæorum prodire audebant, ut, an Chriſtus ex mortuis reſurrexerit, exploraſſent, ſicut ipſis prædixerat.

Sed mulierculæ hæ animo prorſus virili, primo diluculo exeunt, cum devotione piâ: quamvis in hoc infirmiores ſint, quod corpus Chriſti, in ſepulchro ſe inventuras, idemque more Judæis uſitato ungendum, opinentur, cum tamen jamdum ſurrexerat, juxta promiſſionem ſuam.

Hic ſciſcitare te, mi Chriſtiane, utrum & ipſe in honorem triumphantis noſtri Victoris, ad exemplum harum mulierculærum, officium tuum paſchale ſedulo obſervaveris?

Mu-

Mulieres hæ devotionem ſuam indicant,

1. *Manè ſurgendo.* Sic etiam noſtrum erit, Dominum manè quærere, & piâ mentis devotione revolvere, quid nobis reſurrectione ſuâ acquiſiverit. Scimus enim, quod noſtri causâ ſemel mortuus eſt, quod autem vivit, vivit Deo. Rom.6.v.10. & habet claves mortis & inferni, Apoc. c.1.v.18. Ideoque canere poſſumus cum Eccleſiâ:

Membrum in Tuo ſum corpore,
Suſtenter hoc honore:
Nos non valet ſejungere,
Horrenda mors dolore:
Si mors rapit, rapit tibi,
Eſt vita parta nam mihi,
Perpes tuo cruore.

Ich bin ein Glied an deinem Leib/
Des tröſt' ich mich von Hertzen/
Von dir ich ungeſcheiden bleib/
In Todesnoth und Schmertzen.
Wann ich gleich ſterb / ſo ſterb ich dir/
Ein ewigs Leben haſt du mir/
Mit deinem Tod erworben.

2. *Ad ſepulchrum proficiſcendo.* Idem & nos faciamus, non more Papiſtico, ſed vere Chriſtiano, convenientes in domo Domini, & beneficia Chriſti, per reſurrectionem nobis parta, perpendentes. Omnia enim in commodum noſtrum facta ſunt, ego vivo, & vos vivetis. Joh. c.14. v.20.

3. *Corpus Dominicum ungendo,* ſic conſuetudinis erat apud Judæos, ut videmus Gen. 50. v.1. Nos quoque noſtros honeſtè ſepeliamus, juxta admonitionem Siracidis, cap 38.v.16. Imprimis verò Chriſtum in membris ſuis ungere debemus, quod fiet, ſi de opibus noſtris ad conſervationem Eccleſiæ, Scholarum, & pauperum ſuſtentationem, liberaliter erogaverimus, hoc enim Chriſtus ſibi factum agnoſcet, & largiter compenſabit. Matth.10.v.ult.

II. *Incidens obſtaculum.* Dum enim in viâ ſunt, & ad ſepulchrum pergunt, Joſephum ab Arimathiâ, lapidem ad oſtium monumenti advolviſſe, recordantur, cui revolvendo impares ſe agnoſcebant, erat enim magnus valdè. Imò licet id moliri voluiſſent, non tamen ipſis licuiſſet, ob ſigillum cum conſenſu Pilati impreſſum.

Hic disquire, mi Chriſtiane! annon & tibi interdum lapis aliquis obſtaculo ſit, quò in devotione tuâ impediaris?

Hoc non uno modo accidit.

Peccatum enim in mundum nobiſcum afferimus, in quo concipimur & naſcimur, Pſalm.51.v.7. hoc *grande ſaxum* eſt quod ſemper ad terram deprimit nos, ut corda noſtra minus ad Deum elevare queamus. Grave eſt ſaxum, & oneroſa arena, Prov. c.27.v 3. ſed peccatum gravius adhuc eſt, ſuperat enim arenam maris. Orat. Manaſſ. v.9.

Sicuti igitur avicula, cujus pedi lapis alligatus eſt, minus in altum ſeattollere valet: Sic peccatum nobis obſtat, ut debitam Deo devotionem præſtare non valeamus, propterea admonet nos: Eſa 1.v.15.

Accedunt multa ſcandala, quæ in mundo occurrunt, quibus multi pii Chriſtiani ſeducuntur, ut & ipſi concurrant in eandem luxuriæ diſſolutionem, 1.Petr.4.v.4. de quâ aliàs nihil ſciviſſent. Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona, Sap.cap.4.verſ.12. ideò in Scriptura prava exempla vocantur lapis offenſionis & petra ſcandali, 1.Petr.2. v.8.

Tertiò quoq; à devotione abſtrahuntur per

cæcam rationem, quæ divinis myſteriis ſeſe attemperare neſcit, ſemper vacillans, nec ſapiens ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum. Matth.16.v.23.

Quodſi *peccatorum moles* te premit, & animum angit, quæ Cainum ad deſperationem. Gen.4.v.13. Saulem ad interneccionem, 1.Sam.31.v.5. Judam ad ſuſpendium adegit, Matth.27.v.5. Ut dicere poſſis: *Quis revolvet nobis lapidem?* Chriſtum accede, qui donavit nobis omnia delicta, & delevit chirographum. Col.2.v.14.

Quodſi *lex maledictione* ſuâ terret, Deut. c.27.v.ult. Ut præ ſollicitudine queraris: *Quis revolvet nobis lapidem?* Chriſtus iterum juvare poteſt, qui redemit nos à maledictione legis, factus pro nobis maledictum, Gal.3.v.13.

Quodſi *mors arcum tendit*, è regione viventium nos ablatura, ut ad pacem amaritudo amara, ſicut Hiskiæ, Eſa.38.v.17. iterumque cogitemus: Quis revolvet nobis lapidem? Ecce! Chriſtum, primitiæ factum dormientium, ut in eo omnes vivificemur. 1.Cor.15.v.22. Die noviſſimo aperiet tumulos noſtros, & educet nos populum ſuum, de ſepulchris noſtris. Ezech.37.v.12.

Quodſi hæ & ſimiles cogitationes devotionem noſtram impedire volunt, pias haſce mulierculas in memoriam nobis revocemus, quas Deus in maximâ ſollicitudine ſuâ exhilaravit: reſpicientes enim, viderunt revolutum lapidem. Sic Deus fideles ſuos non patietur tentari ſupra id, quod poſſunt, 1.Cor.10.v.11. ſed moleſtum illum lapidem, qui animum excruciat, revolvet, ut reſpirare & requiem animarum invenire poſſint, Matth.11.v.29. quoniam ira momentum in indignatione ejus, Pſalm.30.v.6. at non defecerunt miſerationes ejus, Thren.3.v.22. ſed miſericordia ejus ſuper omnem carnem. Sir. c.18.v.12. & usque in æternum, ſuper timentes eum. Pſalm.103.v.17. Quare devolve ſuper Dominum, viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet. Pſalm.37.v.5.

III. *Angelicum nuncium.* Quia enim perterritas ipſas videbat Angelus, blandè ipſas compellat, & concionem ſuam paſchalem hiſce orditur verbis: Nolite timere. q.d. forſan perſuadetis vobis, quod vos horto expulſurus ſim, ſicut Cherubin Adamum & Evam è Paradiſo: ſed eſtote bono animo, bonus enim vobis adſum nuncius, & affero bona nova, quod Chriſtus è ſepulchro reſurrexerit.

Hic examines velim te, utrum & ipſe ſolatium hoc paſchale cum gaudio, ut decet, exceperis?

Hoc ita fieri, rectum eſt. Niſi enim Chriſtus reſurrexiſſet, adhuc eſſemus in peccatis noſtris, inanis eſſet fides noſtra, & qui in Chriſto dormierunt, periiſſent. 1. Cor.15.v.17.18. At Chriſtus reſurrexit, ideoque & nos reſurgere, convenit. Sicut Adam typus erat morientium: ſic Chriſtus typus eſt reſurgentium. Per Adamum mors intravit, Chriſtus vitam reparavit. *Reſurrectio ejus eſt ſpei noſtræ fundamentum, tumulorum noſtrorum clavis, hæreditatis noſtræ pignus.* Scimus enim, quod qui ſuſcitavit Jeſum, & nos per Jeſum ſuſcitaturus ſit. 2.Cor.4.v.14.

Quis igitur animum præ lætitia non efferre, & cum Eccleſiâ dicere vellet?

Hoc fulcior ſolamine,
Moleſtâ in ægritudine,
Certus, die quod ultimo,
Cum gaudio,
Sim ſuſcitandus ex humo.

Re-

Rerum parentis dextera,
Retundet mortis ſpicula,
Servabit oſſa corporis,
Ut ſingulis
Conveſtiar membranulis.
Bonum Deum cum jubilo,
Videbo nullus ambigo,
In ſempiternâ gloriâ,
Quæ mî data,
Sit Laus ei per ſecula.
Das iſt mein Troſt zu aller Zeit/
In allem Creutz und Traurigkeit.
Ich weiß/daß ich am Jüngſten Tag/
Ohn alle Klag
Werd aufferſtehn auß meinem Grab.
Mein lieber frommer getreuer Gott
All mein Gebein bewahren thut/
Da wird nicht eins vom Leibe mein/
Sey groß oder klein
Umbkommen noch verlohren seyn.
Mein lieben Gott von Angeſicht/
Werd ich anſchaun/ dran zweiffl ich nicht/
In ewger Freud und Seligkeit/
Die mir bereit/
Ihm ſey Lob/Preiß in Ewigkeit.

Quando itaque hodiè Deus, miſſis Angelis ſuis, ut eccleſiæ miniſtri vocantur, hoc ſolatium nobis prædicare ſinit, cor noſtrũ gaudio exultare debet, non modò memores, Dominum Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, 2.Tim.2.v.8. ſed & firmiter credentes, nos quoq; ſuo tempore per virtutem ejus reſurrecturos eſſe, juxta promiſſionem: Ego vivo, & vos vivetis, Joh. 14.v.19.

Homines mundani lætentur, quod frumentum & muſtum eorum multiplicata ſint, ut homo ille dives, Luc.12.v.17. ſive, quod in ſummo honore verſentur, ut Haman, Eſth.5.v.11. ſive, quotidiè ſplendidè epulentur, ut dives epulo, Luc.16.v.25. Tu *gaude*, quod Redemtor tuus vivit, qui te aliquando de terrâ ſuſcitabit, Job.19.v,25. *Gaude*, quod iniquitatem tuam expiaverit, & adduxerit juſtitiam ſempiternam, Dan. 9.v.24. *Gaude*, quod mortem abſorpſerit in victoriam, Eſa.25.v.8. *Gaude*, quod concluſam cœli portam recluſerit, notamq; tibi fecerit viam vitæ, Pſal.16.v.ult. Jam ſonat vox exultationis & ſalutis in tabernaculis juſtorum. Pſal.118.v.15. Rom.8.v.32.

Altera Pars.

TRanſibimus nunc ad alteram partem, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti* contemplaturi. Is nobis proponitur in Evangelio hoc:

I. *Tanquam ſexûs fœminei commendator.* Quænam peregrinantes hæ fuerunt, quæ Chriſtum feſto Paſchatos in ſepulchro quæſiverunt? Fuerunt piæ matronæ & mulieres, nimirum, Maria Magdalena, Maria Jacobi, & Salome. Lucas mentionem quoque facit Johannæ, uxoris Chuſæ, procuratoris Herodis, Luc.8.v.3. dicitq; quod aliæ cum eis fuerint, Luc.24.v.10.

De his prædicatur in hodiernum uſque diem in toto orbe Chriſtiano, in omnium piarum matronarum honorem, ut ſolatium inde habeant, & certi eſſe poſſint, ſi Deum timent, & Chriſtum quærunt, non quidem in ſepulchro, ſed ad dextram Dei Patris, fideli & ſubmiſsâ precatione, non ſibi damno fore, quod infirmius vaſculum ſint, 1.Petr.3.v.7. Dei enim virtus in infirmitate perficietur, 2.Cor.12.v.9. & ſæpè plus per eas efficiet, quàm per viros, qui in arte, robore & ſapientiâ ſuâ confidunt, Pſ. 147.v.10.11.

Lutherus ſcribit de Judæis,quod in Synagogis plus Deo pro tribus gratias egerint. Primò quòd rationales,nõ bruta illos creaverit. Deinde quod ſemen Abrahæ, non ethnici nati eſſent, & tertiò, quod viri non mulieres exiſterent.

Sed Spiritus ſanctus, non veretur pias haſce mulierculas nominetenus exprimere, quando hiſtoriam reſurrectionis Chriſti deſcribit. Licet enim à muliere initium factum eſt peccati, Sir.25.v.32. Attamen Deus filium ſuum miſit,factum ex muliere, Gal.4,4. Qui pro ſexu quoque fœmineo ſanguinem ſuum profudit, & propitiatio factus eſt, pro totius mundi peccatis,1.Joh. 2.v.2. Ut nullum diſcrimen ſit,inter maſculum & fœminam,Gal.3.v.28.

Sicut igitur aliàs Deus ſuorum nomen novit, 2.Tim.2.v.19. ſic etiam peculiarem *Catalogum* habet *ſanctarum Matronarum*, in quo omnes illæ nominetenus ſcriptæ ſunt, quæ eum verâ fide ſibi applicarunt. Sara propter obedientiam, 1.Pet.3.v.6. Rebecca ob verecundiam,Gen.24,65. Ruth ob frugalitatem,Ruth.1,25. Eſther ob humilitatem,Eſth.4,16. Eliſabetha ob vitam inculpabilem,Luc.1,6.Mulier Cananæa,ob præclaram fidem,Matth.15,28.Tabea ob Eleemoſynas, Act.9,36. aliæ aliâ laude celebres ſunt,ob quã Deus eas cognoſcit, & in libro monumenti conſignavit,Mal.3,16.

Operam igitur dare debent omnes Matronæ,mulieres & virgines, ut in hunc Catalogum & ipſæ referantur,quod fiet, ſi in Chriſtum credent, & vitæ puritati ſtudebunt,nec malum ſaltem,ſed & ſpeciem mali declinabunt,1.Theſſ.5,22. & non externum duntaxat, ſed internum ornatum gerent,2.Petr.3.v.3.ſeqq.

II. *Tanquam metus propulſator.* Ideoq; hic angelum ſuum ablegat, ut mulierculis perterritis animum addat, & dicat: Nolite timere.

Adhuc hodie Salvator noſter *Angelos Eccleſiæ* ſuæ ablegat, ut *Nolite timere* illud ingeminent, & omnem mœrorem animis noſtris excutiant, Eſ.40,1.2.

Si igitur vos terret ira Dei,quæ ignis conſumens eſt,Deut.4,24.Job.9,13. *Nolite timere*,Chriſtus nobis pacẽ impetravit,Rom. 5,1.Deus non amplius vult iraſci, Eſa.54,9. ſed ſecundum altitudinem cœli à terrâ, prævalebit miſericordia ejus, ſupertimentes ſe, Pſ.103,11. 1.Theſſ.5,9.

Terret vos *maledictio legis*? Deut.27,ult. *Nolite timere*,Chriſtus maledictionem ſubiit,& nobis victoriam impetravit,Gal.3,13. Sumus benedicti à Domino,qui fecit cœlũ & terram, Pſ.115,15.Eph.1,3.Die noviſſimo audiemus vocem Chriſti amabilem:Venite benedicti,Matth.25,35.

Terret vos *peccatum*,quod nos & Deum noſtrum dividit,Eſ.59,2. Oſ.13.v.9. *Nolite timere*: Chriſtus traditus eſt propter peccata noſtra,&reſurrexit propter juſtitiam noſtram,Rom.4.v.ult.

Si quis vadimonium pro altero obit,vinculis non citius expeditur, niſi omnia exſolverit. Sic Chriſtus vadem pro nobis ſe exhibuerat, promiſeratq; exſolvere, quod non rapuerat, Pſ. 69,9. propterea in cuſtodiâ tenebatur,uſq; ad diem tertium.Sed tertio die fortiter erupit, & à mortuis reſurrexit.Inde colligimus,quod debitum noſtrum diſſolverit,ſecus enim è vinculis dimiſſus nõ fuiſſet. Verè vorſuram fecit, & chirographum delevit. Col.2,14. 1.Joh.2,1.2.

Terret vos *mors*, qui ultimus eſt inimicus?1.Cor.15,26. & nulli parcit, 2.Sam.14. v.14.*Nolite timere*,Chriſtus abſorpſit mortẽ in

in victoriam, 1. Cor. 15, 55. Scimus quod trãſlati ſimus, de morte ad vitam, 1. Joh. 3, 14. Et ſicut redemtor noſter vivit, nos quoq; vivemus, Joh. 14, 19. 2. Cor. 5, 1. Joh. 14, 2.

Terret vos *Satanas?* Nolite timere, Chriſtus hunc quoq; hoſtem ſuperavit, & traduxit illũ triumphans, Col. 2, 15. Oſ. 13, 14.

Sic vicit Leo de Tribu Juda, Apoc. 5, 5. Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus, Apoc. 12. v. 10. & ſeqq.

III. *Tanquam vitæ reparator.* Sicut enim omnes in Adam moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur, 1. Cor. 15. v. 22. Cauſa eſt, quia Chriſtus caput noſtrum eſt, & nos ejus membra ſumus, Eph. 5. v. 23. Ideò verum eſt, quod Leo ait: *Quo præceſſit gloria capitis, eò ſequetur etiam ſpes corporis.*

Hoc non impoſſibile eſt, ut filii hujus ſeculi arbitrantur. Spectate *Solem*, in cœlo, qui alio loco occidit, alio oritur, *ita facit*, verba ſunt Tertulliani, *ut dies moriatur in nocte, & tenebris ſepeliatur, & tamen rurſus cum ſuo cultu, & dote reviviſcat.* Hæc *imago reſurrectionis noſtræ* eſt. Quando enim morimur, occidimus, & terræ gremio inſinuamur, quæ nox eſt, ſed die noviſſimo reſurgemus, & fulgebimus ſicut Sol in regno Patris, Matth. 13. v. 43.

Simile quid *anni tempora* nobis adumbrant. Si ſol in Autumno à nobis ſecedit, omnia quaſi intereunt: Sed cum vere remeans, & radiis ſuis orbem colluſtrans, *vitam* quaſi reducit, quando faciem terræ renovat, Pſal. 104. v. 29.

Quodſi *Sol* virtute ſuâ hoc efficere valet: quidni magis Chriſtus, qui *Sol juſtitiæ* eſt, corpora noſtra putrefacta tempore *Veris* diei noviſſimi producere, & ad vitam æternam reſuſcitare poſſit? Eſt ſiquidem magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu, Jer. 32, 19. Quin & præclara admodum ſpecimina ejus edidit. Reſuſcitavit enim Lazarum è ſepulchro, Joh. 11, 14. Adoleſcentẽ Nainiticum è ſarculo, Luc. 7, 15. filiam Jairi è lectulo, Matth. 9, 25. Sic, ut perruptor iter pandit, ut & nos perrumpere poſſimus, Mich. 2. v. ult.

Agricola, ſemen ſuum in terram projiciens, quaſi tumulo illud condit, quod tamen ſuo tempore enaſcitur & vireſcit: Eodem modo nobiſcum ſe res habet, poſt mortem enim in cœmiterium deportamur, ibidemq; quaſi in terram ſeminamur, die v. extremo, oſſa noſtra quaſi herba germinabunt, Eſ. 66, 15. 1. Cor. 15, 42. ſeqq.

Circa hoc vernum tempus ſolemus viciſſim in hortos exſpatiari, ſed pauciſſimi rectè expendunt miracula, quæ Deus quotannis in arboribus & plantis perpetrat. Hinc Lutherus ſuper Geneſin: *Ex ligno duriſſimo enaſcitur floſculus, enaſcũtur folia, proveniũt fructus. O miraculoſa res, ſed quia uſitata eſt, vileſcit.* Iterum hinc *imaginem reſurrectionis* noſtræ capiamus. Quod n. Hiob c. 14, 7. 12. dicit, id de hâc temporali vitâ intelligendũ venit. Nemo n. ante diem noviſſimũ reſurget. Interea tamẽ certi ſumus, quod è morte prodituri ſimus, ad modum arborum gemmas ex ſe producentium, ut Chriſtus ipſe ſimile hoc nobis proponit, Luc. 21, 29.

Inprimis verò fidem noſtrã fundamus in *reſurrectione Chriſti*, qui ipſe reſurrectio reſpectu noſtrûm quoq; eſt, Joh. 11, 25. Luc. 21, 33. Ideoq; dicere cum Paulo confidenter poſſumus: Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum, Phil. 1. v. 21. Rom. 14, 8.

Sic in omnibus quoq; calamitatibus animoſi eſſe, & cum Andreâ dicere poſſumus:

Inve-

Invenimus Meſſiam, Joh.1.v.45. Nec minus: Invenimus perruptorem, Mich.2.v. ult. & æternam redemtionem, Heb.9.v.12. 1.Petr.1.v.3.5.

Quodſi verò ſolatio hoc frui velimus, *reſurgendum eſt nobis ab operibus mortuis per veram & ſeriam pœnitentiam.* Beatus & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione primâ: in his ſecunda mors non habet poteſtatem, Apoc.20.v.6. Impii enim etiam quidem reſurgent, at in æternum opprobrium, Dan.12.v.2.

Quodſi verò nos per pœnitentiam reſurrexerimus, & ut filios Dei decet, ambulaverimus, tum caro noſtra, quæ jam ob peccata eſt *ſocia crucis*, aliquando etiam erit *ſocia lucis*. *Oculi*, quos jam elevamus in montes, unde venit nobis auxilium, Pſ.121. v.1. tum videbunt Deum à facie ad faciem, 1.Cor.13.v.12. *Aures*, quæ jam libenter verbum Dei audiunt, ibi in æternum τρισάγιον Angelorum audient, Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituũ, plena eſt omnis terra gloriæ ej9, Eſ.6,3. *Os*, quod Deũ hic laudat & celebrat, ibi eum celebrabit in æternum, & canet cum turbis multis in cœlo: Salus & laus, & gloria, & virtus Domino Deo noſtro, Apoc.19.v.1. *Manus*, quæ hîc pauperibus liberaliter eleemoſynas erogaverunt, plaudent ibi in ſeculum, ſuper omnia bona, quæ Deus præparavit diligentibus. 1.Cor.2.v.9. *Pedes*, qui hîc lætantur ſtare in portis Jeruſalem, Pſ.122. v.2. ibi ſtabunt ante thronum Dei, & ſervient ei die ac nocte in templo ejus, Apoc. 7.v.15. Imò tantum ibi gaudium erit, ut omnium miſeriarum hujus mundi facilè oblituri ſimus. Et quomodo ego illud enarrare valeam, cum oculus non viderit, auris non audiverit, nec in cor hominis adſcenderit? 1.Cor.2.v.9. Interea ſuſpiramus cum ſpirituali ſponſâ: Amen: Veni Domine Jeſu! Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis, Amen.

Dominica Quaſimodogeniti.

Evangelium, *Iohan.* 20. *v.* 19. --- 31.

EXORDIUM.

POſtquam Propheta Jonas à balænâ deglutitus, tres dies & tres noctes in ejusdem ventre fuerat, evomuit eum rurſus in aridam. Et ſurrexit Jonas, & abiit in Niniven, prædicans ibidem pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, ut Deus ipſi mandaverat, Jon.3.v.3.

Jonas typus Chriſti fuit, ſicut ipſe ſibi applicat, cum Scribæ & Phariſæi ſignum poſtularent, inquiens: Generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ceti ventre tribus diebus & tribus noctibus; ſic erit Filius hominis in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus, Matth.12.v.39.40.

Jonas erat Propheta Domini: Sic Chriſtus Propheta ille, qui in mundum venturus eſt, de quo Moſes prædixit. Joh.6.v.14. Deut.18.v.18.

Jonas

Jonas erat Deo inobediens, fugiebatque per mare, ſed facta eſt tempeſtas magna in mari, & navis periclitabatur conteri. Jon.1. v.4. Idem accidit Chriſto Servatori: etſi enim reſpectu ſui erat ſanctus & juſtus ſervus Dei, Eſa. 53. v. 11. in omnibus voluntatem patris ſui cœleſtis implens, Joh. c. 5. v.30. Noſtrûm tamen loco, judicium Dei ſubiens, promiſerat exſolvere, quod non rapuerat, Pſ.69. v 5. Ideoque inſurrexerunt in eum fluctus iræ divinæ, ut ipſemet conqueritur: Abyſſus abyſſum invocat, ad ſtrepitum canalium tuorum, omnes undæ, & fluctus tui ſuper me tranſierunt. Pſalm.42, 8. Imò haut ſecus videbatur, ac ſi à Deo derelictus eſſet, ſicut clamore indicat. Matth. 17. v. 46.

Jonas ipſe conſilium ſuppeditabat, cum maris impetus invaleſceret, ut mitterent ſe in mare, ſic mare ceſſaturum dicens à violentiâ ſuâ, ut quoque factum eſt. Sic ipſe Chriſtus, in conſilio SS. Trinitatis humanam ſe naturam aſſumturum, & in eâ mortem paſſurum, ſimulque propitionem facturum eſſe obtulit, pro totius mundi peccatis, quo maxima tempeſtas, & inquieti iræ divinæ fluctus ſopirentur, ſicut & factum. Juſtificati enim fide, pacem habemus cum Deo per Chriſtum, Rom. 5. v. 1. Taliter expediebat, ut unus moreretur homo pro populo, & non tota gens periret. Joh. 11. v. 50.

Jonas tribus diebus & tribus noctibus erat in ventre ceti: Sic quoque Chriſtus tribus diebus & tribus noctibus fuit in corde terræ. Die enim paraſceves, ſive Veneris veſperi, ante Solis occaſum, mortuus & ſepultus eſt: Per integrum Sabbathum quievit in ſepulchro: ſequente tertio die cum ipſo diluculo ſurrexit, juxta Scripturas. 1. Cor. 15. v. 4.

Jonas continuò abiit in Niniven, è ventre Balænæ liberatus, ad prædicandum pœnitentiam, ut ei mandatum à Deo erat: Sic Chriſtus ſtatim poſt reſurrectionem ſuam, Apoſtolos in munere Apoſtolico confirmavit, & ablegavit, ad prædicandum in nomine ſuo, pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, in omnes gentes. Luc. 24, 47. Sicut quoque iisdem cum in finem Spiritus Sanctus datus, & claves regni cœlorum concreditæ ſunt, hiſce verbis: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt, ſicut audimus in prælecto Evangelio.

Cui abſque ulteriori præloquio accingemus nos, ex eo pro inſtituti ratione conſideraturi:

I. ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri*.
II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti*.

J. J.

Exegeſis.

N*Eſcio unde exordium ſumam, tot ſunt hic doctrinarum neceſſariarum capita*, inquit Chryſoſtomus, Caput V. Matthæi explicaturus. Sic & nos hîc dicere poſſumus, quando uberrimam, quam hoc Evangelium ſuggerit, materiam conſideramus. Sed compendium verborum facturi, ea duntaxat, quæ methodo noſtræ inſervient, proferemus, tractantes, *Notitiam noſtri*, ubi obſervamus

I. *Apoſtolorum metum*, fores enim clauſæ erant, ubi diſcipuli congregati, idque propter metum Judæorum.

Nondum Apoſtoli obliti erant, quid Chriſto acciderat, in flagellatione, coronatione & crucifixione, ideò quemadmodum Piſcator ictus ſapit, ut in Proverbio eſt, ita &

 ſibi

Digitized by Google

ſibi metuebant, præſertim Domino ipſis prædicente: Non eſt ſervus major Domino ſuo, ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Joh. 15. v. 20.

Præterea per totam Hieroſolymam fama vagabatur, ac ſi ipſi corpus Chriſti è ſepulchro abſtuliſſent, quò cum à mortuis reſurrexiſſe, confirmare poſſent, ſicut milites impii, à ſummo Pontifice pecuniam acceperant, & novellas has ubique divulgaverant. Matth. 28, v. 12. 13.

Præterea metum hunc ipſis incutit conſcientia malæ voluntatis, quod à Domino ſuo tempore Paſſionis partim per abnegationem, partim per ſeceſſionem & fugam defecerant. Sap. 17. v. 10. 11.

Metum hunc in illis auxit, quod Dominus mulieribus ſe manifeſtaverat, ipſis adhuc neglectis, ex quo nihil colligere poterant aliud, quàm Dominum ipſis infenſum eſſe, eosque parum curare.

Hic te velim probes, mi Chriſtiane, annon & ipſe nonnunquam tempore calamitatis, adeo meticuloſum te exhibueris, homines plus metuendo, quàm in Deo confidendo: Procul dubio paucisſimi ſeſe hic immunes dicere poterunt, Eſt enim cor hominis doloſum & ærumnoſum. Jer. 17. v. 9.

Doloſi ſumus, quando proſpero fortunæ flatu utimur, tum animam & corpus reſpectu Chriſti, & Evangelii ejus vili pendimus, ſicut Petrus, Matth. 26. verſ 35. Sed quando nubes tribulationum inſurgunt, ut Evangelii Confeſſores vitâ periclitentur, aut in Exilium mittantur, in tantam ſæpè perturbationem conjicimur, ut quo nos vertere debeamus, ignoremus. Sed timor hic carnalis eſt, ideoque declinari debet. Non turbetur cor veſtrum, ait Servator, Joh. c. 14. v. 1. & Salomo: Infortunio ſuo impelletur impius, ſperat autem juſtus in morte ſuâ. Prov. 14. v. 32.

O quàm ſæpè animis cadimus, quando adverſarii noſtri adverſus nos inſurgunt! non attendentes, quod Deus dicit: Ego, ego ipſe conſolabor vos: quis tu, ut timeas ab homine mortali, & à filio hominis, quia quaſi fœnum areſcet. Eſa. 51. v. 12. At -- Excelſo excelſior eſt cuſtos: Eccleſ. 5. v. 7.

Magnas agant aſtutias,
Vadit Deus vias ſuas,
Manu ſua retractans.
Wann ſics aufs klügſte greiffen an/
So geht doch Gott ein ander Bahn/
Es ſteht in ſeinen Händen.

Non aliter comparatum eſt nobiſcum, quando calamitatibus immerſi ſumus, & auxilium diu differtur. Sed innitendum eſt promiſſionibus divinis! exemplo Moſis, Cum enim ad mare rubrum cum Iſraëlitis conſiſteret, & mors quaſi ante oculos verſaretur, hîc fluctibus marinis aſſurgentibus, illic Pharaone cum exercitu eos perſequente: State, ait, & videte ſalutem Domini, quam facturus eſt hodie. Exod. c. 14. v. 13. Sic David ab Abſolone fugiens hoc perfugium gerit, Pſalm. 3, v. 4. Pſ. 118. v. 12.

Cum Lutherus ab Imperatore Carolo V. ad Comitia Wormatienſia citatus eſſet, nonnullis amicis ipſum admonentibus, caveret ſibi, ne idem accideret, quod Johanni Huſſo: Imperterritus dicebat: Quia citatus ſum, eo pergam, licet tot Diaboli Wormatiæ eſſent, quot tegulæ ſunt in tectis, & in itinere Egregium illum hymnum componebat: Eine veſte Burg iſt unſer Gott/ eine gute Wehr und Waffen ꝛc.

Hodie ejusmodi Confeſſorum exiguus repe-

reperitur numerus. De plurimis affirmari poteſt, quod Chriſtus de Phariſæis: quod magis dilexerunt gloriam hominum, quàm gloriam Dei, Joh. 12. verſ 43. Quia igitur ex imbecillitate carnis facile labi poſſumus, non ſufficientes cogitare aliquid à nobisipſis, nedum perficere, 2. Cor. 3. v. 5. Ideò Deum oremus, ut ſpiritum letitiæ nobis reddat, & ſpiritu ſpontaneo confirmet, Pſalm. 51. v. 14. ut nos inſtauret, confortet, roboret, fundet, 1. Petr. 5. v. 10. quo militemus bonam militiam, habentes fidem & bonam conſcientiam, 1. Tim. 1. v. 18. tandemque finem fidei noſtræ reportemus, ſalutem animarum. 1. Petr. 1. v. 9.

II. *Chriſti votum.* Si Chriſtus cum iis juxta meritum agere voluiſſet, reprehenſionem Chriſti omnes meruerant, omnes enim perfidiâ à Chriſto defecerant. Sed quoniam ex animo dolebant, quod rem tam male geſſiſſent, ideò afflictis addere afflictionem non vult, ſed potius conſolatur eos, ajens: Pax vobis q. d. Nolite timere, quia non venio ut hoſtis, ad terrendum vos: ſed affero potius pacem, tanquam fructum reſurrectionis meæ, quod cum Deo reconciliati ſitis, nec mortem, Diabolum & infernum metuere debeatis.

Ecce! hoc nobile illud bonum eſt, quod Princeps pacis, Victor noſter glorioſiſſimus, nobis è ſepulchro attulit, & donavit, nempè ſpiritualis pax conſcientiæ, quæ ſuperat omnem ſenſum. Phil. 4. v. 7.

Terrena pax etiam donum Dei eſt:
- - optima rerum,
Quas homini noviſſe datum eſt.

Sed res eſt inſtabilis & periculoſa. *Inſtabilis,* quia Diabolus nunquam quieſcit, ſed per organa ſemper claſſicum canit, & facile novam flammam incendere poteſt, juxta illud Poëtæ:

Interdum pax eſt, pacis fiducia nunquam.

Ideoque habet nomen Abaddon h. e. perditio, Apoc 9. v. 11. & coram eo gaudet mœror. Job. 41. v. 13.

Periculoſa eſt terrena pax, quia eâ facilè abuti poſſumus, ſicut Sodomitæ è felicitate tranquillitatis, in ſuperbiam, & varias abominationes abierunt. Ezech. 16. v. 49.

Pax verò cum Deo, quam Chriſtus reſurrectione ſuâ nobis acquiſivit. Eſt *conſtantiſſima*, Deus enim cuſtodit veritatem in ſeculum, Pſalm. 146. v. 6. Eſt *perfectiſſima*, Pſalm. 34. v. 11. Eſt *ſaluberrima*, quâ conſcientia tranquillatur. Pſalm. 42, ult.

Hic examen inſtitue tecum, mi Chriſtiane, an & ipſe paci ſemper operam dederis?

Filii hujus ſeculi, in familiari uſu habent, ut clament, Pax, pax, nec tamen eſt pax, Eſa. cap. 57. verſ. 19. Quia enim in peccatis impiè pergunt, theſaurizant ſibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei, Rom. 2. v. 5.

Quando Partes controvertentes pacem inire volunt, intereà omnes offenſiones ceſſent, neceſſe eſt, ſecus enim novis inimicitiis pax difficilior redditur: ſic pacem per Chriſtum nobis partam retinere non poſſumus, ſi cum impio mundo omnibus flagitiis nos contaminamus. Impiis enim non eſt pax. Eſa. 18. v. ult.

Propterea inquiramus pacem, & perſequamur eam, Pſalm. 34. v. 15. primò, *reſpectu Dei*, ne voluntariè peccemus, ejusque iram in nos derivemus, nec crucem moleſtè feramus, ſed voluntati ejus ſemper nos

Digitized by Google

ſubjiciamus cum Hiobo dicentes: Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus? Job.2. v.10. Deindè *reſpectu proximi*, ſi fieri poteſt, quod in vobis eſt, cum omnibus pacem habentes ait Apoſtolus.Rom.12.v.18. Matth.5.v.9.

Cum Joſephus fratres ſuos dimitteret, ita inſtruebat eos: ne rixemini in viâ. Gen. 45.v.24.

Nos Chriſtiani etiam inter nos invicem fratres & ſorores ſumus, & dum domi ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, 2.Cor.5.v.6. Via in quâ ambulamus eſt cœnoſa & lubrica, plena offendiculorum, ut facilè labi, aut comites noſtros cœno inquinare poſſimus, ideò paci ſtudeamus oportet, altero alterius onera portante, ut ſic adimpleamur legem Chriſti, Gal.6.v.2. Bonum enim & jucundum eſt, fratres habitare in unum. Pſalm.133. v.1. Rixoſi verò non habent partem cum Chriſto, ſed in inferno. Apoc.21.v.8.

III. *Clavium uſum*, quas Chriſtus Apoſtolis ſuis tradidit. Inſufflavit enim & dixit ipſis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.

Ex quo apparet, Apoſtolos eorumque Succeſſores, qui ſunt verbi miniſtri, geminam poteſtatem à Chriſto accepiſſe:

1. *Peccata remittendi*, omnibus nimirum iis, qui de admiſſis peccatis dolent, in Chriſtum credunt, & propoſitum vitæ emendandæ ceperunt, quod quoque tam verbis, quàm ſtipulatâ manu in confeſſione promittunt. Vocatur aliàs *clavis ſolvens*, quicquid enim Paſtor ad hunc modum, in terris in nomine SS. Trinitatis ſolvit, in cœlo quoque ſolutum eſſe debet. Matth.18.v.18.

2. *Peccata retinendi*, iis nimirum, qui in peccatis præfractè perſeverant, & dicunt: Nolumus audire te, Jerem c.44. verſ.16. his tenetur verbi miniſter, ratione officii, maledictionem Dei annunciare, eos pro qualitate delicti, à communione Chriſtianorum excludere, & Satanæ tradere, ſicut Paulus cum inceſtuoſo ita egit, 1. Corinth. 5. verſ. 5. vocatur aliàs *clavis ligans*, quicquid enim Eccleſiaſtes h. m. in nomine SS. Trinitatis ligaverit, in cœlo quoque ligatum erit. Matth. 18. v. 18.

Hic proba te, mi Chriſtiane, utrum ſpiritualem hanc Eccleſiæ poteſtatem, quam DEUS miniſtris Eccleſiæ dedit, ratam habueris, eique obedienter te ſubjeceris?

Quod clavem ſolventem attinet, nemo non eâ contentus eſt, & volupe eſt ex ore Eccleſiaſtis audire verba illa leniſica: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, Matth. cap. 9. verſ. 2. Sed clavis ligans filiis hujus ſeculi, ſudes in oculis eſt.

Si rigorem primitivæ eccleſiæ uſitatum reſpicimus, hodie vix umbram aliquam diſciplinæ Eccleſiaſticæ habemus. Tres enim diſtinctos gradus, quibus veteres pro qualitate delicti, uſi fuerint, obſervamus.

Primus erat *Aphoriſmus*, quem ſuſpenſionem vocare poſſumus, ubi illi, qui in peccatis comprehendebantur, eaque agnoſcere vel omittere nolebant, ab uſu Sacræ Cœnæ, & patrinatûs officio excludebantur, &, ſi ſine prævia pœnitentiâ morerentur, ſine uſitatis Chriſtianorum ceremoniis ſepeliebantur, ut

ut lignum, in quocunque loco ceciderit, eſſet, Eccleſ. 11. v. 3.

Secundus gradus erat *Catharεſis*, quâ illi, qui ſive in vita, ſive in doctrinâ deliquerant, ab honorum gradu dejiciebantur, ſive Clerici, ſive in Magiſtratu conſtituti eſſent.

Tertius erat *Anathema*, ubi prorſus ab Eccleſiâ removebantur, nemine ipſos converſatione ulterius dignante, nemine cum ipſis cibum aut potum capiente, ſed ex publico ſuggeſtu ſatanæ tradebantur.

Hoc adeò rigoroſè obſervatum fuit, ut etiam ipſis Principibus & Imperatoribus non pepercerint, ſicut exemplum Ambroſii Theodoſium Imperatorem, ob cædem civium Theſſalonicenſium, excommunicantis teſtatur.

Utraq; clavis, eſt neceſſarius & utiliſſimus Eccleſiæ theſaurus, pro quo Deo ſufficientes gratias agere non poſſumus. Verè enim perterritam Conſcientiam vulgaris homo conſolari nequit, licet verbo Dei eam erigere ſatagat: Clave ſolvente opus erit, quam Chriſtus in ſolatium pœnitentium ordinavit.

Præterea in Eccleſiâ offenduntur ſecuri & præfracti homines, qui piis vehementer infenſi, iisdem nocere ſtudent. Contra hos clavis ligans tutela & propugnaculum eſt probis, & nihilominus malis ipſis ſalutare remedium ad agnitionem peccatorum & vitæ emendationem, licet carni terribile & tædioſum ſit, ut Luthers ait.

Genuini Chriſtiani agnoſcunt poteſtatem, quam Deus per Abſolutionem hominibus communicavit, Matth. 9. v. 8. nec ludibrio habent, quando impœnitentibus ira Dei annunciatur: ſed metuunt, pœnitentiam agentes ad exemplum Davidis, cui pœnitenti Propheta Nathan ait: Tranſtulit Dominus peccatum tuum, 2. Sam. 12. v. 9. 13.

Idem ſi fecerimus, & nos quoque gratiam conſequemur, Rom. 14. v. 4.

De Secundo.

PErgemus nunc ad alteram partem, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti* contemplaturi. Hic proponitur nobis in Evangelio præſente:

1. *Tanquam opportunus lætificator.* Apoſtoli congregati erant in concluſo conclavi, pleni timoris & conſternationis, interius ob malam conſcientiam, quod à Domino adeò turpiter ſeceſſerant; exterius ob metum Pontificum, Seniorum, Scribarum & Phariſæorum, qui denuò ſævire incipiebāt, quia Jeſus Nazarenus è ſepulchro reſurrexerat: Sed circa veſperam, cum nox ingrueret, & timor maximus foret, Chriſtus ipſos accedit, præſentiâ ſuâ eosdem exhilarans, ut præcedentis miſeriæ obliti, ex animo gauderent, Chriſtum à mortuis reſurrexiſſe.

Hunc morem Chriſtus adhuc hodiè reſpectu fidelium ſuorum obſervat, quos diu ſæpe affligit, ut ſperare teneantur, à cuſtodiâ matutinâ, ad cuſtodiam matutinam, pſal. 130. v. 5 Ex improviſo verò advenit & ſuppetias fert, ut omnes homines annuncient opus Dei, Pſal. 46. v. 10.

Ideoq; *horas* & *moras* ejus æquo animo ferre debemus. Peculiare enim habet Calendarium, in quo dies, menſes & hebdomades non ita numerat, ut nos, ſed mille annos ante oculos ejus ſunt, tanquam dies heſterna, quæ præteriit, & cuſtodia in nocte, Pſal. 90. v. 4. Hinc eſt, quod crux noſtra, ut ut longior, tantum punctum ſive momentum ſit, Eſa. 54. v. 7.

Intereà tamen fidelis eſt Deus, non patiens nos tentari ſupra id quod poſſumus, 1.Cor.10. v.13. Habac.2.v.1.

Cogitemus, quod neq; nos ſtatim audiamus, ſi ad pœnitentiam nos invitat; ideò non iniquè feramus, ſi nos aliquantiſper ſub cruce relinquat Deus, donec ſuo tempore ſurgat, Zeph.3.v.8.

Maria & Martha ſorores Lazari miſerunt ad Chriſtum, dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur. Non autem ſtatim accedebat ille, ſed poſt quatriduanam ſepulturam demùm, eumq; è ſepulchro in vitam revocabat, Joh.11.v.43.

Sic adhuc hodie opem ſuam tamdiu differt, donec humanum auxilium deſinat, tum accelerat, ut ſic illam magis commendet, nobisq; gratior fiat. Unde noſtrum erit, precationibus inſtare, & cum Jacobo dicere: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi, Gen.24.v.26. Sic impetrabimus tandem, quod petierimus, conturbata enim ſunt viſcera ejus. Jer.31. v.20.

II. *Tanquam pacis recuperator.* Hâc enim voce primùm Apoſtolis ſuis gratulabatur poſt reſurrectionem: Pax vobis.

Judæis familiare erat, ut in ſalutationibus ſuis dicerent: Pax tibi, 1.Sam.25. v.6. Sic & Chriſtus diſcipulos ſuos his verbis alloquitur. Sed non nuda duntaxat ſalutatio eſt, ſed hoc ipſo exhibere ipſis vult omnia beneficia, per reſurrectionem ſuam generi humano acquiſita, *qui pacem dedit, uno verbo omnia dedit*, ait Baſilius. Et Hieronymus hanc pacem nominat, *Salvatoris hæreditatem*, in hâc enim voculâ comprehenſum eſt, totum redemtionis noſtræ negotium, Col. 1. v.20.21.

Quodſi itaq; *triſtitia implevit cor tuum*, fuga eam hoc ſolatio: Pax tibi, *ſurrexit Chriſtus hodie, cunctos replens ſolamine*, hic te non deſeret, neque derelinquet, Hebr. 13.v.5. Pſal.34.v.19.

Si *conſcientia peccatorum angit*, Pax tibi, Chriſtus propitiatio factus eſt, pro tuis & totius mundi peccatis, 1.Joh.2.v.2.

Si *maledictio legis terret*? Pax tibi, Quem diligit Dominus caſtigat, Hebr.12.v.6. Rom.8.v.28.

Si *infernus horrorem incutit*? Pax tibi. Chriſtus factus eſt inferni peſtilentia, Oſ. 13.v.14. emittens ſanguine teſtamenti ſui vinctos ſuos de puteo, in quo non eſt aqua. Zach.9.v.11.

Si *mors arcum tendit*, deleturus te è regione viventium? Pax tibi, Chriſtus abſorpſit eam in victoriam, 1.Cor.15,54. Ut poſſis cum Simeone in pace abire, Luc.2,29. in pace requieſcere, Eſ.57,2. Et cũ Chriſto pacis principe manere ſemper, 1.Theſſ.4,17.

Ecce pretioſum donarium, quod nobis Chriſtus è ſepulchro attulit. Nos jam pacem habemus *ſupra nos*. Deo enim reconciliati ſumus, per mortem filii ejus, Rom.5.v.10. Pacem habemus *intra nos*, deletum enim eſt, quod adverſus nos erat chirographum, Col.2.v.14. Pacem habemus ſubter nos, diaboli enim opera diſſoluta ſunt, 1.Joh.3. v.8. Quis accuſabit electos Domini? Rom.8.v.33.34.

III. *Tanquam miniſterii ordinator.* Hic enim denuò Apoſtolos ſuos ad Apoſtolatum vocat, & ait: Sicut me miſit pater, & ego mitto vos. Et hoc cum dixiſſet, inſufflavit, & dicit eis: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.

Hæc vocatio adhuc hodie ad omnes fideles Eccleſiæ miniſtros pertinet, qui non minus à Chriſto mittuntur, ſi legitimè vocati

Digitized by Google

cati ſunt. Iccircò tanquam Dei legatos eos ſuſcipere, iisdem omnem obedientiam & benevolentiã præſtare debemus, legatione pro Chriſto fungimur, ait Apoſtolus, tanquã Deo exhortante nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo, 2. Cor. 5, 20.

Quando verò hic Chriſtus Apoſtolis dicit: Sicut me miſit pater, & ego mitto vos: nõ intelligendum id eſt, de operibus officii mediatorii. Eſt enim & manet unus ille mediator Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5. Sed ſimilitudo hæc conſiſtit.

1. *In mandato.* Ut enim à patre miſſus eſt ad evangeliſandum, & prædicandum, Eſ. 61, 1. ſic etiam diſcipulos ablegavit, ad docendum omnes gentes, Matth. 28, 19.

2. *In Effecto.* Sicut enim Chriſti prædicatio efficax fuit, ad pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum, Marc. 1, 15. Sic etiã Apoſtoli prædicaverunt ubiq;, Domino cooperante, & confirmante, ſequentibus ſignis, Marc. 16. v. ult.

3. *In periculo.* Sicut enim Chriſtus tempore miniſterii mundi odium & perſecutiones ſuſtinuit: ſic & ſimiliter Apoſtoli, Heb. 11. v. 37. 38.

4. *In patrocinio.* Sicut enim Chriſtus à Patre cœleſti tutelam habuit, uſque ad tempus paſſionis, quam voluntariè ſubibat: Sic Chriſtus quoque diſcipulos patrocinii ſui certos eſſe voluit, Zach. 2, 8.

5. *In præmio.* Sicut enim Chriſtus ad dexteram Dei patris exaltatus eſt: Sic & Chriſtus Apoſtolis ſuis promiſit, quod edere & bibere debeant ſuper menſam ſuam in regno ſuo. Luc. 22. v. 30.

Omnes igitur legitimè vocati, & fideles Paſtores, miniſtri Chriſti, & diſpenſatores ſunt, myſteriorũ Dei, 1. Cor. 4, 1. Sicut hoc fine iisdem concredidit binas illas Eccleſiæ claves, ut poteſtatem habeant cœlum pœnitentibus peccatoribus reſerãdi, idemq; impœnitentibus occludendi, non quidem tanquam Domini, ſic enim Chriſto ſoli attribuuntur, Apoc. 3, 7. ſed tanquã ὑπηρέται, 1. Cor. 4, 1. Pſal. 115, 1.

Intereà magnum hoc nobis eſt ſolatium, quod miſeri nos peccatores, qui quotidie delinquimus, Pſal. 19, 13. ex ore Eccleſiaſtis peccatorum remiſſionẽ percipere, & miſericordiã conſequi, & gratiã invenire poſſimus in auxilium opportunum, Hebr. 4, 16.

Non proinde deſpicere debemus clavem hanc, ſed cum gaudio uſurpemus, Et Deus aliis quoq; clavibus, quę in ſcripturâ ipſi tribuuntur, utetur. Aperiet Dominus theſaurum ſuũ optimũ cœlum, Deut. 28, 12. Et effundet benedictionẽ ad abundantiam, Mal. 3, 10. Aperiet quoq; die noviſſimo tumulos noſtros, & educet nos populũ ſuũ de ſepulchris noſtris, Ezech. 37, 12. Recludet quoq; Paradiſum, & accipiet nos ad ſeipſum, ut ubi ille eſt, & nos ſimus, Joh. 14, 3. & videamus claritatem ejus, Joh. 17, 24. Fiat, fiat id, per Chriſtum, Dominum, & Salvatorem noſtrum, Amen!

Dominica Miſericordias.

Evangelium, *Iohan.* 10. *v.* 11. --- 16.

EXORDIUM.

CUm S. Patriarcha Jacobus oves Soceri ſui Labani paſceret, fideliter munus hoc ſuum exantlabat, ut meritò paſtor bonus appellari poſſit, præ-

præcipuè ideò, quia hoc ipſo *typus Chriſti* fuit, qui in prælecto Evangelio ait: *Ego ſum paſtor ille bonus*, in quem nimirum ſancti Patriarchæ & Prophetæ V.T. velut typi collimarunt, Gen.29 v.30.31.

Jacobus amovit lapidem, quo puteus claudebatur, ut grex eò commodius adaquari potuerit, Gen.29.v.11. Sic Chriſtus cœleſtis ille Jacobus, immane peccatorum ſaxum, à fonte miſericordiæ divinæ amovit, & in profundum maris miſit, ut jam aquas in gaudio, de fontibus ſalvatoris haurire poſſimus, Eſ.12,3. & gratiam invenire, in auxilium opportunum, Hebr.4.v.16.

Jacobus die noctúq; æſtu urgebatur, geluq;, fugiebatq; ſomnus ab oculis ejus, Gen.31,40. Sic Chriſtus multa pro oviculis ſuis perpeſſus eſt, Eſa.53.v.4.5. Maceratus eſt *æſtu iræ divinæ*, quæ ignis conſumens eſt, Deut. 4.v.24. Affectus eſt gelu & inopiâ, non habuit, ubi caput ſuum reclinaſſet, Matth. 8.v.20. Multas quoque noctes in precibus fuit, inprimis per-noctem viridium doloroſam noctem habuit, ut non immeritò conqueratur: Servire me feciſti in peccatis tuis, Eſa.43.v.25.

Jacobus ovium ſuarum fidelem curam geſſit, easq; adverſus lupum defendit, ipſe enim deperditas reſtituere cogebatur, ut ipſe ait: nec captum à beſtiâ oſtendi tibi, ego damnum omne reddebam, quicquid furtim peribat, vel interdiu, vel nocte, à me exigebas, Gen.31.v.39. Sic Chriſtus quoque ex rictu infernalis lupi oviculas ſuas eripuit, eosq; in hodiernum adhuc diem tuetur, ut portæ inferorum non poſſint prævalere adverſus eas, in æternum, Matt. 16.v.18.

Jacobus noverat oves ſuas, easq; ſegregabat à grege Labani, erantq; quæ primi temporis, Jacobi, ſerotinæ verò Labani, Gen.30.v.42. Sic & Chriſtus oviculas ſuas cognoſcit, easq; à mundo ſeparat, Joh.15. v.19. *Quæ primi temporis* ſunt, h.e. quæ in tempore reſurgunt, ſi fortè ex imbecillitate lapſi ſunt, in gratiam reaſſumit, ut de buccellâ illius comedãt, & de calice ejus bibant, & in ſinu illius dormiant, ut Nathan loquitur, 2.Sam.12.v.3. h.e. omni neceſſitate quà animam, quà corpus illis ſubvenit, ut bonitas & miſericordia illas proſequantur, omnibus diebus vitæ ſuæ, Pſal.23.v.6. *Serotinas* verò, quæ pœnitentiam differunt, donec amplius non peccare poſſint, per ſpacioſam viam incedere ſinit, quæ ducit ad perditionem, Matth.7.v.13.

Jacobus augebat gregem ſuum, & quia cum ſocero ſuo ipſi convenerat, ut maculoſæ, ut punctatæ & aduſtæ oviculæ ſibi loco mercedis forent, virgas populeas ponebat in canalibus aquarum, ante oculos ovium, ut in earum contemplatione conciperent, ſic agni evadebant maculoſi, & varii, & diverſo colore reſperſi, Geneſ. 30. v. 37. & ſeqq.

Sic & cœleſtis Jacobus, Servator noſter Jeſus Chriſtus gregem ſuum amplificat, dum oviculas ad canales aquarum Evangelii ſui ſalvifici deducit; quando igitur, dicta conſolatoria Veteris & Novi Teſtamenti nobis proponuntur, concipimus ſuper virgis his Jacobæis, h. e. replemur Spiritu ſancto, qui non otioſus eſt in cordibus: ſed teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſimus filii Dei, Rom. 8.v.16.17.

De hoc bono & fideli Paſtore, plura audiemus in prælecto Evangelio noſtro, conferemus igitur nos ad ipſius tractationem, ut diſcamus ex eo:

I. Ar-

Digitized by Google

I. Ανθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

Sicut Servator noſter pientiſſimus Mariæ Magdalenæ in formâ hortulani apparuerat, Joh. 20. v. 15. eoq; indicavit, ſe veniſſe, ut ex hortis carnalium voluptatum, quos Diabolus in mundo paſſim plantavit, ad ſe nos alliceret, inq; hortum ſuum reverteremur, & pretioſos fructus, quos per reſurrectionem ſuam acquiſivit, comederemus, Cant. 9. v. 16.

Sicut etiam diſcipulis Emaunticis in Viatoris formâ apparuit, ut doceret nos, quod in hoc mundo civitatem permanentem non habeamus, ſed futuram ſtudioſè inquirere debeamus, Hebr. 13, 14.

Sic in præſenti Evangelio audimus, quòd ut paſtorem nobis commendatum oviculæ obſequentes ſequi debeamus, ſi velimus in ovili eccleſiæ, hîc temporaliter alendi & defendendi, tandem aliquando, in ovile æternæ ſecuritatis introduci, ideò ipſe ait: Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me. Joh. 10, 27.

Notitiam verò *noſtri* hinc diſcere poſſumus, ſi intuemur:

I. *Paſtoris titulum*, ait enim Servator: Ego ſum Paſtor ille bonus. Eſt hoc nomen vile & deſpectum: quod ſi ratione noſtrâ metiri velimus, magis Chriſtum autoritati ſuæ conſuluiſſe, videri poſſet, quia cum adverſariis ſuis infenſiſſimis rem habebat, ſi nomine hoc omiſſo, titulo Regis Regum, vel filii Dei vivi, vel ducis vitæ, vel ſimili uſus fuiſſet, quod ex re & vero facere potuiſſet. Pecorum enim paſtores, ſemper deſpecti, & in tenui pretio in mundo fuerunt. Ægyptii deteſtabantur omnes paſtores ovium, Gen. 46. v. ult. In pari contemtu apud alios quoque fuerunt. Sed eodem modo hîc ſe res habet, ut aliâs Deus loquitur, Eſa. 55. v. 8. 9.

Ex hâc enim causâ, quòd Chriſto cum Scribis & Phariſæis negotium intercedebat, qui ſe ſolos paſtores profitebantur, & clavem ſcientiæ ſibi arrogabant, Luc. 11. v. 52. Chriſtus ipſis ſeſe opponit, ait: ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, Ego ſum paſtor ille bonus, quem Deus populo ſuo promiſit, ſicut idipſum in capite X. Johannis multis egregiis argumentis probat & confirmat.

Hic probet ſe unusquisq; , an etiam in functione & vocatione illâ, in quâ à Deo collocatus eſt , cum Chriſto vere dicere poſſit, Ego ſum paſtor bonus.

Triplices enim dantur paſtores: 1. *Paſtores in campo.* 2. *Paſtores in foro*, & 3. *Paſtores in choro.* Quælibet pars habet regulas præſcriptas, juxta quas incedere debet, imprimis verò ad exemplum Chriſti fideles ſe exhibeant, ut dicere poſſint: Ego ſum paſtor bonus.

Paſtores in Campo ſunt, qui ex re pecuariâ victum ſibi acquirunt, & aut proprias pecudes habent, ſicut Abel, Gen. 4. v. 2. aut mercedem merentur apud alios, uti Jacob, Gen. 30. v. 32. Hoc vitæ genus eſt honeſtiſſimum & antiquiſſimum, quod S. Patriarchæ, multiq; alii ſummi viri profeſſi ſunt, Gen. 47. v. 3.

Licet autem hi Paſtores in mundo parvi æſtimentur, attamen Deus peculiariter eos prætulit, ut non modò apparuerit iisdem, ſicut Jacobo & Moſi factum eſt, Geneſ. 31. v. 3. cap. 32. v. 29. Exod. 3. v. 2. ſed etiam à caulis ad aulam evexerit, uti Davidem, 2. Sam. 16. v. 11. vel etiam à boum

grege ad munus Propheticum vocaverit,ut Amoſum,cap.1.v 1.c.7.v.14.

Qui in hac conditione vivunt, reputent ſecum, ſe Deo æque atq; nobiles hujus mundi placere,modò operam navent,ut fideles ſint,Prov.27.v.23.26.

Deinde dantur *paſtores in foro*, hi ſunt Imperatores, Reges, Principes, Comites, & in genere omnes, qui Magiſtratus munere funguntur, quibus non oves aut boves, ſed hominum corpora aut fortunas concredidit Deus, ut juſtitiam exercentes malum puniant, & bonum remunerent, ùnde expreſsè Paſtores illi appellantur, Numer. 27. v.17. Eſa. 44. v. 28. Amos 1. v. 1. Mich. 5. v. 4. Zach. 10. v. 2. attamen probè meminerint, non ſe poteſtatem à ſeipſis habere, ſed à Deo, uti Joſephus Pro Rex Ægypti fatetur, Gen. 50. v. 19. In exigendis quoque tributis modum excedere non debent,uti Rhehaboam, 1. Reg. 12. v. 14. *Boni enim Paſtoris eſt, tondere pecus, ſed non deglubere,* ut Imperator Tiberius ait. Alexander quoque M. conſiliariis, qui tributum graviorem civitatibus imponendum cenſebant, reſpondit: *Et olitorem odi, qui radicitus herbas evellit.* Si igitur Ethnici adeò religioſi fuerunt, multò magis Chriſtiano magiſtratui id convenit, Panis egentium vita pauperum eſt,qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt,Sir.34.v.25.

Tertiò dantur *paſtores in Choro*,qui aliàs Paſtores animarum dicuntur, hi ſunt verbi miniſtri,& Eccleſiæ doctores, quibus Chriſtus gregem ſuum paſcendum concredidit, quem proprio ſanguine acquiſivit, Act. 20. v. 28. Unde & ipſi Paſtores vocantur, Eph. 4. v. 11. qui à Principe Paſtorum Chriſto dependent, dante ipſos eccleſiæ juxta cor ſuum, ut paſcant eam ſcientiâ & doctrinâ, Jerem. 3. v. 15. Ideò quemlibet eorum adhuc hodiè, ut Petrum olim compellat, Paſce agnos meos, paſce oves meas, Johan. 21. verſ. 15. 16.

Qui itaque genuinus animarum paſtor eſſe vult, exactè perpendat, non boves aut ſues, ſed homines ſibi concreditos eſſe, quorum animæ pretioſè à Chriſto redemtæ ſunt, hos ſine perſonarum reſpectu fideliter paſcat, 1. Petr. 5. v. 2. quia Deus ſanguinem eorum de hujus manu requiret, Ezech.3.v.18.

Quodſi itaque unusquisque in vocatione ſuâ ſe fidelem exhibet, præmium non deerit, ſed certiſſimè ſequetur die noviſſimo,ubi ex ore Chriſti audient: Euge ſerve bone, Matth.25.v.21.

II. *Mercenariorum ingenium*, hos ſic deſcribit Chriſtus: Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ovibus.

Mercenarius propriè eſt, qui mercede conducitur,eo fine,ut laborem fideliter exantlet: quia verò his hominibus familiare eſt,ut ad oculum modò ſerviant, Epheſ. 6. v. 6. ideò hoc titulo omnes illi intelliguntur, qui in functione, quam Dei beneficio adminiſtrant,ſuum duntaxat emolumentum & honorem, non verò Dei honorem, & eccleſiæ commodum reſpiciunt,hi illi ſunt, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt,Phil.3.v.19.

Hic examines, velim, te, annon & ipſe non-

nonnunquam in mercenariorum numero fueris?

Horum non pauci ſunt, in omnibus ſtatibus.

Mercenarii enim ſunt

I. *Avari*, qui, quæ ſua ſunt, duntaxat, quærunt, non quæ ſunt Jeſu Chriſti, Phil. 2. v. 21. In omnibus rebus ſanctus denarius ferè dominatur, plurimus auro venit honos. Pecuniæ causâ Judas Dominum & magiſtrum ſuum prodidit, Matth. 26. v. 15. Pecuniæ causâ cuſtodes ſepulchri Chriſti, conſcientiam ſuam vulnerarunt, dicentes, diſcipulos Chriſti corpus ejus abſtuliſſe, ut edocti erant; Matth. 28. v. 15. Propter pecuniam multi deliquerunt, & qui quærit locupletari, avertit oculum ſuum, Sir. 27. v. 1. Sed qualem Denarius hicce inſcriptionem habet? In unâ parte habet imaginem Gehaſi, cum hâc inſcriptione: *Lepra Naeman adhærebit tibi, & ſemini tuo in ſeculum.* Ex alterâ gerit ſimulacrum Simonis Magi, cum hoc titulo: *Pecunia tecum pereat.* Idcircò genuini Chriſtiani fugere hoc vitium, & eò reſpicere debent, ut omnia faciant in gloriam Dei, 1. Cor. 10. v. 31.

2. *Ignavi*, qui munus negligunt, velut fruges tantum conſumere nati. De his Deus ipſe conqueritur, Ezech. 34. v. 3. 4.

Ejusmodi Mercenarii erant tempore Amos, qui bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph, Amos 6. v. 6. Sic in ſtatu politico pauci inveniuntur hodiè, qui cum Potipharo omnia quæ habent, relinquunt in manu Joſeph, nec quicquam aliud norunt, niſi panem, quo veſcuntur, Gen. 39. v. 6.

Sed maledictus, qui facit opus Domini remiſsè, Jer. 48. v. 10.

3. *Timidi*, qui dum eccleſia tranquilla eſt, munere quidem ſuo funguntur, at perſecutione ingruente aufugiunt, non perpendentes verba Chriſti, qui invenit animam ſuam, perdet eam, Matth. 10. verſ. 39.

4. *Paraſiti*, qui ad placitum loqui amant, & neminem ad iram provocare volunt, quales plerumque ſunt Aulici, nec pauci Paſtorum, unde canes muti illi appellantur, Eſa. 56. verſ. 10. Sed talionis pœna ipſos manet, ut in adventu Chriſti *obmuteſcentes* ligatis pedibus & manibus mittendi ſunt in tenebras exteriores, ubi fletus, & ſtridor dentium, Matth. 22. verſ. 13.

5. *Tepidi*, qui Theſin tantummodo tractant, ſed antitheſin omittunt, falſam hæreticorum doctrinam non attingentes, neque refutantes, contra expreſſum præceptum Pauli, Tit. 1. v. 9. Ex quo grave periculum tam Paſtoribus illis, quàm Auditoribus imminet.

Videte dilecti! hi ſunt mercenarii, quos Chriſtus in Evangelio noſtro perſtringit. Quodſi itaque quilibet ſe examinabit, facilè deprehendet, ad quam claſſem referendus ſit. Optimum eſt, ut is, qui hactenus ex imbecillitate deliquit, nec officio ſuo ſatisfecit, ad frugem redeat, nam

Si pœnitet, haud nocet error.

Si impius egerit pœnitentiam, vita vivet & non morietur, Ezech. 18. v. 21.

III. *Ovicularum proprium*, de quo ita Chriſtus: Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco meas, & cognoſcunt me meæ. Sicut novit me pater, & ego agnoſco patrem, & animam meam pono pro ovibus.

Quod non intelligendum eſt de ovibus irrationalibus, etſi enim ejus ſunt

 omnes

omnes feræ ſylvarum, jumenta in montibus,& boves mille, Pſal. 50. v. 10. attamen peculiarem gregem habet inter homines, quos ſanguine ſuo emit,& per verbum & ſacramenta ſanctificavit, hi ſunt oviculæ, quas ſpeciatim novit, quas nomine vocat, ut nemo easdem ſeparare poſſit à caritate ſuâ, Rom. 8. v. 38. 39.

Hic velim ſcruteris, an & tu ad oviculas Chriſti pertineas?

Magna hîc curâ opus! Chriſtus enim aliquando ſegregaturus eſt oves ab hædis, & ſtatuet oves à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris, Matth. 25 v. 32. ſeqq.

Ovis agnoſcit vocem paſtoris ſui,& ſequitur eum. Ita quicunque Chriſti oviculis ſe adnumerari cupit, ejus vocem, quam in ſcriptis Moſis & Prophetarum adhuc hodiè tradit, audire & ſequi debet, hic eſt filius meus dilectus, hunc audite, ait ipſe pater cœleſtis, Matth. 17. v. 15.

Ovis ruminat, quâ de causâ inter animalia munda, relata eſt, Levit. 11. v. 3. Sic etiam verus Chriſtianus ruminare, h. e. repetere debet, quod in Eccleſiâ ex ore paſtoris audivit, ne ſit auditor, ſed factor verbi, Jac. 1. v. 22. Pſalm. 1. v. 2.

Ovis, ſi erravit, tamdiu balat, dum à Paſtore ad gregem reducatur: Sic oviculæ Chriſti ſine intermiſſione balant, Erravi, ſicut ovis, quæ periit, quære ſervum tuum, Pſal. 119. v. ult. Jer. 31. v. 18.

Ovis eſt animal poſſeſſori ſuo maximè utile: Sic & Chriſtianus dono ſuo in alterius commodum uti debet, 1. Petr. 3. v. 10. 1. Cor. 9. v. 7.

Ovis eſt animal patiens, Eſa. 53. v. 7. Sic & Chriſtiani patientiam exercere debent, cum Michâ dicentes: Iram Domini portabo, Mich. 7. v. 9.

Ovis eſt animal pacificum. Sic & oviculæ Chriſti inquirere pacem, & eam perſequi debent, Pſ. 34. v. 15. Hoc eſt judicium ovicularum Chriſti, Joh. 13. v. 15.

Hic itaq; te probes, mi Chriſtiane! Et ſi hactenus ejusmodi ovicula non fuiſti, ſed vel canis mordax, qui reverſus eſt ad vomitum ſuum; vel ſus lota in volutabro luti, 2. Pet. 2. v. ult. revertere ad ovile Chriſti, extra quod non eſt ſalus: ſicut omnia quæ extra arcam Noæ erant, aquis diluvii peribant, Gen. 7. v. 21.

In Bœotiâ fluvii duo inter ſe contrarii ſunt, quorum alter, oves albas nigras, alter nigras candidas reddit. Quodſi & tu fortè in Diaboli balneo fuiſti, & nigredine peccatorum infectus es: agnoſce crimina tua, & ora cum Davide: Miſerere mei Deus, Pſal. 51. v. 1. Et peccata tua, qui fuerunt ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra, quaſi vermiculus, velut lana alba erunt, Eſa. 1. v. 18.

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alteram partem*, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti* contemplaturi. Hic nobis proponitur in hoc Evangelio.

1. *Tanquam bonus paſtor*, qualem ſeipsū nominat, eoq; reſpicit vaticinia Prophetarum, qui omnes Auditores ſuos ad hunc paſtorem remiſerunt, ut Scribæ & Phariſæi hinc colligerent, ſe & non aliū eundem eſſe, de quo David & cæteri Prophetæ prædixerunt, Pſal. 23. v. 1. Ezech. 24. v. 23. Eſa. 40. v. 11. Ezech. 34. v. 26.

Eſt autem *Chriſtus paſtor ille bonus.*

1. *Ratione Dignitatis.* Licet enim Jacob, Moſes, David, & alii paſtores non contemnendi fuerint, ut ſuprà diximus, atta-

attamen Chriſto non æquiparandi, ſed hic merito omnibus præferendus eſt, unde etiam ἀρχιποιμὴν nominatur, 1. Petr. 2. v. ult. Α. & ω. principium & finis, Apoc. 1. v. 8. qui facit magna, & incomprehenſibilia, & mirabilia, quorum non eſt numerus. Job. 9. v. 10. Judith 9. v. 4.

Hoc magnum eſt ſolatium, in quo Chryſoſtomus mirificè lætatur. *Dicat alius*, inquit, *regat me ager meus, & nihil mihi deerit: Dicat alius, regant me negotia mea, & nihil mihi deerit: Dicat alius, regant me amici mei: & nihil mihi deerit: Ego verò dicam cum Davide: Dominus paſtor meus, & nihil mihi deerit.* Qui enim ſuper arenam ædificat, non conſiſtere poteſt, ſi deſcendit pluvia, & venerint flumina, Matth. 7. v. 26. Qui verò in Domino confidunt, non commovebuntur in æternum, ſicut mons Sion. Pſalm. 125. verſ. 1.

2. *Ratione bonitatis.* Non enim modò *eſſentialiter* bonus eſt reſpectu ſui, ut verus Deus, à Patre ab æterno natus, juxtà illud: Solus Deus bonus eſt, Matth. 19, 17. & ut verus homo, in tempore ex Mariâ Virgine natus, juxta illud, Hebr. 7. v. 26. ſed etiam *relativè* ad oviculas ſuas, quibus benefacit, Pſalm. 116. v. 7. omnibus diebus vitæ ſuæ. Pſalm. 23. v. 6. quod abundè facturus eſt in vitâ æternâ, ubi paſcet eas, & deducet ad vivos fontes aquarum, Apoc. 7. v. ult. ut videant bona Domini in terrâ viventium. Pſalm. 27. v. 13.

Ideoque ſemper ait: *Sum.* Sicut ergà genus humanum affectus fui, ante jacta fundamenta mundi, Eph. 1. v. 4: ſic etiam in æternum perſeveraturus ſum. Sum qui ſum. Exod. 3. v. 14.

3. *Ratione fidelitatis*, ponit enim animam pro ovibus ſuis, quod reipsâ quoq; præſtitit. Tit. 2. v. 14.

Jacob adeò fideliter ovibus præfuit, ut nullas vitæ moleſtias recuſaverit. Gen. 31. v. 40.

Moſes tanto affectu Iſraëlitas proſequebatur, ut propter eos, de libro Dei deleri vellet. Exod. 32, v. 10. ſeqq.

David cum vitæ periculo ovem eruebat de ore leonis & urſi, 1. Sam. 17. v. 34.

Sed nihili pendendum eſt reſpectu Chriſti, qui non modò multas moleſtias noſtrûm causâ devoravit, nec modò vitam obtulit, ſed & profudit. 1. Petr. 1. v. 18.

O beatos nos, qui tam fideli paſtore gaudemus, in quô *affectus* & *effectus* concurrunt, qui ſic nos paſcit, ut non deſtituamur, omni bono. Pſalm. 34. v. 11.

II. *Tanquam lupi victor.* Si enim lupus venit, non cum mercenario aufugio, ſed animam pono pro ovibus, ait Chriſtus.

Lupus eſt Diabolus, quem ideò Chriſtus hoc nomine afficit, ut crudelitatem ejus & inſidias noſſe, & effugere poſſimus.

Lupus ovibus maximè infeſtus eſt, noctes dieſque eorum perniciem moliens: Sic diabolus noſter adverſarius eſt, dies noctesque nos devorare quærens, 1. Petr. c. 5. v. 8.

Lupus voraciſſimus eſt, & ſatiari nequit: Sic crudelitas Diaboli nunquam expleri poteſt, ideò vocatur Abaddon, Apoc. 9. verſ. 11. coràm eo gaudet mœror, Job. 41. v. 13.

Lupus indefeſſus eſt, licet enim ſemel fugetur, attamen actutum revertitur, quærens, quomodo oviculis nocere poſſit: Sic Diabolus non facilè abigitur, & licet

quandoque repulſus, tamen redit, aſſumtis ſeptem ſpiritibus, nequioribus ſeipſo. Luc. 11. v. 26. Propterea ſemper vigilare & orare decet, ne incidamus in tentationem. Matth. 26. v. 41.

Lupus eſt animal fraudulentum, ſæpè voce mutatâ, inſtar canis latrat, ut ſic oviculas commodius invadere poſſit. Sic Diabolus in angelum lucis ſe transformare novit, 2. Cor. 11. v. 14. Utitur nonnunquam ſacrâ ſcripturâ, ut ſimpliciores ſub hoc prætextu à fide avertat. Quin & falſis Apoſtolis ideò abutitur, qui eundem ſcopum præfixum ſibi habent, juxta illud:

Non audet ſtygius Pluto tentare, quod audet
Effrenis Monachus, plenaque fraudis anus.

Ideò Chriſtus præmonet nos: Cavete à Pſeudo-Prophetis. Matth. 7. v. 15.

Sic oviculæ grandi periculo expoſiti ſunt, reſpectu infernalis hujus lupi, & aſſeclarum ejus: ſed Chriſtus faucibus ejus nos eripuit, dum morte ſuâ mortis imperium abolevit, Hebr. 2. v. 14. 15.

Hinc gloriari poſſumus: Vicit Leo de tribu Judâ, Apoc. 5. v 5. & nos etiam vicimus per & propter eum. Rom. 8. v. 37.

Grates Deo perſolvimus,
Quod faucibus ſceleſtis,
Velut volucres caſſibus,
Evaſimus funeſtis:
Dirupta nunc ſunt retia
Nos fulcit autor dexterâ,
Soli & poli cœleſtis.

Gott Lob und Danck der nicht zugab/
Daß ihr Schlund uns möcht fangen/
Wie ein Vogel des Stricks kommt ab/
Iſt unſer Seel entgangen.
Strick iſt entzwey / und wir ſind frey/
Des HErren Name ſteht uns bey.
Des Gottes Himmels und der Erden.

III. *Tanquam gregis auctor.* Inquit enim: & alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas me oportet adducere. Per has oves gentiles intelliguntur, hi peregrinæ vel aliæ oves vocantur, quia non erant ex ovili Judaico, ſed ſedebant quaſi in viâ, inſtar mendicantium, Matth. 22. v. 10. per peccata quaſi â Deo diviſi, Eſa. cap. 59. verſ. 2. Sed Apoſtolorum miniſterio, & illi ad regnum Chriſti vocati ſunt, & factum eſt unum ovile, & unus paſtor, dum medium parietem materiæ ſolvit Eph. 2. v. 14.

Ante dicebat, non ſum miſſus, niſi ad oves, quæ perierunt, domus Iſraël, Matth. cap. 15. verſ. 24. quia nimirum juxta munus propheticum venerat Judæis, non ethnicis prædicaturus, unde Miniſter Circumciſionis vocatur, Rom. cap. 15. v. 24. Ne verò exiſtimemus ac ſi gentiles plane ex ejus regno excluſi eſſent, dicit hic quod alios adhuc oves habeat, quæ adducendæ ſibi ſint, quod per Apoſtolos impletum, & adhuc hodie impletur, quando ex variis gentibus eccleſiam ſibi colligit, & auget. Johann. cap. 1. verſ. 12. Actor. cap. 10. v. 15.

Hoc nos grato animo agnoſcere debemus, nam & nos olim Ethnici fuimus, ſed jam pertinemus ad ovile Chriſti, in æternum miſericordia ejus, & usque in generationem & generationem veritas ejus. Pſalm. 100. verſ. ult. Nunc certi eſſe poſſumus de dilectione ejus, oviculas enim ſuas non relinquet orphanos, Joh. cap. 14. verſ. 18. certi de auxilio ejus, Pſalm. 77. v. 11. Certi de protectione ejus in vitâ & in

Digitized by Google

in morte, virga enim & baculus ejus conſolantur nos, ne deſperemus, ſed cum Hiob dicere poſſimus: Etiamſi Dominus occiderit me, tamen ſperabo in eo. Hiob. cap. 13. verſ. 15. Tandem animam noſtram aſſumet in cœleſte ovile, *ubi magnus numerus charorum nos expectat*, ut Cyprianus ait. Ibi prorſus ſecuri erimus, à leonibus, lupis & urſis, ſed in ſummâ ſecuritate apud Chriſtum & ſanctos Angelos paſcua inveniemus, vitam cum abundantiâ. Joh. cap. 10. verſ. 10. Largiatur id nobis Dominus noſter, Jeſus Chriſtus, Amen.

* *
*

Dominica Jubilate.

Evangelium, Joh. 16. v. 16 --- 23.

EXORDIUM.

DE dilectisſimâ Jacobi Patriarchæ uxore Rachel memoratur, quod poſt acerbiſſimos partûs dolores filium enixa fuerit, cujus nomen Benoni vocavit, id eſt, filius doloris mei. Pater verò appellavit eum Benjamin, i.e. filius dexteræ. Gen. 35. v. 18.

Hàc in parte Rachel imaginem repræſentat eccleſiæ militantis, in hâc terrâ, quæ in ſpecie mulieris parturientis deſcribitur, Apoc. 12. verſ. 2. Eſt enim mater omnium noſtrum, Gal. 4. v. 26. paritq; veros Dei filios in vitam æternam, ex ſemine incorruptibili, per verbum Dei vivum, quod permanet in æternum. 1. Petr. 1. v. 23.

Sed ante Benoni nomen gerere oportet, h. e. variis miſeriis, ærumnis & calamitatibus ſubjecti eſſe tenentur, mundus enim totus in maligno poſitus eſt, 1. Joh. cap. 5. v. 19. Et quia Chriſti Jeſu ſunt, qui elegit eos de mundo, propterea odit eos mundus, Joh. cap. 15. verſ. 19. Et ſi nocumentum iisdem inferre poteſt, arbitratur, ſe cultum præſtare Deo. Joh. cap. 16. verſ. 2. Ne dicam varias moleſtias, & perturbationes, quas à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem ſepulturæ devorare tenentur. Sir. cap. 40. v. 1. Multæ enim tribulationes juſtorum, Pſalm. 34. v. 20. & dolor in conſpectu eorum ſemper, Pſalm. 38. v. 18. Unde patientia nobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes, reportemus repromiſſionem. Hebr. c. 10. v. 36. Sic tandem lætiſſima cataſtrophe ſequetur, quando Pater cœleſtis nomen nobis immutabit, ut non amplius Benoni, ſive filii doloris, ſed Benjamin, ſeu filii dexteræ appellemur, lætam ex ore Chriſti vocem audientes: Venite benedicti patris mei, hæreditario accipite, paratum vobis regnum, à conſtitutione mundi, Matth. 25. v. 34.

Hic eſt communis proceſſus, quem Deus cum fidelibus ſuis inſtituere ſolet. In hoc mundo plorare & flere nos oportet, ſi ibi gaudere & triumphare volumus: *Sic itur ad aſtra*, ubi non audietur ultrà vox fletus, & vox clamoris, Eſ. 65. v. 19. ſed per plateas, & vicos ejus Halleluja cantabitur. Tob. 13. v. 22.

De

De hâc re concionatur Servator noſter Apoſtolis ſuis, in prælecto Evangelio, quando ait: Modicum, & jam non videbitis me, quia vado ad patrem, ut ex ſequentibus patet. Nos ipſum Evangelium ſine ulteriori præloquio tractabimus, diſcentes ex eo.

I. Ανθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

SPiritualis ſponſa ſponſum ſuum laudatura, inter alia quoque commendat labia ejus, quod ſint lilia diſtillantia myrrham primam, Cant. 5. v. 13.

Hæc mira comparatio eſt, quando enim labia alba ſunt, inſtar liliorum, hominem ſanè non usque adeò exornant. Sed myſtica ſignificatio ſimul intuenda eſt, præcipuè ratione liliorum diſtillantium myrrham, quorum mentio hîc injicitur.

Myrrhæ amaræ quidem ſunt, at hunc tamen uſum præbent, ut corpora eâ inuncta, diu à corruptione præſerventur. Hoc pii veteres applicarunt ad crucem Chriſtianorum, quæ ipſis à Deo immittitur, quâ qui foris eſt homo corrumpitur. qui verò intus eſt, renovatur de die in diem. 2. Corinth. 4. verſ. 16. Quoties igitur ſervator in diebus carnis ſuæ, de cruce prædicavit, toties dici potuit, labia ejus myrrham deſtillaſſe. Ipſe enim *Rex* eſt *cruce inſignitus*, ideoque qui diſcipulus ejus eſſe vult, inſigniorum ejus eum non pudere debet, ſed tollere crucem ſuam & ſequi eum, Matth. 16. verſ. 24. Propterea Magi ex oriente inter alia eum myrrhâ donarunt. Matth. 2. v. 11.

Quod verò ſpiritualis ſponſa labia ejus cum liliis comparat, eo ipſo ſolatium indigitatur, quod ſub cruce latet. Olim enim *lilia ſymbolum ſpei* erant, unde inter Romanas moneta, lilio inſignita reperitur, hâc cum inſcriptione: *Spes populi Romani.* Sic veri Chriſtiani ſub cruce non deſperant, ſed ſperant quoque in morte, Prov. 14. v. 32. & dicunt cum Jobo: Etiamſi Dominus occiderit me, tamen ſperabo in eo. Job. 13. v. 15.

De hâc re quoque in prælecto Evangelio agitur, in quo labia Chriſti deſtillant myrrham, quando diſcipulis ſuis de cruce prædicat, quam in mundo ſuſtinere debeant: ſed & ſtatim *candidum ſpei lilium* ſubjicit, dum conſolatur ipſos, quod tribulatio non in æternum duratura ſit, ſed brevi lætum Jubilate ſucceſſurum, & continuaturum eſſe in æternum.

Nos hinc anſam capimus Ανθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri* perdiſcendi, quando intuemur:

I. *Crucis intimationem*, quam Chriſtus profert, primò *verbis opertis*, dicens: Modicum, & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad patrem. Hoc de paſſione & morte ejus intelligendum eſt, tum enim per dies aliquot ex oculis diſcipulorum ſublatus eſt, quando cruci affixus, deinde à cruce ſublatus, ſepulchro conditus eſt. Sed modicum duntaxat erat, & prodibat viciſſim, in multis argumentis per dies quadraginta apparens diſcipulis, donec tandem videntibus illis ad cœlum elevatus, ſedit ad dexteram Dei. Act. 1. v. 3. 9.

Deinde quia Apoſtoli adeò ſtupidi erant, ut non intelligerent concionem hanc,

hanc, explicationem ſubjicit, *verbis apertis* & ait: κλαύσετε καὶ θρηνήσετε, plorabitis & lamentabimini vos, mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini. Ita aperte locutus, nulla circumitione uſus eſt, ex quo Apoſtoli luculenter fortunam ſuam intelligere poterant.

Non autem concio hæc Apoſtolos modo, ſed nos omnes hodie concernit, quod enim vobis dico, omnibus dico, ait Servator, Marc.13.v.ult.

Multi ſunt, qui ex horoſcopo, ſive aſtrorum tempore nativitatis poſitu cujusvis, fortunæ per univerſam vitam ſuam præſagium quærunt. Sed hoc Deo improbatur, præſertim ii quem hujus rei fiducia teneat, Deut.18,10. Eſ.8,29.

At hîc veriſſimum habemus Prognoſticon, ubi Chriſtus, qui ſapientia & veritas ipſa eſt, 1. Cor.1.v.30. Joh. 14. v. 6. unicuiq; quaſi Geneſin delineat, & oſtendit, quanta oporteat eum pro nomine ejus pati. Act.9. v.16. Ideo non ægre ferre debemus, ſi & in nobis impletur, quod Servator hîc prædixit, hoc enim aliter eſſe nequit, 2.Tim.2. v.11 12.

Quilibet hic ſeipſum examinet, quomodo hoc Prognoſticon ſibi placeat, & an ſemper cruce illa, quam Chriſtus immiſit, contentus fuerit?

Hoc neceſſarium prorſus eſt. Semper enim in oratione Dominica petimus, Domine, fiat voluntas tua, Matt.6.v.10. & ſcimus quoque, ſine voluntate Dei nihil adverſi nobis accidere poſſe, Matth.10. v. 10. Non melius itaque facere poſſumus, quam ſi patienter ferentes, cum Micha dicamus: Iram Domini portabo. Mich. 7. v.9.

De pio quodam Patre refertur, quod ſubinde Deum ſollicitarit, ut ſibi Jeſulum recens natum oſtenderet, cui tandem dictum eſt: Reſpice! Et reſpiciens, puerulum ſuaviſſimum ſpinis obſitum conſpexit.

Quo ipſo pii Veteres ſignificare voluerunt, quod veri Chriſtiani ſpinas tribulationum non ſubterfugere debeant. *Pudeat membrum delitiari ſub capite ſpinis coronato*, ait Bernhardus.

Iſraelitæ agnum paſchalem cum lactucis agreſtibus edere tenebantur, Exod 12. v.8. Hoc ipſo Chriſtianorum crux præfigurata eſt, ſine qua ſumus, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Pſalm. 32. verſ.9.

In hoc omnes Sancti ab exordio mundi, nobis præiverunt, quorum nemo ſine afflictionibus fuit. Dei enim judicia, à ſanctuario ejus incipiunt, Ezech.9.v.6. 1. Petr.4. verſ.17.

Quodſi nobis durum videtur, alios reſpiciamus, & cogitemus, eandem paſſionem ei, quæ in mundo eſt, fraternitati noſtræ convenire, 1.Pet.5.v.9. Nemo hic immunis eſt, fuit, & erit. Deus enim calicem ſuum omnibus propinat, Pſal.75.v.9. Hic eſt calix tribulationis, quem ſinguli guſtare tenentur, licet myrrha repletus ſit; & tamen neminem patitur tentari, ſupra id, quod poteſt. 1. Cor.10.v.13. Impii vero qui hic lætantur, & non flagellantur cum hominibus. Pſal.73.v.5. portionem ſuam invenient in loco tormentorum, Luc. 16.v.23. Quando Dominus veniet, & dolores dividet furoris ſui, Job.21.v.17. 2. Theſſ.1. v.9.

II. *Apoſtolorum ignorationem.* Quia enim verba Chriſti capere nequeunt, ideo de iis conferunt inter ſe, dicentes. Quid eſt hoc, quod dicit nobis modicum? neſcimus quid loquitur.

Hoc admiratione dignum eſt. Apoſtoli

enim quadriennium ferme ſcholam Chriſti frequentarant,& ſæpe de paſſione &morte, nec non de reſurrectione ejus prædicantem Dominum audiverant, nec tamen verba Chriſti de abitu ad patrem capere poſſunt.

In pari ignorantia multi adhuc hodie verſantur,licet enim articuli fidei identidem perſpicue inculcentur, attamen pauci eosdem capiunt,ſemper diſcentes,& nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes, 2.Tim. 3.v.7.

Hoc à peccato originali oritur, quo tota noſtra natura adeo corrupta eſt, ut animalis homo non percipiat ea,quæ ſunt Spiritus Dei.1.Cor.2.v.14.

Quando itaque homo in naturali hac cœcitate manet, & à Spiritu Sancto non illuminatur,tota ei ſcriptura eſt, velut verba libri ſignati.Eſa.29.v.11. Uti videmus in Scriba illo, qui univerſam ſacram Scripturam ad unguem noverat,& tamen quærit, quis proximus ſuus ſit. Luc.10.v.29.

Quilibet probet ſeſe, quid didicerit ex concionibus Paſchalibus, quæ hactenus magno numero ex hoc ſuggeſtu habitæ ſunt?

Vereor ne multi in eadem, qua Apoſtoli ignorantia hæreant,ut non immerito objurgatione Chriſti, qua Philippum objurgabat,opus ſit: Tanto tempore vobiſcum ſum,& non cognoviſtis me? Joh.14,8.

In multis eſt *ignorantia affectata*, ut lateat hoc eos volentes,2. Pet.3,5. ſicut Pilatus, cum de veritate ei Dominus concionaretur,ſarcaſtice reſpondebat: Quid eſt veritas? Joh.18,38.

Adhuc hodie fratres ejus in mundo dogunt qui intelligere nolunt, quod ex verbo Dei ipſis traditur, e.g. Quando Chriſtus de cruce concionatur, Matt,16,24. multis hic ſermo durus eſt,Joh.6,16.Ideoque quaſi abſona audiant,interrogant: Quid hoc eſt? Neſcimus quid loquatur? *Locus enim de cruce* non arridet nobis,ſed libentius auditur,quando dicitur: Ecce,gaudium & lætitia occidere vitulos.Eſa.22.v.13.

Quando idem de mundo contemnendo,deque ſeipſum abnegando concionem inſtituit, iterum homines mundani quærunt: Quid hoc eſt? Neſcimus quid loquatur,terrena enim ſapiunt, & Deus eorum venter eſt: Phil.3,19.

Quodſi adverſariis ignoſcere, inimicos diligere jubemur,Matth.5.v.44. Similis parata reſponſio eſt:

Sed veri Chriſtiani ignorantiam hanc abjicere, & Chriſtum ad exemplum Apoſtolorum interrogare debent, ut ad veram intelligentiam perveniant. Sir.32. v.19. Orent cum Davide: Revela oculos meos, Pſ. 119.v.18. & aperiet nobis ſenſum, Luc.24, 45. ut indies creſcamus in ſcientia Dei, Col. 1.v.10. Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei, in virum perfectum. Eph.4.v.13.

III. *Mundi exultationem.* Mundus autem gaudebit,inquit Chriſtus, vos autem contriſtabimini. Hæc ἀντιπάθεια illa eſt,quæ inter ſerpentem & ſemen mulieris reperitur, Gen.3.v.15. ſicut & inter mundum & pios Chriſtianos, quos Deus de mundo elegit.Joh.15.v.19.

Poſtquam Simſon à Philiſtinis captus eſſet,illi Jubilæo inſtituto, laudarunt Deos ſuos,Lætantesque per convivia, ſumtis jam epulis,præceperunt, ut vocaretur Simſon, & luderet ante eos, poſtquam ipſi jam ante oculos eruerant.Jud.16,5.

Sic Philiſtæi gratulabantur ſibi de morte Re-

Regis Achas, perſuadentes ſibi, ſe nunc Judæos ſubjugaturos. Eſa. 14. v. 29.

Hic diaboli mos eſt, coram quo gaudet mœror, Job 41. v. 13. Unde & contribules ejus gaudent, quando proximi miſeriam conſpiciunt, tum enim exultantes cum Edomitis canunt:

Urbem, domos, vaſtabimus,
Sic diruemus funditus,
Æquabimusque terræ.
Reiß ab/ reiß ab zu aller Stund/
Verstilg ſie gar biß auf den Grund/
Den Boden wolln wir brechen.

Hic te velim reſpicias, utrum & tu fortaſſis, inter ejusmodi irriſores conſtitutus, de proximi incommodis gaviſus fueris?

Hoc non adeo infrequens eſt, nulla enim fides hodie inter homines eſt, vir fratrem ſuum ad mortem venatur, Mich. 7, 2. & inique agendo fatigant ſeſe, Jer. 9. v. 5. Quinimo.

Fratrum quoq; gratia rara eſt.

Hoc ſic ante noviſſimum diem futurum eſſe, Chriſtus ipſe prædixit, Matth. 24. v. 12. Nemo proinde miretur, quod Servator interrogat: Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra? Luc. 18. v. 8.

Sed Chriſtianorum eſt, eſſe unanimes, compatientes, fratrum amantes, miſericordes, affabiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, 1. Pet. 3. v. 8. Sumus enim membra unius corporis, quorum proprietas hæc eſt, ut, ſi quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra, gloriatur unum membrum, congaudeant omnia membra, 1. Cor. 12. v. 26. Ideoque noſtrum erit gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Rom. 12, verſ. 15. Qui enim ſubſannat pauperem, exprobrat factori ejus: & qui calamitate lætatur alterius, non erit impunitus. Prov. 17, 5. Sir. 27, 5. Mich. 7, 8.

De Secundo.

TRanſibimus nunc ad *alteram partem* χριϛογνωσίαν, ſive *notitiam Domini noſtri Ieſu Chriſti* conſideraturi. Hic nobis in Evangelio hoc depingitur:

I. *Tanquam crucis moderator.* Quicquid enim hujus fit, non fortuito fit, ſed ex definito conſilio, & præſcientia Dei, Act. 2, 23. ſive ſit malum ſive bonum, Thren. 3. v. 37. Chriſtus novit omnia, quæ diſcipulis ſuis eventura ſint, ideo dicit in futuro: Plorabitis & flebitis. Sic & noſtræ afflictiones ponderatæ, demenſæ, & delineatæ ſunt. Mat. 10, 29. ſeqq.

Hoc probe agnoſcebat Joſeph, ideoque fratribus ſuis ait: Deus miſit me ante vos in Ægyptum. Gen. 45. v. 5. & Gen. 50, 19.

Hiob, ideo dicit: Dominus abſtulit, Job. 1, 21. & cap. 2. v. 10.

David, propterea de Simei dicit: Dimitte eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei. 2. Sam. 16. v. 10.

Hoc probe teneamus, Dominus enim novit opera noſtra, novit tribulationem noſtram, novit paupertatem noſtram, Ap. 2, 9. Præterea fidelis eſt, & non patietur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, 1. Cor. 10. v. 13. licet enim interdum tempus longius videatur, ut dicamus cum Davide: Uſque quo Domine? Pſal. 6. v. 4. attamen reſpectu Dei, eſt μικρόν τι. Mille enim anni ante oculos ejus tanquam dies heſterna, quæ præteriit, & cuſtodia in nocte, Pſal. 90, 4. Eſa. 54. v. 10.

Quin & nulla proportio eſt inter paſſiones noſtras & futuram gloriam, hinc Apoſtolus poſt accuratam collationem ait: λογίζομαι, exiſtimo, quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Rom. 8. verſ. 18.

Huc reſpiciendum eſt nobis, & omnis afflictio levis erit. Etſi enim decem, viginta, triginta, vel plures annos in mundo affligimur, nihili tamen putandum eſt reſpectu æternitatis. Hinc cum ſenex quidam nomine Ananias ad tormenta duceretur, & animo cadere videretur, conſolatione hac eum alius erigebat, dicens: *O ſenex, claude oculos, in momento temporis, finita mortalitate æternitas apparebit.* Hoc etiam noſtrum ſolatium eo .2. Cor. 4. 17.

O dulciſſimam æternitatem! ibi enim complebuntur dies luctus noſtri. Eſa. 60. v. 21. *O opulentiſſimam æternitatem!* ibi enim centuplum accipiemus, quod hic reliquimus, Matth. 19. v. 29. *O optatiſſimam æternitatem!* ubi in exultatione metemus, quod hic in lacrymis ſeminavimus. Pſ. 126. v. 5. *O inceſſabilem æternitatem!* ibi enim mors non amplius erit, Apoc. 21. v. 4. ſed juſti in perpetuum vivent. Sap. 5. v. 6. *O incomprehenſibilem æternitatem!* cujus reſpectu omnium hominum paſſiones, qui à tempore Adami in hunc diem vixerunt, multo tenuiores æſtimandæ veniunt, ac guttula aquæ, ad omnem aquarum confluentiam, arenula ad univerſum terrarum orbem, & pluma ad maximam molem. 1. Cor. 2. v. 9. Ergo ô optimi!

Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis!

Si crux amara: tartara
Spectate, quam ferventia,
In quæ mali feruntur:
Cum Spiritu, tum corpore,
Torquentur abſque tempore,
Unquam nec exuruntur.
At pauca vos poſt triſtia,
Æterna agetis gaudia,
Hoc unice anhelandum:
Non ullus eſt mortalium
Qui ponderabit gaudium,
Vobis quod expectandum.

Iſt euch das Creutz bitter und ſchwer /
Gedenckt/ wie heiß die Hölle wär/
Darein die Welt thut rennen:
Mit Leib und Seel muß leyden ſeyn/
Ohn unterlaß die ewig Peyn /
Und mag doch nicht verbrennen.
Ihr aber werd nach dieſer Zeit/
Mit Chriſto haben ewig Freud/
Dahin ſollt ihr gedencken:
Es lebt kein Mann/ der außſprechen kan/
Die glori und den ewigen Lohn/
Den euch der HErr wird ſchencken.

II. *Tanquam parturientium conſolator.* Quando enim diſcipulos ſuos, contra inſtantes tribulationes, contra ploratus & fletus, conſolari vult, ſimilitudinem à parturiente mutuat, dicens: Mulier, cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus: cum autem pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ, propter gaudium, quia natus eſt in mundum. In quibus verbis *triplex ſolatium pro parturientibus* continetur, quod fluit

1. *Ex Chriſti cognitione*; mulier cum parit, habet triſtitiam & preſſuram, ait Chriſtus. Vere habet *triſtitiam*: Dolores enim veniunt ei, Hoſ. 13. v. 13. & neſcit eventum.

tam. Multæ vitam in doloribus iſtis amittunt, ut Rachel contigit, Gen. 35. v. 9. Vere quoque *preſſuram*: Incurvat enim ſe velut vermiculus, 1. Sam. 4. v. 19. & clamat in doloribus ſuis, Eſ. 26. v. 17. præſertim, quando eo res devenit, ut virtus non ſit pariendi. Eſ. 37. v. 4. Hæc omnia Chriſtus explorata ſibi habet, ideo ſolatio idem ſit matronis Chriſtianis, nec dubitent, quia Chriſtus novit, quin in tempore ex compatientia opem laturus ſit. Heb. 5, 15.

2. *Ex temporis deſcriptione*, quod preſſuram iſtam horam vocat. Hinc confidere poſſunt, quod non duratura ſit octo annos, ut dolores paralytici Æneæ, Act. 9, 33. nec duodecim annos, ut mulieris ſanguinis profluvio laborantis, Matth. 9. v. 20. non octodecim annos, ut filiæ illius Abrahæ, quæ habebat ſpiritum infirmitatis, & erat incurvata, Luc. 13. v. 11. non triginta & octo annos, velut ad lacum Betheſda decumbentis. Joh. 5. v. 5. ſed horam duntaxat, ut Chriſtus hic ait.

Equidem hæc hora quandoque ſatis longa eſt, quæ à vigilia matutina ad vigiliã matutinam producitur, imo ſæpe aliquot dies durat: ſed quid hoc æſtimandum reſpectu tormentorum infernalium, quæ peccatis noſtris meriti ſumus, cujus principium à muliere, quæ in prævaricatione fuit, 1. Tim. 2. v. 14.

Quin & Deus ipſe hanc horam menſuravit, & definivit, ut ex Gen. 3. v. 16. conſtat, nec modo pauperes: ſed in univerſum omnes, Imperatrices, Reginas, Principes, & Nobiles concernit, ſine diſcrimine, quæ omnes de pomo Evæ guſtarunt, ideoque de acerbo partus pomo comedere coguntur. Nemo enim ex Regibus, aliud habet nativitatis initium. Sap. 7. v. 5.

Quia igitur partus hi dolores non ab hominibus: ſed Deo ipſo ſexui fœmineo impoſiti ſunt, ideo fideli creatori commendent animas ſuas, 1. Petr. 4. v. 19. mutatio dexteræ excelſi eſt, Pſal. 77. v. 11. veniens ille veniet & non tardabit, Hab. 2, 3.

3. *Ex oportuna liberatione*, cum enim pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ, propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.

Hoc opus ſoli Deo convenit, ut David teſtatur, Pſalm. 22. v. 10. non humanæ artis eſt. Ideo precibus inſtandum, dum auxilii hora appropinquet. Nec dubitandum: Voluntatem enim timentium ſe faciet, & clamorem eorum exaudiet. Pſalm. 145. v. 19.

III. *Tanquam æternus fidelium lætificator.*

1. *Ratione viſionis.* Iterum autem videbo vos, ait Servator. Hæc erit ſumma beatorum gloria.

In hoc mundo oculi *tria* plerumque cernunt, *primo* id, quod decet: *ſecundo* id, quod expedit: *tertio* id, quod jucundum eſt, ut Bernhardus ait.

Si Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Magnatum pompam & gloriam intueris, eos pro feliciſſimis habere ſoles: ſed & ipſi habent gravamina ſua, morti ſicut alii homines expoſiti, Pſal. 82. v. 7. ideoque Siracides ait: hodie Rex erit, & cras morietur, cap. 10. v. 12.

Si mundanas divitias, aurum & argentum, reſpicis, & ipſe omnia poſſides, quæ cor tuum exoptat, non erunt illa perpetua, relinques ea in morte, ut dives ille ruſticus, Luc. 12. v. 20.

Si jucundis interes Comœdiis, aut in viridario oculos tuos paſcis, initio quidem animus tuus voluptate afficitur, ſed tandem o-

omnium rerum ſatietas eſt, ut rectè dixerit, Sapientiſſimus mortalium: Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Eccleſ. 1. v. 2.

Interim hoc ſolatium nobis reſtat, quod in cœlo Chriſtum, & in Chriſto viſuri ſimus, *ſummam Majeſtatem*, quoniam Sol & clypeus eſt Dominus, Pſal. 84. v. 12. *ſummam utilitatem*, omnia enim ſecum Dominus donabit, Rom. 8. verſ. 22. *ſummam jucunditatem*, nempe abundantiam gaudiorum, cum vultu ejus. Pſal. 16. v. ult.

2. *Ratione exultationis*, Et gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.

Plutarchus recenſet de muliere quadam Lacedæmonica, quod filium è prælio remeantem, & de vulnere pedis conquerentem his verbis erexerit: *Fili, ſi memineris virtutis, haud dolebis.*

Multò æquius nos dicere poterimus: ô afflicte Chriſtiane, *ſi memineris promiſſionis Chriſti, haud dolebis!* gaudium enim, quod ſequetur, erit æternum, quo pleniſſimè exſaturatus, cum Joſepho dicere poteris: Oblivîſci me fecit Deus, omnium laborum meorum. Gen. 41. v. 51.

3. *Ratione perfectæ cognitionis.* Et in illo die non interrogabitis me quicquam, ait Chriſtus. In hoc mundo plerumque filii hujus ſeculi prudentiores ſunt, filiis lucis, Luc. 16. v. 8. Sed in futura vita Dominus electos ſuos tantâ ſapientiâ & cognitione repleturus eſt, ut omnia ſciant & intelligant, quæ in hoc mundo oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis adſcenderunt, 1. Cor. 2. v. 9. Non enim docebit ultrà vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: cognoſce Dominum: omnes enim cognoſcent me, à minimo eorum, uſque ad maximum, dicit Dominus. Jer. 31. v. 34. Ad hoc cœleſte gaudium, & perfectionem hanc evehere nos dignetur DEUS ter Opt. Max. per Dominum & Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum!

Amen, Amen.

* * *

Dominica Cantate.

Evangelium Ioh. 16. v. 5.---15.

EXORDIUM.

CUm DEUS ter Opt. Max. peculiare fœdus pacturus eſſet cum Abrahamo, ſacrificium ejus incendebat, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens inter diviſiones illas. Gen. 15. v. 17.

Hac hiſtoria Allegoriam nobis ſubminiſtrat.

Peccata nos & Deum noſtrum diviſerant, Eſa. 59. v. 2. Sed per Chriſtum inimicitia ſublata, & inter Deum & homines novum fœdus initum eſt. Jer. 31. v. 31. ut gratificati ſimus in dilecto, Eph. 1. v. 6. & offerre poſſimus ſacrificia in juſtitia, quæ placebunt Domino, ſicut in diebus antiquis, & ſicut in annis prioribus, Mal. 3. v. 4. quod comprobat charitas Dei, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, Rom. 5. v. 5. qui quaſi inter utramq; partem tranſivit, velut flamma amoris cœleſtis, & illud ratum juſſit, quod Chriſtus per abitum ſuum ad Patrem acquiſivit, & diſcipulis ſuis multis modis promiſit, ſicut in ſpecie audimus in Evangelio prælecto, in quo eos promiſſione hâc erigit, inquiens: Expedit vobis, ut ego vadam.

Si

Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos, & ſic conſequenter.

Proinde præſens Evangelium, juſtum locum, quoad anni tempus, occupat: Concludit enim qſ. feſtũ Paſchatos, & præparat ad Pentecoſten, ubi de viſibili Spiritûs S. effuſione prædicare ſolemus, qui in ignis ſpecie Apoſtolorum linguas occupavit, & adhuc hodie in corda fidelium mittitur, velut ſpiritus adoptionis, in quo clamamus, Abba, pater. Rom. 8. v. 15.

Nos abſq; ulteriori præfatione ipsã Evangelii tractationẽ acceſſuri, diſcemus ex ipſo:

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

QUemadmodum ultima parentum verba, quæ proximè ante beatum ſuum ex hoc mundo diſceſſum, ad liberos loqui amant, plerumq; accuratâ animadverſione digna ſunt: Sic etiam Servator noſter pientiſſimus, proximè ante paſſionem & mortẽ ſuam ad diſcipulos & Apoſtolos ſuos egregiam concionem valedictoriam habuit, quæ ſemper in Eccleſia plurimi facta eſt: unde quoq; Majores noſtri inducti fuerunt, ut eam plurimâ ex parte, ſecundum ſeriem partiti ſint in ſingulas ferè Dominicas, inter feſtum Paſchatos & Pentecoſtes interjacentes. Sicut etiam præſens Evangeliũ ad illam pertinet, in quo Servator noſter Apoſtolis ſuis, verbis ſolatio pleniſſimis de paſſione & morte ſua concionatur, eamque abitum ad patrem appellat, & ſimul oſtendit, quantam hinc utilitatem expectare debeant; per hunc enim ſeſe ipſis impetraturum eſſe Spiritum Sanctum, ut eorum *Conſolator in calamitate, Doctor in ruditate, & ductor in veritate* eſſe debeat.

Der Sie in Trübſal tröſten ſol
Und lehren GOTT erkennen wol/
Und in der Warheit leiten.

Ad Ἀνθρωπολογίαν, ſive notitiam noſtri perdiſcendam occaſionem habemus, quando perpendimus:

I. *Abitus Chriſti denunciationem.* Nunc autem, inquit, vado ad eum, qui miſit me, quo ipſo intelligit:

1. *Abitum paſſionis.* Quemadmodum enim Pontifex ſummus V. T. anniverſariè ſemel ſanctuarium ingredi & populum Deo expiare tenebatur, Exod. 28. v. 29. Sic etiam Chriſtus ceu verus Novi Teſtamenti ſummus Sacerdos, ſemel ſancta intravit, æternâ redemtione repertâ. Hebr. 9. v. 12.

Quodſi itaque cum Davide conquereris: Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt, ſuper me, Pſal. 38. v. 5. recordare abitûs hujus Chriſti, & requiem animæ invenies. Col. 1. v. 14.

2. *Abitum reſurrectionis*, tertio enim die è ſepulchro reſurgens prodiit, velut victorioſus triumphator, qui deſtruxit mortem, & illuminavit vitam & incorruptionem. 2. Timoth. 1. v. 10. Omnia enim in noſtri gratiam facta ſunt, *Meum eſt, quod cecidiſti, meum eſt, quod reſurrexiſti*, ait Auguſtinus: Nos ad imitationem ejus dicamus:

Membrum tuo ſum corpore,
Suſtentor hoc honore:
Nos non valet ſejungere,
Horrenda mors dolore:
Si mors rapit, rapit tibi,
Eſt vita parta nam mihi,
Perpes tuo cruore.

Tu morte ſuſcitatus es,
Nec hâc ego tenebor:
Tuus ſalus adſcenſus eſt,
Morti per hanc medebor:
Ubi manens hûc ivero,
Semperque tecum vixero,
Hûc lætus exciebor.

Ich bin ein Glied an deinem Leib/
Deß tröſt' ich mich von Hertzen/
Von dir ich ungeſcheiden bleib'
In Todes-Noth und Schmertzen:
Wenn ich gleich ſterb/ſo ſterb ich dir/
Ein ewges Leben haſtu mir/
Mit deinem Tod erworben.
Weil du vom Tod erſtanden biſt/
Werd' ich im Grab nicht bleiben.
Mein höchſter Troſt dein Auffarth iſt/
Todesfurcht kanſtu vertreiben.
Denn wo du biſt/da komm ich hin/
Daß ich ſtets bey dir leb' und bin/
Drum fahr ich hin mit Freuden.

3. *Abitum adſcenſionis*, quem quadrageſimâ poſt reſurrectionem die exantlavit, Act. 1. v. 3. *Non, ut abeſſet, ſed ut præſentius adeſſet*, ut Auguſtinus ait. Adſcendit enim ſuper omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Epheſ. 4. v. 10. Matth. 18. v. 20.

Sicut autem Chriſtus Apoſtolis ſuis ſæpe de abitu ſuo prædicavit; ita & nos ad exemplum ejus, omnibus diebus, horis & momentis mortem noſtram meminiſſe debemus. Teſtamentum enim hujus mundi, morte morietur. Sir. 14. v. 13. Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram. 2. Sam. 14. v. 14.

Quilibet hîc inſpiciat ſeſe, utrum ultimum hunc abitum ſubinde ſibi in mentem revocaverit, ſicut Chriſtus exemplo ſuo nobis præivit?

Reperiuntur, qui rarius de morte cogitant, ideò libentius ad domum convivii, quàm ad domum luctus eunt, Eccleſ. 7. v. 3. Sed ſtolidè agunt: Exempla enim teſtantur, neminem hîc exemptum, ſed perſtat, ſuper Protoplaſtos, eorumq; poſteros lata ſententia: Terra es, & in terram reverteris. Gen. 3. v. 19.

Moriuntur divites, ut Nabal, 1. Sam. 25. v. 38. obeunt pauperes, uti Lazarus, Luc. 16. v. 22. Occumbunt ſenes, ſicut Methuſalem, Gen. 5. v. 27. Diſcedunt pii, ut Abel, Gen. 4. v. 8. Obeunt ſapientes, ut Salomo, 1. Reg. 11. v. 43. Abeunt fortes, ut Simſon, Jud. 16. v. 30. Oppetunt adoleſcentes, uti juvenis Nainiticus, Luc. 7, 32. Exſtinguuntur virgines, ut filia Jairi, Matt 9, 18. Pereunt viri, uti Abraham, Gen. 25, 8. exſpirant mulieres, velut Sara, Gen. 23, 1. Summatim: Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem? Pſ. 88, 49.

Quinimò & hora mortis incerta eſt, Eccleſ. 9. v. 12.

Hoc ſedulò nobiſcum revolvere debemus. *Qui enim ſe moriturum quotidie recordatur, præſentia contemnit, & ad futura feſtinat*, ait Hieronymus. Nempe ad deſtinatum ſcopum, ad bravium ſupernæ vocationis Dei, in Chriſto Jeſu, Phil. 3. v. 14.

II. *Diſcipulorum perturbationem.* Proptereà enim Chriſtus reprehendit diſcipulos & ait: Nemo ex vobis interrogat me: quò vadis? Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum.

Exterius ſi Apoſtolos intueamur, triſtitia eorum non adeò culpanda videtur, ſiquidem nullâ cum Chriſto inopiâ laboraverant, ut ipſimet fatentur. Nonne filius parentes per mortem abreptos deſiderat? At illi concionum Chriſti, in quibus reditum ipſis promiſerat, recordari debuiſſent Daß wiederkommen macht/ daß man deß

Schei-

Scheidens nicht groß acht. Dixerat enim Chriſtus: Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis: attamen cor ipſorum implevit triſtitia, quam tam verbis, quàm geſtibus oſtendunt.

Hic examines velim te, annon & ipſe obitum & abitum tuorum iniquius tuleris, & in lugendo modum exceſſeris?

Hoc ſæpe accidit, cumprimis apud eos, qui rem non rectius expendunt, & fortè dubitant, utrum beatè defuncti in quiete degant, & miſeriarum hujus vitæ obliti ſint, ſecus enim beatitudinem, quam conſequuti ſunt, ipſis minus inviderent, ſed potius cum Davide dicerent: Ego vadam ad eum, ille verò non revertetur, ad me. 2.Sam.12.v.23.

Pii Chriſtiani reſpiciunt *Dei ordinem*, qui conſtituit unicuique terminum vitæ, quem præterire non poterunt, Hiob.14.v.5. Unde David: In manibus tuis tempora mea ſunt, Pſalm.31.v.16. Rom.14.v.7.

Reminiſcantur feliciſſimæ viciſſitudinis, quam beatè in morte decedentes ſubeunt. In hoc mundo locum habet, illud Chriſti: In mundo preſſuram habebitis, Joh. 16. v. ult.

Hîc ſcena amaritudinum,
Angoris, & diſcriminum,
Dies breves hîc ducimus
In luctibus,
In lucta idem perpendimus.
Es iſt alhie ein Jammerthal/
Angſt/Noth und Trübſal überall/
Deß Bleibens iſt ein kleine Zeit
Voll Mühſeligkeit/
Uñ wers bedenckt iſt imer im Streit.

Sed beati mortui! qui in Domino moriuntur. Apoc.14.v.13.

Impii lugeant, & dicant, cum Poſthumio Equite Arragoniæ:

Quò vadam, neſcio: invitus morior:
valete Poſthumi.

At nos Chriſtiani, in morte ſperare, Proverb.14.v.32. & cum Stephano dicere poſſumus: Video cœlos apertos, Act.7.v.56. Chriſtus enim nobis viam aperuit, & per abitum ſuum ad Patrem locum præparavit, ut ubi ille eſt, & nos ſimus. Joh. 14.v.3.

Hoc ſolatio erigebat ſe Hiob, Job. 19. v. 25. David, Pſalm.42.v.1.2. Paulus, Phil.1,23.

Pari modo & nos mortis metum excutientes, canamus:

Valeto, mundus es,
Haud tu mihi places,
Vitam ſcio beatam,
Quò mitto ſpiritum,
Hanc expeto paratam,
Mori meum lucrum.
Ade du ſchnöde Welt/
Dein Thun mir nicht gefält/
Ich weiß ein beſſer Leben/
Da meine Seel färth hin/
Deß freu ich mich gar eben/
Sterben iſt mein Gewinn.

Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus tabernaculi diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, ſed æternam in cœlis. 2.Cor.5.v.1.

III. *Fructus indicationem*, ait enim Servator: Expedit vobis, ut ego vadam, ſi enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos, ſi autem abiero, mittam eum ad vos.

Triſtis & infauſtus abitus erat Protoplaſtorum in Paradiſo, ad arborem interdictam. Propterea enim poſteà,

loco pœnæ, paradiſo exterminati, cum Diabolis in infernum abire, & pœnas dare debuiſſent, interitum æternum, à facie Domini, & à gloria virtutis ejus. 2. Theſſ. 1. v. 9. Sed miſericordiam conſequuti ſunt propter Chriſtum, qui de cœlo deſcendit, abitum hunc doloroſiſſimum perficiens, quò reſtitueret, quod Protoplaſti per *abitum ſuum* perdiderant. Ideoque hic dicit, expedit vobis, ut ego vadam.

Verè expedit nobis, *primò, privativè*, reſpectu malorum, quæ à nobis avertit, dum peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, 1. Petr. 2. v. 24. & hoc ipſo emundat conſcientiam noſtram, ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi, Hebr. 9. v. 14. *Deinde, poſitivè* reſpectu boni, quod acquiſivit nobis, Juſtificati enim fide, pacem habemus apud Deum. Rom. 5. v. 1. Et Spiritus Sanctus, quem effundit in nos, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei. Rom. 8. v. 16. Hoc duplex illud eſt, quod de manu Domini ſuſcepimus. Eſa. 40. v. 2.

Sed vocula *vobis* probè obſervanda eſt. Vobis expedit, ait Dominus, qui diſcipuli mei eſtis. Quamvis enim Chriſtus peccata totius mundi verè tulit, & expiavit, attamen hoc illis tantùm applicatur, qui verâ fide meritum ejus apprehendunt. Sanctis qui ſunt in terra, & præſtantibus, in quibus eſt omne beneplacitum meum, Pſalm. 16. v. 3. Quo ipſo non modo Patriarchas in V. T. & ſanctos in N. Teſt. intelligit: ſed omnes eos, qui in Chriſtum baptizati, & ſanguinis ejus conſperſione à peccatorum colluvie mundati ſunt, velut ipſe ita ſeſe explicat, Joh. 17. v. 19.

Hic velim probes te, mi Chriſtiane! an etiam in eorum numero ſis, de quibus hic Chriſtus ait: Expedit vobis ut ego vadam?

Hæc res eſt magni momenti. Chriſtus habebat duodecim Apoſtolos & ſeptuaginta diſcipulos, ſed præter hos adhuc alios habet, qui nimirum verbum ejus audiunt, & vitam juxta illud inſtituunt, ut ipſe teſtatur, Joh. 8. v. 31. 32.

Quodſi igitur Chriſti diſcipuli eſſe vultis, honoretis oportet magiſtrum veſtrum. Vos vocatis me magiſter & Domine, & bene dicitis: Sum etenim, ait ipſe, Joh. 13. v. 13. Ut igitur diſcipuli præceptores ſuos honore afficiunt, ſic & nos Chriſtum venerari debemus. Eſt Doctor eruditæ linguæ, Eſa. 50. v. 4. qui viam Dei in veritate docet, Matth. 22. v. 16. Præmium certo certius ſequetur, juxta illud, 1. Sam. 3. v. 30.

Si diſcipuli Chriſti eſſe vultis, eum ſequamini & obediatis oportet. Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te, Mich. 6. v. 8. Eſa. 1. v. 19. 20.

Si diſcipuli Chriſti eſſe vultis, inſignia ejus ſpernere quoque non debetis. Diſcipulus enim non eſt ſupra magiſtrum. Sicut igitur ipſe pauperiem, famem, ignominiam & perſecutiones in hoc mundo ſuſtinuit, donec occiſus & in ligno ſuſpenſus eſt, Act. 10. v. 39. Neque nos ſimilem fortunam recuſemus, ſed communicantes ejus paſſionibus gaudeamus, 1. Petr 4. v. 13.

Intereà Spiritus S. infirmitatem noſtram adjuvabit, Rom. 8. v. 26. ut ſub cruce bonam militemus militiam, 1. Tim. 1. v. 18. & dignè ambulemus, Deo per omnia placentes, Col. 1. v. 10. dum lætam vocem audiamus: Euge bone ſerve! Matth. 25. v. 21. Nam, ubi ego ſum, & miniſter meus erit, ait ipſe Joh. 12. v. 26.

De Se-

Digitized by Google

De Secundo.

ACcedemus nunc ad *alteram partem*, Χειροτονίαν, ſive *notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti* contemplaturi. Proponitur autem nobis Servator noſter in Evangelio hoc:

I. *Tanquam Spiritus Sancti impetrator.* Dicit enim Servator ipſe: Veritatem ego dico vobis: expedit vobis, ut ego vadam, ſi enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos, ſi autem abiero, mittam eum ad vos.

Quantum hoc beneficium & donum ſit, filii hujus ſeculi ignorant, terrena enim tantùm ſapiunt, Phil. 3. v. 19. & quando frumentum & muſtum eorum multiplicata ſunt, Pſal. 4. v. 8. aut promptuaria eorum plena, educentia de frumento in frumentum, Pſalm. 144. verſ. 13. Spiritum Sanctum non adeò deſiderant, eine wolgeſpickte Sattel-Taſchen voll Thaler oder Ducaten / iſt ihr beſter Tröſter / ut Hiob de illis ait: quod putent aurum robur ſuum: & dicant obrizo: fiducia mea. cap. 31. verſ. 24. Sed nos Chriſtiani novimus, hoc optimum bonum eſſe, quô à Chriſto honorati ſumus. Si quis enim ſpiritum Chriſti non habet, non eſt ejus, &, quicunque ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei. Rom. cap. 8. v. 10. 14.

Inveniuntur homines profani, qui ſpiritus, ut vocant, familiares ſecum portant, in vitro, vel annulo, vel alio modo, ut commodùm eis videtur.

Olim Pariſiis quidam fuit, qui eosdem publicè venales expoſuit, vitro inſtar fuci, muſcæ, cantharidum, aut alterius alicujus inſecti, concluſos: quorum virtutem ad multas ſcientias, ſine moleſtia addiſcendas commendavit. Sed ut exempla probarunt, exitus plerumq; infelix eſt.

Bodinus refert, quod ſuo tempore nobilis Gallus, ejusmodi ſpiritum familiarem in annulo circumgeſtaverit, quem ab Hiſpano emerat: Quia verò ſpiritus ille ſæpe eum fefellerit, pœnitentiâ ductum, in ignem eum projeciſſe, ſed mente captum miſerabiliter mortuum eſſe.

Veri Chriſtiani provideant ſibi, ne ſpiritui huic mendaci tantillum loci in cordibus ſuis relinquant. Nihil enim aliud agunt, quàm quod in æternum exitium ſe præcipitant. 1. Tim. 6. verſ. 9.

Sed optimus noſter Servator, nobis verum ſpiritum familiarem impetravit, cujus beneficio ex omni animæ periculo liberati, gratiam & miſericordiam conſequi valemus. Regenerat enim nos: nonne gratia? Tit. 3. v. 5. illuminat nos, nonne gratia? Eph. 1. v. 18. ſanctificat nos, nonne gratia? Rom. 1. verſ. 4. Ducit nos in omnem veritatem, nonne gratia? Joh. 16. v. 13. adjuvat infirmitatem noſtram, nonne pariter gratia? Rom. 8. v. 26. *Magiſtratui* adſiſtit, veluti ſpiritus ſapientiæ, conſilii, & fortitudinis. *Sancto Miniſterio*, ut ſpiritus ſcientiæ & intellectus, *Omnibus Chriſtianis*, ut ſpiritus timoris Domini, quò peccata declinare, & juſtè agere poſſint, Eſa. 11. v. 2. Hæc gratia iterum magni facienda eſt, ideoque decet nos diligenter orare, ut eundem à Chriſto impetremus, Luc. 11. v. 13. & impetratum non amittamus Pſalm. 143. v. 10.

II. *Tanquam Elenchi Eccleſiaſtici commendator.* Spiritus enim Sanctus arguet mundum, de peccato, & de juſtitia, & de judicio.

Digitized by Google

De peccato quidem, quia non crediderunt in me. De juſtitia verò, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me. De judicio autem, quia princeps hujus mundi, jam judicatus eſt.

Hic Chriſtus quaſi *tres claſſes* conſtituit eorum, apud quos Spiritus Sanctus officium ſuum elenchticum exequitur. Occurrunt enim.

1. *Increduli*, qui conſilium Dei ſpernunt adverſus ſeipſos, Luc. 7. v. 30. Et Chriſtum, mundi Salvatorem quaſi abigunt, ſicut Judæi & Ethnici fecerunt, cùm in his terris viſibiliter ambulavit. Hoc Chriſtus κατ' ἐξοχὴν vocat peccatum, quia ἀπιςία fons eſt, ex quo cætera peccata omnia derivantur, ſicut ex adverſo fides fundamentum & origo virtutum omnium appellari poteſt, utpote, ſine qua impoſſibile eſt, placere Deo, Hebr. 11. v. 6.

Caveamus, ne nos quoque hôc modô reprehenſionem Spiritus Sancti incurramus, Hebr. 3. v. 12. ſeqq.

2. *Juſtitiarii*, qui meritis ſuis nituntur, juſtitiam, quam nobis Chriſtus abitu ſuo, h.e. paſſione, morte, reſurrectione & adſcenſione acquiſivit, non quærere nec recipere volunt, quod eo tempore fecerunt Phariſæi & falſi Apoſtoli, de quibus Paulus queritur, Rom. 10. v. 3.

Hodie in hanc Claſſem referendi ſunt Pontificii, qui ſimiliter miſſo Chriſti abitu per opera ſua ſalutem acquirere ſatagunt, cum tamen in nullo alio ſalus, nec aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri. Act. 4. v. 12.

Hoc arguit Spiritus Sanctus, & vocat Phariſaicam hanc juſtitiam pannum menſtruatæ, Eſa. 64, 6. imò expreſsè dicit, quod juſtitia noſtra plus abundare debeat, Matth. 5. v. 20. Ideo Juſtitiariis hiſce ſpretis, cum Eſaia glorièmur: In Domino juſtitia & fortitudo mea. Eſa. 45. v. 24. Chriſtus enim à Deo nobis factus juſtitia, 2. Cor. 5. v. 21. alium enim inſequentes, multiplicarunt moleſtos labores ſuos. Pſalm. 16. verſ. 4.

3. *Epicuri de grege porci*, qui ſecurè in diem vivunt, haud ſecus, ac ſi fœdus cum morte percuſſerint, & pactum cum inferno, Eſa 28. v. 15.

Tempore Chriſti, peculiaris inter Judæos ſecta, Sadducæorum videlicet, erat, qui mortuorum reſurrectionem abnegabant, Matth. 22. v. 23. Quin & alii irriſores occurrebant, dicentes: Ubi eſt promiſſio, aut adventus ejus, 2. Petr. 3. verſ. 4. Adhuc hodie inter Chriſtianos non pauci inveniuntur, qui vitâ ſuâ profanâ & impiâ, ſe mortuorum reſurrectionem, extremum judicium, & vitam æternam cum inferno, non ex animo credere, teſtantur. Ideò illudunt peccato, Prov. 14. v. 9. & malum manuum ſuarum dicunt bonum, Mich. 7. verſ. 3.

Hoc arguit Spiritus Sanctus paſſim in ſacra ſcriptura, imprimis verò, Malach. 3. verſ. 14.

Fungitur autem Spiritus Sanctus munere hoc elenchtico non in propria perſona, ſeu viſibili ſpecie, ſed per miniſtros ſuos, qui ſunt pii Paſtores, unde etiam officium eorum *miniſterium Spiritus* dicitur.

Hoc Paſtores & verbi miniſtri accuratè perpendant, ne labia ſua prohibeant, Pſal. 40. verſ. 10. ſed clament, & non ceſſent, Eſa. 58. v. 1. ſecus enim, canes muti ſunt, Eſa. 56. v. 10. quorum pars aliquando erit in ſtagno ſulphuris & ignis. Apocal. 22. verſ. 8.

Audi-

Digitized by Google

Auditores vero quando ob peccata arguuntur, non repugnare debent, non enim hic cauſa hominis, ſed Spiritus Sancti agitur, unde grave ipſis erit, adverſus ſtimulum calcitrare, Act.9.v.5. Meliora ſunt vulnera amici, quam fraudulenta oſcula inimici. Prov.27.v.6.

III. *Tanquam infirmitatis noſtræ tolerator.* Quia enim Diſcipuli ejus propter abitum Chriſti ad patrẽ triſtitiâ impleti erant, ideo afflictis non vult porro addere afflictionem, ſed captui eorum inſerviens, ait: Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed nunc non poteſtis portare? Quæ verba non ita intelligenda ſunt, ut Pontificii intelligunt, ac ſi Scriptura imperfecta ſit. Chriſtus enim diſcipulis ſuis omnia ſatis perſpicue dixit: quia vero falſa illa perſuaſione imbuti erant, CHRISTI regnum terrenum fore, ideo non capere poterant, quod iisdem de abitu ad patrem inculcabat, interea tamen nihil ipſos celavit, ſed omnia manifeſtavit, Joh.15. v. 15.

In feſto vero Pentecoſtes virtute ex alto inſtructi ſunt, ut omnia, quæ antonon capiebant, ſatis dextre intelligerent, & magnalia Dei, variis linguis cum omnium ſtupore, & admiratione loquerentur, Act. 2. v. 11. Ideoque ait: Hæc locutus ſum vobis, apud vos manens. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Joh.14.v.26.

Diſcant hinc verbi miniſtri, quomodo & ipſi captui Auditorum ſeſe attemperare, & ſimpliciores farragine doctrinarum non obruere debeant, non enim poſſunt id portare. Sed ut matercula infantulum non carnibus affatis, ſed lacte nutrit; ita & paſtores Auditores ſuos, qui ut plurimum ex ſimplicioribus conſtant, lacte paſcere debent, ut in fide creſcant, & abundent magis. 1. Theſſ. 4.v.1.

Evangeliſtæ Johanni calamus dabatur, ſimilis virgæ, eo templum Dei, & altare, & adorantes in eo metiri tenebatur, Apoc.11. v.1.

Johannes hîc typus eſt, omnium Paſtorum, omnibus enim dictum eſt: Fac opus Evangeliſtæ, 2.Tim.4.v.5. ſicut igitur Johanni calamus ſimilis virgæ datus, quo templum & altare, & adorantes in eo metiri oportebat eum: Sic & verbi miniſtri attendere debent gregi, in quo Spiritus Sanctus eos Epiſcopos poſuit, Act.20.v.28. & quaſi metiri captum Auditorum, quantum in rebus fidei capere poſſint, ut ſciant, an lacte vel ſolido cibo opus ſit, Heb.5.v.12. Omnis enim ſcriba doctus ad regnum cœlorum, nova & vetera proferre debet, Matth.13.v. 52. h.e. legem & Evangelium, ut pro ratione perſonarum arguere & conſolari poſſit, Eſa.50.v.4. Imo ita Auditoribus ſeſe accommodare debet, ut omnibus omnia fiat, ut omnino aliquos faciat ſalvos, 1. Cor. 9. v.22. Vivimus enim adhuc in terra oblivionis, Pſal.88.v.13. & renovamur de die in diem, 2.Cor. 4.v.16. Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionem filii Dei, in virum perfectum, Eph.4.v.13. Fiet hoc in vita æterna, quam omnibus Deus largiatur per Chriſtum, Dominum & Salvatorem noſtrum,

Amen.

[o]

Dominica Rogate.

Evangelium Ioh. 16, v.23. --- 30.

EXORDIUM.

FEcit olim Moſes, juſſu Dei, altare, ad adolendum thymiama de lignis Setim, quod poſuit contra velum, quod ante arcam pendebat teſtimonii, coram propitiatorio, quo tegebatur teſtimonium. In eo ſummus Pontifex Aaron, & filii ejus, mane & veſperi tenebantur incenſum ſuave fragrans adolere, Domino, in odorem ſuavitatis, Exod.30,1.ſeqq.

Quid hoc ipſo præfiguratum ſit, Johannes in Apocalypſi declarat, ubi de viginti quatuor Senioribus ſcribit, quod ſtent coram agno, habentes ſinguli citharas & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſint orationes Sanctorum, Apoc. 5, v.8. Confer, Pſal.141.v.1.

Quam gratum enim in V. T. Deo fuit thymiama Aaronis, quod ex aromatibus, Balſamo & Onycha galbano, & thure lucidiſſimo confectum erat, Exod.30.v.35. Æque grata ne dicam gratior ipſi eſt precatio piorum Chriſtianorum, quæ provenit è corde fideli. Prope enim eſt Dominus invocantibus. Pſal.145. v. 18. Et Chryſoſtomus ait: *Sicut thymiama bene confectum, delectat hominem odorantem: ita oratio juſti ſuavis eſt apud Deum*, ſicut etiam inde vox jucunditatis illa dicitur, quando cœleſtis Sponſus, ſponſam ſuam Eccleſiam, & quamvis fidelem animam ita alloquitur: Surge, propera, amica mea, formoſa mea, & veni. Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua deſiderabilis eſt, Cant.. v. 10. 14.

Thymiama in V.T. à ſummo Sacerdote Aarone & filiis ejus adolendum erat, & quidem ſuper altari, ad id deſtinato. Nos Chriſtiani in Novo Teſtamento omnes ſumus ſpirituales Sacerdotes, quales Chriſtus nos conſecravit, Apoc. 1. verſ. 6. Ideoque & hoc privilegio gaudemus, quod ad thronum gratiæ Dei adire, & precibus noſtris gratiam invenire valeamus, in auxilium opportunum, Heb. 4. v. 16. Sed in nomine Chriſti fieri oportet, hic enim altare illud eſt, quod Deus ad hanc rem deſtinavit. Heb.13.v.9.

De hac re etiam in Evangelio noſtro agitur, quando Servator diſcipulos ſuos ad aſſiduas preces, & quidem in nomine ſuo fundendas exſtimulat, cum certa exauditionis promiſſione.

Nos ad ejus tractationem, ſine ulteriori præfamine, acceſſum faciemus, pro inſtituti ratione contemplaturi.

I. ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

S*Icut orantis eſt affectus, ita erit exaudientis effectus*, ait S. Auguſtinus, quod S. Evangeliſta Johannes ita explicat: Hæc eſt fiducia, quam habemus ad Deum: quia quodcunque petierimus, ſecundum voluntatem ejus, audit nos. 1. Joh.5.v.14.

Quomodo vero ſecundum voluntatem Dei orare debeamus, Chriſtus nos in præ-

le-

Digitized by Google

lecto Evangelio docuit,in quo nobis quoq; anſam ſuppeditat ad *Notitiam noſtri* perdiſcendam.

I. *Juſſus.* In modo enim Imperandi dicit: Petite, unde in arbitrio noſtro relictum non eſt, ut facere & omittere idem poſſimus. Dominus enim, qui hoc mandatum dedit, adeo magnus eſt, ut poſſit animam & corpus perdere in gehennam, Matth.10.v. 28. Idem, ne ignorantiam noſtram excuſemus, inculcatur, Pſal.50,15. Eſa.55,6. Joel.2, 32. & alibi quoque.

Quicunque itaque Deum propitium habere vult, juſſum ejus non contemnat oportet, melior enim eſt obedienti[a], quam victimæ. 1.Sam.15 v.22.23.

Hic proba te, mi Chriſtiane! utrum tu quoque preces tuas ad mandatum Servatoris tui, mane & veſperi, imo ſine intermiſſione exantlaveris?

Hoc à multis ſubinde negligitur. Ipſi Apoſtoli ſegniores fuerant, quam par fuit, ideo reprehendit, dicens: Usque modo non petiiſtis quicquam in nomine meo. Adhuc hodie multi reprehenſionem incurrunt hanc, qui ſocordes ad precationes ſunt, easque omittunt: Admonitiones quidem nunquam deficiunt, ſed quis credit auditui noſtro? Eſa.53.v.1. Omnes aliæ creaturæ juſſa creatoris ſui expediunt: terra quotannis panem & vinum profert, quibus cor hominis lætificatur & roboratur, Pſal. 104. v.15. Solis egreſſio à ſummo cœlo, & circuitus ejus usque ad extremitatem ejus, Pſ. 19.v.6.7. Mare manet in ambitu ſuo, quem non prærerit, quia Deus ei arenam terminum poſuit. Jer.5.v.22. Quinimo ignis, grando, nix, fumus, ſpiritus procellarum faciunt verbum ejus, Pſ.148.v.8. ſed nos, qui rationales creaturæ ſumus, hunc Domini noſtri juſſum. Petite, vel, ut Paulus ait: indeſinenter orate, 1.Theſſ.5.v.16. adeo leviter æſtimamus. Quid hic aliud manebit nos, quam pœna *Dei* certiſſima? Eſ. 1. 20.

Ne itaque deſpiciamus hunc Domini juſſum, nec intermittamus orationem. Triſtatur aliquis veſtrum, oret. Multum enim valet, d[e]precatio juſti aſſidua. Jac.5.v.13.16.

Nunquam ſumus ſine cruce, ſed ſymbolum noſtrum eſt: Intus pavores, foris pugna, 2.Cor.7.v.5. Ideoque nunquam ceſſemus precari, ſed cum Moſe *ex utraq; parte manus fulciamus*, Exod. 17.v.12. *hic*, *cum Dei omnipotentia, illic*, *cum veritate Dei*, ingeminantes cum Davide: Tibi dixit cor meum, quærite faciem meam, faciem tuam, Domine, requiram. Pſalm.27.v.8.

Oremus manè ſurgentes, à manè enim usque ad veſperam immutabitur tempus. Sir.18.v.26.

Oremus cubitum euntes, multi n. in lecto occiſi ſunt, ut Holofernes Judith 13,10.

Oremus accumbentes, ut leguminibus & aquæ noſtræ benedicat Deus, ſicut Danieli, & ſociis ejus, quorum vultus meliores & corpulentiores apparuerunt, præ omnibus pueris, qui veſcebantur cibo regio, Dan.1. v.15.

Oremus de menſâ recedentes, eiq; gratias agamus, qui nos adeò affatim cibavit, Sir. 2.v.3.

Oremus domo egredientes, quia multi, poſtquam ſani exierunt, ægroti vel mortui in ædes relati ſunt, hæc enim citata in oculis Dei, Sir.18.v.26.

Oremus revertentes domum, ut Dominus laboribus vocationis benedicat, Paulus ſiquidem plantat, Apollo rigat, Deus verò incrementum dat, 1. Corinth. 3. v. 6.

Inter-

Intercedamus pro Magiſtratu,1.Tim.2,12.

Intercedamus pro Miniſterio verbi, Pſalm.68.v.34. 1.Cor.15.v.ult.

Intercedamus pro Benefactoribus,Prov.5. v.16.Rom.12.v.13. Ut Deus reddat gratiam.Sir.3.v.34.

Intercedamus denique pro omnibus hominibus,amicis & inimicis. At inimicos quod attinet, hoc cum diſcrimine, ut perſonam eorum, non actiones precibus commendemus. Quando enim mundus Evangelium perſequitur,in eo Chriſtus pro ipſo orari non vult,Joh.17.v.9.utDeus ipſi conniveat. Minimè. Sed ut ejus propoſitum retundat, & impediat, ut Moſes contra Core & aſſeclas ejus.Num.15.v.15.

Sic & nos precari debemus, ut Deus ex inimicis amicos faciat,aut conatum eorum inhibeat, aut citius deleat, quàm Evangelium & regnum Chriſti interire ſinat.

Hoc debitum noſtrum eſt, quod juxta mandatum Chriſti obſervare tenemur.

Hoc ſedulò obſervavit Jacob,Gen.32,9. ſeqq.David,Pſ.18,7.Pſ.55,18.Rex Joſaphat, 2.Chron.20.v.12. Hiskias,2.Reg.18.v.19.

Idem, ſi ad exemplum horum, obſervaverimus,non deſtituemur auxilio Dei.Sir.2. (v.13.

II.*Modus*,qui obſervari debet

1. *Ratione objecti*, quicquid petieritis *patrem*,ait Chriſtus,dabit vobis.

Vocabulum *Patris* duplicem hic ſenſum habet,vel enim accipi poteſt *Perſonaliter*, pro prima divinitatis perſona, quæ Pater vocatur, quia ex eſſentia ſua filium ſibi coæternum genuit, Pſalm.2.v.7. Deinde *Eſſentialiter*, de omnibus tribus Deitatis perſonis,propter affectum paternum, ſicut & in Oratione Dominica ſumitur, Matth. 6. verſ.9.

Perinde igitur eſt, ſive orationem noſtram ad totam S.S.Trinitatem in genere,ſive ad quamlibet perſonam in ſpecie dirigamus,ſunt enim unius,ejusdemque eſſentiæ, omnipotentiæ,honoris & gloriæ.1.Joh.5,7.

2.*Ratione ſubjecti*, quod eſſe debet *fidelis Chriſtianus*. Chriſtus enim ad Diſcipulos ſuos ait: Quodcunque vos petieritis in nomine meo patrem, dabit vobis. Quicunq; itaq; rectè ad Deum orare,& de exauditione certus eſſe vult, verus Chriſtianus ſit, oportet, qui actâ ſeriâ pœnitentiâ peccata fugit,& voluntatem Dei facit,Joh.9.v.31. qui ſpiritum precum ab eo impetrat,Zach. 12.v.10. & in ſpiritu & veritate orat,Joh.4. v.24.Deus enim peccatores non audit,Joh. 9.v.31. Sed oratio impii eſt abominatio coram Deo. Prov.28.v.9.

3. *Ratione adjuncti*, & mediatoris, in cujus nomine orandum,qui eſt Servator noſter Jeſus Chriſtus. Amen, Amen dico vobis, ſi quid petieritis patrem *in nomine meo*, dabit vobis.

Per nomen Chriſti, hîc non intelligitur nomen externum, ut literis & ſyllabis conſtat,ſed Chriſtus θεάνθρωπος, unde in nomine Chriſti orare eſt, cum quoad utramq; naturam adorare, pro mediatore ſolo eum agnoſcere,& in ipſius merito & intercesſione preces fundare. 1.Tim. 2. v. 5. Hebr.7. v.25. 1.Joh.2.v.1.2.

Hic velim te reſpicias,mi Chriſtiane! & probes

1. *An orationem tuam ſemper ad Deum trinunum direxeris?*

Equidem inter nos Lutheranos nemo facilè reperitur, qui neſciat Deum ſolũ adorandum eſſe, id enim clariſſimè ſcimus ex Deut.6.v.5.Matth.4.v.10. Interim tamen, facilè inveniuntur,qui in cruce conſtituti,ſi ea diutius durat, & auxilium non illicò ſequi-

ſequitur, animum abjiciunt, & cum illo apud Virgilium dicunt:

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo.

Pontificii Sanctos demortuos loco Dei invocare amant, & ſic fœdam idololatriam committunt. Cum tamen Deus alteri honorem ſuum non dare velit, Eſa.42.v.8.

Oraturi, itaque Deum invocemus, qui operatur ſalutem in medio terræ. Pſal. 74. verſ.12. Deum qui dives eſt miſericordia, Rom.10.v.13. Pſal.102.v.18.Pſalm. 38.v.10.

2. *An orationem tuam ex hypocriſi, vel ſeriâ cordis contritione & devotione fuderis?*

Hoc caput rei eſt. Spes enim hypocritæ peribit, Job. 8.v.13. Sicut & preces reſpuuntur, quæ manu ſanguine plenâ offeruntur. Eſa.1. v. 15.

Quam abſonum foret, ſi quis precaretur: Sanctificetur nomen tuum, & intereà ſanctiſſimum Dei nomen impiâ vitâ prophanaret? Quam abſurdum ſi oraret: Adveniat regnum tuum, & ipſe interea, regnum Dei gratioſum in corde ſuo ſupprimeret, & diabolo, mundo & carni ſe regendum permitteret? Quam ἄτοπον, ſi rogaret: Domine fiat voluntas tua, cum interea voluntati Dei repugnaret? Quam inconveniens, ſi peteret: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, & ipſe interea panem proximi per fas & nefas abriperet? Item, ſi quis diceret: Remitte nobis debita noſtra, & malitioſè in peccatis perſeveraret? Ne nos inducas in tentationem, & petulanter ſe in tentationem præcipitaret? Si denique oraret: Libera nos à malo, & malitioſè corporis & animæ malis ſe immitteret? Hoc non eſſet precari, ſed divino Numini illudere. Hinc Siracides, avertere à delicto, & ab omni delicto mundare cor, jubet. c.38.v.10. & Paulus, levari manus puras vult. 1.Tim.2.v.8. Niſi hoc factum fuerit irritæ preces fiunt. Eſa.1.v.15.

3. *An in nomine Christi, & non alterius Deum comprecatus fueris?*

Quando Judæi in V.T. aliquid à Deo rogatum ibant, nomina Majorum ſuorum Deo proponebant, quod fecerunt, Moſes, Exod.32.v.9. ſeqq. Salomo, 2. Chron. 6. v.14.ſeqq. aliique.

Sed in N.T. alium habemus Mediatorem, quem Deus ipſe commendavit nobis, hic eſt, homo Jeſus Chriſtus, 1.Tim.2.v.5. Cum hôc Benjamin poſſumus coram facie patris cœleſtis animosè comparere, Gen. 45.v.4. Cum hoc Pontifice deferuntur ſuſpiria noſtra in Sanctuarium, Exod.cap.28. v.29. In hoc Altari aureo thymiama precationis ſurſum rectà ad Deum aſcendit, Exod.30.v.30. In hoc angulari lapide poſſumus niti, & cum felici ſucceſſu orare, Exod.17.v.12.

In Papatu in nomine Mariæ orare, eaque interpellatrice uti ſolent: ſed impiè. *Oratio enim, quæ non fit per Chriſtum, non modò non poteſt delere peccatum: ſed & ipſa fit peccatum*, ut Auguſtinus loquitur. Nemo enim inter ſanctos ejus integer, Job.15.v.15. Sed in Chriſto, velut in dilecto filio, nos pater gratificavit. Eph.1.v.6.

III. *Pondus.* Amen, Amen dico vobis, inquit Servator, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, *dabit vobis.* Petite, & *accipietis*, ut *gaudium veſtrum ſit plenum.* Eſt enim pater miſericordiſſimus, cujus viſcera conturbata ſunt ſuper nos, Jer. 31. verſ. 20. Propterea nobis qui gratia ejus excidimus, quando revertimur, occurrit, nos amplectitur, & oſculatur, ut exemplum perditi,

filii probat, Luc. cap.15. v.10. Eph.3.v 15.

Non habemus igitur immiſericordem Nabalem, qui indigentiam Davidis ſublevare nolebat 1.Sam.25.v.10. Nec divitem epulonem, qui in omnium rerum affluentiâ vivebat, & Lazaro micas de mensâ cadentes invidebat, Luc.16 v.21. Sed patrem noſtri amantiſſimum, qui & potens eſt, omnia facere ſuperabundanter, quàm petimus aut intelligimus. Eph.3,20. Ideoq; nobis orationē apprimè commendatā habeamus.

Eſt enim 1. *Medium comparandi panem*, quod in annonæ caritate utiliter poteſt adhiberi. Oſ.2.v.21.22.

Hoc teſtantur Exempla, Hagar, Gen.21, 17. Moſis, Exod.16,14. Eliæ.1.Reg.19,v.8.

Quin adhuc hodiè certum eſt, quod omnes qui Dominum precibus ſollicitant, non deſtituentur omni bono. Pſalm.34,11.

2. *Medium comparandi pacem*, Ecce, inquit Dominus, ego devolvam illis deprecationem pacis & veritatis. Jer.33.v.6.

3. *Medium comparandi ſanitatem*, quo Peſtilentia, febres & omnes morbi fugari poſſunt.

Hæc eſt verum *ovum aureum*, quod omnes nocivos humores expellit. *Verum amuletum*, quod nullum venenum admittit. Genuinum *aurum potabile*, quod hominem immortalitate donat: Vera *manus Chriſti*, quæ omnia mutare valet. Pſ.77,11.

Hiskias hoc medio vitam ſuam in annos quindecim prolongavit, Eſa.8.v.6.

Bartimæus eodem viſum recuperavit, Luc.18.v.35.

Jonas ex alvo ceti illo ipſo liberatus, Jon. 2.v.11.

Eodem ſi nos uſi fuerimus, certiſſimè liberabimur. Sir.2.v.11.

4. *Oratio eſt ſcala cœli, & medium comparandi.*

1. *Spiritus ſancti donationem*, quemadmodum enim ignis cœlo deſcendit, & devoravit holocauſta & victimas, cum Salomo preces funderet, 2. Chro.7.v.1. Sic quando nos ſpiritualia ſacrificia precum Deo offerimus, Spiritum ſuum ſanctum velut flammam pentecoſtalem ille miſſurus eſt ſuper nos, ut Chriſtus ipſe teſtatur, Luc.11.v.13.

2. *Fidei augmentationem.* Eſt enim quaſi oleum ſpirituale, quo lampades noſtras exornare, & quando fides noſtra tentationis tempore langueſcit, linum fumigans, reaccendere oportet, ad exemplum Apoſtolorum, Luc.17.v.5.

3. *Æternam glorificationem.* Omnia enim terrena bona viliora ſunt, quàm ut iis Deus fidelem precationem remunerare velit, quin potius cœlum & ſeipſum in ſpiritu & veritate petentibus largiturum ſe promiſit. 2.Cor.6.v.15. Pſalm.84.v.ult.

5. Tandem eſt *organon organorum*, ut Chryſoſtomus appellat. Matth.18.v.19.

Agnoſcamus igitur efficaciam devotæ orationis, nec deſiſtamus cum muliere Cananæâ, donec Dominus exaudiat, & opem ferat. Matth.7.v.7.

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alteram partem*, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti* contemplaturi. Hic proponitur nobis in Evangelio hoc:

1. *Tanquam Magiſter orandi ſolertiſſimus.* Præit enim nobis:

1. *Præcepto.* Oſtendit enim nobis, quomodo, ad quem & per quem orare debeamus. Si quis in judicio conſtitutus, quempiam à partibus ſuis habet, qui ei literas ſupplices adornat, ſpem victoriæ præ alio habet. Sic neque nos cauſſam noſtram deſperare debemus, quia Chriſtus ipſe nobis orationem ſupplicatoriam concinnavit. *Chriſtus ſedens*

ad

ad dextram patris, in ore noſtro verba ſua videns, & in corde noſtro ſua præcepta, & hic nos cuſtodiet, & futuro ævo dignos efficiet, ut Auguſtinus ait. Hoc de Oratione Dominicâ intelligendum venit, quam ille Diſcipulos ſuos docuit, Matth. 6. v. 9.

2. *Exemplo. Oravit enim*

1. *Ardenter*, præſert. cum in horto Oliveti, mortis agonē ſubiturus eſſet, Luc 22, 44. Sic nos quoq; ardēter orare debem9 Pſ. 145, 19.

2. *Reverenter*. Pronus enim in terram cedebat. Sic & nos. Judith 9. v. 15.

3. *Confidenter*. In ſummo enim diſcrimine Deum patrem ſuum vocat. Sic neque nos in cruce animum deſpondeamus, ſed in Deo Patre noſtró confidam9. Hebr. 12, 7.

4. *Frequenter*. Tertiâ enim vice orationem ſuam repetiit. Sic & nos precando inſtemus, dicentes cum Patriarchâ Jacobo: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Gen. 32. v. 26. *Inter omnes enim virtutes ſola perſeverantia coronatur*. Veniens veniet, & non tardabit. Hab. 2. v. 3.

5. *Obedienter*, voluntatem enim ſuam Patris ſui voluntati ſubjecit, & dixit: Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me, veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat. Luc. 22. v. 42. Sic etiam nos in omnibus voluntatem noſtram abnegantes dicamus: Domine tua voluntas fiat. Ipſe enim eſt medicus noſter Exod. 15. v. ult.

Scit ille tempus optimum,
Nobisque nullum dat malum
Spes hæc repoſta nobis.
Und weiß wol wenns am beſten iſt /
Braucht auch an uns kein arge Liſt /
Deß ſolln wir ihm vertrauen.

Quodcunq; itaq; Magiſter hic noſter nobis præſcribit, diligenter examlare debemus, ita ut oremus *pro Magiſtratu*, vult n. ut demus Cæſari, quæ ſunt Cæſaris. Matth. 22, 21. ideoq; Paulus jubet, 1. Tim. 2, 2. Rogemus pro *Miniſterio verbi*, meſſis n. magna eſt, rogate ergò Dominum meſſis, ut extradat operarios in meſſem ſuam. Matth. 9. v. ult. Precemur pro *Ægrotis*, ipſe n. ingemuit, & ad cœlum ſuſpexit, cum mutum & ſurdum curavit Marc. 7, 34. Intercedamus quoq; *pro hoſtibus*, ipſe n. pro crucifigentibus ſuis oravit, Luc. 23, 34. Petamus mortem beatam, quia ipſe ſpiritum ſuum Deo patri commendavit, Luc. 23, 34. Sollicitemus vitam æternam, ipſe n. orat: Clarifica me pater, ap. teipſum eâ claritate, quam habui prius, quam mundus fieret, apud te. Joh. 17, 5. Sic etiam deſiderio vitæ æternæ ſuſpiremus, Veni, Domine Jeſu, Apoc. 22, 10. ſive cum Paulo: Diſſolvi cupio, & eſſe cum Chriſto. Phil. 1, 23.

Quia itaque Magiſter hic nobis præivit in vitâ & doctrinâ, verbis & operibus, ut ſciamus, quod, quomodo & quid orare debeamus, noſtrum erit, ut inſiſtamus veſtigiis ejus, & preces nobis commendatas habeamus, quod optimum Chriſtianorum propugnaculum eſt, quo Diaboli impetum retundere, & à Deo omnia, quæ corpori & animæ ſalutaria ſunt, impetrare valent. Ideò Lutherus noſter vocavit die allmächtige Käyſerin / iterem omnipotentem, quo viſcera Dei commovere poſſumus, ut noſtrum miſereatur. Jer. 31, 20.

II. *Tanquam executor paternæ voluntatis obedientiſſimus*. Ideò ait: Exivi a patre & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad patrem.

Hoc Compendium eſt totius ſacræ ſcripturæ, quod de Meſſiæ perſonâ, officio, imò in genere de univerſo ſalutis negotio homini Chriſtiano ſcitu opus eſt.

Hic enim conſiderare debemus

1. *Chriſti progreſſum*, qui intelligendus eſt, de æternâ ejus generatione. Egreſſus n. ejus ab initio eſt, à diebus æternitatis.

Mich. 5. v. 2. Ideò Apoſtoli continuò dicunt: Nunc ſcimus, quod ſcis omnia, omnia enim ſcire nemini niſi Deo competit. Coëſſentialem igitur Deo patri confitentur, unde & Chriſtus ipſe ait: Ego & pater unum ſumus, Joh. 10. v. 30.

2. *Chriſti ingreſſum*, quo incarnatio ejus & nativitas temporalis indigitatur. Venire enim in hunc mundum S. Johanni idem eſt, quod naſci, Joh. 1. v. 9. Imò complectitur hoc ipſo officium ſuum, propter quod in mundum hunc venit. Joh. 3. v. 16.

3. *Chriſti egreſſum.* Neque enim ſemper eo modo in mundo perſeveravit, quo cum diſcipulis in diebus carnis converſatus eſt: ſed redemtione generis humani conſummatâ mundum hunc deſeruit:

1. *Per adſcenſionem*, Act. 1. v. 11.

2. *Per viſibilis præſentiæ ſubtractionem.* Etſi enim nobiſcum manet omnibus diebus usque ad conſummationem ſeculi, Matth. 28. v. ult. attamen non amplius viſibiliter nobiscum agit ſicut cum Apoſtolis, ut eum videre & palpare poſſimus, 1. Joh. 1. v. 1.

3. *Per formæ ſervilis depoſitionem.* Hic enim ſtatus exaltationis incip t, quod Dominus, non ſervus amplius ſit, in gloria Dei patris, Phil. 2. v. ult.

Ex hoc verò neutiquam ſequitur, quod ſecundum humanitatem ſuam non amplius in terris ſit, nec in ſacrâ cœnâ corpus & ſanguinem ſuum, ſub pane & vino nobis exhibere poſſit. Sicut enim à patre exivit, & tamen manet in ſinu patris, Joh. 1. v. 18. ſicut & à cœlo venit, & tamen ſemper eſt in cœlo, Joh. 3. v. 13. ſic etiam mundum deſeruit, non ut in mundo non ultra eſſet, ſed ut viſibiliter præſens non eſſet. Ideò Paulus ait: Adſcendit ſuper omnes cœlos, ut omnia impleret, intellige *humanitate ſuâ, quia divinitate ſuâ jam ante impleverat*, ut Theophylactus explicat, Confer Eph. 4, 10.

4. *Chriſti regreſſum*, ait enim: iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Hoc ipſo propriè reſpicit adſcenſum ſuum, & conſequentem ad dexteram Dei exaltationem, ubi ad pleniſſimum uſum communicatæ divinæ Majeſtatis & gloriæ evectus eſt, de quo Petrus: Certiſſimè ergò ſciat omnis domus Iſraël, quia Dominum & Chriſtum fecit Deus hunc Jeſum, Act. 2. v. 36. Quo ipſo Pſalmum octavum reſpicit, in quo de Majeſtate Chriſti hominis prædictum. Vide Pſalm. 8. v. 7. 10.

Hic itaque totus curſus eſt, quem Chriſtus juxta conſilium SS. Triados propter nos homines perfecit. Unde Eccleſia:

> Egreſſus ejus à patre,
> Regreſſus ejus ad patrem,
> Excurſus uſq; ad inferos,
> Recurſus ad ſedem Dei.
> Sein Lauff kam vom Vatter her/
> Und kehrt wieder zum Vatter/
> Fuhr hinunter zu der Höll/
> Und wieder zu Gottes Stuhl.

III. *Tanquam Dominus ſecundum utramque naturam omniſcius.* Sic enim Apoſtoli: Nunc ſcimus, quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi, ut quis te interroget, in hoc credimus, quòd à Deo exiſti.

Quod non ita intelligendum, ac ſi Apoſtoli ante planè neſciviſſent, Chriſtum eſſe verum Dei filium, & mundi Meſſiam: hoc enim non latuiſſe ipſos, Chriſtus ipſe confitetur, inquiens in præcedentibus: ipſe pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, quia ego à Deo exivi. Confer cap. 17. v. 8. Sed intelligendum hoc eſt, de *majori* fidei *incremento*, ut Cyrillus explicat.

Rem ipſam verò quod attinet, omniſcientia eſt proprietas ſolius Dei, Jer. 17, 10. Pſalm. 139. v. 2. ideò nullum eſt dubium, quin Chriſtus juxta divinam ſuam naturam omnia ſciat: ſed humanitati ejus nonnulli id omninò denegant, noſq; qui illud eidem attribuimus, Eutychianiſmi inſimulare non verentur, prætendentes, quòd nos diſcrimen naturarum tollere, & humanam, naturæ divinæ, æquare hoc ipſo velimus. Sed injuriam nobis inferunt. Secundum enim divinam naturam omniſcius eſt Chriſtus οὐσιωδῶς, velut filius patri coæternus: ſecundum humanam verò naturam, hæc & alia divina idiomata in tempore accepit ὑποστατικῶς, vi unionis perſonalis, ita ut quoad divinam naturam ſint & maneant naturalia idiomata: juxta humanam verò ſunt χαρίσματα, quæ ipſi vi unionis perſonalis communicata ſunt. Iccircò manet hoc diſcrimen, quod divina natura maneat divina natura, & humana maneat humana natura, ſicut videmus, ignem ferro proprietates ſuas communicare, ut luceat & urat, & tamen proprietates hæ non ſunt ferri ſed ignis, ut veteres hoc myſterium per hoc ſimile explicarunt.

Quia verò Chriſtus tùm temporis in ſtatu Exinanitionis conſtitutus, plenarium divinæ Majeſtatis & gloriæ uſum depoſuerat, Phil. 2. v. 7. ita ut non ſemper, ſed quando & quomodo ei libuit, eâ uſus eſt: ideò hoc dictum magis de κτήσει communicatæ omniſcientiæ, quam de plenariâ χρήσει intelligendum eſt. Verè enim in ſtatu Exinanitionis nonnulla ignoravit. Vide Matth. 21. v. 19. Marc. 13. v. 32. ideoque ut alius puerulus crevit, ſapientiâ, ætate, & gratiâ apud Deum & homines, Luc. 2. v. ult.

Quodſi enim communicatâ divinâ Majeſtate & poteſtate plenariè uti voluiſſet, Judæi ipſum neque capere neque vincire, neque crucifigere atque occidere potuiſſent, & ſic opus redemtionis humanæ impeditum fuiſſet. Ideo ſeipſum exinanivit, & ſervi formam induit, Phil. 2. v. 7. noſtri causâ, ut ipſe ait: ſervire me feciſti in peccatis tuis, Eſa. 43. v. 24. Sed nunc omnia ſcit, & poteſt, nunc ubique quoque præſens eſt nobis, ſecundum utramq; naturam, & liberare valet omnes, qui ipſum invocant, quod conſolatione plenum eſt in omnibus adverſitatibus. Quodſi enim omnia ſcit, ideoque & quibus nos indigeamus, novit, Matth. 6. v. 32. Et quomodo pater miſeretur filiorum, miſeretur timentium ſe, Pſal. 103. v. 13. ut non deſtituantur omni bono, Pſal. 34. v. 11. ſed vitam habeant, & abundantius habeant, Joh. 10. v. 10. Quod nobis omnibus ex gratiâ largiri dignetur, Deus ter Opt. Max. propter Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum, Amen.

Dominica Exaudi.

Evangelium, Iohan. 15. v. 26. c. 16. v. 1. --- 4.

EXORDIUM.

CUm Deus ſeptuaginta ſeniores Moſi in officio adjungere & ordinare vellet, ipſe deſcendit per nubem, aufferens de Spiritu, qui erat in Moſe, & dans ſeptuaginta

ginta viris. Cumq; requieviſſet in eis Spiritus, prophetaverunt, Num. 11. v. 25. 26.

Hoc typus fuit Chriſti, & Apoſtolorum in N. T. Cum enim tempus ingrueret, ut ad patrem ſuum remeare & ad cœlum adſcendere vellet, cœleſtis Pater de Spiritu filii ſui auferebat, & dabat duodecim Apoſtolis, & ſeptuaginta diſcipulis, quos tum Chriſtus elegerat, ut eſſent ſibi teſtes, Act. 1. v. 8. hoc ipſo idoneos eos fecit miniſtros novi Teſtamenti, 2. Cor. 3. v. 6. & prædicaverunt Evangelium in toto orbe, tanto cum ſucceſſu, ut multa millia converſa, & ad vitam æternam conſervata fuerint, quod quidem potentiâ Dei eſt, ad ſalutem omni credenti, Rom. 1. v. 16. Omnes quoq; perſecutiones & adverſitates, quæ in hoc miniſterio ipſis obtigerunt, feliciter ſuperarunt, & non dilexerunt animas ſuas usque ad mortem, Apoc. 12. v. 11. Hoc Paracletus Spiritus ſanctus in iisdem operatus eſt, qui non modo de Chriſto teſtatur, ſed teſtimonium quoque reddit ſpiritui noſtro, quod ſimus filii Dei, Rom 8. v. 16.

Hac de re Chriſtus diſcipulis ſuis iterum concionatur, in prælecto Evangelio, & quod hac in re ipſis dicit, nobis omnibus dicit, Marc. 13. v. ult.

Quamvis enim Spiritus ſanctus eâ menſurâ hodiè ſuper nos non effundatur, attamen accipimus primitias, Rom. 8. v. 23. & cognoſcimus in hoc, quod in eo maneamus, & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſancto ſuo dedit nobis, 1. Johan. 4. verſ. 13. Quinimò licet affl ctio noſtra non tanta ſit, quanta Apoſtolorum, qui purgamenta hujus mundi erant, omnium peripſema, 1. Cor. 4. v. 13. quilibet tamen portiunculam ſuā habet, quam ei Deus demenſus eſt, & in poculum crucis infudit, omnibus enim ex eo effundit Deus: veruntamen feces ejus ſorbebunt, & bibent omnes impii terræ, Pſal 75. v. 9.

Propterea in præſente Evangelio conditio piorum Chriſtianorum nobis proponitur, interius & exterius. Interius ſumus templa Spiritus ſancti, 1. Cor. 3. v. 16. qui animas noſtras efficaci conſolatione ſuā replet, ne deficiamus in tribulationibus, quas hîc ſuſtinemus, Eph. 3. v. 13. ſed gloriemur in iisdem, ſcientes, quòd tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio verò ſpem. Spes autem non confundit, Rom. 5. v. 3. 4.

Exterius verò viles apparemus, & verè ſumus lampas contemta apud cogitationes divitum, Job. 12. v. 5. ut dicere poſſimus cum ſpirituali ſponſa: Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, quia denigravit me Sol, Cant. 1. v. 6. Sol nempe tribulationis, quæ veros Chriſtianos ſæpè vehementer adurit, & magnas tempeſtates & imbres cauſatur, ut ſint miſeri, tempeſtati convulſi, absq; ulla conſolatione, Eſa. 54. v. 11.

Nos absque ulteriori prælo quio ipſum Evangelium acceſſuri, tractabimus ex illo:

I. Ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. Χριϛογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

Sicut Servator noſter nobis in *duplici ſtatu* conſiderandus proponitur. Mundum enim hunc peragravit in forma ſervi, Phil. 2. verſ. 7. famem & ſitim, pauperiem & perſecutionem tolerans, usque dum Judæi eum deciderunt, & in ligno ſuſpenderunt, Act. 10. v. 39. Sed pater ejus cœleſtis exaltavit eum tandem, & con-

ſt[illegible]

ſtituit ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſuper omnem principatum & poteſtatem, & virtutem & dominationem, & ſuper omne nomen, quod nominatur, non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro, Eph. 1. v. 20. 21. Sic etiam eccleſia ejus in his terris, conſtituta eſt primùm in *ſtatu exinanitionis*, juxta illud Chriſti: In mundo preſſuram habetis, Joh. 16. v. ult. Sed ſequetur tandem aliquando *ſtatus exaltationis*, propterea enim mittit Deus ſpiritum filii ſui in corda noſtra, in quo clamamus, Abba pater, Rom. 8. v. 16. ut vi efficaciſſimæ interceſſionis Chriſti, qui jam velut æternus Pontifex ad dexteram Dei eſt, & interpellat pro nobis, Rom. 8. verſ. 34. omnia impetrare, quæ in nomine ejus petierimus, Joh. 16. v. 32. & vitæ æternæ certi eſſe p[illegible]nus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo. Tob. 2. v. 18.

Notitiam noſtri verò pro ratione inſtituti, ex hoc Evangelio diſcere poſſumus, quando perpendimus:

I. *Spiritus ſancti teſtimonium*, de quo Chriſtus ait: Spiritus ſanctus, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Hoc adhuc hodiè ille facit.

1. *Mediatè* per verbum, quod in ſcriptis Moſis, Prophetarum, Evangeliſtarum & Apoſtolorum continetur, ſicut & propterea dicitur, teſtimonium Domini, Pſal. 19. v. 8. Pſal. 119. v. 24. 46. Eſa. 8. v. 19. 2. Tim. 1. v. 8. Illi quoq; qui idem docent, & prædicant, *teſtes* appellantur, Eſa. 55. v. 4. Apoc. 11. v. 3. Chriſtus eſt *Centrum*, ad quod omnia collineant, quæ in V. & N. T. Spiritus ſanctus per Prophetas & Apoſtolos locutus eſt, & in calamum quaſi iis dictitavit. Huic Jeſu enim omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, Act. 10, 43. Huic Jeſu omnes Evangeliſtæ teſtimonium perhibent, eò enim collimabant, ut conſcriberentur omnia, quæ cœpit Jeſus facere & docere, uſq; in diem quâ aſſumtus eſt, Act. 1, 1. eo fine, ut credamus, Jeſum eſſe Chriſtum filium Dei, & ut credentes fidem habeamus, in nomine ejus, Joh. 20, ult.

Huic Jeſu teſtimonium perhibēt omnes Apoſtoli. Non judicavi, me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, inquit Paulus 1. Cor. 2. v. 2. Vide Act. 4. v 12. 1. Joh. 1. v. 7. Hoc teſtimonium ſemper in hunc uſque diem in Eccleſia Dei perhibetur, & fas eſt, à nobis illud corde credente ſuſcipi & acceptari. Homines enim quidem fallere poſſunt, ut teſtimonium eorum rejici poſſit, Pſ. 116, 11. Sed Spiritus ſanctus, eſt ſpiritus veritatis, Joh. 16. v. 13. per quem Deus ipſe teſtatur, 1. Joh. 5. v. 10.

2. *Immediatè*, in cordibus fidelium. Quia enim templa Spiritus ſancti ſunt, 1. Cor. 3. v. 16. replet eos donis gratiæ ſuæ, & adeò devotos reddit, ut non multum recordentur dierum vitæ ſuæ, eò quod occupet Deus gaudio cor eorum, Eccleſ. 5. v. ult. Hic prægustus vitæ æternæ eſt, qui tanto gaudio eos delibutos reddit, ac ſi jam tùm in cœlo eſſent, 1. Joh 3, 2.

Hic inſpicias velim te, mi Chriſtiane! utrum hoc Spiritus ſancti teſtimonium, ut par eſt, ſuſceperis, eiq; obſecutus fueris?

Homines reperiuntur ejuſmodi, qui teſtimonium hoc Spiritus S. parum curantes, in præconceptâ ſuâ opinione hærent, ut Nicodemus, qui doctrinam de regeneratione capere non poterat, utut clarè ipſi à Chriſto expoſitam, Joh. 3, 10. ſeqq.

Spiritus ſanctus teſtimonium de Chriſto fert, quod ſit verus Deus, Deiq; veri filius,

lius, cujus egreſſus ab initio à diebus æternitatis, Mich.5.v.2.

Hoc teſtimonium neque Judæi, neque Turcæ, neque Photiniani accipiunt, quia rationi eorum repugnare videtur, hinc ajunt Judæi, Nos legem habemus. Joh. 19. verſ. 7.

Teſtatur quoque de Chriſto, quod ſit verus homo, qui pro nobis paſſus ſanguinem fuderit, obierit & reſurrexerit, ut vitam repararet, quam in Adamo amiſeramus, 2.Tim.1.v.10.

Hoc teſtimonium ſimiliter Photiniani non accipiunt. Etſi enim haud inviti fateantur, Chriſtum verum hominem eſſe, meritum tamen ejus, quod pro peccatis noſtris ſatisfecerit, præfractè infringunt. Alii, non pro omnibus eum ſatisfeciſſe perhibent, contra expreſſa Scripturæ dicta, Rom.5,18. 2.Cor.5.v.14.15. 1.Joh.2.v.2. Alii pro culpa eum paſſum, non pro pœnâ dictitant, contra quam Eſaias docet, c.53.v.5.

Teſtificatur de omnibus verè credentibus, quod Deus eos propter Chriſtum in gratiam receperit, & quod in fide perſeverantes vitam æternam habituri ſint, Joh.3. verſ. 16.

Accedunt divina ſacramenta, quæ nihil aliud ſunt, quam σφραγῖδες, ſigilla juſtitiæ fidei, Rom.4.v.11.

Cum Chriſtus in Jordane baptizaretur, Apoſtoli ſpeculatores facti ſunt majeſtatis illius, 2.Petr.1.v.17. ibi enim triplex teſtimonium offerebat ſe, 1. *Verbale*, vox nempe Patris. 2. *Sacramentale*, cœlum apertum, & viſibilis columbæ ſpecies. 3. *Reale*, ductus nimirum in deſertum, ut tentaretur, Matth. 4. v. 1. Et imprimis, permanentia Spiritus ſancti ſuper eo, Joh.1.v.33.

Idem teſtimonium reperitur in omnibus Chriſtianis, quos Deus propter Chriſtum in filios adoptavit. Habent enim:

1. *Teſtimonium verbi*, quod cordibus eorum inſeritur, Jac.1.v.21. nonmodò in concionibus, ſed & in abſolutione, ubi cuilibet in individuo gratia Dei annunciatur, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, Matth.9.v.2.

2. *Teſtimonium Sacramentorum* in aquâ & ſanguine, 1.Joh.5.v.6. quo non modò gratia, ſalus, juſtitia, filiatio, fides & ſimilia homini conferuntur: ſed etiam in cordibus obſignantur, Rom.4.v.11.

3. *Spiritus ſancti impulſus*, quod ejusmodi homo facienda facit, & patienda patitur. Quicunque enim ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei, Rom.8.v.14.

Hic probate vos, an teſtimonium hoc habeatis vobiſcum, & lætemini ſuper eo ex animo, in omnibus afflictionibus. Beati enim eſtis, 1.Petr.4.v.14.

II. *Frequens ſcandalum*, quod crucem inſequitur.

Hîc audimus, Chriſtum diſcipulis ſuis prædicere, quod ἀποσυναγώγους eos facturi ſint, hoc erat perſecutio Eccleſiaſtica, quâ illi, qui cum Chriſto & Evangelio ejus faciebant, è communione excludebantur, & ut hæretici & bipedum nequiſſimi Satanæ tradebantur, ſicut Apoſtolis obtigit, Act.4. v.3. c.5.v.17. c.8.v.1. Concionatur quoq; ipſis de interfectione, quæ perſecutio erat politica. Stephanus primus fuit, Act.7,58. Quem ſecutus eſt Jacobus, Act 12.v.2. Parem quoq; fortunam experti ſunt reliqui Apoſtoli, ſicut Paulus Hebr.11. verſ. 36. teſtatur.

Adhuc hodiè non adeo infrequens hoc eſt. Multæ enim tribulationes juſtorum Pſal.34.v.20. qui ſæpè cum Jacobo querun-

runtur: Omnia contra me ſunt, Gen 42.v. 36. ſive ut Mantuanus canit:

Fluctus ut inſequitur fluctum, ſic tempore volvit
Noſtra catenatis, ſors inimica malis.

Hoc eſt, uti David explicat: Abyſſus abyſſum invocat, ad ſtrepitum canalium tuorum, omnes undæ & fluctus tui ſuper me tranſierunt, Pſal 42.v.8.

Hoc ſi ita fit, ſcandala non ceſſant, tam reſpectu piorum, quam impiorum. Pii cogitant cum Aſſaph: Ergo ſine cauſa mundavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas: & fui flagellatus tota die. Pſal. 73.v.13. Impii vero triumphant ſuper cruce piorum, dicentes: Ubi eſt Deus veſter. Pſ. 42.4.

Hic velim examines te, mi Chriſtiane! annon & ipſe quandoq; ſortem adverſam inique tuleris, & in cruce ſcandalizatus fueris?

Quando ſani & florentes ſumus, tum facile paterna Dei providentia nos ſuſtentare valemus: ſimul ac vero tribulatio nos invadit, & aliquamdiu inſtat, tum ſæpe animum abjicimus, & tantum non deſperamus, præſertim inimicis de infortunio noſtro gaudentibus, & dicentibus: confidit in Deo: liberet eum nunc, ſi vult eum, Matth. 27,43. Quinimo impatientia nonnunquam ejusmodi verba extorquet, qualia Epicuræi fundunt: Vanum eſt ſervire Deo. Mal. 3.v 14.15.

Sed hoc modo graviter in Deum delinquimus: quod ut ne faciamus, Chriſtus ratione ſcandali hujus nos præmonuit in hoc Evangelio, & fortunam noſtram in hoc mundo nobis prædixit. Optimum igitur eſt, ut animum noſtrum ad tentationem præparemus, Sir.2.v.1. & patientiam oremus, quæ neceſſaria nobis eſt, ut faciamus voluntatem Dei. Heb.10.v.36.

Cum præclarus vir Aunas Burgius in Gallia ob Evangelium Pariſiis Lutetiarum comburendus eſſet, animoſe dicebat: Hic ſto non velut maleficus, ſed ut conſtans teſtis Domini mei Jeſu Chriſti: & alligatus orabat: O Domine, ne deſeras me, ne ego deſeram te.

Sic & nos in omnibus adverſitatibus à Deo patientiam petamus, ut nobis Spiritu ſuo Sancto adſiſtat, & adjuvet infirmitatem noſtram, Rom.8.26. Ut bonam militemus militiam, habentes fidem & bonam conſcientiam, 1.Tim.1.v.18.19. & omnibus perfectis ſtemus. Eph.6.v.13.

Deus non male in nos affectus eſt, quando nos cruce affligit, quos enim amat, caſtigat, Heb.12.v.6.

Agit nobiſcum velut fidelis Medicus, qui multas amaras pillulas ægroto deglutiendas exhibet, idque in emolumentum noſtrum, ne cum mundo damnemur, 1.Cor.11. v.32. Idcirco in benevola ejus voluntate acquieſcentes cum Davide dicamus: Bonum eſt mihi Domine, quod humiliaſti me. Pſal.119.v.71.

III. *Mundi ingenium*, qui perverſo zelo abreptus, veros Chriſtianos ad extremum perſequitur, quia arbitratur, ſe cultum præſtare Deo, ſicut hic Chriſtus ait. Quia enim Deus hujus ſeculi excœcavit mentes eorum, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelii, 2.Cor.4,4. & præterea ſcripturam ipſam abjiciunt, hinc non mirum, ut cœca rabie, in pios Chriſtianos deſæviant. Lucerna enim ſub modium poſita non lucet: ſed

Digitized by Google

ſuper candelabrum: ut luceat omnibus, qui in domo ſunt. Matth. 5, 15.

Hic ſcruteris velim te, mi Chriſtiane! annon & ipſe quod malum feciſti, pro bono opere reputaveris, vel non adeo male ſe habere, ſicut in concione exaggeratur? credideris.

Hoc ſæpius contingit, præſertim in iis, qui peccata in conſuetudinem deduxerunt, ut habitum quaſi quendam ſibi acquiſiverint, hi enim malum manuum ſuarum dicunt bonum. Mich. 7. v. 3.

Ubi ſerpens cum capite pertranſit, cum toto corpore facile perlabitur: ſic & diabolus, ſi quem ſemel invadit, non ceſſat: ſed pergit, deducens ab iniquitate ad iniquitatem, Rom. 6, 19. ut non poſſit benefacere, cum didicerit malum, Jer. 13, 24.

Levita ille accinctus erat itineri, ut domum ſe reciperet. ſed à ſocero rogatus, aliquot dies cum eo lætos transegit, dum ſemper ab una hora ad aliam ſe remorari paſſus eſt. Jud. 10, 4. & ſeqq.

Sic diabolus paulatim homines in retia ſua pertrahit, usq; dum captivos eos tenet ad voluntatem ſuam. 2. Tim. 2. v. ult.

Tempore Apoſtolorum malitia Regni Anti Chriſtiani clanculum ſerpebat, ſed paulatim eo invaluit, ut jam homo peccati, filius perditionis, in templo Dei, tanquam Deus ſedeat, 2. Theſſ 2. v. 4.

Eodem ferme modo altare, quod Achas Damaſci vidit, ſenſim Hieroſolymam in templum devenit, donec altare Domini à facie domus remotum eſt, 2. Reg. 16. verſ. 12. 14.

Nemo proinde peccata viliora æſtimet, ut extenuatione eorum conſcientiam ſuam ſauciet. Modicum enim fermentum, totam maſſam fermentat, 1. Cor. 5. v. 6. Ecce! quam exiguus ignis, quam magnam ſylvam incendit? Jacob. 3. v. 5. Dicit quidem Salomo: Lætare juvenis in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuum &c. ſed ſtatim adjicitur: & ſcito, quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium. Eccleſ. 11. v. 9. DEUS enim nemini mandavit impie agere, & nemini dedit licentiam peccandi, Sir. 16. v. 21. Quicunque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus. Jac. 2. v. 10.

Hoc ſi obſervaverimus, tranquilla gaudemus conſcientia, & perſecutionem, quæ permiſſu Dei nos invadit, læti ſuſtinere poſſumus, cum è contrario perſecutores noſtri miſerrimi ſint, facient enim hæc vobis, ait Chriſtus, quia non noverunt patrem, neque me. Videbunt illi aliquando, in quem transfixerunt, Joh. 19, 37. Illi enim, quibus hic aqua & igne interdixerunt, ſtabunt tunc in magna conſtantia, adverſus eos, qui ſe anguſtiarunt. Sap. 5. v. 1. ſeqq.

De Secundo.

NUnc ad *alteram partem* conferemus nos, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Domini noſtri Ieſu Chriſti* contemplaturi. Hic nobis proponitur.

I. *Tanquam is, qui Spiritum Sanctum mittit*, ideoque dicit ſub initium Evangelii: Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à patre, Spiritum veritatis, qui à patre procedit.

Hoc non ita intelligendum eſt, ac ſi Spiritus Sanctus, antequam à Chriſto miſſus eſt, non in mundo fuerit. Minime. Nam Spiritus Domini replevit orbem terrarum, Sap. 1. v. 7. in principio creationis incuba-

vit

Digitized by Google

vit aquis, Gen. 1, 2. primum mundum judicavit ob impœnitentiam, Gen. 6, 3. Requievit ſuper ſeptuaginta Senioribus, Num. 11, 25. Induit Gideonem, eique animum addidit, ad hoſtes delendos, Jud. 6, 14. Quoties de Samſone dicitur, quod Spiritus Domini irruit in eum? Jud. 15. v. 14. Quin & Prophetis inſpiravit, quæ ipſis dicenda erant, 2. Petr. 1. v. 19. Sic & Apoſtoli, jam antea Spiritum Sanctum habuerunt, Dominus enim inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum S. Joh. 20. v. 22, 23.

Sed hic de viſibili effuſione ejus loquitur, quæ in Feſto Pentecoſtes futura erat, juxta prædictionem Joelis, c. 2. quæ reperitur, Act. 2. v. 17. ſeqq. Hoc Chriſto acceptum ferre debemus. Sicut enim Spiritus Sanctus à Patre procedit, ideoque & ſpiraculum omnipotentis dicitur, Job. 33. v. 4. Ita etiam à filio procedit, unde vocatur Spiritus Filii, Gal. 4. v. 6. item, Spiritus oris Chriſti, 2. Theſſ. 2 v. 8.

In Papatu peculiare Sacramentum confinxere, quod confirmationem vocant, quo per oleum olivæ balſamo mixtum, quod Chriſma nominant, Spiritum Sanctum communicare ſatagunt, prætendentes, quod imprimat characterem indelebilem. Sed nullo charactere hoc in ſcriptura perſcriptum eſt. At hoc legimus, quod beſtia aſcenderit de terra, habens cornua duo, ſimilia agni, & loquens ſicut Draco. Quæ faciat habere characterem omnes ſibi adhærentes, in dextera manu ſua, aut in frontibus ſuis. Apoc. 13. v. 11. Deus clementer hoc avertat à nobis, nos ſatis habemus, quod Chriſtus nos ſanguine ſuo in baptiſmate ſignaverit, ut populus ei peculiaris ſimus. Tit. 2. v. 14. & largitur quoque in majorem confirmationem Spiritum Sanctum, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ. Eph. 1. v. 14.

Cum Simon magus videret, quod per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam; ut ſibi parem poteſtatem darent: ſed graviter ideo à Petro objurgatus, repulſam tulit. Act. 8, 19. 21.

Quid aliud Romanus Pontifex agit, quando indulgentias ſuas divendit, quam ut Simoniam exerceat, & Spiritum Sanctum pro pecunia venalem faciat, quem tamen, nemo niſi Chriſtus largiri valet? unde quoque optime conſulimus nobis, quando eum à Chriſto petimus, & cum Davide oramus: Cor mundum crea in me Deus, ex Pſal. 51. v. 12. 14.

II. *Tanquam is, qui calamitates piorum novit.* Hic dicit Chriſtus diſcipulis ſuis de excommunicatione, de interfectione, & de exultatione inimicorum, arbitrantium, ſeſe cultum præſtitiſſe Deo.

Hæc omnia Chriſtus exacte novit, & Apoſtolis prædicit, ne ignari, tanquam ad rem peregrinam obſtupeſcant propter æſtum, quaſi novi aliquid iis obtingat.

Hoc ſolatio noſtro inſervit.

Nos pari fortunæ in mundo hoc ſubjecti ſumus cum Apoſtolis? Dominus enim noſter cui ſervimus, crucifixus eſt, quid ſervus melius expectaret? Matth. 10. v. 24. Evangelium, cui credimus, eſt verbum crucis, 1. Cor. 1. v. 18. ecquî nos ab ea immunes eſſemus? Via ad cœlum, quam terimus ſpinis conſitus eſt, quare nobis felices dies imaginaremus? Sane, dilecti!

ſuſtinendum & certandum eſt, ſi coronam cœleſtem impetrare velimus. Nemo enim coronabitur, niſi legitime certaverit, 2. Tim. 2. v. 5.

Sed nihil contingit nobis citra Dei voluntatem: Dominus noſter omnia præſcit, & quaſi demenſus eſt, quanta quemlibet oportet pati pro nomine ejus. Act. 9. v. 16.

Paſſer eſt vilis avicula, & tamen Chriſtus de eo dicit, quod unus ex illis non cadat ſuper terram, ſine voluntate patris cœleſtis, Matth. 10, 29. Quodſi tantam avicularum curam gerit Deus, quanto magis nos ſibi commendatos habebit, nec malo nos infeſtari concedet, niſi bonum inde elicere poſſit. Mirabile enim facit conſilium, & magnificat ſapientiam. Eſa. 28. v. ult.

Idcirco animas noſtras in patientia cuſtodiamus. Nihil enim peregrini nobis evenit, 1. Pet. 4. v. 12. Chriſtus ſervator prædixit nobis, fratres & ſorores noſtræ idem paſſi ſunt, nemo unquam ſine tribulatione fuit, nec poſthac erit. *Sic itur ad aſtra.* Sic conformari oportet imagini Chriſti, in paſſione, ſi in gloria conformes ei fieri velimus. Rom. 8, 29.

III. *Tanquam is, qui ſuos absq; ſolatio non relinquit.* Ideo enim diſcipulis Spiritum Sanctum de patre miſit, ut non modo Apoſtolos in omnem veritatem duceret, & ad munus, quod demandaverat ipſis, idoneos redderet; ſed & in omni calamitate Paracletus eorum eſſet. Idem quoque Spiritus Sanctus præſtitit, eosque ita animavit, ut tanquam leones ignem ſpirantes inceſſerint, & omnia cum gaudio pertulerint, quæ ipſis à diabolo & impio mundo immiſſa erant. Ideo Paulus nomine omnium ait: In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur. 2. Cor. 4, 10.

Hic Paracletus adhuc hodie omne
Chriſtianos ſub cruce ſuſtentat, ſecus
in cruce perdurare minus poſſent, ob
imbecillitatem. Sed hic animoſos eos
in paupertate, teſtimonium enim dat
tui noſtro, quod meliorem & man
ſubſtantiam in cœlis habeamus, Heb
34.

Animoſos nos reddit in perſecuti
teſtimonium enim reddit ſpiritui n
quod hoſtes præter corpus nil occider
ſint, animam enim perimere nequ
Matth. 10. v. 28. Nec orphanos quoqu
relinquet, Joh. 14. v. 18. Sed nobiſcum
cum per aquas & ignem tranſiverimu
43. v. 2.

Poſſumus animoſi eſſe in morbis,
monium enim reddit ſpiritui noſtro,
Deum diligentibus omnia cooperan
bonum. Rom. 8. v. 28.

Animoſi eſſe poſſumus in morte. T
monium enim reddit ſpiritui noſtro,
mors Chriſtianorum placidus ſomnus
11. v. 11. Imo, janua & introitus ad vita
Joh. 5. v. 24.

Quodſi igitur Spiritus Sanctus ejuſ
dicta conſolatione pleniſſima ad ani
nobis revocat, mutamus virtutem, Eſa
v. ult. & gaudio ſpiritus ſuperfundimu
tribulationes flocci faciamus, reſpectu
ciſſimi ſolatii, quod ex verbo Dei cor
noſtris implantatur. Beatus, quem el
& adjunxiſti tibi, inhabitabit in atriis t
replebimur in bonis domus tuæ, ſ
templi tui, Pſal. 65. v. 3.

Ah dilecti! Nulla cœna adeo effica
eſurienti ſtomacho, ac dictum hujuſ
conſolatorium animæ eſurienti, Luc.
13. 14.

NullaMedicina æq; probata eſt, ad

Digitized by Google

bum corporis curandum, ac verbum Dei, ad animas delaſſatas reficiendas. Sap. 16. v. 12.

Nulla perlarum aqua æq; pretioſa eſt ad cor roborandum, ac verbum Dei ad animam recreandam. Matth. 13. v. 45. Pſal. 119. verſ. 50.

Quid pulchrius eſt paſcuo herboſo? Et tamen verbum Dei multo pulchrius eſt. Pſal. 23. v. 2. Quid dulcius melle? & tamen eloquia Dei dulciora ſunt. Pſal. 119. v. 103.

Quid precioſius auro? & tamen verbum Dei ſuper aurum obrizum pretioſum eſt. Pſalm. 19. v. 11.

O quàm bene fit eleganti floſculo, quando in vehementi æſtu aquâ humectatur? Tunc enim caput languidum viciſſim erigit, & reficitur, ut æquè pulchrè ac anteà floreſcat. Ita res ſe habet cum piis Chriſtianis: quando pluviâ verbi divini ſuaviſſimâ, in æſtu graviorum tentationum irrigantur, quibus interius & exterius delaſſabantur, ut continuò vires recuperent, & animam ſuam alloquantur: Revertere in requiem anima mea. Pſalm. 116. v. 7. Et iterum: Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? ſpera in Deo. Pſalm. 42. verſ. 6.

In vita æterna hoc gaudium perfectum erit, nullaque ægritudine contaminabitur, aut interrumpetur: ideò Paulus vocat conſolationem æternam, 2. Theſſ. 2. v. 16. Ubi Deus ubera conſolationum nobis exhibebit, Eſa. 66. v. 11. ut dies luctus noſtri compleantur, Eſa. 60. v. 20. ubi gaudebimus & exultabimus, in his quæ Deus creavit Eſa. 65. v. 18. In novo cœlo & terra nova, in quibus juſtitia habitat. 2. Petr. 3. v. 13.

Quod nobis omnibus ex gratia largiri dignetur Deus cœleſtis Pater, per Jeſum Chriſtum, filium ſuum, Servatorem noſtrum, in Spiritu Sancto, perpetuò laudandum, nunc & in ſecula!

Amen.

In Feſto Pentecoſtes.

Evangelium Ioh. 14. v. 23. -- 31.

EXORDIUM.

CUm DEUS in principio cœlum & terram creaſſet, terra erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: & *Spiritus Domini incubabat aquis*, Gen 1. v. 1. ſeqq.

Hæc brevis deſcriptio eſt, divini & incomprehenſibilis operis, quo ſupremum Numen è luce inacceſſibili prodiit, 1. Tim. 6. v. 16. & ex nihilo primùm informe chaos, in quo omnia elementa adhuc confusè permixta erant, deinde autem, mediante illâ maſsâ, omnes creaturas intra ſextiduum, per infinitam ſuam ſapientiam & potentiam creavit, donec tandem hic κόσμ⊕ κόσμι⊕ affabrè perfectus & conſummatus fuit. In hoc opere Spiritus quoque Sanctus virtutem ſuam exeruit, incubabat enim aquis, h. e. uti Baſilius M. explicat, κατὰ τὴν εἰκόνα ὄρνιθ⊕, ad ſimilitudinem avis, aut gallinæ, quæ ovis incubat, eaq; fovet, dum pullos excludat.

Hoc conſolatione plenum eſt. Sicuti enim tum temporis Deus Spiritus S. in prima creatione, divinâ ſuâ virtute, immenſum illud chaos, ex quo cœlum & terra, cum omnibus, quæ in iis ſunt, formanda erant, fœcun-

davit, & deinde per verbum Dei FIAT ſucceſſivè omnia producta ſunt: ſic etiam non otioſus eſt, in ſecunda creatione, nempe in ſpirituali regeneratione, ſine qua nemo in regnum Dei introire poteſt, Joh. 3. v. 5. Naturâ enim in peccatis mortui ſumus, Eph. 2. v. 4. Et ſicuti homo mortuus, ſeipsū excitare nequit ad vitam hanc naturalem: multò minus nos ad ſpiritualem regenerationem aliquid conferre poſſumus. Sed hoc Spiritûs S. opus eſt: qui cor lapideum de carne noſtra aufferre, Ezech. 36. v. 26. & contrà cor mundum creare, & ſpiritum rectum in viſceribus noſtris innovare poteſt, Pſal. 51. v. 12. quod quidem præſtat in baptiſmate, quod propterea lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti appellatur, Tit. 3. v. 5. nec non per verbum veritatis, quo nos gignit voluntariè, ut ſimus primitiæ aliquæ creaturarum ejus, Jac. 1. v. 18.

Sicut itaque hactenus de beneficiis Dei Patris, qui proprio Filio non pepercit, Rom. 8. v. 12. & filii Dei, qui propter delicta noſtra traditus eſt, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram, Rom. 4. v. ult. in eccleſia multifariam actum eſt: ſic quoque hodierno *pentecoſtes feſto* tertiæ perſonæ mentio injicitur, quomodo juxta promiſſionem Chriſti, ſuper Apoſtolos deſcenderit, eosdemque ſapientiâ & intelligentiâ, virtute & robore ita impleverit, ut animoſè cum ſtupore omnium, in omnibus linguis, Jeſum Nazarenum prædicaverint, ſicut S. Lucas memorat, Act. 2. v. 4.

In prælecto Evangelio, proprietates diſcipulorum verè Pentecoſtalium nobis deſcribuntur, ſi donis Spiritûs S. gratioſis impleri velint.

Abſque ulteriori igitur præloquio ad illud conferemus nos, meditaturi ex eodem:

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtr*
II. χριςογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſt*

J. J.

Exegeſis.

RAhab tenebatur *funiculum coccin*
in feneſtra ligare, per quem explor
res Joſuæ demiſerat: ut eſſet ſignum,
domus ejus agnoſceretur, & in excidic
bis ab interitu præſervaretur, Joſ. 2.
18. 21.

Spiritus Sanctus domum & habit
lum ſuum habet in cordibus fidel
Signum verò quo illud agnoſcitur, eſ
niculus coccineus meriti pretioſiſſi
Domini & Servatoris noſtri Jeſu Chr
quo conſervati, & ab interitu æterno
ſervati ſumus; eundem in feneſtra
mus oportet, h. e. ſic luceat lux noſtra
ram hominibus, ut videant opera n
bona, & glorificent patrem noſtrum
in cœlis eſt, Matth. 5 v. 16. Quæ verò c
bona eſſe debeant, quibus fidem noſ
demonſtremus, Servator noſter in
in prælecto Evangelio, inquiens
quis diligit me, ſermonem meum
vabit &c.

Nos anſam hinc arripimus, Ἀνθρω
γίαν ſive *notitiam noſtri* diſcendi, qu
intuemur:

I. *Dilectionis Chriſti commendatione*
quis diligit me, inquit Chriſtus, ſer
nem meum ſervabit. Ex quo appa
optimè fieri, ſi ante omnia dilectio C
cordibus noſtris implantetur, ſcire
caritatem Chriſti ſupereminens ſci
eſt, Eph. 3. v. 19. Et quidni diliger
ipſum, cum prior nos dilexerit? 1. Joh.

Quid ipſum permovit, quod hom
ctus fuerit? quæ cauſa, quod ſeipſum

Digitized by Google

naniverit, formam ſervi accipiens, factusq; patri obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis? Phil. 2. v. 7. 8. Certè nil niſi caritas, quâ te & me, & omnes peccatores amplexus eſt, unde Eccleſia:

Te tanta caritas coëgit Jeſule,
Ut magna nobis impetrares ſanguine,
Et expiato debito,
Nos redderes gratos Deo.
HErr/dein Lieb/ſo groß dich bezwungen hat/
Daß dein Blut an uns groß Wunder that/
Und bezahlet unſer Schuld/
Daß uns Gott iſt worden huld.

Quinimò in hoc nondum deſiit, ſed adhuc hodie caritatem ſuam multis modis probat, dum non tantùm annum coronat benignitate ſuâ, Pſal. 65. v. 12. ut veſcentes ſaturemur, Joel. 2. v. 26. ſed & amat animam noſtram, Eſa. 38. v. 17. & quomodo ſi cui mater blandiatur, ita conſolatur nos, Eſa. 66. v. 13. curat nos, ſicut medicus infirmum, & ſanat omnes infirmitates noſtras, Pſal. 103. v. 3. ducit nos uſque ad mortem, Pſal. 40. v. ult. prehendit nos manu ſuâ, ut nemo rapere poſſit, Joh. 10. v. 28. deducit nos, ſuper ſemitas juſtitiæ, Pſalm. 23. v. 3. & cùm ceciderimus, ſuſtentat manu ſuâ, Pſalm. 37. v. 24. & extollit nos, Pſalm. 147. verſ. 6.

Hi ſunt *funiculi caritatis*, quibus nos ad ſe trahit, Oſe. 11. v. 4. Et veluti aliàs benefactores noſtros diligimus: ſic multò magis decebit nos Chriſtum diligere, qui adeò præclarè de nobis meritus eſt, ut in æternum ſat dignas referre gratias non poſſimus. Majorem dilectionem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, Johan. 15. v. 13. at ille vitam pro nobis profudit, cùm adhuc peccatores eſſemus, Rom. 5. v. 8. hinc de ardentiſſimo in nos amore judicare poterimus. In hoc cognovimus caritatem, quoniam ille vitam ſuam pro nobis poſuit, ait Johannes 1. ep. 3. v. 16. Æquum igitur erit, ut viciſſim eum diligamus, & ſerviamus illi, in ſanctitate & juſtitia, Luc. 1. v. 75. Qui hoc non facit, ſit anathema, Maranatha, 1. Corinth. 16. verſ. 22.

Hic proba te, mi Chriſtiane! utrum Chriſtum reciprocè dilexeris, ut debitum tuum requirit?

Nemo quidem noſtrûm facilè erit, qui ſe Chriſtum diligere, non videri velit. Sed nudum dicere non ſufficit, Deus enim cor intuetur, 1. Sam. 16. v. 7. Cordiali itaque dilectione opus erit, juxta illud Davidis: Diligam te Domine Pſal. 18. v. 2. ſeqq.

Judæi in V. T. tenebantur Deo ſtatis temporibus pretioſa ſacrificia offerre, de bobus, ovibus, oleo &c. In conſecratione templi Salomo immolavit Domino, boum viginti duo millia, & ovium centum viginti millia, 1. Reg. 8. v. 63. Idem fecit Joſia, 2. Chron. 35. v. 7. 18.

Ejuſmodi præceptis Deus in novo teſtamento hodie nos non onerat; *ſed nihil à nobis requirit, niſi dilectionem*, in qua ſola Chriſtianiſmus noſter verſatur, Matth. 22. v. 37. 40.

Omnes *reliquæ virtutes moleſtias ſuas habent*, quas illi ſentiunt, qui iisdem operam navare volunt. *Temperantia* debilitat corpus. *Humilitas* deſpicitur. *Patientia* per crucem exercetur, & ſic ulterius. Sed dilectio nil niſi voluptatem & lætitiam gignit, & quaſi condimentum eſt,

quo

Digitized by Google

quo vita hæc dulcis, & omnis adverſitas tolerabilis redditur,ut exemplum Jacobi probat,Gen.29.v.20.

Ita ſi Chriſtum verè diligimus, nihil adeò moleſtum eſt, quin ejus causâ perferre velimus. Caritas enim omnia ſuffert,omnia ſperat,omnia ſuſtinet,1.Cor.13.v.7.

Olim in Cœnobiis nonnullis SS. Trinitas ſic depicta fuit, ut ſuper perſonam Patris hæc verba ſcripta fuerint : *Dilexi te , diſce diligere me.* Super Filium : *Ex me dignitas tua.* Et ſuper Spiritum Sanctum : *Mundata es caro , noli amplius peccare.*

Hæc nos quoque recordabimur. Omnes enim SS.Trinitatis perſonæ amorem ſuum in nos effuderunt : *Pater filium tradendo,* Rom.8.verſ.32. *Filius: ſanguinem fundendo*, Hebr.9.v.12. *Spiritus Sanctus gratiam conferendo,* tanquam ſpiritus gratiæ, Zach. 12. v. 10. & ſanctificationis , Rom. 1. verſ. 4.

Amorem itaque ei noſtrum viciſſim exhibeamus, dicentes animæ noſtræ: Benedic anima mea Domino, & omnia. quæ intra me ſunt.&c.Pſal.103.v.1.5.

Hoc debitum noſtrum Pentecoſtale eſt, ſi donis gratiæ Spiritus Sancti frui cupimus,ego diligentes me diligo , inquit cœleſtis ſapientia,Prov.8.v.17.

II. *Verbi divini obſervationem.* Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, inquit Chriſtus. Non dicit, audiet ſermonem meum : etſi enim hoc tanquam pars neceſſaria, ad cultum Dei requiritur, fides enim ex auditu eſt,Rom.10.v.17. attamen non ſufficit, ſecus enim Herodes quoque beatitudinem conſecutus eſſet , de quo Evangeliſta memorat , quod Baptiſtam libenter audierit, Marc. 6. v. 21. ſed facta ſequi debent , ut ea , quæ in templo a viſti, in corde bono & ſincero retinea fructum afferas in patientia , Luc. 8. v Jac.1.v.22.23.

Hic examines velim te, utrum etiar fiduus auditor & factor verbi Chriſti ſtiteris ?

Equidem, in toto orbe nullus homi invenietur, qui verbum Chriſti om parte implere valeat, ob peccatum, in carne noſtra habitat, & tenaciter i ret,Hebr.12 v.1. ut ſapientes ſimus, a cienda mala, bene autem facere ne mus, Jerem.4. v.22. imò volentibus bis facere bonum, malum adjacet, R v.21. Sed Chriſtum in auxilium adh mus, & quod nobis deeſt, per obe tiam ejus perfectam, quam legi præ fide verâ reſarciamus; propterea enir ctus eſt nobis à patre ſapientia, & ju & ſanctificatio, & redemtio, 1.Cor.1. ut omnia, quibus deficiamus, ab eo mus,& de plenitudine ejus gratiam pr tia accipiamus, Joh.1.v.16.

Requiritur hic

1. *Fiducia cordis.* Alexander M. re inter theſauros Darii aureo ſcriniolo, garitis & gemmis quàm pretioſiſſim ornato,cum quæreretur,in quem uſu ſtinandum eſſet, aliis aliud ſuadentibu xit: *huic optimè ſervanda dabuntur ſ Homeri*, quæ tanti faciebat,ut in bello per ſecum portaret, iiſque pro pul uteretur. Nos habemus verbum C ſicut in ſcriptis Moſis, Propheta Evangeliſtarum & Apoſtolorum co tur, id ſuper millia auri & argenti æ mus,Pſalm.119.v.72. Sed & *elegan niolum* habemus, *quod eſt cor noſtr*

Digitized by Google

quod Chriſtus fide purificavit, Act. 15. v. 9. unde ait: Da mihi fili cor tuum. Prov. 23. v. 16. in eo reponamus theſaurum hunc. Et quando audimus promiſſiones gratiæ, ex Ezech. 33. verſ. 11. Matth. 9. verſ. 14. & ſimiles, cordibus noſtris eas excipiamus, & verâ fide apprehendamus, nec dubitemus, quin Chriſtus, quæ promiſit, reipsâ impleturus ſit. Num. 23. v. 19. 20.

Imprimis quilibet beneficia, à Chriſto univerſo mundo exhibita, in individuo ſibi cum Paulo applicare debet, Galat. 2. verſ. 20.

Idem fecerunt Hiob, Job. 19. v. 25. Thomas, Joh. 20. v. 28. & latro, Luc. 23. v. 43. Quodſi ita ſermonem Chriſti ſervaverimus, viciſſim ſervabit ille, quod promiſit nobis. Eſa. 54. v. 10.

2. *Confeſſio oris*, à qua nulla pericula, imò nec mors ipſa nos abſterrere debent, quin Chriſto uſque ad mortem fideles ſimus, Apoc. 2. v. 10. Rom. 10. v. 10.

Exemplo Eleaſaris, 2. Macc. 6. v. 24. & Apoſtolorum, Act. 5. v. 9. Unde Chriſtus: Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum. Matth. 10. v. 32.

3. *Conformitas operis.* Ut Chriſto obedientiam præſtemus, in iis, quæ præcepit nobis. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis. Joh. 15. v. 14.

Vocat autem ad pœnitentiam, Matth. 4. v. 17. Vocat ad crucem ſuſcipiendam, Luc. 9. v. 23. Jacob. 1. v. 12. Vocat ad dilectionem, Joh. 13. v. 34. In quibus omnibus ei obedire tenemur, ſi diſcipuli genuini Pentecoſtales eſſe velimus. Joh. 8. v. 32.

III. *Salutarem agitationem.* Quam Spiritus Sanctus reſpectu fidelium efficit tripliciter:

1. *Omnia ſuggerit.* Ille vos docebit omnia: & ſuggeret vobis omnia, quæ dixi vobis, inquit Chriſtus.

Nos vivimus hîc in terra oblivionis, Pſ. 89. v. 31. facilè obliviſcentes eorum, quæ audivimus & didicimus, ideò Spiritus Sanctus in hunc finem miſſus eſt, ut ea nobis in memoriam revocare debeat. *Imprimis in ſpiritualibus tentationibus*, ubi ad pacem amaritudo amara, ſicut Hiskiæ contigit, Eſa. 38. v. 17. Et quamvis pius Chriſtianus copiâ dictorum conſolatoriorum inſtructus fuerit, ut nihil ſibi defuturum exiſtimet: ſubinde tamen fit, ut eorum tempore tentationis recordari non poſſit, quod ipſi Luthero accidit: iccircò non leve officium eſt, ſi Spiritus Sanctus ea nobis ſuggerat, quod non modò grato animo agnoſcere, ſed & Spiritûs Sancti commonefactioni locum relinquere tenemur, ſic operatio non deerit, ſed in mediis afflictionibus guſtabimus, quàm bonus ſit Dominus, Pſal. 34. v. 9. Tob. 3. v. 22.

2. *Metum expellit*, ideò dicit Chriſtus diſcipulis, quibus Spiritum Sanctum promiſerat: Non turbetur cor veſtrum, neque formidet. q. d. Ad patrem quidem per paſſionem & mortem abire teneor, at non relinquam vos orphanos, ſed alium paracletum mittam, qui vices meas expleat, & in omnibus adverſitatibus adſiſtat & conſoletur. Quod reipsâ quoque comperierunt. Anteà enim adeò meticuloſi & exanimati erant, ut Petrus qui animoſiſſimus videri volebat, ancillæ metu, Magiſtrum ſuum ternâ vice abnegaret, Matth. 26. v. 69. Cæteri planè auffugiebant, & obſerato conclavi ſeſe includebant, ne à Judæis prehenderentur, verentes, Joh. 20. v. 19.

Sed in Pentecoſtes feſto virtute ex alto inſtructi, & Spiritu Sancto donati:

ejus virtute tantoperè animati ſunt, ut tanquam leones ignem ſpirantes incedentes, nullum periculum declinaverint, quin potius gaviſi fuerint, quoniam digni habiti eſſent, pro nomine Jeſu contumeliam pati, Act.5.v.41.

3. *Gaudium accendit*, in cordibus fidelium, ut illi in morte ſua ſperent, Prov. 14. v.32. & cum Paulo dicant: ἐπιθυμίαν ἔχω, Phil.1.v.23. Eſt enim ſpiritus lætitiæ, Pſal. 51. v.14. qui inter alios præclaros fructus quoque gaudium in cordibus ſuorum accendit, Gal.5. v. 22. Ne verus Chriſtianus deficiat in tribulationibus ſuis, Eph.3.v.13. quia adſpicit in remunerationem, Hebr. 11. v.26. Rom.8.v.18.

Hic inſpicias te, mi Chriſtiane! an hunc Spiritus Sancti motum, in te deprehendas?

Hoc non inſuper habendum eſt. Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei. Rom.8.v.14. Naturâ non ſufficientes ſumus, cogitare aliquid à nobis, 2 Cor.3.v.5. Sed Spiritus Sanctus operatur in nobis, & velle & perficere, Phil. 2. v.13. Impellit nos ad veritatem, ut eandem non modò loquamur, Zach.18.v.19. ſed & faciamus, 1.Joh.1.v.8. Eſt enim ſpiritus veritatis, Joh.16.v.13. Impellit nos ad beneficentiam erga egenos, eſt enim ſpiritus bonus, Pſal 143.v.10. Impellit nos ad patientiam, ut cum Hiobo dicamus: Si bona ſuſcepimus Job.2. v. 10. Fructus enim ejus ſunt, caritas, gaudium, pax, longanimitas &c. Gal.5.v.22. Impellit nos ad orationem, eſt enim ſpiritus gratiæ & precum, Zach.12.v.10. & poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, Rom.8. v.26.

Et hic impulſus tam efficax eſt, ut à nulla creatura impediri poſſit. Hinc factum, quod S. Martyres nulla Perſecu[tionum] tormenta, imò ne mortem ipſam timuerint. Exemplo ſit Stephanus [Act.] 7.v.55. Paulus, Actor.20. v.23. Hi[nc] quod veri Chriſtiani glorientur in t[ribula]tionibus, quia caritas Dei diffuſa eſt [in cor]dibus noſtris, per Spiritum Sanctum, [Rom.] 5.v.3.5.

Non autem impulſus hic more A[naba]ptiſtico vel Enthuſiaſtico intelligend[us,] ſed oritur ex verbo, & fit cum verbo[, quod] eſt teſtimonium ſpiritûs, Joh.5.v.39.

Ubi igitur verbum repellitur, S[piritus] Sanctus quoque operationem ſuam [exer]cere nequit: ſed ut de Phariſæis dicitu[r, sper]nunt illi conſilium Dei adverſus ſe[met ipſos,] Luc.7.v.30. Unde Auguſtinus: *Ita[…] tur pii, ut etiam agant.* Quod fit, ſi v[erbum] cum manſuetudine ſuſcipiant, Jac. 1[…] nec Spiritui Sancto reſiſtant. Act[…] verſ. 51.

Hinc itaque quilibet ſe probare pot[eſt, a] quo regatur.

Quodſi in omnibus flagitiis volut[aris,] non gloriari poteris, te Spiritu Sanct[o …] is enim effugit fictum, Sap. 1. v. 5. T[…] v.17. *Ubi vita agitur, qualis eſt porc[orum,] ibi non eſt Deus, ſed Dæmones*, Nazian[zeno] aſſerente. Sapere enim carnis, inim[icitia] eſt Deo. Rom. 8. v.7. Unde quotid[ie ſu]ſpiremus: Cor mundum crea in me [Deus,] & ſpiritum firmum innova in viſce[ribus] meis. Pſal.51. v.12.14.

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alterā partem*, [ἐπι]γνῶσιν, ſive *notitiam Chriſti* […]taturi. Hic nobis in hoc Evangelio [pro]ponitur:

I. *Tanquam Patris legatus*, ideò […]

Digitized by Google

Chriſtus: Sermo, quem audiſtis, non eſt meus, ſed ejus, qui miſit me, patris.

Deus eſt ſpiritus, Joh. 4. v. 24. Et habitat in luce inacceſſibili, 1. Tim. 6. v. 16. Quando igitur cum homine colloqui aut agere vult, aut in forma peregrina apparet, uti Abrahamo, Gen. 18. v. 1. aut utitur mediatore, ſicut, cùm legem promulgaret in monte Sinai, Exod. 32. v. 1. Act. 7. v. 30. Neque enim nos vocem ejus audire & perferre poſſumus, ſicut nec Iſraëlitæ tonitrua, & lampades, & ſonitum buccinæ, Exod. 20. v. 19.

Idem in his diebus noviſſimis præſtitit, quibus locutus eſt nobis in filio, Hebr. 1. verſ. 2. Hic quaſi magnus ille Cancellarius fuit, qui quæcunque audivit à patre, nobis nota fecit, Joh. 15. v. 15. Et poſtquam carnem noſtram aſſumſit, & frater noſter factus eſt, Hebr. 2. v. 14. 17. eò minus eum metuere, ſed cum fiducia ad thronum gratiæ ejus adire poſſumus, Hebr. 4. v. 16. & diſcere quæ nobis deſunt, nempe manſuetudinem, & cordis humilitatem. Matth. 11. v. 19.

Spartani in uſu habebant, ut uno ſaltem legato miſſo, negotia ſua apud exteros Reges tractarent. Hoc aliquando ſiniſtrè exceptum, & pro contemtu habitum eſt: & quamvis legatus, ſe unum ad unum miſſum eſſe, excuſaverit, tamen Rex ille in data reſponſione acquieſcere non voluit. Magnates enim plerumque in hoc magnificentiam ſuam manifeſtant, ut non modò primarios viros ablegent: ſed magno quoque comitatu eos exornent, quò magnificè ingredi, & pompam Principum ſuorum præſentare poſſint.

Nihil autem hoc faciendum eſt, reſpectu legationis, quam Deus cœleſtis Pater, ad nos miſit. Ubi enim venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, Gal. 4. v. 4.

Licet igitur ille, ſine omni pompa, in ſervi forma, in terris ſeſe exhibuerit, Phil. 2. v. 7. non tamen propterea ipſum deſpiciamus, ſiquidem à Deo miſſus eſt, & omnia nobis ad ſalutem neceſſaria, manifeſtavit. Joh. 1. v. 18.

Exemplo nobis ſunt Judæi, qui legatum hunc rejecerunt, ideò Deus eos abjecit, & per totum orbem diſperſit, ut ſint populus direptus & prædæ expoſitus, Eſa. 42. v. 22. in exſecrationem, in ſtuporem, in maledictionem, & in opprobrium, Jer. 44. v. 12. Hinc cautius mercari diſcentes, ab ejusdem contemtu nobis caveamus. Deuter. 18. v. 18. 19.

II. *Tanquam hoſpes pergratus*, qui cum Patre & Spiritu Sancto ad ſe diligentes veniet, & manſionem apud eos facturus eſt.

Hæc maxima gloria eſt.

Magi Chaldaici, habitationem Deorum cum hominibus impoſſibilem reputabant, Dan. 2. v. 11. Sed ſi ad tempur N. T. vivi perveniſſent, aliter ſenſiſſent. Tunc enim caro facta eſt, & habitavit in nobis. Joh. 1. v. 14.

Horatio & Virgilio maximo honori datur, quod Imperator Auguſtus identidem in medio ipſorum reſederit. Sed quid hoc reſpectu ejus æſtimandum, quod non Imperator Auguſtus, ſed Spiritus Sanctus domicilium ſuum in cordibus noſtris figat. Neque enim Virgilium à Melancholia, & Horatium ab oculis lippis, quibus illi laborabant, præſervare potuit, licet medius ipſos interſederit.

At Spiritus Sanctus Melancholiam & triſtitiam eximere valet, miſſus enim eſt,

ut conſolaretur lugentes, Eſa.61.v.2. Quod & præſtitit, dum patrem ſuum clarificavit, Joh.17.v.4. ut cor ejus introſpicere poſſimus, quomodo in nos affectus ſit. Propterea quoque dicit: ipſe pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, quia ego à Deo exivi, Joh.16.v.27. Præſtat idem quotidie, per Spiritum ſuum Sanctum, qui interno teſtimonio ſuo corda noſtra confirmat, ut non dubitemus, ſed ſciamus, cui credamus, 2.Tim.1.v.12.

Olim Dominus in *Jeruſalem ignem habebat & caminum*, Eſa.31.v.9. Nos ſpiritualis illa Hieroſolyma ſumus, in qua non modò tota SS. Trinitas habitat: ſed & Spiritus S. ignem & caminum alit, juxta illud, 2.Cor.6.v.16.

Ezechieli oſtendebat Deus in viſione civitatem, cujus nomen, *Jehova ibi*, Ezech.48.v.35. Tu Chriſtiane! civitas illa es, tuum nomen eſt, Jehova ibi, Pſal.132.v.14.

Quodſi igitur Deus non ſolùm *pro nobis*, ſed & *in nobis*, quis contra nos? Rom.8. verſ.31.

Hoc ſolatio freti, in omnibus adverſitatibus animoſi eſſe poſſumus. Major enim eſt, qui in nobis eſt, quàm qui in mundo, 1.Joh.4.v.4.

III. *Tanquam noſter advocatus*, ſicut appellatur, 1.Joh.2.v.1.

Talem ſe præſtitit trifariam:

1. *Spiritum Sanctum mittendo.* Fidelis Advocatus, profecturus aliquò peregrè, alium ſubſtituit, qui Clientis cauſam agat. Sic Chriſtus Apoſtolis viſibilem ſuam præſentiam ſubtracturus, alium iiſdem Paracletum promiſit: quem etiam decimo poſt adſcenſionem die miſit. Act.2.v.1. ſeqq.

Adhuc hodierno die ſolatio hoc fruimur: licet enim Spiritus Sanctus eâ menſurâ, quâ ſuper Apoſtolos effuſus eſt [...] die nobis non communicetur: at[...] primitias ſpiritus accipimus, Rom 8[...] & non inexperti ſumus, quomodo [...] tus Sanctus munus hoc ſuum in nob[...] eat, quando Diabolus accuſat, Apo[...] verſ.10. & mundus perſequitur, Joh.15[...] & crucis variationes & exercitus [...] nos ſunt, Job.10.v.17. Niſi enim ille [...] mine ſuo nos reficeret, pereundum [...] eſſet in afflictione noſtra, Pſal.119. [...] Verùm per internum ipſius alloq[...] mutamus virtutem, Eſa.40.v.ult. Ut [...] æſtimemus afflictiones, & dicamus: [...] enim mihi eſt in cœlo? Pſalm[...] verſ.25.

2. *Pacem relinquendo*, ſic enim ad [...] ſtolos ait: Pacem relinquo vobis, p[...] meam do vobis: non quomodo mu[...] dat, ego do vobis. Sed ſpiritualem da[...] bis conſcientiæ pacem, quæ exu[...] omnem ſenſum, Phil.4.v.7.

Fidelis Advocatus in id ante omni[...] cumbit, Clienti ſuo pacem, & ſalvum [...] ductum procuret, dum res ad exitum [...] ducatur. Idem nobis Chriſtus acqui[...] Per illum enim pacem habemus cum [...] Eſa.54.v.9. cum propria conſcientia, C[...] v.13. Cum hoſtibus noſtris, qui qu[...] nos impugnare, ſed expugnare nequ[...] Diabolus arma amiſit, Luc.11.v.22. [...] aculeum, infernus victoriam, 1.Cor.15[...] Nunc dicere cum Paulo poſſumus: Si [...] pro nobis, quis contra nos? Rom.8. [...] 33.34.

3. *Mundi Principem confundendo.* [...] delis Advocatus cauſam ad extremum [...] tur, nihilque juris contrariæ parti relin[...]

Idem Chriſtus fecit: propterea ait: [...] nit princeps mundi hujus, & in me [...]

habet quicquam. Si nihil in Chriſto, nihil quoque in nobis habebit, qui Chriſti membra ſumus, longe enim vincimus propter eum, qui dilexit nos, Rom. 5 v. 37. & omnia poſſumus in eo, qui confortat nos, Chriſto, Phil. 4. v. 13.

S. Martinus, morti vicinus, horribili ſpecie à diabolo adortus, ſic illum abegit: *Quid hic ſtas horrenda beſtia, nihil in me juris habes, ſinus Abrahæ me recipiet.* Pari modo nos animoſi eſſe poſſumus, quando recordamur, quod princeps mundi in Chriſto nihil habeat, ſed potius ab ipſo ſuperatus ſit, & in media morte ovantes canere poſſumus: Nunc dimittis Domine ſervum tuum in pace. Luc. 2, 29.

Largiatur id nobis omnibus ex gratia Deus Pater, per filium ſuum Jeſum Chriſtum, in Spiritu ſancto, Amen!

* * *

In Feſto Trinitatis.

Evangelium Ioh. 3. v. 1,--15.

EXORDIUM.

Moſes olim à Deo petiit, ut oſtenderet ſibi gloriam ſuam. Cui reſpondit Deus: Ego tranſire faciam omnem bonitatem meam ante faciem tuam. Cumque tranſibit gloria mea, ponam te in *foramine petræ*, & protegam dextera mea, donec tranſeam, & ubi recedere fecero manum meam, videbis poſteriora mea; faciem autem meam videre non poteris, Exod. 33. v. 18. ſeqq.

Ex hoc colligimus, nos in hac miſeriarum valle, ex parte cognoſcere, & ex parte prophetare. Cum autem venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt, 1. Cor. 13, 9.

Deus lucem inhabitat inacceſſibilem, 1. Tim. 6, 16. & excelſior cœlo eſt, profundior inferno, longior terra menſura ejus, & latior mari, Job. 11. v. 8. Intellectus autem noſter adeo imbecillis eſt, ut difficile æſtimemus, quæ in terra ſunt: Quæ autem in cœlis ſunt quis inveſtigabit? Sap. 9, 16. & ſeqq. Quia vero cognitio Dei apprime nobis neceſſaria eſt. Hæc enim vita æterna eſt, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, Joh. 17. v. 3. Et nos faciamus oportet, quod Deus ſollicitanti Moſi reſpondit, & quidem primo *in foramine petræ ſtemus* h. e. Chriſtum reſpiciamus, qui eſt petra ſalutis, 1. Cor. 10, 4. quicquid enim deeſt nobis, poſſumus in eo invenire, & de plenitudine ejus accipere, gratiam pro gratia, Joh. 1. v. 16.

Deinde etiam *poſteriora Dei videre* tenemur, h. e. etiamſi in mortalitate hac faciem ejus cernere nequeamus, neque ad plenam eſſentiæ & voluntatis notitiam pertingere; ex operibus tamen nobis agnoſcendus eſt. Hæc enim poſteriora ejus ſunt, quia ea in tempore creavit, & per ea inviſibilia ſua manifeſtavit, Rom. 1. v. 20. quod ſit *ſapiens & prudens*, quia omnia in ſapientia fecit. Pſal. 104. v. 24. quod ſit *bonus*, quia omnia valde bona fecit, Gen. 1, 31. quod ſit *magnus & omnipotens*, quia omnia ex nihilo produxit, & tot annorum millia mirabiliter gubernavit & conſervavit, & porro portat verbo virtutis ſuæ, Heb. 1. v. 3. Quodſi itaque pulchritudinem creaturarum miraris, cogites

velim, quanto his dominator eorum ſpecioſior ſit? Sap. 13, 3. Cætera quæ intellectu comprehendere nequis, fide apprehende, & memento, quod hic perfecti non ſimus: Veniet autem tempus, ubi evademus in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, Eph. 4. v. 13. & Deum videbimus, non ut nunc, per ſpeculum in ænigmate: ſed à facie ad faciem, 1. Cor. 13. 12.

Hunc in finem pii Majores noſtri, hodiernum feſtum in Eccleſia ordinarunt, ut occaſio eſſet, anniverſarie certo tempore, *doctrinam de Deo Trinuno tractandi, & explicandi*. Sicuti enim omnes credimus & baptizamur, ſciamus quoque oportet, cui credamus, 2. Tim. 1. v. 12. & quis ille ſit, cum quo ſtipulationem bonæ conſcientiæ inierimus, 1. Pet. 3. v. 21. Ne idem nobis eveniat, quod mulieri Samaritanæ, cui Chriſtus ait: Neſcitis quid adoretis, Joh. 4. v. 22.

Sed ad ipſum Evangelium acceſſuri, tractabimus ex eodem:

I. ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

Filii viri ſunt mendacium, ait Regius Pſaltes, Pſal. 62, 10. Hoc in Nicodemo verificatum eſt, qui vir præcipuus erat Hieroſolymis, & tamen aberrabat à recta via, neſciens, quomodo in regnum cœlorum pervenire poſſet, donec Chriſtum accederet, ab eoque diſceret, quomodo coram Deo juſtificaretur & ſalvaretur. Hoc nobis proponitur in prælecto Evangelio, ex quo *Notitiam noſtri* diſcimus, quando perpendimus:

I. *Nicodemi acceſſionem*. Erat ille *Pr*
Iudæorum, qui Synedrio interfuit, &
ſcientiæ ſuæ rationem probe habuit,
ad Collegas, Chriſtum contemnaturo
Nunquid lex noſtra judicat hominem
prius audierit ab ipſo, & cognoverit,
faciat? Joh. 7. v. 51. Erat quoque *Pr*
Doctorum, qui ſcripta Moſis & Prop
rum multos per annos explicaverat, &
ge non imperitus erat, propterea Ch
eum vocat, Magiſtrum in Iſrael. Sed
de eo dici potuit, quod Paulus de Hel
Heb. 5, 11. Ideo accedebat Chriſtur
ctu, ut ab ipſo informaretur. Hic erat

1. *Acceſſus ſpontaneus*. Nemo ipſur
lexit *verbis amicis*, ſicut Judæi Johar
Joh. 1. v. 19. neque *muneribus*, ſicut l
Bileam, Num. 22. v. 5. Nemo ipſum
egit, ſicut Antiochus Judæos, 2. Mac
ſeqq. Sed ſpontanea devotio ipſur
pulit, quia in fide & religione, quam
nus amplexus fuerat, ſalutem conſequ
ſus eſt. Sic adhuc hodie Deus ſpor
corda & conſcientias requirit. Pſal. 1
Quod & à nobis ſemper obſervari c
qui enim adorat Deum in oblectati
ſuſcipietur, Sir. 35, 20.

2. *Acceſſus beatiſſimus*. Non enim
dit cauponam, ubi potentes ſunt ad b
dum vinum, Eſa. 5. v. 21. Multo mini
loca ſuſpecta, ubi noctu convenitur,
20. ſed Chriſtum, de quo multa ha
audierat, à quo diſcere cupit, quomo
res æternæ ſalutis evadere poſſit. S
mur ipſum in hoc propoſito, ipſe enim
ſtus ad ſe vocat nos, Matth. 11, 38.

3. *Acceſſus nocturnus*. Metuit enim
legas ſuos, ne ex ipſorum Synagoga e
tur, Joh. 12, 42.

Factum hoc ex imbecillitate hum

in medelam noſtram ſcriptum eſt, non in ſequelam; Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua, & Patris, inquit Chriſtus. Luc. 9, 26.

Quodſi examinaveris te, juxta tria hæc membra, mi Chriſtiane, deprehendes, multos quidem eſſe hodie, qui Nicodemo ſimiles ſunt in metu: at diſſimiles in diligentia, quam in via vera indaganda adhibuit?

Nicodemus *non coactè ſed ſponte* acceſſit. O quot inveniuntur, qui ad nuptias amice invitati, venire renuunt? Matth. 22. v. 4. Quot eorum? qui ad legis conciones & minas aures obturant. Luc. 14. v. 24. Propterea quoque condemnatio eorum eo gravior erit. Joh. 5. v. 22.

Nicodemus Chriſtum adiit, ut ab eo informaretur, quia ex concionibus ejus hactenus didicerat, quod Propheta à Moſe prædictus eſſet. Deut. 18, 15.

Hoc multis hodie non arridet, quia via meretricis, Prov. 7, 8. aut ſpacioſa via, quæ ducit ad perditionem, Matth. 7, 13. incedere malunt, quam Chriſtum ſequi, & omnes Sanctos, qui per multas tribulationes intrant, in regnum Dei, Act. 14, 22.

Nicodemus noctu Chriſtum acceſſit, non tantum ideo, quia propter Collegas ſuos interdiu eundem adire non licebat; ſed metuebat quoque authoritatis ſuæ diminutionem, ſi alii experirentur, ipſum præcipuum quendam Rabbi, & Magiſtrum in Iſraël, à Chriſto viam ſalutis perdiſcere velle.

Hoc merito improbatur, juxta illud: Credidi, quod locutus ſum, Pſal. 116. v. 10. Qui verus Chriſtianus & Chriſti diſcipulus eſſe geſtit, non modo recte credere, ſed & ore confiteri tenetur, 1. Pet. 3. v. 15. Rom. 10. v. 9.

Quicquid autem hujus deliquit Nicodemus, id poſtea tempore ſepulturæ Chriſti reſtituit, ferens mixturam myrrhæ & aloes, quaſi libras centum, Joh. 19, 39. Ut fruſtra ſint hypocritæ, qui exemplum ejus prætendunt. & eo ipſo hypocriſin ſuam palliare nituntur, Apoc. 3, 15. Potius obſervare debent: Abi tu, & fac ſimiliter, Luc. 10. 37.

II. *Nicodemi confeſſionem*, ſic enim Chriſtum alloquitur: Rabbi, ſcimus, quia à *Deo* veniſti Magiſter; nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.

Hic Nicodemus Collegas ſuos & adſeſſores Synedrii prodit, quod quamvis in conſcientia convicti ſint, Chriſtum illum ipſum eſſe, de quo Prophetæ prædixerint, tamen præ odio & invidia, ut Meſſiam agnoſcere nolint.

Idem adhuc hodie contingit. Quilibet ſeipſum probet modo, an hic exemtus ſit. Quoties peccata & flagitia ex ſuggeſtu arguuntur, quod ea in conſuetudinem abeant? Interea tamen delinquentes, malum manuum ſuarum dicunt bonum, Mich. 7. v. 3. gloriantur in malitia ſua, Jer. 11. v. 15. & peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicant, Eſa. 3. v. 9. Nemo non fateri cogitur, quod juſte peccata reprehendantur, nemo tamen ab ipſis abſtinere vult, quin potius inquinatæ ſunt viæ ipſorum omni tempore, & auferuntur judicia Dei à facie ipſorum, Pſal. 10. v. 5. dicentium: ſermonem quem locutus es ad nos, in nomine Domini, non audiemus ex te. Jer. 44. v. 16.

Quid dicebat Epiſcopus Salisburgenſis, in Comitiis Auguſtanis, Anno 1530? *Scimus, multos in Eccleſiam irrepſiſſe abuſus, ſed non ferendum eſt, ut Monachus fiat reformator, & pacem turbet.*

Quia

Quia vero per nudum ſcire, nemo poteſt in cœlum venire, 1. Cor. 8, 1. ideo non tantum ſciamus, quid bonum ſit, & quid Dominus requirat à nobis, Mich. 6, 8. ſed operam demus, ut in opere ipſo demonſtremus. Ne multis vapulemus. Luc. 12, 47.

III. *Nicodemi exceptionem.* Ait enim: quomodo poteſt homo renaſci, cum ſit ſenex? Quomodo poſſunt hæc fieri?

Merito ille rationem ſuam in obſequium Chriſti captivare debuiſſet, & verbis ejuſdem fidem adhibere: ſed mavult myſteria hæc, quæ tamen capere non poterat, ratione ſua metiri, ideo reprehenſione Chriſti notatur: Tu es Magiſter in Iſrael, & hæc ignoras? Amen, Amen, dico tibi, quia quod ſcimus, loquimur & quod vidimus &c.

Hic probes velim te, annon & ipſe in rebus fidei nimium ſcrupuloſus quandoq; fueris, & plura ſcire deſideraveris, quam Deus tibi in verbo ſuo manifeſtavit.

Exceptio hæc fieri poteſt *dupliciter*. Primo *ex corde credente*, ut diſcamus, ſicut Maria ad Angelum ait: Quomodo fiet iſtud? Luc. 1, 34.

Secundo *ex incredulitate*, quando verbum Dei in dubium vocatur, quia cum ratione non concordat. Hoc Auguſtinus vocat: *Venenum fidei*, quæ eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium, Heb. 11. v. 1.

Noli proinde *quærere diffidendo* ſicut *Arriani*, qui Chriſtum filium Dei agnoſcere nolunt, & propterea quærunt: Quomodo Deus filium haberet, uxore deſtitutus. His Ambroſius reſpondet: *Licet ſcire quod natus, non licet diſcutere, quomodo natus ſit.* Generationem ejus quis enarrabit? Eſa. 53, 8. Eodem modo quærunt *Anabaptiſtæ*, qui vim ſalutiferam Baptiſmi infringere ſata-gunt: Quomodo aquâ peccata abluer[e poſ]ſit? Cum tamen mera aqua ex ſe n[on effi]ciat, ſed verbum Dei cum aqua co[njun]ctum. Unde Petrus: Aqua nos ſalvo[s facit,] at non eſt depoſitio ſordium carnis, ſ[ed sti]pulatio bonæ conſcientiæ erga Deum [1. Pet.] 3. v. 21.

Idem faciunt *Calviniani*, qui p[ræſen]tiam corporis & ſanguinis Chriſti in [ſacra] cœna negantes, itidem quærunt: Qu[omo]do nobis Chriſtus carnem ſuam ad [eden]dum, & ſanguinem ſuum ad bibendu[m ex]hibere poteſt? non perpendentes D[eum] num poſſe ſuperabundanter facere, [quam] petimus, aut intelligimus. Eph. 3, 20. *F[ides] tem cogita, & deſinet eſſe mirabile, vel [...] incredibile non erit*, ait Hugo Victo[r...] Eſa. 40. v. 26.

Noli quærere ambigendo, ſicut Za[charias] Baptiſtæ parens, Luc. 1, 18. Noli dij[udicare] per diffidentiam, ſed confortare fide [dans] gloriam Deo. Rom. 4, 20. 21.

Noli denique quærere contradicend[o ...] ſtar Equitis Samaritani, 2. Reg. 7. 2. Deum ſiquidem non eſt impoſſibile [omne] verbum, Luc. 1. v. 37.

Sed ſalutarius *Quomodo* tuum ad[hibere] poteris. Quando enim animarum [...] clamat: Pœnitentiam agite, approp[inqua]vit enim regnum cœlorum, Matth. 3, [...] tes interrogare cum cuſtode carceris [quid] me oportet facere, ut ſalvus fiam. A[ct. ...]

Similiter quando diabolus te ad p[...] inſtigat, ut carni indulgere, & animæ [...] inurere debeas, quærere poteris: Qu[æ con]ventio Chriſti ad Belial? 2. Cor. 6, 15.

Pari modo ſi peccaſti, & diabolu[s te ad] deſperationem adigere geſtit, iteru[m quæ]rere potes? quomodo deſperem? [...] Deus miſericors eſt, & bonæ ſpei fec[...]

ſuos, quoniam dedit locum in peccatis pœnitentiæ? *Sap.*12,19. Neminem enim ejiciet foras, qui eveniet ad eum. Joh. 6, 37.

De S. Auguſtino memoratur, quod aliquando Hippone egreſſus, juxta littus maris obambulans, ſcrutando SS. Trinitatis myſterio impenſius indulſerit, cui puer eximia forma apparuerit, qui in eodem littore ſedens, modico cochleari aquam è mari hauſtam magno conatu ſcrobiculo infuderit. Cujus conatum demiratus, quid tam ſerio ageret quæſivit. Ille virili conſtantia totum ſe mare iſti foveæ infundere velle, reſpondit. Auguſtinus eum laterem lavare & fruſtra laborare, dixit. Cui puer, ut Angelum eſſe intelligeret, conſtanter reſpondit. Tu funiculo ingenii tui abyſſum ſanctiſſimæ Trinitatis metiri cogitas: at prius, quam hoc effectum dederis, ego hac foſſula univerſum mare concluſero. Et ſic diſparuit.

Hinc diſcimus, quod myſteria divina ratione perſcrutari minus debeamus. Scrutator enim Majeſtatis, opprimetur à gloria. Prov.25.v.27.

De Secundo.

TRanſibimus nunc ad *alteram partem* Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti* meditaturi. Hic nobis in Evangelio hoc noſtro contemplandus proponitur:

I. *Tanquam cœleſtis Doctor veritatis.* Hoc elogio eum mactat Nicodemus, inquiens: Rabbi, ſcimus, quia à Deo veniſti Magiſter. Reſpicit hoc ipſo promiſſionem Dei de magno illo Propheta, Deut.18.v.15. Ille enim Chriſtus erat, teſte populo, Luc.7.v.19. Vere magnus Propheta, potens in opere & ſermone, coram Deo & omni populo. Luc. 24,20. Deus enim dederat ei eruditam linguam, Eſa. 50.v.4. Ideo docuit ſicut autoritatem habens, & non ſicut Scribæ & Phariſæi. Matth.7.v.29.

Magno hinc afficimur gaudio. In hoc mundo enim intellectus noſter adeo occæcatus eſt, ut non percipiat ea quæ ſunt Spiritus Dei, 1. Cor.2 v.14. Sed Chriſtus docet nos utilia, Eſa. 48. 17. non quidem *immediate*, ut olim: ſed *mediate* per miniſtros ſuos, quibus dedit verba ſua in ora eorum Jer.1,10. quæ loquantur, Mat.10,19. Luc.10.

Interea eſt & manet Magiſter ille unus, Matt 23, 10. & paſtor, qui dat conſilium reliquis Magiſtris, Eccleſ. 12,11. Hinc deſcribitur in Scripturis, quod ſit:

1. *Doctor ſapientiſſimus*, in quo ſunt omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſauri abſconditi, Col.2,3. Hinc quæſiverunt Judæi: Unde huic ſapientia hæc? Matt.13.54. Sed nos non opus habemus, ut quæramus, ſcimus enim, quod à Deo factus ſit ſapientia, 1. Cor. 1.v.30.

Quando itaque mundus exiſtimat, ſe aſtute omnia aggreſſurum, ut perſequatur gregem puſillum recte credentium, non eſt, quod metuamus, comprehendit enim ſapientes in aſtutia eorum, Job.5.13. imo ſapientia eorum coram ipſo eſt ſtultitia, 1. Cor.3,19. Ut fruſtra conſilium ineant. Eſa.8.v.10.

2. *Doctor veraciſſimus.* Eſt enim veritas ipſa Joh.14. v.6. & ſermo ejus veritas eſt, Joh 17,17 hinc vocatur teſtis fidelis & verus Apoc.3,14. qui ad hoc in mundum venit, ut teſtimonium perhibeat veritati. Joh.18.

Maneamus in ſermone ejus, & vere diſcipuli ejus erimus. Joh.8.31.32.

3. *Doctor fideliſſimus*, qui omnia, quæcunque audivit à patre ſuo, nota fecit nobis, Joh.15.15.

Ab ipſo diſcere poſſumus *artem orandi*, ad

ad quem & quomodo precari debeamus. Matth 6,9. Joh.16.v.23. *artem patiendi*, 1. Pet.2.v.21. Pſ.l 94. Heb.10,36.

Ab eo habemus *artem moriendi*, ſicut enim ipſe moriturus patri ſpiritum comiſit, Lu.23.46. ſic & nos fideli creatori comendemus animas noſtras in benefaciendo, 1.Pet.4.v.19.

Ut breviter complectar, huic Doctori acceptum ferre debemus, quod ſciamus, quomodo erga Deum, proximum & nosmetipſos affectos eſſe oporteat. Apparuit enim gratia Dei ſalutifera omnibus hominibus, Tit.2. v.11,12.

Quodſi igitur doctrinam ejus debito modo ſuſceperimus, emolumentum inde temporale & æternum nos manebit, & requiem animarum inveniemus. Matt.11,29.

II. *Tanquam ſecunda perſona Trinitatis.* Miſſus enim eſt à Deo patre, & inſtituit baptiſmum, per quem Spiritus Sanctus virtutem ſuam exerit, & regenerationem in homine operatur. Ibi habemus omnes perſonas S.S. Triados, quæ omnes eſſentia divina præditæ ſunt, ut earum quælibet in individuo Deus vocari poſſit, ſed nō ſunt tres Dii: potius fides Catholica hæc eſt, ut unitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes perſonas, eſſentiam divinam ſeparemus. Sicut hæc egregie in Symbolo Athanaſii explicatur, quod hic conſuli debet.

Hîc enim abyſſus myſteriorum divinorum ſe pandit, quæ ratione & ſenſibus noſtris comprehendere non poſſumus. Neque enim rationi conſentaneum eſt, unum tres, & tres unum eſſe. O altitudo divitiarum! Rom.11.v.33.

Quo vero hodie feſtivitati ſatisfaciamus, ſimpliciſſime membra tria ſequent[...] caturi ſumus.

1. eſt, *perſonæ explicatio.* Aug.[...] reſpondet: *Nomine perſonæ utimur* [...] *ficatione, qua uſi ſunt in hac cauſa S*[...] *Eccleſiaſtici, ut ſignificet non partem* [...] *litatem in alio, ſed quod proprie* [...] Act.1.

Docti ſubtiliter hac de re diſſeru[...] pro concione fieri non debet: n[...] ſimplicitati ſtudebimus, ut quili[...] ipſam intelligere poſſit.

Perſonam propriam eſſentiam hab[...] *per ſeipſam ſubſiſtere, neceſſum eſt.* [...] perſona appellatur, quia eſſentiam [...] bet & per ſe ſubſiſtit. Cogitatio[...] oratio, ſapientia, ars, & quæ pluri[...] modi in homine ſunt, non ſunt [...] non enim per ſe ſubſiſtunt, ſed a[...] ſunt, quæ ſine detrimento & cor[...] humanæ eſſentiæ, ab homine ſepa[...] ſunt.

Perſona integram ſubſtantiam, [...] *ctam eſſentiam habeat, neceſſe eſt.* P[...] neque corpus hominis ſine anima, [...] nima ſine corpore & anima conſiſ[...] totam ſuam eſſentiam habet.

Perſonam vivere & ratione præ[...] *oportet.* Lignum enim, lapides, a[...] argentum, & ſimilia, non ſunt perſ[...] vita deſtituuntur. Boves, canes, leo[...] etiam perſonæ non ſunt, quia ra[...] rent: ſed angeli & homines ſunt & [...] perſonæ, quia vita & ratione prædi[...]

Tandem perſonæ proprium eſt[...] *communis non ſit*, e g. Humana [...] Paulo & Jacobo pluribus commu[...] nempe omnibus iis, qui homines ſu[...] que perſona vocari non poteſt. Se[...]

& Jacobus, ſigillatim & in individuo perſona eſt: licet enim plures ſint eorum, qui Paulus & Jacobus dicuntur, tamen iidem non ſunt, ſed aliæ perſonæ, quæ quidem humanam naturam cum illis communem habent, ſed quoad perſonam diſtincti ſunt.

Quando itaque in eſſentia divina tres perſonas aſſerimus, intelligimus nomine perſonæ perfectam eſſentiam, quæ viva, rationalis, non vero pluribus communis eſt. Hæc conjuncta ſint oportet: divina enim natura, eſt ſubſtantia perfecta, nec minus vita & ratione prædita, ſed non eſt perſona, quia Patri, Filio, & Spiritui Sancto communis eſt. Pater vero, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt perſonæ, qui non ſolum perfecti, vivi, & rationales: ſed & pluribus communes non ſunt. Unus enim nobis Deus eſt, Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. 1 Cor. 8, 6. Unus quoque tantum Spiritus S. eſt, qui operatur omnia, dividens ſingulis, prout vult. 1. Cor. 12. v. 11.

2. Eſt *pluralitatis indigitatio*, ſunt enim in eſſentia divina plures perſonæ. Hoc probant ſcripturæ loca, in quibus Deus de ſe verba facit in numero multitudinis. Faciamus hominem, Gen. 1. v. 25. Adam quaſi unus ex nobis, Gen. 3, 22. c. 11, 7.

Huc pertinet, quando Deus de ſe, ut de alio loquitur: Pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino, de cœlo. Gen. 19, 24. Confer, Ex. 24. v. 1. Pſal. 45, 8. Pſal. 110, 1. Oſe. 1. 7. & ſimilia dicta, quæ omnia probant, in eſſentia divina, diſtinctas perſonas eſſe, quæ nomine Jehovah inſigniuntur, patrem nempe, Filium, & Spiritum Sanctum, ut mox audiemus.

3. eſt, *Trinitatis demonſtratio.* Quæ probatur,

1. *Ex opere creationis*, de quo David: Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus, omnis exercitus eorum, Pſ. 33, 6. Ubi *primo* mentio fit *Domini*, tanquam primæ Trinitatis perſonæ *Secundo*, *Verbi*, tanquam ſecundæ Trinitatis perſonæ, quæ expreſſe verbum appellatur, Joh. 1, 1. *Tertio*, *Spiritus oris Domini*, hæc eſt tertia perſona, Deus Spiritus Sanctus, qui alias ſpiraculum omnipotentis, Job. 33 v. 4. & Spiritus oris Chriſti dicitur, 1. Theſſ. 2. v. 8.

2. *Ex benedictione*, qua ſummus Sacerdos Aaron populo benedicebat: Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te. Num. 6. v. 24. Ubi per *Dominum cuſtodientem* Deus Pater per *Dominum miſerentem*, Deus Filius; per *Dominum pacificantem*, Deus Spiritus Sanctus ſignificatus fuit.

3. *Ex hymno Angelico*, Sanctus, Sanctus, Sanctus eſt Dominus Deus Zebaoth, Eſ. 6, 3. Ubi ter repetitur vox Sanctus, ad indigitandas tres perſonas Divinitatis Quomodo & vetus aliquis Rabbi, nomine Simon Ben Johai explicuit, Sanctus hic eſt Pater, ſanctus hic eſt Filius, ſanctus hic eſt Spiritus Sanctus. Quod cum verbo Dei congruit. Joh. 12. v. 38. ubi adſeritur, quod Eſaias gloriam Filii Dei viderit. Et Paulus de Spiritu Sancto idem exponit, Act. 28, 25.

Præcipue vero ſummum hoc myſterium è N. T. luculenter probari poteſt. Quod enim in V. T. obſcurum fuit, in novo clariſſimum eſt, unde illud nocti, hoc vero diei confertur, Rom. 13, 12.

Cum Chriſtus à Johanne baptizaretur, Spiritus S. ſuper eum viſus eſt, ſpecie columbæ, & vox de cœlo clamavit: Hic eſt filius

lius meus dilectus, in quo mihi complacui, Matth. 3. v. ult.

Hanc apparitionem pii Veteres tanti æſtimarunt, ut adverſarios ſuos ad Jordanem relegaverint, hiſce verbis: Ito ad Jordanem & videbis.

Sic in inſtitutione Baptiſmi omnes tres perſonæ nominetenus exprimuntur, ubi Chriſtus diſcipulos juſſit baptizare, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Matth. 28. v. 19. Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo. 1. Joh. 5. v. 7. 8.

Blaſphement itaque Judæi, deſpiciant Turci, derideant Ethnici, contradicant hæretici: hæc doctrina firmiſſimo nititur firmamento, & portæ inferorum non prævalebunt adverſus eam. Matt. 16. v. 18.

Nos ſumus Patris figmentum, Filii peculium, & Spiritus S. habitaculum; Quis ſeparabit nos à dilectione Dei? Rom. 8. v. 35. & ſeqq.

III. *Tanquam operator totius Univerſitatis.* Eò collineavit ſerpens æneus, quem Moſes juſſu Dei pro ſigno ponere juſſus eſt, cum Iſraelitæ à ſerpentibus ignitis afflicti eſſent, quem, quicunque percuſſi adſpexerunt, ſanati ſunt. Num. 21. 8. *Hoc typus Chriſti fuit.* ſerpens æneus enim non ſanavit ipſos, ſed ille, qui per ſerpentem æneum præfiguratus eſt. Sap. 16. v. 7. 8. Quod concordat, cum verbis Chriſti in Evangelio: Sicut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis. Antiquus enim ſerpens qui vocatur diabolus & ſatanas, Apoc. 12. v. 9. nos quoque morſu ſuo ad mortem uſque vulneraverat, ut à planta pedis uſque ad verticem non integrum quiddam in nobis eſſet, Eſa. 1. v. 6.

Quodſi igitur vulnera noſtra curari debuerunt; Chriſtus ſanator noſter propter nos vulnerandus fuit, ut livore ejuſdem ſanaremur, Eſa. 53, 5. Et vitam recuperaremus, quam in Adamo amiſeramus, 1. Cor. 15. v. 22. Ipſe enim erat ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, Heb. 7. v. 26. Sed noſtri cauſa fecit eum Deus peccatum, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo, 2 Cor 5. v. ult. Hinc præclare Auguſtinus: *O homo, inſpice vulnera Chriſti, in cruce pendentis, caput habet inclinatum ad oſculandum, cor apertum ad diligendum!* Ad hoc requiritur oculus bonus atque ſanus, qui eſt, *oculus fidei*, de quo cœleſtis ſponſus: Rapuiſti cor meum, ſoror mea ſponſa, in uno oculorum tuorum, Cant. 4. 9. Lucerna enim corporis, eſt oculus, Matth. 6, 22. Sic permagni refert, ut oculus fidei ſimplex & ſincerus ſit, ſi Chriſtum intueri, ejusque beneficiis frui velimus. *Non ſit fides hypocritica*, Deus enim corintuetur, 1 Sam. 16. v. 7. & agnoſcit omnem operam hominis, Eccleſ. 15. v. 20. unde non decipi poteſt ut homo, fraudulentiis, Job. 15. v. 10. *Non ſit fides mortua*; Non enim Deus Deus eſt mortuorum ſed viventium. Matt. 22, 32. Neque *fides dubitans*, homo enim qui hæſitat, nihil accipit, Jac. 1, 6. ſed *fides vera & ſalviſica*, qui vulnera Chriſti apprehendit, & cum Bernhardo dicit: *Turbabor, ſed non perturbabor, quia vulnerum Chriſti recordabor*, h. e. ut Eccleſia canit:

Torquebor à probris meis,
Cor conſcium dolebo:
Aſt ſint arenæ quot maris,
Peſſum tamen necibo;
Mortis recordabor tuæ,
Et vulnerum cum ſanguine,
Securus his latebo.

Mein

Digitized by Google

Mein Sünd mich werden kräncken ſehr/
Mein Gwiſſen wird mich nagen/
Denn ihr ſind viel wie Sand am Meer/
Doch wil ich nicht verzagen:
Gedenckn wil ich an deinen Tod/
HErr JEſu deine Wunden roth/
Die werden mich erhalten.

Agnoſcamus proinde beneficium hoc maximum, in quo tota SS. Trinitas concurrit. Deus Pater Filium ſuum mittit: Filius crucifigitur & occiditur, & Spiritus S. per miniſterium toti orbi id manifeſtat. Imò tantus fervor adeſt, ut tota SS. Trinitas certatim quaſi de nobis mereri operoſa ſit.

Naturâ inquinati eramus in ſanguine noſtro, Ezech. 16. v. 6. & eramus, miſeri & miſerabiles, & pauperes & cæci & nudi, Apoc. 3. v. 17. Sed omnes tres perſonæ SS. Triadis nos reſpexerunt, & beneficia quaſi ſua inter nos diſtribuerunt, ut reſtitueremur viciſſim.

Spiritus S. mundavit nos lavacro aquæ in verbo, Eph. 5. 26. ut nulla condemnatio ſit in iis, qui in Chriſto Jeſu ſunt, Rom. 8. v. 1.

Filius Dei nos ſanavit per vulnera ſua, Eſa. 53. v. 5. & induit veſtimentis ſalutis, & indumento juſtitiæ operuit, Eſa. 61. v. 10.

Deus Pater remunerat æterno bono, quod nobis Chriſtus, die noviſſimo daturus eſt, dicens: Venite benedicti patris mei. Matth. 25. v. 34.

O beatos nos! qui talem Dominum habemus, ſit ei laus & gloria in ſecula ſeculorum, Amen!

Dominica I. poſt Trinitatis.

Evangelium Luc. 16. v. 19. -- 31.

EXORDIUM.

DE Abſolone refertur, quod Eleganti cæſarie decoratus fuerit, quam quotannis ſemel tondi curaverit, & quidem ex neceſſitate, quia gravaverit eum. Ponderavit enim ducentis ſiclis, pondere regio. Sed quod ipſum coram mundo plurimùm ornavit, cauſa fuit exitii ſui. Sedens enim mulo, cum fuiſſet ingreſſus mulus, ſubter condenſam quercum & magnam, adhæſit caput ejus quercui, & illo ſuſpenſo, inter cœlum & terram, mulus, cui inſederat, pertranſivit. Tulitq; Joab tres lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſalom. 2. Sam. 14. v. 25. 26. 18. v. 9. & ſeqq.

Hâc in parte Abſolon *imago eſt omnium hominum mundanorum*, qui ſperant in incerto divitiarum, ſed non in Deo vivo, 1. Tim. 6. v. 17. Quemadmodum enim ipſâ ſuâ cæſarie ille ſuperbivit, quam anniverſariè ſemel duntaxat tondi curavit, non verò ſpontaneè: ſed neceſſitate ita flagitante, quia aliàs eum gravavit: ſic impii divites in eo maximam voluptatem quærunt, ſi cumulum divitiarum & pecuniæ corradant, & in poſſeſſione ejus adeò tenaces ſunt, ut vel toto anno, pauperibus ne crucianum quidem largiantur, niſi neceſſitatis telum eos urgeat, ut in morbum incidant, vel alio inſigni ſcelere, cujus ſtimulum in corde ſentiunt, urgeantur: tum fortè pauxillum in pauperes erogant, perſuaſi, ſe conſcientiam onere levaturos, & ſemel apud Deum expiaturos eſſe, quod per omnem vitam ſuam deliquerunt, perſiſtunt tamen in iniquitate ſua, in id intenti, quomodo decuplò recuperent, quicquid pauperibus fortè legarunt,

Digitized by Google

ut rectè dixerit B. Lutherus: Lieber Herr S. Martin/ Sie han dich leyden werth Sie opffern dir ein Pfennig/ und ſtehlen dir ein Pferd.

Ideoque idem ipſis accidit, quod Abſoloni, ut cum flava cæſarie, iniqui Mammonis, in quercu exitii pendeant, & abſumantur à terrore, Pſal 73 v.19.

Exemplum habemus in epulone divite, prælecti Evangelii, quem Deus multis divitiis cumulaverat, propterea quoq; criſtas ſuſtulit, ut non modò indutus fuerit, purpurâ & byſſo: ſed & quotidie ſplendidè epulatus. At mendico Lazaro, micas de menſa cadentes invidit: tandem verò & corpore & animâ Diaboli mancipium factus, abiit in locum tormentorum, ubi ne guttulâ quidem aquæ potiri potuit, quâ linguam ſuam refrigeraverit.

Nos abſq; ulteriori præloquio ad ipſum Evangelium conferemus nos, tractaturi pro inſtituti ratione, ex eodem:

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*

II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

NOn immeritò temporales divitiæ ſpinis à Servatore noſtro comparantur, Luc.8.v.14. Sicuti enim illæ quidem pulchrè florent, & non ingratum odorem de ſe ſpargunt: at amaros & acerbos fructus ferunt: Sic aurum & argentum jucundum quidem adſpectu eſt, ſed fructus inde enaſcentes, ſi cor iis apponatur, ſunt nil, niſi fel Draconum, & venenum aſpidum inſanabile, Deut.32.v.33.

Id dives epulo reipsâ expertus, qui per abuſum divitiarum, in æternum exitium præcipitatus eſt, ut præſens Evangelium demonſtrat.

Nos hinc *notitiam noſtri* diſcere p[...]mus, quando intuemur:

I. *Epulonis luxum*, quem oſtentavi[...]

1. *in amictu.* Etſi enim homo pri[...] erat, tamen habitu regio incedebat, [...] duebatur purpurâ & byſſo. Purpura [...] olim Regius ornatus fuit, nulli priva[...] citus. Ideò de ſummo Pontifice Si[...] refertur, quod Syriæ Rex Demetrius [...] miſerit, ut purpurâ & auro operir[...] quod aliàs ei non licuiſſet, 1. Macc[...] v.43.

Byſſus quoque linteum adeò p[...]ſum fuit, ut ab igne lædi minus pot[...] propterea moris erat, ut corpora R[...] defunctorum ipſi involverentur, q[...] more gentili exurebantur, ne cinis d[...]geretur, teſte Plinio Hodie ignotu[...]bis eſt, interca tamen hinc conſtare p[...] de luxu hujus viri, qui in ea perſua[...] fuit, ſibi, ut pecuniâ, inſtructo, om[...] corporis cultum licere, juxta tritum [...] Gut macht Muth/ Muth bringt [...]muth/ Ubermuth thut kein gut. In v[...] ne glorieris unquam, ait Siracides, c[...] v.4. Dominus enim contemtibiles re[...] elatos, & deſtruxit eos, uſq; in finem. S[...] verſ.16.

2. *In victu.* Quotidie enim λα[...]φαινόμενος, quo ipſo indicatur, quo[...] pro indigentia ederit & biberit, ſic[...] non peccaſſet. Pater tuus nunqui[...] comedit & bibit? Jerem.22.v.15. Se[...] voluptatem & delectationem ſuam [...]vit, ſicut de potentibus ad bibendu[...]num, & fortibus ad miſcendam ebrie[...] dicitur, quod manè conſurgant ad [...]tatem ſectandam, Eſa.5.v.11.12. Sic [...] dubio dives hic epulo nihil omiſit, [...] gaudium & lætitiam excitare po[...]

Digitized by Google

Hinc vox Epicureorum : Venite & fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creaturâ. Sap.2.v.6.9.

Hic velim examines te, mi Chriſtiane! annon in ſimili luxu quandoque vixeris, & Deum tuum offenderis?

Dives hic gurges, non ſaltem quinque, ſed plurimos fratres in mundo reliquit, qui veſtigiis ejus inſiſtentes, epicuream vitam continuant, ubi ille deſiit.

Quid vulgarius eſt, quàm veſtimentorum luxus? ubi ſingulis ferè menſibus novus habitus fingitur, nihilque decens habetur, niſi ad Gallicum morem formatum. Ut non modò propterea ludibrio ſimus exoticis nationibus: ſed & juſtam Dei pœnam nobis accerſamus, qui ut plurimùm gentes illas ad depopulandas regiones immittere ſolet, quorum ornamenta æmulati ſunt incolæ ejus. Quod & dilecta noſtra patria, ſuperiori bello ſatis ſuperque magno cum detrimento experta eſt, cujus veſtigia adhuc hodie viſuntur, ubi multi, qui nutriebantur in purpura, amplexati ſunt ſtercora, Thren.4. v.5. acceperuntque pro ſuavi odore fœtorem, & pro zona funiculum, & pro criſpante crine calvitium, & pro pallio cilicium, Eſa.3. verſ.24.

Fugiamus luxum hunc, & ſi decenti veſte inſtructi fuerimus, contenti ſimus, Nihil enim intulimus in hunc mundum: ſed & nec auferre quid poſſumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus, 1.Tim.6.v.7.

Quid ſunt ſerica & holoſerica? Nil niſi textura vermium. Quid ſchamlotium? Nil niſi pili Camelorum. Quid panni ſive pannificia? nil niſi lana ovium Quid varia linteamina? Nil niſi linum & cannabis, ex quibus contexuntur. Quid pretioſa pellicea? Nil niſi exuviæ ferarum. Nonne ſtultitia eſt his ſuperbire, in iisque gloriam quærere? cum omnia hæc dignitatem noſtram minimè æquent? quid bombycina, pili camelorum, lana ovium, lina & ferarum pelles nobis ornamenti conferre poſſunt? Gloriare potius, quod te Deus ad imaginem ſuam condiderit, & per Chriſtum renovaverit, hic optimus ornatus eſt, in quo gloriari, & dicere poſſumus: Gaudens gaudebo in Domino, quia induit me veſtimentis ſalutis, Eſa.61.v.10.

Sic quod *commeſſationes* attinet, itidem in hac mundi fece nihil familiarius eſt, quàm quod de Iſraëlitis dicitur: Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere, Exod.32.v.6.

Sic Bacchus & Venus ut plurimum conjuncti ſunt, quos comitantur choreæ, & variæ libidines, imprimis noctu, juxta Ovidium:

--Tenebræ minuunt, noxq; atra pudorem.

Genuini Chriſtiani videant, ut omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fiant, 1.Cor.14. verſ. ult. ſicuti enim comedere & bibere non prohibitum eſt, Eccleſ. 3. verſ. 13, ſic & tempus ſaltandi eſt, Eccleſ. 3, verſ. 4. verùm ſine judicio nihil faciendum. Sir. 33. v. 30. nec carnis cura ad deſideria, Roman.13. verſ. ult. Secus enim nil niſi væ ſequetur, Eſa. 5. verſ. 1.

II. *Tormentorum locum.* De epulone enim dicitur: Mortuus & ſepultus eſt in inferno. Elevans autem oculos ſuos cum eſſet in tormentis &c.

Hic finem & exitum audimus, gurgitis opulenti. Sine dubio ſepultura ejus honorificen-

rificentiſſimè inſtructa fuit, nihilq; eorum omiſſum, quæ ad pompam facere potuerunt. Nec dubitandum, quin & egregio eloquio & Epitaphio honoratus fuerit. Interea tamen anima in inferno & tormentis fuit, à Diabolis miſerè torta & vexata, ſicut in Græco duæ emphaticæ voculæ occurrunt, (βάσανος, & ὀδυνᾶσαι) quarum altera, carnificinam, quâ malefici torqueri ſolent, altera dolores parturientis ſignificat; ſicut igitur dolores hi exquiſitiſſimi ſunt, ſic colligere hinc poſſumus, in quanto cruciatu damnati in inferno verſentur, qui pœnas dabunt, interitum æternum, à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, 2. Theſſ. 1. v. 9. ἐν ὀδύνῃ ϗ συλλογισμῷ ἁμαρτημάτων, in cogitatione peccatorum ſuorum timidi, Sap. 4. v. ult.

Hic proba te, mi Chriſtiane! utrum ex animo infernum credas, & ejusdem ſedulò recorderis?

Ab exordio mundi, tam in eccleſia, quàm extra eandem reperti ſunt, qui fidei hunc articulum non magnoperè curarunt.

Anteſignanus horum fuit *Cain*, de quo Targum Hieroſolymitanum memorat, quòd cum fratre Abele collocutus, expreſsè dixerit: *Non eſt ſeculum aliud, nec merces bona pro juſtis, nec pœna pro impiis.*

Eandem cantilenam Epicuri de grege porci in hunc uſque diem perſonuerunt.

Fabula ſunt manes, ait Vates.

Et iterum:

Eſſe aliquos manes & ſubterranea regna,
Vix pueri credunt.

Ejuſmodi Epicuri etiam inter illos ſeſe offerunt, qui nomine Chriſtiano inſigniri volunt, qui eccleſiæ cœtum relinquunt, nedum ſacrâ cœnâ utuntur, quâ fidem roborare poſſint. Potius inſtar porcorum in diem viventes, ventrem Deum conſtituerunt, dicentes: Fortuitò nati ſumus, & poſt hoc erimus, quaſi non fuerimus; quoniam fumus afflatus eſt in naribus noſtris, ex Sap. 2. v. 2. 3.

Hi deteriores Judæis & Turcis ſunt, qui infernum & vitam æternam credunt, quamvis errores ſuos immiſceant.

Dives epulo, ultra mille ſexcentos annos jam comperit, cui antè fidem adhibere noluit, hoſpitium illud ſatis capax eſt, ut ſimiles ejusdem excipiat. Præparata eſt ab heri Tophet, funda & dilatata. Habitatio ejus ignis & ligna multa: flatus Domini, ſicut torrens ſulphuris, ſuccendens eam. Eſa. 30. v. ult.

Perpendite modò, in timore Domini, dilecti! quanta mutatio Epulonis hujus facta fuerit?

Hic habitavit in inſtructiſſimo Palatio; Sed poſt mortem anima ejus, à malis ſpiritibus abrepta fuit in abyſſum infernalem, ubi damnati, ſicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcit eos, in æternum. Pſal. 49. v. 15.

Hîc in quotidianis delitiis vixit: Sed poſt mortem venit in locum tormentorum, ubi quotidie quaſi excarnificatur, tantisque cruciatibus ſubjectus eſt, qui omnia mundi hujus tormenta longiſſimè ſuperant. Licet enim in hoc mundo dolores acerbiſſimi ſint, finem tamen tandem habent, nec ultra hominis vitam ſe extendunt: ſed ibi tormentorum finis non erit: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exſtinguetur, Eſa. 66. v. ult. nec habebunt requiem die ac nocte, Apoc. 14. v. 11.

Hîc injurgitavit ſe flore Liberi, & in abundantia vixit: ſed poſt mortem fame & ſiti

Digitized by Google

ſiti torquetur, in ſtagno, ardente igne & ſulphure, Apoc. 21. v. 8.

Hic indutus fuit purpurâ & byſſo, ſed poſt mortem ſedet in flamma infernali, quâ in æternum amictus erit, Matth. 25. verſ. 41.

Hîc aures obturavit ad preces Lazari, cui micas de menſa ſua cadentes denegavit: Poſt mortem pœna talionis ſequitur, neque enim guttulam aquæ impetrare poteſt, quâ linguam ſuam refrigerare poſſit.

Hoc qui æquâ animi lance perpendit, meritò exhorreſcere debet, æternitas enim ſine fine erit.

Leo dicitur aliquando convivium inſtruxiſſe, & omnia animalia invitaſſe, ubi omnes, qui apparuerunt, in antro ſuo dilaniavit, quod vulpecula animadvertens, introire noluit, cauſam leoni quærenti, reſpondit vulpecula:

----- Quia me veſtigia terrent
Omnia te adverſum ſpectantia, nulla retrorſum.

Idem ſpiritualiter & nos faciamus, & quando Diabolus, qui leo rugiens appellatur, 1. Petr. 5. v. 8. nos ad peccata, tanquam convivium invitat, ut cum eo converſationem habeamus: apprimè caveamus, ne ſeducamur ab eo: qui enim ſemel in infernum detruſus eſt, evadere nequit, quoniam conſignatus eſt, Sap. 2. v. 5.

----- Facilis deſcenſus averni eſt,
Sed revocare gradus, ſuperaſque evadere ad auras,
Hic opus, hic labor eſt.

Identidem proinde recordemur inferni: *Gehennæ enim meminiſſe, non ſinit in gehennam incidere*, juxta Chryſoſtomum. Nec minus ſuſpiremus cum Eccleſia:

O Chriſte, Servator bone,
Qui natus es ex virgine,
Averte nobis orcum!
Ey du ſüſſer JEſu Chriſt/
Der du Menſch gebohren biſt/
Behüt uns für der Hölle.

III. *Moſis & Prophetarum uſum.* Dum enim dives heluo petit, ut Abraham mittat Lazarum in domum Patris ſui, ut teſtetur quinque fratribus ſuis, ne & ipſi veniant in locum hunc tormentorum; reſpondet Abraham: Habent Moſen & Prophetas, audiant illos.

Per Moſen & Prophetas, ſcripta eorum, quæ reliquerunt, intelliguntur. Moſes enim & Prophetæ mortui ſunt, Joh. 8. v. 52. ſed ſcripta eorum adhuc habemus, quibus benefacimus, attendentes, 2. Petr. 1. v. 19. Scrutamini ſcripturas, inquit Servator, Joh. 5. verſ. 39.

Hic te ipſum in examen voca, utrum Moſen & Prophetas ſedulò audiveris?

Eum in finem Moſes & Prophetæ, ut & Apoſtoli & Evangeliſtæ adhuc hodie publicè prædicantur in eccleſia, ut illi fideliter audiantur, & in corde bono conſerventur. Cuſtodi pedem tuum, ingrediens domum Dei, & appropinqua, ut audias, Eccl. 4. v. 17. Ibi enim loquitur Moſes, loquuntur Prophetæ, imò Chriſtus ipſe, in hunc diem, quando Paſtores nihil extrà dicunt, quam ea, quæ Prophetæ locuti ſunt, futura eſſe, & Moſes, Act. 26. v. 22. Qui itaque ex Deo eſt, verbum Dei audit, Joh. 8. v. 51.

Sed idem ſæpe hodie accidit, quod Athenis, ubi Stratonicus, in ſchola ſua præter diſcipulos duos non habebat: Sive, ſicut à Poëta Clario unus poſt alterum ſe ſubducebat, cum librum ſuum lecturus eſſet, ut præter Platonem nemo remaneret.

Digitized by Google

SicquandoMoſes&Prophetæ inEccleſia ſonant,devotio fere omnis ceſſat. Nonnulli plane non veniunt, ut ingrati hoſpites in Evangelio, Luc.14,18. ſpernentes conſilium Dei adverſus ſemetipſos. Luc.7,30.

Nonnulli accedunt quidem, ſed ſomno indulgent, ne audiant Moſen, ſicut Eutych. Act.20.v.9.

Alii inter conciones fabulantur, perſuadentes ſibi, ſe dudum ad unguem tenere, quod inculcatur, de quibus tamen illud Pauli dici poteſt, Heb.5.v.12.

Alii non diſcendi, ſed calumniandi gratia accedunt, Pſal.41.v.7. Moſes & Prophetæ ſeveriores ſunt, quam ut delicatuli audiant, loqui ſibi volunt placentia, Eſa.30.v.10. non quomodo pœnitentiam agere, ſed vinum bibere debeant. Mich.2 v.11.

Hi ſunt quinque illi fratres helluonis divitis, qui Moſen & Prophetas ſusque deque habent, propterea nec evaſuri ſunt æternum exitium, in revelatione Domini de cœlo.2.Theſſ.1.v.8.

Olim Joatham ſtetit in vertice montis Garizim, elevataque voce clamavit: Audite me optimates Sichem, ita, ut audiat vos Dominus, Jud.9.v.7. Sic & Eccleſiæ miniſtri vocem ſuam quaſi tubam exaltant, Eſa.58.v.1. Qui itaque illos audiet, eos Dominus viciſſim auditurus eſt, Eſa.1,20. Qui proinde Deum in cœlo benevolum habere cupit, templum ſedulo frequentet, oportet, ubi loquitur ad nos per miniſtros ſuos, Luc.10,16. ibi habet officinam ſuam, in qua velut aurifaber ſedet, & purgat filios Levi, Mal.3,3. Ibi ignem & caminum habet, Eſa.31.v.9. Ibi ipſe præſens, diſtribuit gratiæ dona, juſtitiam, & pacem, & gaudium in Spiritu S. Rom.14 v.17. Ibi invenitur cœleſtis ſapientia, deſiderabilis, ſuper aurum, & aurum obrizum, Pſal.19,11. melior margaritis, Prov. 8,11. Quæ omnia illi amittunt, qui tantum verbum audiunt, non vero faciunt. Deus enim non irridetur. Gal.6 v.7.

De Secundo.

TRanſibimus nunc ad *alteram partem*, χρισογνωσίαν ſive *notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti*, contemplaturi. Proponitur ille nobis in Evangelio hoc noſtro:

I. *Tanquam æternitatis revelator.* Hanc nobis revelavit in exemplis divitis Epulonis, & pauperis Lazari.

In hoc mundo ſunt juſti, quibus mala proveniunt, quaſi opera egiſſent impiorum: & ſunt impii, quibus talia eveniunt, quaſi juſtorum facta habeant, Eccleſ.8.v.14.

Lazarus erat vir probus, qui Deum timebat. Sed qualis ejus fortuna? Erat

1. *Egenus*, ad egeſtatis terminos redactus, jacebat enim ad januam divitis, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis. Idem multos adhuc fratres habet, qui cantilenam hanc canere coguntur, usque in hanc horam, & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, 1.Cor.4.v.11.

2. *Abjectus*, pauper enim ubique jacet, à paupere & hi, quos habuit, ſeparantur, Prov 19.v.4. Pauperi dicitur: ſede ſub ſcabello pedum meorum, Jac.2. v. 5. Id evenit Lazaro, & hodie omnibus iis, qui in miſeria vivunt. Sir.13.v.29.

3. *Ulceroſus*, ſive, ut Prophetæ verba mea faciam, à planta pedis usque ad verticem, non erat in eo integrum quiddam, Eſa.1,6. Veri Chriſtiani etiam ulcera ſua habent, qua-

Digitized by Google

quales ſunt hæretici, & filii Belial, qui animas juſtas iniquis operibus cruciant, 2. Pet. 2, 8. ut multum iis ſit, ſic habitare cum his, qui oderunt pacem, Pſal. 120. v. ult.

Sed *permutatio* facta eſt *feliciſſima*. Ante carebat proprio domicilio, & jacebat ad januam divitis, inſtar canis. Sed poſt mortem in domum Patris cœleſtis ſuſceptus, omnium laborum refrigerium impetravit. Joh. 14. v. 2.

Antea nemo erat, qui ejus rationem haberet: at poſt obitum Angeli animam ſuſcipiunt, imo ipſe Abraham verba pro eo facit. Qui enim Deum amicum habet, poteſt quidem perſecutione in mundo premi, ſed non derelinquitur, 2. Cor. 4. v. 9. Deus enim amat animam ejus, ut non pereat. Eſa. 38. v. 17.

Antea vix tot pannis inſtruđus erat, quibus pudenda contegere valeret. Sed poſt mortem indutus eſt veſte incorruptibilitatis, 1. Cor. 15. v. 53. & coopertus byſſino ſplendenti & candido, quæ ſunt juſtificationes Sanctorum, Apoc. 19. v. 8.

Antea fames, obſonium ejus erat, nec poterat potiri micis, quæ de menſa divitis cadebant: Verum poſt mortem, cum Jeſus ad menſam cœleſtem perduxit, ubi inebriatus eſt pinguedine domus ejus. Pſal. 36, 9. Eſa. 69. v. 31.

Antea doloribus macerabatur, propter ulcera, quibus ſcatebat: at poſt obitum dies miſeriarum ejus completi ſunt, Eſa. 60, 20. In loco, ubi non auditur ultra vox fletus, & vox clamoris, Eſa. 65. v. 19. ſed abundantia gaudiorum, Pſal. 16. v. ult.

Ex adverſo dives helluo, qui in hoc mundo quotidie ſplendide & in voluptate vixit, peſſimum exitum habuit, & corpore & anima Diabolo mancipatus eſt, ubi abſque fine torquetur, & morte depaſcitur, Pſal. 49 v. 15.

Cuſtodiamus proinde animam noſtram in patientia, æquo animo ſuſtinentes, quæ Deus nobis immittit, quia non condignæ ſunt omnes paſſiones, Rom. 8. v. 18.

Hinc Eccleſia:

Quamvis hîc ægritudo,
Mî perferenda ſit:
Ut indies delinquo,
Æternitas venit.
Eſt plena gaudiis,
Hanc terminandam nunquam,
Dum Chriſtum Jeſum cernam,
Expecto cum piis.

Ob ich allhie ſchon dulde/
Viel Widerwertigkeit:
Wie ich auch wohl verſchulde/
Bleibt doch die Seligkeit.
Iſt aller Freuden voll/
Dieſelb ohn einigs Ende/
Dieweil ich Chriſtum kenne/
Mir wiederfahren ſoll.

II. *Tanquam piorum nomenclator*. Dives Epulo, citra dubium coram mundo in magna authoritate fuit, multi eum laudarunt, & ſuſpexerunt, ſed Dominus indignum reputat, quem nomine appellet. Memoria enim impii perit de terra, Job. 18. v. 17. Lazarum vero amicum ſuum, Chriſtus nominetenus exprimit. Firmum enim fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc. Cognovit Dominus, qui ſunt ejus. 2. Tim. 2. verſ. 19.

De ſummo Pontifice Aarone memoratur, quod nomina filiorũ Iſrael portaverit in

Digitized by Google

pectorali, coram Domino in recordationem, Exod. 28. v. 9. 12.

Chriſtus verus Pontifex N. T. eſt, qui nomina fidelium ſuorum non modò in pectorali, ſed in corde portat, ut nunquam eorum oblivisci poſſit. Eſa. 49. v. 14. ſeqq.

Tempore Eliæ Prophetæ verè fidelium exiguus erat numerus, ut etiam ipſe Propheta, ſe ſolum ſuperſtitem eſſe, cenſeret. Sed Deus omnes in libro ſuo conſignaverat, exactè ſciens, quot eorum eſſent, ideò dicit ad Eliam: Reliqui mihi in Iſraël ſeptem millia omnium, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal, 1. Reg. 19. v. 18.

Sic adhuc hodie gratia & miſericordia eſt in ſanctis ejus, & inſpectio in electis ejus, Sap. 3. v. 9. omnes ſcripti ſunt in libro monumenti coram eo, Mal. 3. v. 16. ponit eos, quaſi annulum ſignatorium, Hag. 2. v. ult.

Quid dixit Deus ad Moſen? Teipſum novi ex nomine, Exod. 33. v. 17. Et Jeremiæ ait: Priuſquam te formarem in utero, novi te, Jer. 1. v. 5. Hoc quilibet ſibi applicare, nec dubitare debet, licet ab omnibus ſit ſpretus & derelictus, quin Deus ſe noſcat, & nomen ſuum in cœlis ſcriptum ſit, Luc. 10. v. 20.

Ah dilecti! nos ſumus genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, 1. Petr. 2. v. 9. tales nos Chriſtus ſanguine ſuo conſecravit, ideò ulterius manu ſua nos ſuſtentabit, nec portæ inferorum prævaleant adverſus nos, Matth. 16. v. 18. Ipſe ſiquidem ait: Oves meæ vocem meam audiunt Joh. 10. v. 27. 29.

III. *Tanquam animarum procurator.* Hic audimus, quod Angelos ablegct, ut animam Lazari, quamprimùm corpore ſoluta eſt, deportent in ſinum Abrahæ.

Duplex ſolatium, in his verbis continetur, quod omnibus piis altâ mente reponendum eſt.

Lazarus beatam permutationem ſubiit, quod conſtat,

1. *Ex angelorum ſervitio.* Non enim ſaltem ceu apparitores animæ adſiſtunt, ſed *portant* quoque eandem, ut Chriſtus hic meminit. Hoc ingens beneficium eſt, quo adhuc hodie veri Chriſtiani fruuntur.

Patriarcha Jacobus, patriam repetiturus, videbat duo caſtra Angelorum, qui ipſi præſidio erant, ne læderetur à fratre Eſau, Gen. 32. v. 1. 2.

Quid aliud pii Chriſtiani faciunt, quando placidè in Domino moriuntur, quàm quod iter ſuſcipiant in patriam cœleſtem, quod & feliciter abſolvere poſſunt, quia Angelos cuſtodes habent, qui caſtra metuntur circa illos. Pſalm. 34. v. 8. Hebr. 1. v. ult.

De impiorum anima dicit Abigail, quod rotabitur, quaſi in impetu & circulo fundæ, 1. Sam. 25. v. 29.

At pii Chriſtiani hoc ſolatio gaudeant, quòd poſt mortem animæ ſuæ ab angelis exceptæ, placidè *portandæ* ſint, ſicut mater infantem in ulnis gerit, ne incommodo afficiatur. Marc. 10. v. 13.

Mardochai magno honori fuit, quando Ahaſverus eum equitare fecit in equo ſuo, & coram eo clamare: Sic fiet viro, quem Rex volet honorare, Eſther 6. v. 11.

Sed multò honorificentius eſt, quod Angeli piorum animas corporibus exutas, portant in domum æternitatis, ubi communionem habent cum patre & filio. 1. Joh. 1. verſ. 3.

2. *Ex*

Digitized by Google

2. *Ex dulci hoſpitio.* Lata enim ab Angelis eſt, in *ſinum Abraha.*

Sinus Abrahæ, nihil aliud eſt, quam vita æterna, Joh.3.v.16. regnum Dei, Matth.6. v.73. Cœleſtis Hieruſalem, Apoc.21.v.2. Paradiſus, in quem latro ante deſcenſum Chriſti ad inferos adſumtus eſt, Luc.23,43.

Vocatur autem *ſinus*, & quidem *ſinus Abraha*:

1. *Ratione ſecuritatis.* Quando matercula infantem in ſinu habet, facile à periculo immunis eſt.

Multo ſecuriori quiete fruuntur beatorum animæ, in ſinu Abrahæ.

Matri illi, in Sunem filiolus in ſinu exſpiravit, 2. Reg.4.v.20.

Simſon in Delilæ ſinu recubuit, ſed hoc ipſo Philiſtinis proditus eſt, Jud. 4. v. 20.

Huic periculo in ſinu Abrahæ requieſcentes ſubjecti non ſunt, ibi enim mors non amplius erit, Apoc.21,4. nec ullus hoſtis eo irrumpere poterit, ſedebimus enim ibi in habitatione pacis, Eſa.32.v.18.

Portus marinus, in quem naves exantlata tempeſtate appellunt, etiam ſinus apppellatur: Sic pii, quando beate in Domino obeunt, perveniunt in portum ſecuritatis & quietis, & ovantes dicere poſſunt: Bonum certamen certavi, 2.Tim.4.v.7.8.

2. *Ratione jucunditatis.* Quando puerulus currendo defeſſus eſt, vel infirmius ſe habet à matre in ſinu reponitur, & poſt abſterſas lacrymas voluptate afficitur.

Sic & animæ juſtorum in ſinu Abrahæ requiem & refectionem invenient. Dominus enim conſolabitur eos, velut mater, Eſa. 66. v.13. & abſterget omnem lacrymam ab oculis eorum, Apoc.7,17.

3. *Ratione felicitatis.* Patriarchæ Abrahamo promiſſio Meſſiæ facta fuit, huic fidem adhibuit, & imputatum ei eſt ad juſtitiam, Gen. 15, 6.

Quicunque itaque Chriſtum vera fide apprehendit, ſicut Abraham, venit in ſinum ejus, h.e. in eandem gloriam & gaudium, in quo Abraham vivit, ideo dicitur in numero multitudinis, ἐν τοῖς κόλποις, quia ſinus hic non modo pro Abrahamo: ſed & omnibus iis paratus eſt, qui aliquando recumbent cum Abraham in regno cœlorum, Mat.8,11.

Transferat nos Deus in ſinum hunc, per filium ſuum JEſum, & redemtorem noſtrum, Amen.

* * *

Dominica II. poſt Trinitatis.

Evangelium Luc.14. v.16.--- 24.

EXORDIUM.

POſtquam ſupremum Numen Iſraelitas ex Ægypto in deſertum Arabicum duxerat, iisque panis deeſſet, pluebat Dominus panes de cœlo, qui vocabantur Manna, & panis Angelorum. Illi autem hujus cibi pertæſi, dicebant: Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis & in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, porrique & cepe, & allia, & anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, niſi Man. Propterea quoque proſtrati ſunt in deſerto, ut nemo, niſi Joſua & Caleb, Palæſtinam ingreſſus fuerit, Exod.16. Nũ.11,4.

Hæc Hiſtoria ſatis congrue ad hodiernum Evangelium applicari poteſt.

1. *Ratione ſuaviſſimæ cibationis*, qua Deus

Digitized by Google

populum ſuum in deſerto ſuſtentavit, dabat enim iis Man, quod erat quaſi ſemen Coriandri, album, guſtusque ejus quaſi ſimilæ cum melle, Exod. 16. v. 31. omne delectamentum in ſe habens, & omnis ſaporis ſuavitatem, Sap. 16, 20. idcirco panis Angelorum, Pſ. 78. v. 26 & eſca angelorum, Sap. 16. v. 20. appellatur, ſive quòd ab Angelis paratus fuerit, ſive ratione ſuavitatis, ut etiam Angeli eo delectarentur, ſi cibi & potûs indigerent.

Pari modo in prælecto Evangelio audimus, de magna cœna, quam Deus cœleſtis Pater Eccleſiæ ſuæ in his terris apparavit, in qua non Manna Iſraelitarum: ſed panis vitæ proponitur, de quo ipſe Chriſtus, Joh. 16. v. 4. & ſeqq.

2. *Ratione malitioſæ repudiationis.* Iſraelitæ cogitabant, ſi carnes, cucumeres & pepones, porrum & cepe & allia, loco Manna haberent, quibus in Ægypto adſueti fuerant, ſe hæc libentius eſſe eſuros, quam Manna, propterea quoque vocarunt cibum leviſſimum: Idem evenit filiis hujus ſeculi, quando à patre cœleſti ad magnam ſuam cœnam invitantur, ut ſemper carnes Ægyptiacas reſpiciant, & in concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ in mundo ſunt, vivere, 1. Joh. 2, 16. quam in Domino delectari. Pſal. 37. v. 4. & bonum *Dei* verbum guſtare, malint. Hebr. 6. v. 5. quod tamen dulcius eſt ſuper mel & favum, Pſal. 19. v. 11. & potentia Dei ad ſalutem. Rom. 1. v. 16.

3. *Ratione divinæ indignationis.* Furor enim Domini concitatus in populum, percuſſit eum plaga magna nimis, accenſus in eos ignis Domini devoravit extremam caſtrorum partem. Num. 11. v. 13. Reliquis moriendum erat in Ægypto, ut ex omnibus, qui Ægypto egreſſi erant, nemo niſi Joſua & Caleb, Palæſtinam ingrederentur. Sic audimus in Evangelio, quod Deus iram ſuam velut ignem ſuccendat, & contemtoribus cœnæ ſuæ omnem gratiam deneget, quod nemo virorum iſtorum qui vocati ſunt, guſtaturus ſit cœnam ſuam. Sir. 3. v. 7.

Nos methodo noſtræ inhærentes, ad prælectum Evangelium nos accingemus ex eodem meditaturi.

I. Ανθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

DOmine, magna eſt ſuper cœlos miſericordia tua. & usque ad nubes veritas tua, ait Regius Pſaltes, Pſ. 108. v. 5. Qualis hæc miſericordia ſit, in prælecto Evangelio audimus, ſub parabola de cœna magna, quam Pater coeleſtis initio duntaxat pro Judæis paraverat: quia vero illi venire noluerunt, emiſit ſervos ſuos, ut pauperes ac debiles, & cœcos & claudos introducerent. *Hi erant Ethnici*, qui alienati erant à rep. Iſrael, Eph. 2. v. 12. ſed quaſi ad ſepes jacebant, & in viis errabant, ſine Chriſto & ſine Deo, Eph. 2. v. 12.

Vtraque magna eſt miſericordia, quæ uſq; ad coelos pertingit, Deus enim nemini quicquam debet, ſed quicquid facit in Judæis & Ethnicis, id omne ex mera miſer cordia facit. Gratia ſalvati eſtis. Eph. 2. v. 8.

Virumq; teſtimonium firmiſſimum eſt veritatis ejusdem. Promiſit enim, ſe omnibus populis facturum eſſe convivium pinguium Eſa. 25, 6. Hoc & præſtitit, ad idemq; Judæos & Ethnicos invitari fecit. Judæo: per electum ſuum ſervum Meſſiam, qui ipſe

ipſe dicit, ſe non miſſum, niſi ad perditas oves domus Iſrael, Matth.15,2. Ethnicos vero miniſterio Apoſtolorum, qui euntes in mundum univerſum, Evangelium omni creaturæ prædicaverunt, Marc.16,15. Sicut igitur de Judæis dictum: ſic non fecit omni nationi. Pſal.147.v.20. Ita ſimiliter de Ethnicis dici poteſt: ſic non fecit Judæis qui fracti ſunt, propter incredulitatem. Rom.11. v. 20. Ethnici vero ſunt genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, 1.Pet.2,9.

Nos hinc anſam capimus ad *Notitiam noſtri* perdiſcendam, quando intuemur:

1. *Cœnæ magnificentiam*; nam homo quidam fecit coenam magnam. Hoc parabolice intelligendum eſt de Deo, patre coeleſti, Deus enim ratione eſſentiæ ſuæ ſpiritus eſt, Joh.4.v.24. ſpiritus vero carnem & oſſa non habet, veluti homines, Luc. 24,39. Ideo ipſe ait: Deus ego & non homo, Oſe. 11.v.9. Sed introducitur hic ſub imagine hominis, ad indicandam humanitatem ejus, cujus delitiæ cum filiis hominum, Prov.8 31. Jer.32.v.41.

De hoc φιλανθρώπῳ ait Chriſtus, quod coenam magnam paraverit, quæ eſt coena gratiæ, ſive concio Evangelii, in qua nobis coeleſtes theſauri & bona, quæ Chriſtus perfecta obedientia ſua acquiſivit, & peperit, exhibentur, offeruntur, & donantur. Et quidem coena vocatur, quia proxime ante finem mundi, & ita tempore ultimo parata eſt, 1.Cor.10,11.1.Joh.2.v.18.

Quemadmodum itaque mercenarius, qui diei pondus & æſtum portavit Matt.20. v.12. deſideranter coenam anhelat, eaque ſumta vires proſtratas recolligit: ſic etiam ſuaviſſima Evangelii concio, corda noſtra delaſſata reficit, ut mutemus virtutem, Eſa. 40. v.ult. eaque ad ſalutem conſervemur. Rom.1. v.16.

Deinde etiam *cœna magna* vocatur, cum *ratione autoris*, cujus fortitudo, robur & virtus tanta, ut neque unum deficiat, Eſa. 40. v. 26. tum *ratione ſeculorum*, ibi enim exhibetur nobis gratia Dei, meritum Chriſti, remiſſio peccatorum, juſtitia, quæ coram Deo valet, uno verbo: Chriſtus ipſe, magnus ille propheta, Luc.7.v.16. qui nos à peccatis, morte, diabolo & inferno redemit, & ſic magnificavit facere nobiſcum, Pſal. 126,3. præterea etiam *ratione invitatorum*, neque enim ſaltem inſtructa eſt pro electis: ſed pro omnibus hominibus, 1.Timoth. 2. v.4.

Hic examina te, an inſignem hanc Dei gratiam, quam hac in parte univerſo generi humano exhibuit, recte ad animum tibi unquam revocaveris, & Deo gratias egeris?

Quando alias hoſpes quidam à Viro primario invitatur, magno id ſibi honori ducit, & ex hoc ipſo benevolentiam ejus in ſe colligit, uti in Haman cernere eſt, Eſther. 5. v. 12.

Sic nos multo magis lætitia exultemus, quod Deus nos homunciones adeo dignatus ad coenam ſuam invitare voluerit. Hamano epulæ Regiæ exitio fuerunt, utpote qui juſſu Ahaſveri ſuſpenſus eſt, Eſther.7. v.9. Nos vero in coena hac, quam Deus nobis paravit, non mortem ſed vitam comedere debemus, & prægustum accipere, coeleſtis illius convivii, quod cum Abraham, Iſaac, & Jacob in coelo celebrabimus. Matt. 8.v.11. Ibi enim inebriabimur pinguedine domus Dei, Pſal.36.v.9. comedentes quoque ſaturabimur. Eſa.65.v.13.

In

In hoc mundo inſtituuntur quandoq;

1. *Convivia vulpina* ſic Phariſæi Chriſtum invitatum obſervarunt, Luc. 14, 1. Saul Davidem haſta configere voluit, 1. Sam. 18, 11. Eodem modo ipſe David Uriam invitavit. 2. Sam. 12, 12. Hoc ſcriptura nominat panem mendacii, Prov. 23. v. 3.

Ejuſmodi cœna hæc non eſt, de qua Chriſtus in Evangelio verba facit. Quamvis enim ſunt, qui Deum accuſant, quod quidem omnes homines voluntate ſigni ad hanc cœnam invitet: quos voluntate beneplaciti repudiet: attamen exploratum nobis eſt, Deum optimum ejus modi hypocritam non eſſe, ſed ut omnes invitari curat, ſic etiam omnes ſalute frui vult. Ezech. 33. v. 11.

2. *Convivia canina*, quæ ideo inſtituuntur, ut anſa ſit, huic vel illi quicquam exprobrandi, quæ propterea plerumque rixis & altercationibus miſcentur. Sicuti autem tœdioſum eſt, quando canes ſub menſa murmure & demum morſibus congrediuntur: ſic & indecens eſt, ſi familiares, qui in bona caritate congregati ſunt, invicem altercentur. Ubi zelus & contentio, ibi confuſio, καὶ πᾶν φαῦλον πρᾶγμα. Jacob. 3. v. 16.

Talis hæc cœna quoque non eſt. Dominus enim, qui illam apparavit, eſt Deus pacis, 1. Cor. 14, 33. & vult etiam, ut inquiramus pacem, & perſequamur eam, Pſal. 34. v. 15. Contra vero minatur contentioſis, indignationem, tribulationem & anguſtias, Rom. 2.

3. *Convivia lupina*, ubi alter alterum trucidat. Tale convivium inſtruxit Abſolon, 2. Sam 13. v. 28. item Ptolomæus, 1. Macc. 16. v. 15.

Neque talis hæc cœna eſt, de qua Chriſtus hic loquitur. Deus enim non delectatur in perditionibus noſtris, Tob. 3, 22. Sed ſicut eſt φιλόψυχος, Sap. 11. v. 17. Sic etiam filium ſuum ideo in mundum miſit, ut omnis qui credit in eum, non pereat: ſed habeat vitam æternam Joh. 3. v. 16. & ſeqq.

Hæc maxima Dei gratia eſt, quam Deus nobis exhibuit, ideo gratias eidem agentes dicamus cum Davide: Benedic anima mea Domino. Pſal. 103. v. 2. & ſeqq.

Cum Pompejus II. C. Principem convivam ſibi feciſſet, vinum centum & ſexaginta annorum ei propinabat, teſte Plinio.

Vinum, quod in cœna hac præſentatur, multo antiquius eſt, agnus enim occiſus eſt, ab origine mundi. Apoc. 13 v. 18. Propterea Patriarchæ & alii Fideles V. T. non ſanguine hircorum aut vitulorum: ſed per ſanguinem uvæ, in quo Meſſias ſtolam ſuam lavavit, Gen. 49. v. 11. ſalvati ſunt. Et nos quoque eodem modo ſalvamur, Act. 15. v. 11. Huic enim omnes Prophetæ teſtimonium perhibent. Act. 10. v. 43.

II. *Servorum diligentiam.* In Evangelio quidem in ſingulari de uno ſaltem ſervo dicitur, qui eſt Meſſias, juſtus Dei ſervus, Eſa. 53. v. 11. Sed Apoſtoli ejus non excluſi ſunt, quos ipſe ablegavit, ut invitatis, h. e. Judæis, quos Deus de cunctis gentibus in populum ſibi peculiarem elegerat, Deut. 7. v. 6. dicerent: Venite, omnia parata ſunt. Hoc quoque omni ſtudio fecerunt. Vos eſtis filii Prophetarum, & teſtamenti, quod diſpoſuit Deus ad patres noſtros, ait S. Petrus, Act. 2. v. 25. 26.

Quia vero *invitati venire noluerunt*, ad Ethnicos ſe converterunt, & loco Judæorum invitarunt, quoſcunque offenderunt. Hoc poſt aſcenſionem Chriſti in cœlos demum factum eſt, ubi Dominus juſſit doceri & baptizari omnes gentes, Matth. 28. v. 19.

Præ-

Digitized by Google

Præcipuè verò hîc obſervandum venit, quod emiſſus ſervus invitatos non excuſet, ut illi petierant, ſed referat Domino rem, ſicuti ſe habebat. Hoc in ipſo laudandum eſt. Id enim requiritur in diſpenſatoribus, ut fidelis quis inveniatur, 1.Cor.4.v.2.

Hic quilibet ſeipſum inſpiciat, an pari modo, in functione ſibi à Deo commiſſa fidelis ſemper fuerit?

Sanè multi occurrunt diſſimulantes & excuſantes in omnibus ſtatibus. Nos omnes & ſinguli ſervi Dei ſumus, ideò creati, & à Chriſto redemti, ut ſerviamus illi in ſanctitate & juſtitiâ coram ipſo. Luc. cap.1.verſ.75. Sed quomodo gerimus nos? Experientia proh dolor! teſtatur, quod in omnibus ſtatibus defectus occurrant. Princeps poſtulat, & judex propter redditionem. Mich.7.v.3.

In ſtatu quoque Eccleſiaſtico ſæpe connivetur, præſertim in concionibus funebribus, ubi ſæpe laudibus ad cœlum defuncti extolluntur. Cum tamen omnes ſimus peccatores, deſtituti gloriâ. Rom. 3. v. 23.

Neque peccata debito zelo reprehenduntur, ne offenſionem unius vel alterius incurrant, cum tamen Deus ſanguinem de manu Paſtorum requirere velit. Ezech.3,18.

In communi vitâ quoque nemo non eſt, quin peccata ſua extenuet, hâc perſuaſione, Deum non omnia ad rigorem exacturum eſſe.

Sed noli tibi aſſentarier! Deus enim, cui ſervimus, fortis Deus zelotes eſt. Exod. c.20.v.5. nec irridetur. Gal.6.v.7. Proptereà ne ſis inobediens timori Domini, & ne acceſſeris ipſum duplici corde. Sir. 1. v. 35. non enim decipietur, ut homo, Hiob. 13. v.9.

Scivit Eliſa, quid famulus Gehaſi clam ſe cum duce Syriæ Naëman egerit. 2.Reg.5. v.26. Quomodo Dominum quicquam fugeret, qui cordium ſcrutator eſt? 1.Reg. c.8.v.39. & quæ nondum facta ſunt, novit, Eſa.46.v.10. propterea nemo excuſationem de peccato ſuo habebit. Joh. 15, 22.

III. *Hoſpitum negligentiam*, qui cœperunt omnes ſimul excuſare. Primus dixit: Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre eam. Rogo te, habe me excuſatum. Et alter dixit: Juga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excuſatum. Et alius dixit: Uxorem duxi, & ideò non poſſum venire. Hic tres ordines hominum habemus, qui cœnæ mannæ valedixerunt. Judæi probè noverant, quod cum Jeſu Nazareno non multum lucrari poſſent. Ipſe enim non habebat, ubi caput ſuum reclinaret, Matth.8.v.20. Ideò non ferebat conditio illorum, ut doctrinæ ipſius aſſentirentur, & hoc ipſo Romanis anſam belli ſuppeditarent, quia jam tum metuebant, ne Romani venirent, & tollerent locum & gentem, ſi Jeſum Nazarenum ſic mitterent, Joh. c.11.v.48.

Hic velim probes te, annon terrena negotia, ſive facetiæ, aut carnales voluptates, te à magnâ Cœnâ abſtraxerint?

Adhuc hodie fieri amat, ut homines varias excuſationes prætendant, quando in Dei cultu obeundo negligentes ſunt.

Hic dicit, Deus multos agros, hortos, & vineas mihi largitus eſt, quorum rationem habere expedit, ut juſto tempore colantur. Quomodo concioni ſemper intereſſe poſſem? Tempus eſt plantandi, Eccl.3.v.3. quod ſi negligatur, res deſperata eſt, & idem evenit, quod agro hominis pigri, & vineæ viri ſtulti, Prov.24.v.31.32.

Alter eſt mercator, qui emendo & ven-

dendo occupatus eſt, hic per totum annum nundinas frequentandas, prætendit, quod quia vocatio ſua ita exigat, non ſe concionibus ſemper vacare poſſe, affirmat, nî naufragium victûs facere velit.

Tertius, ſe uxorem duxiſſe, ait, quam cum liberis alere teneatur, quodſi cœlebs viveret, ſe templum multò diligentius inviſere poſſe, nec dubitat, quin ratione domeſticorum ſuſtentandorum, ſatis excuſatus habere poſſit, juxta illud Pauli, 1. Tim. 5. v. 8.

Hoc quidem coram mundo ſpeciem quandam habet, utrum verò ejusmodi homo coram tribunali Chriſti calvis hisce excuſationibus, conſiſtere poſſit, cum irreparabili ſuo damno experietur. Quærite primum regnum Dei, ait Chriſtus, Matth. 6. v. 33. Hæc regula limitari nequit. Anima præſtat corpore, & æterna temporalibus, ita præcipua noſtra cura ſit, ut animæ conſulamus, & vitam æternam impetremus. Divitiæ & opes in mundo manent. At bona æterna animam comitantur, qui his ſtudet, optimam partem elegit, quæ non auferetur à nobis, Luc 10. v. ult.

Nemo neſcit, quod in templo non ſemper verſari poſſimus, ideoque Deus ſeptimum diem ſanctificandum ordinavit, ut cultui ſuo ille conſecretur. Exod. 20. v. 8. 9.

Proindè fidelis Chriſtianus ante omnia Sabbathum ſanctificare, & illo ipſo cultui divino vacare diſcat. Diebus verò profeſtis mechanici, & qui manibus ſuis victum quærunt, ſacra inter domeſticos partiantur, ut ſtatis temporibus ædibus ſacris interſint, ubi auditur vox laudis. Pſal. 26. v 7.

Quodſi verò terrenis quis tantum inhiaverit, facilè animæ jacturam faciet. 1. Tim. 6. v. 10. 11. Matth 36. v 26. 1. Joh. 2. v. 17.

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alteram partem*, χειϛοϑεωίαν, ſive *notitiam noſtri* pertractaturi. Hic proponitur nobis in Evangelio præſente:

1. *Tanquam cœna magna preparator.* Qualis hæc cœna ſit ſuperius memoratum eſt, nempe ſpiritualis, in quâ mera cœleſtia fercula apponuntur, quibus ad ſalutem carere non poſſumus. Chriſtus cum merito ſuo ſanctiſſimo, præcipuum obſonium eſt, cui annexa eſt gratia Dei, remiſſio peccatorum, Spiritus Sancti ſolatium, & vita æterna. Neque enim in alio quoquam ſalus eſt. Act. 4. v. 12.

Quis non hîc cum Davide exclamaret: Quam pretioſa eſt miſericordia tua Deus? Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt. Pſal 36. v. 8. 9. 10.

Perſis magnum Regium convivium apparantibus, illi, qui admittebantur, totum annum præſtolari tenebantur. Sed hîc omnia parata ſunt! Menſa ſtrata, dapes illatæ ſunt, crateres repleti, ſedilia ordine diſpoſita ſunt. Et ut iterum dicam, omnia parata ſunt! Omnia parata ſunt, pro tentatis propter peccata. Hic enim invenimus agnum Dei, qui portat peccata mundi. Joh. c. 1. v. 29. Omnia parata ſunt, pro infirmis in fide; Reperimus enim hîc inchoatorem & conſummatorem fidei, Hebr. 12. v. 2. in quo omnia poſſumus, Phil. cap. 4. v. 13. Omnia parata ſunt, pro iis, qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur, Matth. 5. v 6.

Nonne ingens gratia eſt, quod Deus ubera miſericordiæ ſuæ, non modò Judæis, ut in Vet. Teſt. verum & ethnicis præbuit, & ita ex duobus unum fecit, Epheſ. c. 2 v. 14.

Nonne

Nonne ingens gratia eſt, quod Deus omnia, quæ neceſſaria ſunt, adeò largiter & affluenter paraverit. Maledictio legis ſublata, Gal. 3. v. 13. Chirographum expunctum, Col. 2. v. 14. Mors abſorpta in victoriam, 1. Cor. 15. v. 54. Ira Dei pacata, Rom. c. 5. v. 9. Diaboli opera diſſoluta, 1. Joh 3, 8. peccatum obſignatum, iniquitas expiata, & juſtitia ſempiterna adducta eſt, Dan. c. 9. v. 24.

Sicut igitur præpoſtera ſtultitia foret, ſi quis ad inſtructiſſimum epulum accedens, afferret mucidum panem, & caſeum rancidum ex inani curâ, ne exſaturari poſſet: Sic nimis pueriliter & inſulsè agunt Pontificii, quando opera ſua afferre volunt, quæ tamen in oculis Dei ſunt velut pannus menſtruatæ, Eſa. 64. v. 6. quaſi Chriſtus cœnam hanc merito ſuo, non ſufficienter inſtruxiſſet, nec omnia, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, paraſſet. Caveamus proinde, ne jacturam cœnæ hujus faciamus. Dominus enim ſoli ſibi vendicat gloriam hanc, quam nulli alii daturus eſt. Eſa. 42. v. 8.

Nonne ingens gratia, quòd in cœnâ tot dapium miſſus nobis apponantur, ſaluti noſtræ convenientes, ut guſtare & videre poſſimus, quam ſuavis ſit Dominus, Pſalm. 34. v. 9.

Quando corporale aliquod epulum apparatur, acetaria ex lactucâ, aliisque herbis ſalutiferis confecta, apponuntur. Hic præſto ſunt folia de ligno vitæ, Apoc. cap. 2. verſ. 7. flos campi, Cant. 2. v. 1. virens germen Davidis, Jer. 33. v. 5. cujus virtute, oſſa noſtra ex ſepulchro velut herba germinabunt, Eſa. 66. v. 14. & virebunt, Pſal. 92. v. 15.

Onerantur menſæ gallinis, ferinâ, agninâ &c. Hic obvia eſt cœleſtis gallina, Matth. 23. v. 37. hinnulus cervorum montibus, Cant. cap. 2. verſ. 17. agnus immaculatus, & incontaminatus, 1. Petr. 1. verſ. 19. qui occiſus eſt ab origine mundi. Apoc. 13. v. 8.

Inferuntur ex melle & ſaccharo præparata bellaria, quæ multis delectationem afferunt. Hic reperimus edulia, dulciora ſuper mel & favum, Pſalm. 19. v. 11. videlicet bonum Dei verbum, Hebr. 6. verſ. 5. gutturi dulce, Cant. 2. v. 3. ſi non obiter, ſed devotè audiamus, ſed meditemur die, ac nocte. Pſal. 1 v. 2.

Sæpè fit ut cibi morbum afferant, & mortem in ollâ videamus, ſicut filii Prophetarum, 2. Reg. 4. v. 40. Hujusmodi nihil hic metuendum eſt, ſed qui hoc epulum accedet, vitam habebit, & abundantius habebit, Joh. 10. v. 11.

II. *Tanquam multorum invitator*. Vocabulo *multorum* Judæi intelliguntur, quos præ aliis gentibus in peculium elegerat, ſicut ſuprà dictum eſt. Ethnici verò non ſimpliciter excluſi ſunt, ſed ſi mens non læva fuiſſet ipſis, ejusdem gratiæ participes fieri potuiſſent, ſicut alio tempore probavimus.

In Nov. Teſt. verò, ubi gratia Dei ſalutifera multò præclarius omnibus hominibus apparuit, Tit. 3. v. 11. latiſſimæ fores apertæ ſunt, per quas etiam gentiles ingreſſi, magnificorum beneficiorum Meſſiæ, quæ in cœnâ hæc exhibentur, participes evaſerunt, juxta illud Petri: Non eſt Judæus, neque Græcus, non eſt ſervus, neque liber, non eſt maſculus neque fœmina: ſed omnes unum ſunt, in Chriſto Jeſu, Gal. 3 v. 28. Hinc non ſequitur, ut nonnulli colligere ſatagunt: Deus non vocat omnes homines, omni tempore, eod. modo, ideò non

Hh 2 vult

vult omnes ſalvos fieri. Neutiquam! *Vocatorum crimen eſt, non vocantis*, ait Chryſoſtomus. Quod hodierno die Judæi & Turci, non æque propinqui ſint, magnæ huic cœnæ, ac nosmet, id non vocanti Deo: ſed vocatis eorum majoribus acceptum ferri debet, qui Evangelium deſpexerunt & repulerunt, Act.13.v 46.

Ex his igitur ſole meridiano clarius elucet, quod Deus ſeriò agat, cum vocatione hâc, præcipuè, quia ſervis ſuis mandat, quod compellere debeant repugnantes, non quidem externâ vi, qualia media Magiſtratus in promtu habet, & adhiberi poteſt, ſed ſeriô ſtudio & juſto zelo docere, prædicare, increpare, exhortari, ſollicitare debent opportunè, importunè, ut ſi non omnes, tamen omninò aliquos faciant ſalvos, 2. Cor.9.v.22.

Sic de Lotho memoratur quod Angelos compulerit declinare in domum ſuam, non quidem violentiâ aliquâ: ſed precibus & orationibus, Gen.19.v.3.

Pari modo Jacob fratrum Eſavum compulit, ut ſuſciperet munera ipſi oblata, Gen.33,12.

Idem adhuc hodiè miniſtris eccleſiæ incumbit, ut Paulus jubet, 2.Tim.4 v.2.

Quis igitur dubitaret, quin Deus omnes homines ſalvas velit, cum non modò in apparatu magnæ hujus cœnæ: ſed etiam in vocatione invitatorum ſerio zelo utatur? Ideò certus ſis, mi Chriſtiane! quod ab hâc cœnâ nemo excluſus ſit, niſi qui ſeipſum excludat. Deus cœleſtis pater filium ſuum pro omnibus tradidit, Rom.8. v.32. Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, 2.Cor.5.v.15. & Spiritus ſanctus gratiam hanc in toto orbe divulgat, prædicari jubens, pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes. Luc.24.verſ.47. Ideò Deus extra culpam eſt, quod tam multi damnantur, ſed, ex te perditio tua Iſraël, Oſe.13 v.9.

III. *Tanquam ſeverus comminator.* Sic enim concludit: Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.

His verbis contemtoribus planè gratiam ſuam renunciat, quod ab eâ excluſi eſſe debeant,

1. *In vitâ præſente*, id quidem impii leviter æſtimant, in ore eorum dulce eſt malum, Hiob. 2_.v.12. & gloriantur in malitiis ſuis. Jer.11.v.15. Sed tandem conſcientiæ ſtimulos ſentientes, ſine ſolatio miſeri pereunt. Deſpexerunt enim verbum, quod lætificare debebat animam ſuam, Pſal. 94.v.19 Ideò Paulus ait: Ecce, nunc tempus acceptabile, nunc dies ſalutis eſt. 2.Cor. c 6.v 2. Sicut igitur diem nox tenebroſa excipit ubi nemo operari poteſt, Joh.9,4. Ita nos pœnitentiam agamus dum dies eſt, ne tenebræ nos comprehendant, Joh. c. 12. v.15.

Equidem Deus longanimis & patiens eſt, Et contemtores ejusmodi aliquamdiu tolerare poteſt. Sed tandem adſcendit furor Dei, & nulla eſt curatio. 2. Chron 36. v.16. Quia vocavi & renuiſtis. Prov. 1,24. ſeqq.

2. *In vitâ ſequente.* Quando enim beati manducabunt panem in regno Dei, Luc. cap.14.verſ.15. Et in ſinu Abrahæ refrigerium omnium calamitatum ſentient, Luc. cap.16.v.26. Illi contra ſicut oves in inferno poſiti erunt, Pſal.49.v.15. & pœnas dabunt, interitum æternum, à facie Domini, & à gloriâ virtutis ejus, 2.Theſſ. cap.1. v.9.

Quod

Quod à nobis omnibus benigniſſimus Deus gratioſè avertere velit, per filium ſuum Jeſum Chriſtum, Servatorem noſtrum, in Spiritu ſancto, laudandus in ſecula ſeculorum, Amen!

Dominica III. poſt Trinitatis.

Evangelium Luc 15. v. 1. --- 10.

EXORDIUM.

CUm David inſidias Regis Saulis effugiens, in ſpelunca Adullam ſeſe abdidiſſet: convenerunt ad eum omnes, qui erant in anguſtiâ conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo, & factus eſt eorum princeps, 1.Sam.22,2.

In hac re David Typus Chriſti fuit.

Miſeri nos homunciones verſabamur *in anguſtiis, & oppreſſi eramus ære alieno. In anguſtiis*, ob multas tribulationes & miſerias, quibus à nativitate uſque in tumulum ſubjecti ſumus, ita, ut ſub hâc mole vix reſpirare poſſimus, ſed potius cauſam habeamus cum Jobo querendi: Si appenderetur afflictio mea in ſtaterâ, & calamitates meæ apponerentur, tunc graviores eſſent, quàm arena maris, Job. 6. v. 3. variationes enim & exercitus contra nos ſunt, Hiob. 30. v. 17.

Ære alieno verè obſtricti ſumus, ob peccata, in quibus concepti & nati ſumus, Pſ. 51. v. 7. ſed & quotidie cumulamus ea, omiſſione boni & commiſſione mali, juſtus enim vel ſepties in die cadit, Prov. 24. v. 16. Multò magis illi, qui juſtis ſeſe adnumerare non poſſunt. Quinimò, nemo in univerſum eſt, qui delicta cognoſcat, Pſal. 19. v. 15. Delinquimus *verbis*, peccamus *operibus*, aberramus *cogitationibus*; culpam contrahimus *dormiendo* & *vigilando*, & volentibus facere bonum, malum adjacet, Rom. 7. v. 21. hinc tandem debitum oritur, quod gravat nos, Pſal. 38. v. 5. cui non ſumus ſolvendo, Matth. 18. v. 25.

Sicut igitur ad Davidem confluxerunt omnes, qui erant in anguſtiâ conſtituti & oppreſſi ære alieno, & amaro animo: Sic multò magis nos *ad filium Davidis*, Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum confugiamus, qui venit in mundum, ut foret *Salvator noſter*, Jer. 14. v. 8. & *exſolveret*, quod non rapuit, Pſal. 69. v. 5. Quod & opere ipſo complevit, dum non modò morti peſtilentia & lues inferno factus eſt, Oſ. 13. verſ. 14. ſed & peccata noſtra pertulit in corpore ſuo, 1. Petr. 2. verſ. 24. Ut ovantes gloriari poſſimus: Chriſtus donavit nobis omnia delicta, delens, quod adverſus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. Et ipſum tulit de medio, affigens illud cruci, Col. 2. v. 14.

Sed & *tertium* à nobis fiat, & *amaro animo* ſimus oportet, ad inſtar eorum, qui Davidem acceſſerunt. Niſi enim doleatur de peccato, ſed illudatur illud, Prov. 14. v. 9. & malum manuum dicatur bonum, Mich. 7. verſ. 3. malum malo cumulatur. Chriſtus etiam eosdem in gratiam recipere non vult, ſed tradet tortoribus, à quibus in carcerem infernalem mittentur, non inde exituri,

donec reddiderint noviſſimum quadrantem, Matth. 5. v. 26.

Qui verò verâ pœnitentiâ & contrito corde ad Chriſtum ſeſe recipiunt, ſicut peccatores & publicani in Evangelio, illos cum gaudio ſuſcepturus, & *princeps* eorundem futurus eſt, h. e. proteget & defendet eos, adverſus omnes hoſtes, & ex omnibus calamitatibus eripiet, tandemq; eò deducet, ubi non ultra audietur vox fletus & vox clamoris, Eſa. 65. v. 19. ſed vitam habeant, & abundantius habeant in æternum, Joh. 10, 10.

Nos ſine longiore præfamine, ad ipſum Evangelium nos conferemus tractaturi, pro ratione inſtituti.

I. Ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

I I.

Exegeſis.

CUm Deus in montem Sinai deſcenſurus & legem laturus eſſet, præmoneri juſſit populum, ne quis nimium appropinquaret ad montem, imò Moſes conſtituere tenebatur terminos populo, per circuitum, ne quis adſcendere in montem, & tangere fines illius poſſet, omnis enim qui montem tetigerit, dicebat Dominus, morte morietur, Exod 19 v. 11. Sed in prælecto Evangelio percipimus, quòd Filius Dei publicanos & peccatores in gratiam recipiat, qui ipſi appropinquabant. Quin adhuc in hodiernum diem, omnes, qui laborant & onerati ſunt, ad ſe vocat, eosdemq; ſe refecturum eſſe, pollicetur, Matth. 11. v. 28. Lex enim per Moſen data eſt: gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt, Joh. 1, 17.

Notitiam noſtri hinc diſcere poterimus, quando perpendimus:

1. *Publicanorum reſipiſcentiam.* Erant enim appropinquantes ei (Chriſto) omnes publicani & peccatores.

Duorum generum perſonæ hîc exprimuntur, qui Chriſto appropinquaverunt

1. *Publicani*, hi erant improbiſſimi fœneratores & Uſurarii, qui vectigalia à Romanis Præſidibus certo pretio conducebant, eaq; adeo exaggerabant, ut non modò expenſas reciperent, ſed & ingentem quæſtum facerent, hinc opulentiſſimi evadebant, & ingentes pecunias corradebant. Judæis verò maximè exoſi erant, qui propterea commercium cum illis non habebant, idcò Chriſtus de eo, qui omnem admonitionem ſpernit, ait: Sit tibi, velut ethnicus & publicanus, Matth. 18. v. 17.

2 *Peccatores.* Hi erant homines facinoroſi, qui in enormibus peccatis vixerant, iisque adeò immerſi erant, ut propterea Synagogis excluſi excommunicarentur, ſicut mulier peccatrix, Luc. 7. v. 17. Ideoque hic dicitur, fuiſſe omnes, ſive omnis generis peccatores, qui non uno modo, ſed multifariam deliquerant, fornicarios, fures, mendaces, perjuros, & ſi quid aliud ſanæ doctrinæ adverſatur, 1. Tim. 1. v. 10.

Hi homines igitur ad Chriſtum ſe contulerunt, non ex *curioſitate*, ut novellas perciperent, ſed ut *audirent* illum, & ex ejus concionibus ſolatium haurirent, contra peccata, cujus ſtimulos adeò in conſcientiâ ſentiebant, ut quo confugerent, neſcirent. Alligatum erat jugum iniquitatum eorum, & impoſitæ erant cervicibus eorum, Thren. 1. v. 14.

Hìc velim excutias te, an ſenſu peccatorum tuorum conturbatus fueris, & Chriſtum corde contrito acceſſeris?

Hoc certiſſimum eſt, nos omnes peccaſſe, & egere gloriâ Dei, Rom. 3. v. 23. Noah pecca-

peccavit perebrietatem, Gen. 9, 22. Lothus per inceſtum, Gen. 19, 33. Aaron per idololatriam Exod. 32, 4. Moſes per diffidentiam, Num. 11, 21. Eli per indulgentiam, 1. Sam. 2. v. 29. David per adulterium & homicidium, 2. Sam. 11, 4. 15. Jobus per impatientiã, Hiob. 3, 3. Jonas per inobedientiam, Jon. 1, 3. Petrus per abnegationem, Matt. 26, 70. Paulus per perſecutionem, Apoc. 9, 1. Summa: Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominũ, ut videat, ſi eſt intelligens, aut requirens Dominum, omnes declinaverunt, ſimul abominabiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt, uſq; ad unum, Pſ. 14, 2. 3.

Sed deplorandum eſt, quod plurimi hanc miſeriam non ſentiunt, ſed ſunt ἀπηλγηκότες planè obturati in peccatis, ſicut, qui graviter laborat, manus callo obducitur, ut tandem nihil ſentiat, Eph. 4, 19. ideoque nullo auxilio ſublevari poſſunt, ſi enim dixerimus, peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, 1. Joh. 1. v. 8. 9.

Veri Chriſtiani cum publicanis & peccatoribus Chriſto appropinquare debent,

1. *Contritione ſeria*, ut peccata non modò ex lege agnoſcant, ſed & deplorent, & ſeriò de iis doleant.

Infans in utero materno concluſus nondum flet, juxta communem ordinem, quia miſeriam ſuam nondum ſentit, in lucem verò editus, & ærumnam ſentiens, primam vocem emittit plorans, Sap. 7, 3. Sic, quando adhuc ſumus in *utero ignorantiæ*, ut Tertullianus loquitur, & periculum noſtrum, in quo verſamur, nondum agnoſcimus, ac ſi omnia rectè geſſerimus, opinamur: quando verò malum deprehendimus, in quod incidimus, contritio quoq; ſequitur, & cum cõtritione fons lacrymarum propullulat, ſicut in Petro factum videmus, Matth. 26. v. ult.

Hæc neceſſariò præcedat neceſſe eſt, ſi gratiam & remiſſionem peccatorum impetrare velimus. Convertimini ad me, dicit Dominus, Joël 2. v. 12. 13.

Athenis ara erat, quam cives Deæ Clementiæ conſecràverant, in quâ præter lacrymas nihil ſacrificari licuit, opinabantur enim per nihil æque ac lacrymas gratiam & miſericordiam Dei impetrari poſſe. Quodſi igitur Athenienſes ethnicis ſuis lacrymis tantam vim tribuerunt: quantò magis Deus, qui miſericordiſſimus eſt, lacrymis pœnitentiæ & orationis fidelium ſuorum ad miſericordiam commovebitur, voluntatem enim timentium ſe facit, Pſ. 145. v. 19.

2. *Fide indubiâ*, ut non deſperent in peccatis ſuis, ſed Chriſtũ cum ſanctiſſimo merito, quod pro totius mundi peccatis præſtitit, apprehendant, 1. Joh. 2, 2. *Nemo poteſt agere pœnitentiam, niſi qui ſperat indulgentiam*, Ambroſius. Propterea Judas deſperans condemnatus eſt, Matth. 27, 5.

Adhuc hodie deſperare debet, quaſi reſina non ſit in Galaad, quâ cicatrix ejus obduci poſſit, Jer. 8, 22. Ubi enim abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia, Rom. 5, 21.

3. *Nova obedientia*. Ut peccata ulterius non regnent in mortali corpore, Rom. 6. v. 12. ſed quieſcant agere perversè, & diſcant benefacere, Eſa. 1. v. 17. *Non enim proſunt lamenta, ſi replicantur peccata*, ut Auguſtinus ait: Si impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis ſuis, &c. Ezech. 18. v. 21.

Si ita appropinquaverimus Deo, appropinquabit nobis, Jacob. 4. v. 8. & projiciet in profundum maris, omnia peccata noſtra, Mich. 7. v. 19.

II. *Chriſti benevolentiam*, qui peccatores hos recipit, & manducat cum illis. Phariſæi & Scri-

& Scribæ ipſis aqua & igne interdicebant, ſe enim juſtificabant, alios damnantes. Non ſicut cæteri homines, Luc. 18. v. 11. Sed Chriſtus eosdem recipit, quando ad ſe appropinquant, & quærit converſionem eorum, inſtar paſtoris, qui ovem perditam tamdiu quærit, donec reperiat. Ezech. 34. v. 16.

Hic velim probes te, utrum pari affectu in proximum delinquentem affectus, eundem in gratiam receperis, eique culpam, qua te læſit, condonaveris?

Hic multi deficiunt. Plerique enim hominum irreconciliabiles ſunt, & iracundiam conceptam difficulter amittunt, ſed potius vindictam quaquâ occaſione quærunt. Sed perperam! Si Deus ita nobiscum agere vellet, quis noſtrum in gratiam recipi poſſit? Ne deſpicias hominem, avertentem ſe à peccatis, neque improperes ei: memento, quoniam omnes in corruptione ſumus. Sir. 8. v. 6.

Noah vino temulentus, in tentorio nudus jacebat, hoc videns filius ejus minimus Cham illudebat ei, propterea quoque maledictione oneratus fuit, quæ poſteris ejus adhæſit. Sem verò & Japhet pallium impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſum, operuerunt pudenda patris ejus, quod ad eorum æternam gloriam ſcriptum eſt, Gen. 9. v. 21. 23.

Hinc diſcimus, quomodo affecti debeamus eſſe, quando proximus noſter præoccupatus fuerit in aliquo delicto, Gal. 6. v. 1. Non videlicet voluptatem in eo quæramus, ſicut impius Cham, aut divulgemus: ſed ut Sem & Japhet operiamus ea, eundemque inſtauremus in ſpiritu lenitatis, Gal. 6. v. 1. Et poſtquam converſus eſt, ad exemplum Chriſti cum ipſo converſemur, edamus & bibamus, quaſi nunquam lapſus fuiſſet. Si quis erraverit à veritate, & converterit quis eum, ſcire debet, quoniam, qui converti fecerit peccatorem ab errore vitæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, Jac. 5. v. 20.

III. *Parabolæ evidentiam*, De ove & Drachmâ amiſſis, quâ Chriſtus miſerrimam conditionem noſtram depingere voluit, in quam per peccata incideramus.

Sicut enim ovis ſimpliciſſimum animal eſt, nec, quando aberravit, à ſeipſo ad gregem redire poteſt. Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Eſa. 1. v. 3. ſed ovicula ſine duce & paſtore ſtabulum ſuum invenire nequit: Ita cum nobis comparatum eſt, ut naturâ omnes, quaſi oves erremus, Eſa. 53. v. 6. non percipientes ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, 1. Cor. 2. v. 14. Ideo Chriſti auxilio hîc opus eſt, qui paſtor magnus ovium, Hebr. 13. v. 20. unò paſtor & Epiſcopus animarum noſtrarum, 1. Petr. 2. v. ult. Qui in mundum venit, ſalvare, quod perierat, Matth. 18. v. 11. quod & opere ipſo probavit, ſiquidem non tantùm mortuus eſt pro gente: ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret, Joh. 11. v. 52.

Quemadmodum & Drachma habet imaginem & inſcriptionem ejus, qui eam cudi fecit, Matth. 22. v. 20. Quando verò amiſſa eſt, ſeipſam reſtituere nequit, ſed expectare cogitur, dum requiratur: Sic quidem in Protoplaſtis omnes ad imaginem Dei creati ſumus, ut numiſma gratiæ & delectamentum SS. Triados eſſemus: ſed per peccata imaginem Dei amiſimus, nec reſtitui potuimus, donec Chriſtus nos reſpexerit, & drachmam hanc amiſſam requiſiverit. Propterea orat Jeremias: Converte tu me Domine, & convertar, Jer. 31. verſ. 18. Sana me & ſanabor. Jer. 17. v. 14.

Hoc ita breve delineamentum & idea eſt miſeriæ, in quam per triſtem Protoplaſtorum lapſum conjecti ſumus.

Quilibet hic examinet ſe, utrum & ipſe à grege Chriſti aberraverit, per varia peccata & injuſtitiam, ut ovi perditæ aut drachmæ amiſſæ comparari poſſit?

Sanè in mundi his reliquiis ita res cadit, ut juxta Chriſti verba, non unus de centum amittatur, & nonaginta novem conſerventur: ſed cum nonaginta novem diſperduntur, vix unus ſervatur, ut ſit cauſæ habeamus querendi, Defecit ſanctus. Pſal. 12. v. 1.

Eccleſia Chriſti eſt puſillus grex, reſpectu filiorum hujus ſeculi, Luc. c. 12. v. 32. in eo tamen multæ oves perditæ reperiuntur. *Hæc* abſcondidit ſe in *cauponâ*, cum potentibus ad bibendum vinum, Eſ. cap. 5. verſ. 22. Iſta in *lupanas* ſeſe abdidit, ut vir Iſraëlita cum Madianitide, Num. cap. 25. verſ. 6. ſeqq. ſive *intra vepres calumniarum*, uti Doëg, cujus lingua, ſicut novacula acuta fecit dolum, Pſalm. 52. verſ. 4. & Abimelechum Sacerdotem ita traduxit apud Saulem, ut capite plecteretur, 1. Sam. 22. verſ. 8. 9. Multæ verſantur *intra ſepta ſecuritatis*, velut Sodomitæ, quibus Lothus de interitu loquens, quaſi ludens videbatur, Gen. c. 19. v. 14. ſive poſuerunt mendacium ſpem ſuam, Eſa. cap. 28. verſ. 15. & putant, quando ore dicunt Domine, Domine, Matth. 7. verſ. 11. ſe Deum fraudulentiis ſuis decepturum, ut hominem. Job. cap. 13. verſ. 9. & qui plures ejusmodi receſſus ſunt, in quibus multi delitescunt, & denuò gregem relinqvunt, poſtquam à Chriſto reſtituti ſunt. Hi in ſtatu periculoſiſſimo verſantur, & facile à lupo infernali dilaniari poſſunt. Voluntariè enim peccantibus nobis, poſt acceptam notitiam veritatis &c. Hebr. 10. v. 26. 27.

Suſpiremus proinde cum Davide: Erravi, ſicut ovis, quæ periit: quære ſervum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus, Pſal. 119. v. 176.

De Secundo.

ACcedemus nunc *ad alteram partem*, χριστογνωσίαν, ſive notitiam Chriſti contemplaturi. Hic nobis in præſente Evangelio conſiderandus proponitur:

I. *Tanquam peccatorum ſuſceptor*, non enim ratione ejus dici poteſt: Quod moritur, moriatur, & quod ſucciditur ſuccidatur, Zach. 11. v. 9. ſed ipſe oviculam perditam inſequitur, eamque tamdiu inveſtigat, donec inveniat eam.

Hæc magna eſt φιλανθρωπία. Imperator Titus, ob magnam humanitatem, *delitiæ generis humani*, item *amor orbis*, appellatus eſt.

Imperator Trajanus in Urbe circumivit, inviſendo infirmos, quod & Hadrianus & Gratianus fecerunt; Sed de Chriſto multo æquius affirmare poſſumus, quod ſit gratioſiſſimus filiorum hominum, Pſal. 45. v. 3. gaudium omni populo, Luc. c. 2. v. 10. imò deſiderium omnium gentium, Hagg. 2. v. 8. Nullus Gratianus ipſi par fuit. Ab ejus enim plenitudine accipimus omnes *gratiam pro gratiâ*, Joh. c. 1. v. 16.

In principio cum Protoplaſti in peccata incidiſſent, inſequebatur eosdem, & dicebat: Adam ubi es? Gen. 3. v. 9. *In diebus carnis ſuæ* pertranſiit Judæam & Galilæam, & tanto ſtudio quæſivit, quod periclitaret, ut etiam ſudorem ſanguineũ emiſerit,

Luc.22.v.44. Quærit oves perditas *in omnibus judiciis. Coram judicio Dei* quæſivit illas, & propterea in tantas anguſtias incidit, ut etiam angelus de cœlo ipſum confortare teneretur, Luc.22.v.43. Quæſivit easdem coram *Conſiſtorio Herodis*, Luc.23.v.6. Quæſivit quoq; eas coram *prætorio Pilati*, Matth. 27.v.11. imò in crucem adſcendit, attollens caput & oculos, quo oviculas amiſſas, eo commodius inveſtigare poſſet, & extendit brachia ſua, ut omnes ad ſe traheret. Joh. 12.v.32.33. & ex ore leonis & urſi infernalis eriperet, juxta typum tritavi ſui Davidis, 1.Sam.17.v.34.

Adhuc hodie deperditas oves omni ſtudio indagat, per miniſterium paſtorum ſuorum, qui ſine intermiſſione clamant: Agite pœnitentiam, appropinquavit regnum cœlorum, Matth. 3. v. 2. verrunt domum ſcopis legis, accenduntque lucernam, lucernam ſcilicet Evangelii, quæ lucet in loco caliginoſo. 2. Petr. 1. v. 19. increpant, exhortantur, arguunt, inſtantes opportune, importune, 2. Tim. 4. v. 2. utrum peccatores veritatem cognoſcere, & reſipiſcere velint à laqueis Diaboli, à quo captivi tenentur, ad ipſius voluntatem, 2. Tim. 2. v. 26.

Agnoſcamus hoc grato animo, & quia Chriſtus tanto ſtudio inveſtigat nos, ad frugem ſine morâ redeamus, ſic nos in humeros ſuos imponet, gaudens & portabit in ovile æternæ gloriæ, ubi non amplius in devia aberrabimus, ſed ſemper cum Domino erimus, 1. Theſſ. 4. v. 17.

II. *Tanquam murmuratorum reprehenſor.* Quia enim cum publicanis & peccatoribus converſabatur, inde apprehendebant Phariſæi, perſonam ipſius calumniandi, dicentes: Hic peccatores recipit, & manducat cum illis. q. d. Graculus graculo aſſidet, ſimilis ſimili gaudet: quodſi magnus ille Propheta eſſet, quem Deus populo ſuo mittendum promiſit, cum probis & honeſtis quoque converſaretur, nec pice hâc inquinaretur.

Hanc imputationem Chriſtus redarguendam cenſet, propterea eleganti Apologiâ utitur, quâ ſub parabolâ ovis perditæ & drachmæ amiſſæ demonſtrat, ſe eum in finem in mundum veniſſe, ut peccatores ad pœnitentiam vocet, & ſalvet, quod perierat, Matth. 18. v. 11.

Ejusmodi *murmurantes* adhuc hodie occurrunt, quibus Deus nihil ad placitum facere poteſt,

1. *In cœli gubernatione*: huic nimium friget, illi nimium calet, ſole lucente, optant pluvias, pluviis ſtillantibus, optant Phœbum, ſic ſemper aliquid habent, quod carpant. Sed nihil murmurationibus hisce efficitur. Siquidem Deus, ut ens liberrimum pro lubitu ſuo agit, optimo modo, ſapientiæ ejus non eſt numerus. Pſalm. 147. v. 5. & opera ejus perfecta ſunt, omnes viæ ejus judicia. Deut. 32. v. 4.

2. *In bonorum diſtributione*, quod res ſecundas & adverſas non diſtribuit juxta merita hominum, ſed juſtis mala proveniunt, quaſi opera egiſſent impiorum, & impiis talia eveniunt, quaſi juſtorum facta habeant, Eccleſ. cap. 8. verſ. 14. Hæc querela antiquiſſima eſt, quâ etiam ſancti Dei homines quandoque abuſi ſunt. Sic Hiob: Ego quando recordatus fuero pertimeſco. Hiob 21 v. 6. 15. Similiter Aſſaph conqueritur, Pſal. 73. v. 2. ſeqq. Jeremias, cap. 12. v. 1. ſeqq.

Idem adhuc hodie fit: Sed vana murmuratio eſt. Sicut enim paupertas non damnat,

Digitized by Google

damnat, ſic nec divitiæ ſalvant, ſed divites in fide Deus elegit, Jac cap. .v.5. Ideò inquit Salomo: Melior eſt pauper, qui ambulat. Prov. 29. v. 1. & David: Melius eſt modicum juſto, ſuper divitias peccatorum multas, Pſal. 37. v. 16.

3. *In quavis conditione*, dum multi fortunâ ſua contenti non ſunt, ſed lautiorem optant, juxta illud Horatii:

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus:

Sic filii hujus ſeculi murmurant adverſus Deum, & juſtificatur ſapientia ab omnibus filiis ſuis. Luc. cap. 7. verſ. 35. Sed tantum peccatum eſt, ut ex Iſraëlitis propterea nemo Palæſtinam ingreſſus fuerit, præter Caleb & Joſuam. Num. 14. verſ. 30. Hinc Paulus ait: Neque murmuraveritis, ſicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore, 1. Cor. 10. verſ. 10.

III. *Tanquam pœnitentiæ commendator.* Inquit enim: Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis.

Hæc præclara ratio eſt, quæ nos ad pœnitentiam ſtimulare debet, quia audimus, eâ ipsâ pœnitentiam in cœlo excitari.

Gaudet enim ſuper pœnitentiâ noſtrâ:

1. *Deus trinunus. Deus pater* expandit totâ die manum ſuam, Eſa. 65. v. 2. & annunciat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, Act. 17. v. 30. Quando igitur peccator hanc inſignem Dei gratiam agnoſcit, & pœnitentiam agit, obedientiâ ſuâ Deum ad gaudium commovet, ut qui non vult, aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti. 2. Petr. cap. 3. v. 9.

Deus filius, noſtri causâ vitam ſibi acerbam fecit, & vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt, propter ſcelera noſtra: & livore ejus ſanati ſumus. Eſa. 53. v. 4. Quando igitur peccatôr reſipiſcit, & verâ fide meritum ejus ſibi applicat, lætatur optimus Servator, quod non fruſtrà laboraverit, & vanè fortitudinem ſuam conſumſerit. Eſa. 49. v. 4.

Deus Spiritus Sanctus, regenerat nos in baptiſmo, Tit. cap. 3. v. 5 per incorruptibile ſemen verbi Dei vivi, 1. Petr. 1. v. 23. & ſcribit legem Dei in cordibus noſtris, Jer. cap. 31. verſ. 33. Ut probare poſſimus, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta, Rom. cap. 12. verſ. 2. Videns igitur, fidelitatem ſuam in nobis non fruſtrà adhiberi, lætitiâ afficitur, & in corde ejusmodi templum ſuum habet, inquiens: hæc requies mea in ſeculum ſeculi: hic habitabo, quoniam elegi eam, Pſ. 132. v. 14.

2. *Angelorum chorus*, pœnitentiam enim agentes fidem habemus cum Deo, Rom. cap. 5. verſ. 1. hinc gaudio exultant Angeli. Sunt enim Evangelizantes pacem, Eſa. cap. 52. v. 7. Propterea in nativitate Servatoris cecinerunt: Pax in terris, Luc. 2 v. 14. Quando ad frugem redimus, lætantur, quod pro nobis non fruſtra excubias agant. Sunt enim adminiſtratorii ſpiritus, in ſalutem emiſſi, propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis, Hebr. c. 1. v. ult. Lætantur quoque quod communio ſanctorum augeatur, & *piezion* ſuum majori frequentiâ inſonari poſſint, Eſa. 6 v. 3.

3. *Electorum cœtus*, cùm in militante, tum in triumphante Eccleſiâ. In mi-

militante Eccleſiâ voluptate afficiuntur, fideles eccleſiæ miniſtri, tanquàm angeli pacis, Eſa. 33. verſ. 7. quando deprehendunt, quod labor ſuus non ſit inanis in Domino, 1. Cor. 15. v. ult. ſed velociter currat ſermo ſuus, Pſal. 147. v. 15. faciens fructum, aliud centuplum, aliud ſexagecuplum, aliud verò tingecuplum, Matth. cap. 13. v. 23. Ovant omnes pii Chriſtiani, quando cernunt, gregem puſillum Electorum indies augeri, eosq; certatim è Diaboli regno, rictuq; liberari.

Quantâ verò lætitiâ triumphare cenſetis, Beatum electorum chorum in cœlis, quando anima reſipiſcens, corporeis vinculis exuta, ab angelis in Abrahæ ſinum deportatur? Luc. cap. 16. verſ. 22. Hanc ſanè oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis illa adſcendit. 1. Cor. 2. v 9.

Largiatur eandem nobis ex gratiâ, Deus Opt. Max. per Chriſtum, Amen!

Dominica IV. poſt Trinitatis.

Evangelium, *Luc. 6. v. 36. ... 42.*

EXORDIUM.

IN aulâ Ahasveri, peculiaris *cuſtos gynecæi* conſtitutus fuit, nomine Hegai, ſub cujus manum quoque formoſa Eſther, aſſumta eſt. Et Hegai feſtinavit cum emundatione ejus, & ut daret ei partes ejus, & ſeptem puellas elegantes daret ei de domo Regis, & habitare fecit eam, & puellas ejus, in bono loco Gynecæi, donec tempus adveniret, ut intraret ad Regem, Eſther. 2. v. 8.

Hæc hiſtoria *elegantem Allegoriam* nobis ſubminiſtrat.

Eſther hîc imago eſt omnium Chriſtianorum in his terris: Quemadmodum enim illa patre & matre orba erat, nihilominus tamen Deus benignè eandem reſpiciebat, & flectebat cor Ahasveri, ut ipſam regiâ coronâ ornaret, & loco ſuperbientis Vaſthi in Reginam eligeret: ſic & nos quaſi *pupilli* facti ſumus, abſque patre: matres noſtræ, quaſi viduæ, Thren. cap. 5. verſ. 3. Sed Deus in gratiam nos aſſumſit, & ad tantam dignitatem provevit, ut jam ſimus genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, 1. Petr. 2. v. 9. Quamdiu enim in hoc mundo vivimus, *coronat nos* ut ſcuto bonæ voluntatis, Pſal. 5. v. ult. Quando verò beate in Domino moriemur, imponet nobis coronam vitæ, Apoc. 2. v. 10. & cum eo regnaturi ſimus mille annos, h. e. in æternum. Apoc. 20. v. 4.

Hoc *Chriſto acceptum ferre* debemus, qui verus eſt cuſtos hominum & Hegai, Job. 7. verſ. 20. qui etiam feſtinat cum emundatione noſtrâ, dum ſanguine ſuo nos lavit, veſtimentisque ſalutis ita induit, ut quaſi ſponſus ſacerdotali ornatu, & quaſi ſponſa ornata monilibus ſuis, exultare poſſimus, Eſa. 61. v. 10. Magnum ad hoc adjumentum contulit, variis præceptis ſalutaribus, & vitæ regulis, quas nobis in

in Evangelii verbo præſcripſit, ut mala vitemus,& ex adverſo virtuti ſtudeamus: hæ ſunt veſtes acu pictæ, quibus ſpiritualem ſponſam ornatam eſſe, Regius Propheta aſſerit, Pſal.45.v.14. Quod ſi igitur ipſi morem geſſerimus, Rex nos tandem introducet in cubiculum genitricis ſuæ, Can.3.v.4. ut ſponſa ipſius ſimus in ſempiternum, Oſ. 2. v. 19.

Ejusmodi præclarum exemplum habemus in prælecto Evangelio, ibi Chriſtus Apoſtolis ſuis,nobisq; omnibus varias vitæ regulas commendat,quas ſtudioſè animadvertere,& vitam noſtram iis exornare debeamus. Propterea quoque absque prolixiori præfamine illud aggrediemur, & ex inſtituto noſtro ex eo delibabimus:

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

QUemadmodum illis, qui in collegium opificum adſciſcuntur, certa ſtatuta & leges præſcribuntur, quas obſervare coguntur, qui tribus ſuæ privilegiis frui volunt: Sic Chriſtus cœleſtis Magiſter & tribunus noſter, poſteaquam nos in beatum Electorum ordinem adoptavit,certas leges nobis præfixit,& in diebus carnis ſuæ identidem repetivit,ut inter alia præſens Evangelium probat,quod propterea *Chriſtianorum regula* non inconcinnè appellari poteſt. Quamvis enim ex inſtituto legem prædicare non deberet, ſed propterea unctus & miſſus eſſet, ut prædicaret captivis liberationem,& vinctis apertionem carceris, Eſa.61.v.1. attamen quoque non venit ſolvere legem, ſed adimplere, Matth. 5, 17. Ideoq; utrumque reſpexit, & ut ſcriba doctus ad regnum cœlorum, de theſauro ſuo vetera & nova protulit, Matth.13,52.

Notitiam noſtri hinc ſtudere poſſumus, quando meditamur:

I. *Seriam miſericordiæ commendationem.* γίνεσθε οὖν οἰκτίρμονες, eſtote ergò miſericordes, ait Servator, ſicut & pater veſter miſericors eſt. Quô ipſo ejusmodi miſericordiam requirit, quâ viſcera quaſi commoventur,& cor ad amorem & benevolentiam proximi inflammatur.

Hæc virtus illa eſt, quam Deus omnibus ſacrificiis præponit, dicens: Miſericordiam volo, Oſ.6.v.6.

Ubi hæc virtus abeſt, caritas nulla eſt. Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, 1.Joh.3.v.17. Ubi caritas nulla, ibi quoq; fides non eſt, fides enim per caritatem efficax, Gal.5.v.6. Ubi verò fides non eſt, ſalus nulla eſt. Impoſſibile enim eſt, ſine fide placere Deo, Hebr.11.v.6. Ideò meritò admonet Chriſtus: Eſtote miſericordes, & quidem, ſicut pater veſter miſericors eſt.

In quibus verbis, non corvos Eliæ, 1.Reg. 17.v.4. ſeqq. neque leones Danielis, Dan. 6.v.22. neque canes Lazari nobis proponit. Sed nec exemplum Hiobi, Job.29.v.12.15. Emedmelech, Jer.38.v.9. Obadiæ nobis commendat, 1.Reg.18.v.4. Verùm Dei patris cœleſtis, & ita nos omnes relegat ad arborem miſericordiæ, cujus proceritas non modò contingit cœlum, ut arbor, quam Nebucadnezar in viſione vidit, Dan.4.v.8. ſed per omnes cœlos, Eſa.40.v.12. in fines terræ, Pſal.48.v.11. Ut breviter dicamus, oſtendit nobis patrem miſericordiarum, 2. Cor.1.v.3. De quo Siracides cum admiratione quærit: Quis adjiciet enarrare miſericordiam ejus? Miſeratio hominis circa proximum ſuum, miſericordia autem Dei ſu-

Digitized by Google

Per omnem carnem. Sir. 18. v. 4. 12. quantus enim ipſe, tanta eſt ejus miſericordia, Sir. 2. v, 22. Etſi enim altitudinem, profunditatem, longitudinem & latitudinem miſericordiæ divinæ attingere non poſſumus: eò tamen contendere debemus, quantum in infirmitate noſtrâ fieri poteſt, ut ejusdem typo nos aſſimilemus. Sequimini miſericordiam, ait Salomo, Prov. 21. v. 21.

Hic probet ſe unusquisq;, utrum miſericordiæ erga proximum ſtuduerit, ſicut cæleſtis pater exemplo ſuo nobis quotidiè prælucet?

Hoc parum obſervatur, plurimi ſecum cogitant:

Quod me non tangit, hoc me nullatenus angit.

Sive gaudent de proximi incommodis, dicentes: Euge, euge, viderunt oculi noſtri, Pſal. 35. v. 21.

Deus cœleſtis pater demonſtrat miſericordiam ſuam:

1. *Univerſaliter*, quando ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos: & pluit ſuper juſtos & injuſtos, Matth 5, 45.

Idem nos quoq; facientes, non modò miſericordes ſimus, erga notos, familiares & conſanguineos: ſed & ergà peregrinos & inimicos quoq;. Ideò Chriſtus ait: Omni petenti te, tribue, Luc. 6. v. 30. Et Salomo: Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum pane, Prov. 25. v. 21. *Hæc vera eſt proprietas miſericordiæ*, ut non reſpiciat perſonam proximi, ſed Dei mandatum. Quodſi proximus indignus ſit, cui largiamur, mandatum Dei dignum eſt, cui obediamus: ſi homo non retribuit, Dominus retribuens erit, qui omnia bona remunerat, Sir. 35, 13.

Attamen omnia *ordinatè* fieri debent. Certi enim hîc gradus obſervandi ſunt, juxta quos miſericordiæ opera præſtanda veniunt. Hinc conſanguinei præ alienigenis; domeſtici fidei præ heterodoxis; pii præ improbis; noti præ peregrinis juvandi ſunt. Horum inopiæ ſi conſultum eſt, deinde & exteris, ignotis imò inimicis quoque, niſi vires deſint ſuccurrendum eſt. Sicut Chriſtus ipſe non adeo probat, ſi omiſſis parentibus, in alios beneficia noſtra collocemus, Matt. 15. v. 2.

2. *Realiter*, nam ſicut dolet ſuper miſeriis populi ſui, Jud. 10. v. 16. ita etiam media ad ſalutem eorum procurat. Novit enim pios de tentatione eripere, 2. Pet. 2. v. 9. ideò attribuuntur ei viſcera miſericordiæ, Luc 1. v. 78. Pari modo non modò commiſerationem habeamus cum proximi miſeriis, ſed pro virili eundem adjuvemus, exemplo Samaritani, Luc. 20. v. 33. Jac. 2. v. 15. 16.

3. *Finaliter*, Miſericordia enim ejus, à progenie in progenies, timentibus eum, Luc. 1. v. 50. Sic quoq; nos bonum facientes non defatigemur, ſi aliquando metere velimus, Gal. 6. v 9. Miſericordes enim miſericordiam conſequentur, Matth. 5. verſ. 7. Ubi contrà judicium ſine miſericordiâ illis, qui non fecerint miſericordiam, Jac. 2. v. 13.

II. *Nævorum proximi condonationem*, Dimitte enim, inquit, & dimittetur vobis. Dum domi ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, 2. Cor. 5. v. 6. Via quâ ingredimur eſt lubrica & cœnoſa, ob multa ſcandala & mala exempla, quæ facilè obſcurant bona, Sap. 4. v. 12.

Sicut itaque comes viatorius, alteri facilè ignoſcit, cùm ab eo inquinatur: ita nec nos offendi debemus, ſi à proximo operibus vel factis lædamur: ſed nocenti nobis

Digitized by Google

bis relinquamus, Sir. 28. v. 2. *Ne ſol abſcedat teſtis furoris noſtri,* ut Lactantius loquitur, quando ceu irreconciliabiles ad vindictam proclives ſumus. Ne dicas, quomodo fecit mihi, ſic faciam ei, & reddam unicuiq; ſecundum opus ſuum, Prov. 24, 29. Qui enim vindicari vult, à Domino inveniet vindictam. Sir. 28. v. 1.

Hic velim examines te, an ad præſcriptam regulam, proximo offendenti, ſi veniam delicti à te petierit promto animo ignoveris?

Hæc doctrina pernecceſſaria eſt. Si enim dimiſeritis hominibus, Matth. 6. v. 14. 15. *A proximo nobis incommodari poteſt trifariam.* 1. *Quoad corpus*, uxorem & liberos. 2. *Quoad famam.* 3. *Quoad fortunæ bona.*

Quodſi itaque contingit, ut à nebulone in proprio corpore lædaris, vel planè vitâ priveris, ſive in uxore & liberis injuriam experiaris, certiſſimè ſtatue, quod Deus ipſi id permiſerit, ſine cujus permiſſione ne gry tibi nocere potuiſſet, Matt. 10. 30. noli verò timere eum, qui corpus occidit, ſed potius eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam, Matth. 10. v. 28.

Quodſi calumniis oneraris, & famæ periculum incurris, perpende, quid Seneca dicat: *Qui tibi detrahit, aut verum dicit, aut falſum. Si verum, quid miraris? ſi falſum, ad te non pertinet.* Et reſponde cum Socrate: *Mihi non maledicis, quandoquidem ea, quæ dicis, mihi non adſunt, nec in me hærent.* Beati eſtis, cum maledixerint vobis homines, Matth. 5. v. 11. 12.

Quod ſi ratione bonorum temporalium defraudaris, & eorum jacturam facere cogeris: memento, eſſe bona tranſitoria, & viciſſitudini fortunæ ſubjecta, quæ olim non habueris. Ideoque nec illa tanti facere debes, ut te ad iram irritari concedas. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auſferre quid poſſumus, 1. Tim. 6. v. 7.

Quid ſunt divitiæ & opes? nil niſi *vomitus fortunæ*, ut Diogenes dicere conſvevit. Sicut igitur nemo facilè comedit, quod alius evomuit: ſic opes mundanas non adeò curare debemus. Argentum & aurum non valebit nos liberare in die furoris Domini, quin potius ſcandalum iniquitatis eſt, Ezech. 7, 19.

His fideliter perpenſis, facilè ad manſuetudinem commoveberis, præſertim, quando is, qui te injuriâ affecit, veniam dicti petit.

Hâc manſuetudine præditi fuêre: Joſephus, Geneſ. 50. v. 19. David, 2. Sam. 16. v. 5. ſeqq. & Chriſtus ipſe, Luc. 22, 50. 51. Luc. 23. v. 34.

Horum veſtigiis & nos inſiſtere debemus. Non voſmet ipſos vindicantes cariſſimi, ſed date locum iræ, Rom. 12. verſ. 19.

Apis ſeipſam vindicatura, cum aculeo vitam amittit: idem evenit homini vindictæ cupido: qui non modo vitam ſibi abbreviat, ſed & iram & pœnam Dei ſibi attrahit, & ſalute excidit. Qui enim odit fratrem, homicida eſt, & non habet vitam æternam in ſeipſo manentem, 1. Joh. 3, 15. ſed pars ejus erit in ſtagno, ardenti igne & ſulphure, Apoc. 21. v. 8.

III. *Judicii præpoſteri deteſtationem*, de quo Chriſtus ita ait: Nolite judicare, & non judicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini.

His verbis non interdicitur *magiſtratui*, quò minus facinoroſos & maleficos judicet & condemnet. Non enim hominis exercet

cet judicium, ſed Domini, 2. Chron. 19. v. 9. Nec ſine causâ gladium portat: ſed vindex eſt in iram ei, qui malè agit, Rom. 13. v. 4. Eccleſiæ quoq; Doctoribus mandatum eſt, ut judicent inter arietes & hircos, Ezech. 34. v. 17. Quinimò omnes in genere Chriſtiani ſpiritus probare debent, 1. Joh. 4. v. 1. & ſcrutari ſcripturas, ſi hæc ita ſe habeant, Act. 17. v. 11. Sed *judicium temerarium* hîc prohibetur, quando proximi infirmitates & errata nimium exaggerantur, & divulgantur, ſine omni reſpectu caritatis, quâ tegere ea fas erat, & propriæ infirmitatis, quod nemo ſine crimine ſit, Job. 15. v. 15. Pſal. 32. v. 6.

Hic velim perſcruteris te, Annon proximum præter decorem traduxeris, quod ipſi opprobrio & damno cedere poſſit.

Thales unus ex ſeptem Græciæ ſapientibus, interrogatus, quodnam difficillimum & facillimum eſſet, reſpondit: Difficillimum eſt, ſeipſum noſſe: facillimum verò alios arguere & judicare. Quod reipsâ ita ſe habere, in propatulo eſt. Sicut enim eructant præcordia fœtentium, & ſicut perdix inducitur in caveam, & ut caprea in laqueum, ſic & cor ſuperborum. Sir. 11, 32. 33.

Ejusmodi ſanè homines nondum notitiam ſui didicerunt, ſecus enim à temerario judicio illi deſiſterent, ſunt enim & ipſi

1. *Homines.* Homo verò, uti ex humo eſt, ſic & in humum redigetur, Sir. 40. v. 11. Quid verò ſuperbit terra & cinis, proximum judicando, quaſi ex meliori luto finxiſſet ſibi præcordia Titan? Nemo ex Regibus aliud habuit nativitatis initium, Sap. 7. v. 6. Ideò nemo ob dona & bona ſibi conceſſa ſuperbire debet, ſed potius humilibus ſe accommodet, Rom. 12. v. 16. aliosq; ſuperiores arbitretur, Phil. 2. v. 3.

2. *Peccatores*, qui ſæpè in majori culpâ hærent, quàm proximus, quem judicant. In multis enim offendimus omnes, Jac. 3. v. 2. Et non eſt juſtus, ne unus quidem, Rom. 3. v. 12. Ecce inter ſanctos ejus nemo integer, Hiob. 15. v. 15. 16. Quis igitur es, qui alium judicas? Neque enim prærogativam præ alio habes, cur non vides manticæ, quod in tergo eſt? Hypocrita ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc perſpicies, ut educas feſtucam de oculo fratris tui. Matt. 7. v. 12.

3. *Ad lapſum proclives.* Juſtus in die ſepties cadit, Prov. 24. v. 16. quoties putatis, impius? Toties ſanè ut delicta ejus intelligi non poſſint Pſal. 19 v. 13. Didicit enim malum, ideoque benefacere non poteſt, ſicut nec æthiops pellem ſuam mutare, Jer. 13. v. 24. Quàm facilè fieri poteſt, ut in lubricâ hujus vitæ viâ labaris? quam facilè mala exempla bonum corrumpere poſſunt? Quod itaque proximo accidit, & tibi contingere poteſt, conſidera teipſum, ne & tu tenteris, Gal. 6. v. 1.

4. *Judicabiles.* Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, 2. Cor. 5. v. 10. ubi unusquisque noſtrûm, pro ſe rationem reddet Deo, Rom. 14. v. 13. Ideoq; nemo ante tempus judicet, quoadusq; veniat Dominus, 1. Cor. 4. v. 5.

Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat & cadit, inquit Apoſtolus, Rom. 14. v. 4. An neſcis tibi ipſi grave judicium impendere? Quodſi itaque proximum tuum malitioſè judicas, quomodo effugies iram Dei, in die iræ, Rom. 2. v. 5. Opus igitur tuum ipſius proba, & mitte alios, unusquisque enim onus ſuum portabit, Gal. 6. v. 4.

5. *Damnabiles.* Dei enim munus invadunt,

Digitized by Google

dunt, & ſic crimen læſæ Majeſtatis committunt, quod & in hoc mundo capitale eſt. Drey R. gebühren Gott allein / Rühmen/Richten/Rechten ſtell ihm heim. Unus eſt legiſlator & judex. Jac. 4. v. 12.

In V. T. nemini niſi Sacerdotibus ſacrificia offerre licebat, alius ſi id tentabat, debitâ pœnâ afficiebatur, ut exemplis, Core, Datan, & Abiron, Num. 16. v. 32. & Uſiæ patet, 2. Chron. 26. v. 19. Sic neq; illi impunes abibunt, qui proximum judicant, & ſic Dei jura violant, Dominus enim judicat populos, Pſal. 7. v. 9. Nolite proindè detrahere alterum, fratres mei! Jac. 4. v. 10. 11.

De Secundo.

PErgemus nunc ad alteram partem, χριϛογνωσίαν, ſive notitiam Chriſti meditaturi. Hic nobis contemplandus proponitur:

I. *Tanquam magiſter noſter fideliſſimus*, Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum ſuum: perfectus autem omnis erit, ſi ſit, ſicut magiſter ejus. Nos nullum alium Magiſtrum novimus, niſi Chriſtum ſolum, Magiſter veſter unus eſt Chriſtus, dicit ipſe, Matth. c 23. v. 16. Joh. 13. v. 13.

Sicut itaque *Magiſter aliquis quotidiè in ſcholâ docet*, & diſcipulis fideliter inculcat, quid facere debeant: Sic & *Chriſtus ſcholam ſuam habet*, quæ eſt ecclefia, nam erat docens quotidiè in templo, Luc. 19. v. 47. Habet quoque *diſcipulos ſuos*, qui ſunt omnes Chriſtiani, qui in baptiſmo ipſi nomen dederunt. Si permanſeritis in ſermone meo &c. Joh. 8. v. 81. Nihil autem aliud in hâc ſcholâ docet, niſi *pietatem*, & quæ ad eam pertinent, nempe fidem, dilectionem, humilitatem, ſpem, patientiam & ſimilia, in quibus diſcipulis ſuis exemplo ſuo præivit. Hinc ipſe ait: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Matth. 11. v. 29.

Palamedes olim tanto elogio à Diſcipulis ſuis honorabatur, ut ipſum πάνσοφον appellarent. Sed multum ei defuit! Maximum eorum quæ ſcimus, eſt minimum eorum, quæ ignoramus. Cognoſcimus hic ex parte, 1. Cor. 13. v. 9.

De Chriſto ex re & verò dicere poſſumus, quod ſit πάνσοφος, ideò appellatus τεχνῖτις τῶν πάντων, Sap. 7. v. 21. in quo ſpiritus ſapientiæ & intellectus requieſcit, Eſa. 11. v. 2. & omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi Col. 2. v. 3. In ipſo omnia, quæ ad ſalutem nobis neceſſaria ſunt, invenimus, unde Veteres dixerunt:

Omnia nos Chriſti, vita docere poteſt.

Reliquit enim nobis virtutibus ſuis exemplum, ut inſiſtamus veſtigiis ejus, 1. Petr. 2. v. 21.

Alexander Magnus felicem ſe exiſtimabat, quod Ariſtotelis diſcipulus eſſet. Quantò magis nos gaudeamus, quod Chriſtum Magiſtrum habemus, qui nos docet utilia, Eſa. 48. v. 17. & licet caſtiget nos, non tamen morti nos tradit, Pſal. 118. v. 18. Sed diligentibus Deum omnia in bonum operantur, Rom. 8. v. 28.

Maneamus itaque obſequentes Chriſti diſcipuli, & apprime caveamus, ne ad Satanæ ſynagogam declinemus, qui ſuos nihil niſi peccata docet, & exercet in viis anfractuoſis peccatorum, dum præcipitet in barathrum æternæ damnationis, Apoc. 2. v. 9. Chriſtus verò ſcholam ſuam frequentantibus promittit requiem animarum, Matth. c. 11. v. 29. h. e. pacem & gaudium in Spiritu ſancto, Rom. 14. v. 17. quod incipit, hîc in regno gratiæ, ubi guſtamus, quàm bonus ſit Dominus, Pſal. 34. v. 9. Eccl. 5. v. ult. Ibi

verò plena & perfecta erit, nec unquam à nobis tolletur, Joh. 16. v. 22. Jer. 31. v. 34.

II. *Tanquam Eleemoſynarum compenſator largiſſimus.* Date enim, inquit Chriſtus, & dabitur vobis. Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperfluentem, dabunt in ſinum veſtrum.

Quæ verba non ita intelligenda, ac ſi per opera miſericordiæ, menſuram illam bonam, & confertam, & coagitatam & ſuperfluentem mereri poſſimus, ut Pontificii hinc argumentantur. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Rom. 11. v. 35. Cum fecerimus omnia, quæ præcepta ſunt nobis, ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus. Luc. 17. v. 10. Mera itaque gratia eſt, quam non meritis noſtris, ſed Dei promiſſioni & bonitati acceptam ferre debemus, qui nos in Chriſto gratificavit, Eph. 1. v. 6.

Hoc modo intelligendum eſt, quod de remuneratione Eleemoſynarum & aliorum bonorum operum in ſcripturis prædicatur. Intereà tamen compenſatur, quamvis non propter merita: attamen ex gratiâ, ut hîc & in æternum ejus fructum capiamus.

Abigail ob beneficentiam ad regiam dignitatem evecta eſt, 1 Sam. 25. v. 18.

Vidua Sareptana ideò tantâ benedictione Dei ornata, in ipsâ annonæ caritate, ut hydria farinæ non defecerit, & lecythus olei non imminutus ſit, 1 Reg. 17. v. 9. 16.

Centurio Capernaiticus fidem cum præclaro elogio in remunerationem reportavit. Matth. 8. v. 5. 10.

Adhuc hodie Chriſtus nihil ſine compenſatione relinquet, ne quidem calice aquæ frigidæ excepto. Matth. 10. v. ult. Hinc Hieronymus: *Non memini, me legiſſe, malâ morte eſſe mortuum, qui libenter opera caritatis exhibuit.* Et addit: *Multos enim habet interceſſores, & impoſſibile eſt, multorum preces non exaudiri.* Has enim Deus exaudiens, recipit eos in æterna tabernacula. Luc. 16. v. 9.

Quodſi itaque Deus bona temporalia tibi conceſſit, quæ ſecurè aſſervari cupis, ne eorum jacturam facias, egenis ea diſtribue. Si multum tibi fuerit. Tob. 4. v. 9. Beatus, qui intelligit ſuper egenum. Pſal. 41. v. 1. 4.

Non proindè tam pauperibus, quàm nobis ipſis proſumus, cum beneficentiam in eosdem conferimus. Nam beatius eſt magis dare, quàm accipere, Act. 20. v. 35. Nos de terrenis & tranſitoriis damus, & recipimus æterna & cœleſtia, Matt. 6. v. 2. 1. Petr. 1. v. 2.

Nos micas erogamus, de bonis temporalibus, & recuperamus menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperfluentem, Mal. 3. v. 10.

Nos largimur de eo, quod in morte relinquere cogimur, & redduntur nobis divitiæ veræ, Prov. 8. verſ. 18. quæ animum exſaturant, nec in æternum à nobis tollentur, Joh. 16. v. 22. Noli proinde in terrâ abſcondere opes tuas, ut ſervus ille nequam, Matth. 25. v. 18. Sed *fac bonum, de bono, unde non es bonus, ut acquiras verè bonum*, ut Auguſtinus loquitur. Et recuperabis μέτρον ὑπερεκχυνόμενον, nempè plenitudinem gaudii. Pſal. 16. v. ult.

III. *Tanquam hypocriſeos oſor ſeveriſſimus.* Ait enim: Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc perſpicies, ut educas feſtucam de oculo fratris tui. Ejusmodi homines multi occurrunt, qui proximi errata leviſſima reprehendunt, cum ipſi in cœno delictorum & flagitiorum hæ-

reant

reant. Generatio quæ ſibi munda videtur, & tamen non eſt lota à ſordibus ſuis. Prov. 30. v. 12.

Hic proximum ſuum oculis ſuperbientibus intuetur, & *deſpicit ipſum ob paupertatem:* ſed non meminit, ſe damnabili avaritiæ trabe laborare, qui in infernum usque pertingit. 1. Tim. 6. v. 9. Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, Melior enim eſt pauper, ambulans in integritate ſua. Prov. 28. v. 6.

Iſte proximum ſuum *contemnit ob ignorantiam*, & non recordatur trabis ſuperbiæ, in oculo ſuo, quod arte ſuâ abutatur in perniciem aliorum, ſicut Tertullus, Act. 24. v. 5. Hypocrita, ejice primum trabem ex oculo tuo? Melior eſt homo, qui minuitur ſapientiâ. Sir. 19. v. 21.

Ille ἐπιχαιρεκακίᾳ afficitur, quando proximum ſuum in delicto aliquo præoccupatum cernit, quod per ſcortationem, aut alio modo commiſit, & propterea pœnâ afficitur: nec reminiſcitur trabis in oculo ſuo, quod majori pœnâ dignus ſit, ſi ſtupra & flagitia ſua manifeſtarentur. Hypocrita, & tu ejice trabêm ex oculo tuo. Juſtus enim accuſator ſui eſt. Prov. cap. 18. verſ. 17.

Aut ſumus, aut fuimus, aut poſſumus eſſe, quod hic eſt.

Qui ſtat, videat, ne cadat. 1. Cor. 10. v. 13.

In genere hypocritæ multi offenduntur in eccleſiâ, qui fidem & nomen Chriſtianorum jactant: ſed opera, quæ Deo placeant, non ſeqvuntur. Dicunt: Dives ſum & locupletatus, Apoc. 3. v. 17. Gloriantur de fœdere Dei: ſed reverà hoſpites ſunt teſtamentorum promiſſionis, Eph. 2. v. 12. neque illis pars aut ſors in regno Dei, Act. 8. v. 21. Frequentant conciones ut Herodes, Matth. 6. v. 10. Baptiſmum ſuscipiunt ſicut Phariſæi, Matth. 3. v. 7. Cœnâ utuntur uti Judas, Matth. 26. v. 25. Interim manent in luto flagitiorum. Semper diſcentes &c. 2. Tim. 3. v. 7.

Quibus generationem hanc aſſimilem? Similes ſunt arbori fici, in quâ Chriſtus nihil inveniebat, niſi folia. Matth. 21. v. 19. Sunt ſicut vaſculum fictile, obductum ſcoriâ argenti. Prov. cap. 26. verſ. 23. Similes ſunt ſepulchris dealbatis. Matth. cap. 23. v. 27.

Hujuscemodi homines Chriſtus aliquando terribili voce alloquetur, ſingulis illorum dicturus: Hypocrita, Cur recitas ſtatuta mea, Pſal. 50. verſ. 16. Ettùm ſequetur judicium: Non novi vos. Matth. 7. v. 23.

Veri Chriſtiani declinent hanc hypocriſin, & candidè agant, tum cum Deo, tum cum hominibus. Spes enim hypocritæ peribit, Job. cap. 8. v. 13. Qui verò Domino ſervit in integritate cordis, 1. Reg. cap. 9. verſ. 4. & odit hypocriſin, Sir. cap. 1. v. 35. Ille aliquando aliam vocem audiet, ubi non dicetur, hypocrita; ſed venite benedicti patris mei, hæreditario accipite, paratum vobis regnum, à conſtitutione mundi, Matth. cap. 25. v. 34.

Largiatur illud nobis Deus ter Opt. Max. per Chriſtum Servatorem noſtrum, Amen.

* * *

Dominica V. poſt Trinitatis.

Evangelium Luc. 5. v. 1. — 11.

EXORDIUM.

CUm fratres Joſephi, à Patre ſuo in Ægyptum ablegarentur, ad emendum frumentum, ob annonæ difficultatem, quæ in terrâ Canaan continuabatur: juſſit Joſephus procuratorem ſuum, ut ſaccos eorum impleret tritico, & reponeret pecuniam ſingulorum, in ſacculis ſuis. Fratres autem ejus nihil horum ſcientes, & dum domum redeunt, frumenta effundentes, ſinguli repererunt in ore ſaccorum ligatas pecunias. Gen. 42. v. 25.

Hæc *allegoricè* interpretabimur.

Cœleſtis Joſephus & frater noſter fideliſſimus Jeſus Chriſtus, adhuc hodiè ita nobiſcum ludit, quantum ad *temporalem victum* concernit: neq; enim nos quicquam adjumenti conferre poſſumus, præter laborem, quem Deus cuique impoſuit, in functione ſuâ. Quod reliquum eſt, deſuper venit, & ſæpè largius, quàm expectavimus. Benedictio enim Dei, in mercedem juſti feſtinat, & in honore veloci proceſſus illius fructificat, Sir. 11. v. 24. *Sed opera danda eſt nobis, ut Chriſti genuini fratres ſimus,* quod fit, quando voluntatem ejus facimus. Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt; ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt, ait ipſe, Matth. 12. v. ult.

Aliis Joſephus pecuniam non reddidit: ſed care vendidit: Quin imò cum pecunia deficeret, pro pecoribus alimenta iis dedit, & his deficientibus, poſſeſſiones eorum ſibi oppignoravit, Gen. 47. v. 15. Sic quidem Deus etiam impiis alimenta miniſtrat, & ſæpè plus, quam indigent: ſed *reſpectu ipſorum non eſt benedictio*: ſed potius ſcandalum iniquitatis eorum, Ezech. 7. v. 20. Hoc ipſo enim incidunt in tentationem, & deſideria multa nociva, quæ mergunt eos in interitum & damnationem, 1. Tim. 6. verſ. 9. Propterea etiam, quod hoc modo per fas & nefas congregarunt, mittunt in ſacculum pertuſum, Mal. 1. v. 6. ut ad hæredem tertium non pertingat, ſed in maledictione maledictum ſit, Mal. 3. v. 9.

Veri Chriſtiani autem, qui verâ pœnitentiâ Chriſtum accedunt, & ad exemplum Petri, ad genua Chriſti procidunt, optimum inde reportant, videlicet tranquillam conſcientiam, & victum temporalem, quantum ad ſuſtentationem hujus vitæ neceſſarium eſt, dat enim dilectis ſuis in ſomnis, Pſ. 127. v. 3.

Exemplum habemus in prælecto Evangelio, ubi Petrus, dum poſt auditam concionem in nomine Chriſti rete laxat, non modo tàm copioſam multitudinem piſcium concludit, ut rete rumpatur, & naviculæ mergantur: ſed & ipſe hominum piſcator conſtituitur, quod vel nunquam ei in mentem veniſſet.

Nos ſine ulteriori præloquio ad ipſum Evangelium progrediemur, meditaturi ex eodem, juxta propoſitum noſtrum:

I. Ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

FLos in hortis alitur, qui non modò à Sole denominationem habet, ſed & cum Sole convertitur. Cum diluculo ad ſolis ortum ſe invertit, inde paulatim in meridiem, & tandem in occaſum; unde *Helioſcopium* ille appellatur, eò quod caput cum ſole circumagat; item, *Solſequium*, quia ſolem, quoquò ſe vertat, ſequitur.

Hæc imago eſt omnium fidelium. Quia enim à Chriſto appellationem habent, & Chriſtiani dicuntur, Act.11.v.26. Hic quoque unicus eorum ſcopus eſt, in vitâ & morte, ut ad Chriſtum ſe convertant, & ab eo opem, conſilium, conſolationem, tutelam & liberationem quærant. Ipſe enim Sol juſtitiæ eſt, Mal.4.v.2. & vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Joh.1.v.9.

Videmus id in populo prælecti Evangelii, qui Chriſtum certatim inſequitur. Hactenus miſeri in tenebris ſederant, & quaſi umbrâ mortis, Matth.4.v.16. Sed jam Sole juſtitiæ exoriente, ex animo lætantur, & Helioſcopii naturam imitantur, ſequentes Chriſtum manè & veſperi, per integrum diem, adeo non capit ipſos ſatietas concionum Chriſti, ex quibus nihil niſi lucem & vitam hauriebant. Factum enim eſt, cùm turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, ait Evangeliſta.

Nos hinc anſam apprehendimus, ad *notitiam noſtri* perdiſcendam, conſiderantes:

I. *Populum auſcultantem*, qui Chriſtum ſequutus eſt, non ex curioſitate, ſed ut audiret verbum Dei, hujus audiendi tantô fervore tenentur, ut vi irruant, ut quilibet proximus Chriſto eſſe, contendat, ſicut vox ἐπικεῖσθαι indicat: quæ cauſa quoque eſt, ut Chriſtus Petrum rogaverit, ut navim à terra puſillum reducere velit, quo eò commodius turbam de naviculâ docere poſſit.

Hunc zelum & nos imitemur, qui enim ex Deo eſt, verbum Dei audit, Joh.8,47.

Hic ſe unusquisque interroget, an, ut officium ſuum requirit, tanto ardore verbum Dei audierit?

Vetuſtiſſima conſvetudo fuit, ut certæ perſonæ à Deo conſtitutæ fuerint, quæ verbum ejus prædicarunt. Ipſe filius Dei primus Concionator in paradiſo fuit, & partim ante lapſum Concionem legalem, Gen. 2. v.16.17. partim poſt lapſum concionem Evangelicam de benedicto mulieris ſemine habuit. Deinde munus hoc hominibus demandavit, ſicut expreſsè memoratur, quòd tempore Sethi cœptum ſit prædicari de nomine Domini: non, quaſi ante id factum non ſit, ſed poſtquam impietate Caini cultus Dei labefactus erat, tum temporis fortè arula exſtructa fuit, ad quam homines congregati ſunt, ad verbum Dei audiendum, & preces fundendas, ſicut B. Lutherus in margine explicat, Gen.4.v.[illegible]

Sic Apoſtolus Judas teſtis eſt, quòd Enochus jam tùm ſuo tempore de extremo judicio concionatus fuerit, ep. Jud. verſ.14.

Noah expreſſe præconis juſtitiæ titulo inſignitur, 2.Petr.2.v.5.

Melchiſedeck Sacerdos Dei altiſſimi dicitur, Gen.14.v.18. Abraham ædificavit altare in terrâ Canaan, & invocavit nomen Domini, Gen.12.v.8. Loth Sodomitis prędicavit, Gen.19.

Poſt tempora Patriarcharum, divinum Numen Moſen, magnum Prophetam excitavit, qui non ſolùm verbis Iſraëlitas docuit: ſed & Dei juſſa in libro conſignavit, & poſteritati reliquit: iſte liber à tempori-

bus antiquis in ſingulis civitatibus, in ſynagogis per omne ſabbathum lectus eſt, Act.15.v.21.

Huic ſucceſſerunt Vates illuminatiſſimi, Samuel, Elias, Eſaias, Jeremias, & alii plures, qui non modò verbum Dei docuerunt: ſed partim etiam ſcriptis mandarunt, & ratione ſcriptorum relictorum, Majores & minores appellati ſunt: hi usque ad Johannem prophetarunt, Matth.11. v.13. Et ſtatim venit ad templum ſuum dominator, Mal.3.v.1. qui non modò ipſe totam Judæam & Galilæam circumivit, docens in ſynagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, Matth.4.v.23. Sed ablegavit quoque diſcipulos ſuos in totum orbem, & juſſit prædicare in nomine ſuo, pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, Luc.24.v.47. & adhuc hodiè Dominus meſſis eſt, Matth.9.v.ult. qui dat Jeruſalem Evangeliſtas, Eſa.41, 22. Dans quosdam Apoſtolos, Eph.4,11.12.

Quia igitur Deus omni tempore tam operoſus fuit in miniſterio verbi conſtituendo [illegible] natura correlatorum noſtrûm erit, illud diligenter audire, ſecus enim prædicatio fruſtranea fieret. Nam ex auditu fides, Rom.10.v.17.

Quodſi igitur Spiritus ſanctus per verbum prædicatum in cordibus noſtris fidem accendere & excitare debet, collectionem noſtram non deſeramus oportet, Hebr.10. v.25. Sed ſedulò conveniamus, in eo loco, in quo memoria nominis Dei eſt, Exod. 20.v.24. Aures ne obturemus, quando Magnalia Dei in ſuggeſtu proferuntur, ſed cum Samuele dicamus: Loquere, ſervus tuus attendit, 1.Sam.3.v.9.

Hoc hodiè parvi æſtimatur, & tamen præcipuum eſt, imò unicum neceſſarium, quod obſervare debemus, Luc.10.v.ult.

Turbæ in Evangelio irruerunt in Chriſtum, ut audirent verbum Dei. At hodiè id rarius fit, hinc patet fervorem anteceſſorum noſtrorum planè frigere. Sed indicium peſſimum eſt! Qui enim verbum Dei non audit, ex Deo non eſt, Joh.8.v.47. ſed pertinet ad ſynagogam ſatanæ, Apoc.2,9. & tandem cum divite epulone, qui itidem Moſen & Prophetas audire renuebat, veniet in locum tormentorum, Luc.16, 23. & pœnas dabit, interitum æternum, à facie Domini, & à gloriâ virtutis ejus, 2.Theſſ.1,9.

II. *Petrum laborantem*, dicit enim ſe per totam noctem laborantem, nihil cepiſſe: tandem laxat in verbo Chriſti rete ſuum, & concludit piſcium multitudinem copioſam.

Hîc conſiderandum venit

1. *Auſpicium*, non enim piſcaturam ſuam ſapienter orſus fuerat: ſed magis in artis peritiâ, quàm in Dei gratiâ & benedictione ſperaverat: ſicut adhuc hodiè ejusmodi homines occurrunt, qui omnia in ſapientiâ & arte ſuâ collocant, non cogitantes in benedictione Dei omne momentum ſitum eſſe, Non velocium eſt curſus, Eccl.9,11.

2. *Diſpendium*, per totam enim noctem fruſtrà laborando, nihil ceperat. Hæc nox fuit laborioſa & infelix. Aliàs piſcatores ex experientiâ norunt, quod nocte tranquillâ opportuniſſimum piſcaturæ tempus ſit: ſed hîc ex voto ſuccedere noluit, quia Petrus ſine auſpicio Dei rem aggreſſus fuerat. Idem hodiè non rarò Mechanicis contingit, ut orationis obliti laterem lavent, dicentes cum Petro: Nihil cepimus, Pſal.112.v.1.2.ult.

3. *Artificium*, quod à Chriſto didicit. Quia enim Chriſtus eum juſſit in altum ducere, & laxare rete: noluit mandatum hoc contemnere, ſed dixit: In verbo tuo laxabo rete, & concluſit multitudinem piſcium copioſam. Sic

Digitized by Google

Sic nos fideliter laboremus, quilibet in vocatione & functione ſuâ: ſed quod bonum eſt, operemur, Eph. 4. v. 28. ut ad Dei gloriam & proximi emolumentum vergat. Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere &c. Col. 3. v. 7.

Hic velim, examines te, mi Chriſtiane! annon quandoq; cum Petro, rete intempeſtivius, aut alio modo inconveniente laxaveris?

Nemo hîc facilè ſeſe excipere poterit. Multi virtute & robore, multi arte & peritiâ ſuâ nituntur, neq; Dei adjumento indigere ſe, ſibi perſvadent, ſicut Ajax Telamonius, qui parenti ad preces eum exhortanti hoc reſponſum dabat, ut Homerus teſtatur:

-- Ignavi vincant auxiliante Deo.

Alii rete ſuum in Diaboli nomine laxant, nec modò maledicunt, quando benedicere debebant, ſed utuntur etiam iniquâ ulnâ, menſurâ & pondere, omnia ad lucrum componentes, & undecunque etiam ex malo acquirentes, Sap. 15. v. 12.

Hîc tenuis ſucceſſus ſperandus eſt: Non enim poteſt accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cœlo, Joh. 3. v. 27. Sin autem dari ſibi debeat, ordinatè quærat oportet, *per Ora & labora*, quæ conjuncta eſſe debent, quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet, 2. Theſſ. 3, 10. Omnia verò ſanctificantur per verbũ, & orationem, 1 Tim. 4. v. 5. Obſervent hoc:

1. *Paſtores in Eccleſiâ*, ne in arte & eruditione ſuâ confidant: ſed in nomine Domini rete laxent, niſi inanem operam navare velint. Non enim ſufficientes ſumus à nobis, quaſi ex nobis: ſed Spiritus ſanctus nos idoneos facit, miniſtros novi teſtamenti, 2. Cor. 3, 5. Unde pius quidam Theologus ſub initium concionis ita orſus eſt: *Pater cœleſtis, ſine tuo Numine, nihil eſt in homine vigoris: Fili Dei, ſine tuo ſanguine nihil eſt in homine honoris: Spiritus ſancte, ſine tuo lumine nihil eſt in homine amoris.* Si ita fideles eccleſiæ miniſtri precationibus laborem ſuum inchoabunt, Deus benedictionem ſuam largietur, ne labor eorum inanis ſit, in Domino, 1. Cor. 15. v. ult.

2. *Gubernatores in Politiâ*, ne ſapientiâ & potentiâ ſuâ ſuperbiant, ſed in nomine Chriſti & ipſi rete ſuum laxent, & Deum orent, ut ſibi det cor docile, ut populum rectè judicare poſſint, & diſcernere inter bonum & malum, 1. Reg. 3. v. 9.

Hoc ita fieri optandum foret! Sed quàm parum obſervetur, B. Lutherus inter alia indicare voluit, verba ejus, quia ſcita ſunt, Germanicè huc transſcribere minus piget: In vielen Regimentern gehets alſo zu: Da ſitzt ein König / Fürſt und Regent für ſich ſelbſt weiſe und klug / und hat die Sach gefaſt bey allen fünff Zippeln. Darzu kompt denn ein Juriſt mit ſeinem Buch / und findet das Recht häuffig drinnen geſchrieben / ſo gewiß und klar / daß es nicht fehlen kan / darnach ein groſſer Hans / dem das Haupt viel zu klein iſt / für groſſer Vernunfft und Weißheit / der findets im Natürlichen Recht ſo gegründet / und tieff eingewurtzelt / daß es alle Welt nicht könne umbreiſſen. Zuletzt / läuten ſie alle zuſammen / und brummet die groſſe Glocken mit zu / das iſt ein Prælat / Biſchoff oder Theologus, Er ſey ſelbſt gewachſen / oder ſonſt gemacht / der bringet GOttes Wort / und die Heil. Schrifft. Da ſitzen dann die vier Seulen des gantzen Königreichs oder Regiments / die auch wol den Himmel tragen könten. Da iſt keiner / der hinauff gen Himmel ſeufzete / und ſuchte Rath und That bey Gott /

dann ſie es verächtlich vergeſſen/ als die es nicht bedörffen. Alſo muß denn unſer HErr GOtt dieweil droben müſſig ſitzen/und darff in ſolcher kluger Leute Rath nicht kommen / und ſchwätzt dieweil mit ſeinem Engel Gabriel/und ſpricht: Lieber/ was machen doch die weiſen Leute in der Rath-Stuben/ daß ſie uns nicht auch zu Rath nehmen? Sie ſollen noch wol einmahl den Thurn zu Babel bauen wollen. Lieber Gabriel/ fahr hin/und nim Eſaiam mit dir/und lieſe eine herrliche lection zum Fenſter hinein / und ſprich: Mit ſehenden Augen ſolt ihrs nicht ſehen/und mit hörenden Ohren ſolt ihrs nicht hören / und mit verſtändigen Hertzen ſolt ihrs nicht verſtehen. Beſchlieſſet einen Rath/ und es werde nicht drauß/ beredet euch / und es beſtehe nicht/ & factum eſt ita, So ſols geſchehen. Hactenus Lutherus.

Hæc verba Lutheri non inſuper habenda ſunt, ſic enim & non aliter evenit, quando ſine Deo conſilia ineuntur, ut Deus benedictionem ſubtrahat, & plerumque malè ſuccedat. Ideo optandum ſanè foret, ut in omnibus judiciis, Conſiſtoriis & Curiis hoc exemplum Petri parietibus inſcriberetur, ne ſine Dei invocatione temerè conſultarent, & agerent, nec dubitandum, quin ex voto feliciter quodcunq; ſucceſſurum ſit. Verum enim manet, quod cœleſtis ſapientia ait: Meum eſt conſilium, & potentia, ego ſum intelligentia, mea eſt fortitudo, Prov. 8. v. 14. 15.

3. *Patres familiâs in Oeconomiâ.* Quamvis enim ſæpè dura & difficilia multa ibi videantur, tamen fidelis oratio omnia temperare & benedictionem à Deo impetrare valet, ut Davidis illud velut verificetur: Labores manuum tuarum manducabis: Beatus es, & bene tibi erit, Pſalm. 128. verſ. 2.

Si ita res noſtras inſtituemus, & Deum in omnibus Autorem adhibebimus, erit ille nobiscum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi, Matth. 28. v. ult. omne conſilium noſtrum confirmabit, Pſ. 20. v. 5. labori noſtro benedicet, Luc. 5. v. 6. dabit nobis petitiones cordis noſtri, Pſal. 37. v. 4. & tandem eò transferet, ubi requieſcemus à laboribus noſtris, Apoc. 14. v. 13. ſabbathum ex ſabbatho celebrantes, in ſempiternum, Eſa. 66. v. 23.

III. *Societatem concordantem*, quia enim piſcium tanta copia erat, ut Petrus ſolus rete cum piſcibus in navem attrahere non poſſet, ideò annuit ſociis, qui erant in aliâ navi, ut venirent, & adjuvarent ſe, qui & promto obſequio ſuccurrerunt. Hoc indicium eſt, quòd in bonâ gratiâ fuerint, & ſibi invicem omnem benevolentiam præſtiterint. Hoc ipſo nos inſtruentes, ut & nos tempore neceſſitatis, proximum non derelinquamus, ſed omnia pietatis, amoris & benevolentiæ opera ei exhibeamus. Ubi enim fratres in unum habitant, illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam, uſque in ſeculum, Pſ. 133. v. 1. ult.

Hic proba te, utrum & tibi cum proximo tuo bene conveniat, eidemq́; ad ſalutis ſuæ promotionem adjumentum ſine tergiverſatione conferre, ſemper promtum te exhibueris?

Hoc quidem æquitas ipſa requirit, ſed friguit caritas multorum, Matth. 24. v. 12. E contrario verò invidentia tantas radices egit, ut ſemper alter alteri fortunam ſuam invideat, & ubi emolumentum ejus, caritate Chriſtianâ ita requirente, promovere deberet, potius impedimentum objiciet, cogitans iniquitatem, & tractans mala ſu-

Digitized by Google

per cubile ſuum, ut ea luce matutinâ perficiat, Mich. 2. v. 1.

Si proſperam ei fortunam Deus largiatur, vix ex viginti unus eſt, qui ei ex animo gratuletur, nemo non eſt, quin malit ſibi melius eſſe quàm alteri, Omnes quæ ſua ſunt, quærunt, Phil. 2. v. 21.

Quodſi verò rete rumpitur, & benedictio Dei evaneſcere videtur, itidem nemo eſt, qui ei ex animo condoleat, potius voluptatem capiunt ex proximi incommodis, dicentes: Euge, euge, viderunt oculi noſtri, Pſal. 35. v. 21. non eſt enim veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terrâ, Oſ. 4. v. 1. Sed vir fratrem ſuum decipit. Jer. 9. v. 5. 6.

Regiones quidem inveniuntur, ex quibus lupi exulant, ſicut in Britanniâ, & inſulæ in quibus animalia non inveniuntur venenata, ut de Cretâ hiſtoriæ memorant: at in toto orbe locus nullus eſt, in quo invidia non regnet, contemplatus ſum omnes labores &c. Eccl. 4. v. 4.

Sed *vitium eſt turpiſſimum*, quod omnes Chriſtiani cane & angue pejus fugere debent. Invidus enim ſibi ipſi nocumento eſt, *prim[illegible]atione corporis*, juxtà Flaccum:

Invidus alterius marceſcit rebus opimis.

Velut enim ærugo ferrum conſumit: ſic putredo oſſium, invidia, Prov. 14. v. 30. *Deinde ratione animæ*, quam hoc ipſo præcipitat in barathrum æternæ condemnationis. Inimicitiæ enim, invidiæ, æmulationes, iræ, rixæ ſunt opera carnis, qui talia agunt, regnum Dei non hæreditabunt, Gal. 5. v. 20.

De Secundo.

Tranſibimus nunc ad *alteram partem*, *χριστογνωσίαν* ſive *notitiam Chriſti*, contemplaturi. Hic nobis conſiderandus proponitur:

I. *Tanquam bonus concionator*,

1. *Ratione ſedulitatis*, quâvis enim occaſione fideliter munus ſuum exantlat, ubicunque homines ſeſe offerunt, qui verbum audiant, non ceſſat idem prædicare. Hîc navi pro ſuggeſtu uſus, egregiam concionem ex illa ad populum habuit. Sic ſemper diligens fuit in opere, ad quod in mundum miſſus erat.

Hoc olim præcipuum Epiſcoporum officium fuit, ideò Paulus ad Timotheum, quem Epiſcopum in Cretâ conſtituerat, ſcribit: Prædica verbum: inſta opportunè, importunè, argue, increpa, exhortare in omni longanimitate & doctrinâ. 2. Tim. c. 4. v. 2.

Quod etiam in primitivâ eccleſiâ fideliter obierunt, ſicut de Ludovico, Epiſcopo Toloſæ, qui Caroli Regis Galliæ filius fuit, hiſtoriæ referunt, quod eccleſiæ ibidem præfuerit, verbo & exemplo:

Sed quid hodie Pontifex cum Epiſcopis & Cardinalibus ſuis facit?

2. *Ratione veritatis*, non enim prædicavit inventa hominum: ſed verbum Dei, ut textus judicat.

Phariſæi & Scribæ etiam concionabantur: ſed pleræque conciones eorum eo tendebant, ut traditiones ſeniorum ſervarentur, & decimarentur, mentha & anethum, & cyminum, relinquebant autem, quæ graviora erant legis, judicium & miſericordiam & fidem, Matth. 23. v. 23.

Idem adhuc hodie facere tenentur miniſtri eccleſiæ, ut omnia ex ſcripturis probent, & in lege teſtamenti Domini glorientur, Sir. 39. v. 11. Ad legem & teſtimonium, Eſa. 8. v. 19. 20.

3. *Ratione brevitatis*, & ceſſavit loqui, textus ait, nempè cum penſum ſuum abſolviſ-

ſolviſſet,& quod auditoribus utile erat,protuliſſet.

Sic & eccleſiæ miniſtri brevitati ſtudere debent. Hoc conſilium B. Lutherus Matheſio, cum junior eſſet, & eundem conſuleret, ſuppeditavit: Si vides, Auditores in maximâ devotione eſſe,finem impone concioni: ſic eo libentius redibunt. Neque enim artis eſt, longas conciones habere:ſed hoc artis eſt, paucis multa comprehendere, & ita proferre, ut Auditores retinere queant, & ad uſum ſuum adhibere. Omnia ad ædificationem fiant. 1. Cor. 14. v. 26.

II. *Tanquam piſcium Dominator.* Hic enim audimus, quod, dum Petro largam piſcium capturam largiri vult, piſces gregatim ad ejus mandatum, rete intrare cogantur.

Hoc præclarum, divinæ Majeſtatis, omnipotentiæ & gloriæ τεκμήριον eſt,quæ ipſi per unionem perſonalem, & hanc ſecutam exaltationem ad dexteram Dei Patris,etiam quoad humanam naturam comunicata eſt. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, Pſal. 8. v. 8. 9.

Idem ſæpius probavit. Motu magno in mari facto, imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna, Matth. cap. 8. v. 26. 27.

Aliâ vice ſuper mare ambulavit, & Petro quoque poteſtatem hanc dedit, Matth. 14. verſ. 20.

Cum pecuniâ deſtitueretur, & didrachmam ſolvere deberet, Petrum juſſit piſcem capere, in cujus ore inventa eſt ſtatera. Matth. 17. v. 27.

Quam facile poſt reſurrectionem diſcipulis ſuis, qui piſcatum iverant, multitudinem piſcium procurare potuit? Mittite, dicebat, in dexteram navigii rete; & invenietis. Quod cum feciſſent, cœperunt centum quinquaginta tres. Joh. 21. v. 6. 11.

Ecce, Dominum potentiſſimum! Cujus manum pater cœleſtis in mari poſuit, & in fluminibus dexteram ejus, Pſal. 89. v. 26. Ergò hinc colligimus, quod verus Deus & Dei filius ſit. Sicut enim Dominus Balænæ dixit, & evomuit Jonam in aridum, Jon. 2. v. 11. Sic & Chriſtus mari obſequium imperavit. Hoc non hominis, ſed Dei opus eſt, qui omnia, quæcunque vult, facit, in cœlo & in terrâ, in mari, & in omnibus abyſſis. Pſal. 135. v. 6.

Quodſi itaque Creaturæ irrationales adeò promtè Chriſto obſeqvuntur: nos qui ratione præditi ſumus, multò magis verbo ejusdem obedientiam præſtemus. Niſi hoc fecerimus, creaturæ irrationales nos aliquando in judicio accuſabunt, & damnabunt. Cui enim multum datum eſt, multum quæretur ab eo, Luc. 12. v. 48.

III. *Tanquam meticuloſorum Conſolator.* Cum enim Petrus ſuper rarâ piſcaturâ hac conſternatus, & peccatorum ſuorum recordatus, genibus Chriſti advolveretur, inquiens: Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine: non abjicit eum Chriſtus, neque exit ab eo: ſed potius ait: ne metuas. q. d. peccata tua tibi remiſſa ſunto, non morieris, ſed potius columna eccleſiæ futurus es in regno meo. Sicut in præſentiâ locupletem piſcium capturam feciſti ad verbum meum: ſic in poſterum reti Evangelii homines plurimos ad regnum cœlorum capies, ut illi à viâ errorum converſi, ad vitam æternam conſerventur.

Petrus non rectè fecit, quod eum à ſe exire juſſerit, quem potius ad ſe vocare, & ut maneret ſecum, invitare debuiſſet: pro-

propterea hâc in parte imitatores ejus eſſe non debemus; aliquid humani paſſus eſt: potius quotidiè ſuſpiremus: Veni ad me Domine Jeſu! qui veniſti quærere, & ſalvum facere, quod perierat, Luc. 19. v. 10. Veni ad me, qui in mundum miſſus es, non ut judices mundum, ſed ut ſalvetur mundus per te, Joh. 3. v. 17.

Si hunc Dominum tecum habes, ſimul quoque cum eo habes juſtitiam, quæ Deo valet, 2. Corinth. 5. verſ. ult. habes eum, qui Advocatus tuus eſt apud Deum, 1. Joh. cap. 2. v. 1. Habes eum, quem Pater cœleſtis propoſuit propitiatorium per fidem in ſanguine ipſius, Rom. 3. v. 25. imò eum, cui omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere &c. Act. 10. v. 43.

Idcircò animoſus eſſe poteris in omnibus calamitatibus; non te deſeret, neque derelinquet, Hebr. 13. verſ. 5. Ne timeas. Eſa. 41. verſ. 10. Hoc tantum ſolatium eſt, quo in vitâ & morte nos ſuſtentare valemus, cum Davide dicentes; Dominus mihi adjutor, non timebo, Pſ. 118. verſ. 6. Et cum Paulo: Si Deus pro nobis, quis contra nos, Rom. 8. v. 31. In vitâ æternâ demùm nos conſolabitur ut mater, Eſ. 66. verſ. 13. & poſt vitæ hujus miſerias exantlatas, exhilarabit, ſuſcipiens nos in habitationem pacis, Eſa. 32. v. 18. ubi omnia, quæ propter nomen Chriſti deſeruimus, centuplo recuperabimus, Matth. 19. v. 29. ſequentes agnum quoquo ierit, Apoc. 14. v. 4. in tantâ lætitiâ & gloriâ, quam in his terris oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis adſcendit, 1. Cor. c. 2. v. 9.

Quam nobis omnibus largiri dignetur, cœleſtis Pater, per filium ſuum Jeſum Chriſtum, Dominum & Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum, Amen.

Dominica VI. poſt Trinitatis.

Evangelium, Matth. 5. v. 20. — 26.

EXORDIUM.

DE Melchiſedec nobis conſtat, quod non modò Rex Salem: ſed & Sacerdos Dei altiſſimi fuerit; cui Abraham de omnibus decimas dedit. Gen. 14. v. 15.

Hic Melchiſedec *typus Chriſti* eſt: ſicut non modò, Pſal. 110. v. 4. ſed & Epiſtola ad Hebræos ei applicat, c. 7. v. 3.

1. *Ratione nominis.* Melchiſedec enim interpretativè eſt *Rex juſtitiæ:* hoc optimè Chriſto convenit, qui non modò ex ſe, & per ſe eſt Sanctus ſanctorum, Dan. 9, 24. & juſtus Dei ſervus, Eſ. 53, 11. ſed meritus quoq; nobis eſt juſtitiam, quæ coram Deo valet, propterea vocatur Jehova zidkenu, Dominus juſtitia noſtra, Jer. 23. v. 6. eſt enim finis legis, ad juſtitiam omni credenti, Rom. 10. v. 4.

2. *Ratione generis.* Melchiſedec ſic deſcribitur, quod fuerit ſine patre, ſine matre, & ſine genealogiâ. Non quaſi ἀπάτωρ & ἀμήτωρ fuerit: ſed quia parentes ejus in ſcripturis non exprimuntur: De Chriſto autem potiori jure affirmari poteſt, quod verè

 ſit

ſit ἀπάτωρ juxta humanam naturam: & quoad divinam naturam ἀμήτωρ; generationem enim ejus quis narrabit? Eſa. 53. v. 8. nam egreſſus ejus ab initio eſt, à diebus æternitatis. Mich. 5. v. 7.

3. *Ratione muneris.* Melchiſedec erat Rex Salem, ſed & Sacerdos Dei altiſſimi: Sic Servator noſter *geminum officium* habet, & non ſolùm Rex Salem eſt, i. e. verus princeps pacis, Eſa. 9. v. 6. quem pater ſuus cœleſtis Regem conſtituit, ſuper Sion, montem ſuum ſanctum, Pſal. 2. v. 6. ſed etiam *Sacerdos Dei altiſſimi* eſt, qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo, in odorem ſuavitatis, Eph. 5. v. 2. Nec id modo: ſed & notas nobis fecit vias vitæ, Pſal. 16. v. ult. quomodo veram juſtitiam impetrare, & cœlum ingredi debeamus, ſicut in prælecto Evangelio audimus, quod ex profeſſo hâc de re agit, quando ſub initium Evangelii ait: Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus, quàm Scribarũm & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Poſteà legem exponit, quomodo intelligenda ſit, nempè, non de externâ duntaxat obedientiâ: ſed & de interioribus cordis affectibus, quos omnes perfectos, puros, & ab omnibus cupiditatibus alienatos eſſe oporteat, ſi legi ſatisfieri debeat.

Nos ſine ulteriori præloquio ad explicationem Evangelii nos conferemus, & tractabimus ex eodem:

I. Ανθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν ſive *notitiam Chriſti.*

I. I.

Exegeſis.

DE Meſſiâ prædictum eſt, quod purgaturus ſit filios Levi, & fuſuros eos, quaſi aurum, & quaſi argentum, Mal. 3. v. 3. Quod de Reformatione intelligendum venit, quam Jeſus in carnem venturus, inter Clericos Hieroſolymitanos exorbitantes inſtituere debebat: qui cariſſimum legis divinæ depoſitum peſſimè conſervaverant, turpiter adulteraverant, & traditionibus ſuis fermè funditus ſuſtulerant. Imprimis illud magno zelo egit, in prolixâ concione, quam in monte quodam Galileæ habuit, ex quâ prælectum Evangelium deſumptum eſt. Audiſtis enim, ait, quia dictum eſt Antiquis: Non occides. Qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo temere, reus erit judicio, & ſic ulterius.

Nos ex inſtituto noſtro, *notitiam noſtri* hinc dicere poſſumus, quando intuemur:

I. *Juſtitiam Phariſæorum*, de quâ Chriſtus in exordio Evangelii ait: Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus, quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Quales Phariſæi & Scribæ fuerint, id alio tempore memoratum eſt, nempè Legis interpretes, qui arrogarunt ſibi clavem ſcientiæ, Luc. 11. v. 52. à quibus lex perire non poſſet, Jer. 18 v. 18. Imprimis verò Phariſæi præ aliis palmam ſibi attribuerunt, unde & Separati appellati ſunt, qui noluerunt eſſe, ſicut cæteri homines, Luc. 18. v. 11. Sed Chriſtus planè eoſdem non probat, verùm rejicit juſtitiam eorum, expreſsè dicens diſcipulis ſuis: niſi alii juſtitiæ ſtuduerint, non eos regnum cœlorum ingredi poſſe. Chriſtus enim via ad cœlum eſt. Joh. 14. verſ. 6. nec eſt in alio quopiam ſalus. Act. 4. v. 12.

Hic proba te, mi Chriſtiane! annon Phariſæos imitatus, operibus tuis nimiũ adſcripſeris, aut per hypocriſin Phariſaicã peccaveris?

Pha-

Phariſæorum juſtitia fuit

1. *Juſtitia externa*, opinabantur enim, ſi legi externam modò obedientiam præſtarent, neminem manu occiderent, non adulterarentur, aut proximi bona vi abriperent, & ita ulterius: ſe coram Deo juſtos eſſe, & vitam æternam jure ſibi deberi, ſicut adhuc hodiè Judæi in vanâ hâc perſvaſione verſantur.

Verùm, ſicut Deus cor intuetur, 1. Sam. 16. v. 7. ſic etiam idem ab omnibus pravis concupiſcentiis purum eſſe oportet, ſi legi divinæ ſatisfacere velimus. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, Deut. 6. v. 5. & proximum tuum ſicut teipſum, Levit. 19. v. 18. Niſi hoc fiat, phariſaica eſt juſtitia, de quâ Chriſtus ait: Appropinquat mihi hîc populus ore ſuo, Matth. 15. v. 9.

2. *Juſtitia mercenaria*: operibus enim ſuis cœlum promereri ſatagunt, & quærunt juſtificari per legem, quod tamen impoſſibile legi eſt, Rom. 8. v. 3. ſed jugum, quod neque patres noſtri, neq; nos portare potuimus, Act. 15. v. 10. Breviter: quod non eſt ex fide, peccatum eſt, Rom. 14. v. ult. Atqui Phariſæorum opera ex fide proficiſci non poterant, quia fundamentum evertebant, & inchoatorem & conſummatorem fidei agnoſcere nolebant, Hebr. 12. v. 2. Ideoque iisdem cœlum promereri non potuerunt, ſicut nos omnes ſervi inutiles ſumus, nihil merentes, ut ut vitam pro virili ad legem ſervandam componamus, ſed facimus tantùm, quod facere debuimus, Luc. 17, 10.

3. *Juſtitia ſuperba*, opera enim ſua tantùm faciebant coram hominibus, ut viderentur ab iis, Matth. 6. v. 1. c. 23. v. 5. Id iniquum erat. Uxor honeſta, non ideò ornat ſe, ut aliis, ſed marito ſuo placeat, ſicut de Phocionis uxore dicitur, quòd cùm, ut cultius ſe veſtiret, exhortata eſſet, reſponderit: *Mihi Phocion mundus eſt, jam viceſimum annum Dux Athenienſis.* Sic noſtrûm eſt, ad Chriſti placitum, non alterius noſmet decorare. Quia maritus tuus erit, qui fecit te, Dominus exercituum nomen ejus, & Redemtor tuus ſanctus Iſraël, Pſal 54. v. 5. Meretricius verò ornatus eſt, quando bona patramus, ut laudem venemur, & hominibus placeamus. Ideoque opera ejuſmodi ad oſtentationem compoſita, cum ſcortatoribus & adulteris partem habebunt. Apoc. 21. v. 8.

4. *Juſtitia falſa & hypocritica*: Exterius enim videbātur ſancti, interius verò in corde erant malitioſi, habentes ſpeciem pietatis, 2. Tim. 3 v. 5. Alligabant onera gravia & importabilia, Matth. 23. v. 4. 13. 23. 24.

O juſtitiam pauperrimam! Hâc ſanè ratione in regnum cœlorum nemo veniet, nec coronam juſtitiæ reportabit, quam Dominus promiſit adventum ſuum diligentibus, 2. Tim. 4. v. 8. Spes enim hypocritæ peribit, Job. 8. v. 13. 14.

Cum Chriſtus ficum videret ſecus viam, in quâ folia tantum invenit, maledixit illi, Matth. 21. v. 19. Hypocritæ ſunt arbores fici ejusmodi, nil niſi folia habentes, ideò maledicti ſunt, & tandem ut arbores ſteriles excidentur, & in ignem mittentur, Matth. 3. v. 10. ubi urentur in ſempiternum, Judith. 16. v. 21.

5. *Juſtitia humana*: Ipſi enim ſibi varias traditiones confixerant, quas majoris æſtimabant, quàm mandata Dei: propterea rectè à Chriſto redarguebantur, Matth. 15, 2. Deo enim magis obediendum eſt, quàm hominibus, Act. 5. v. 29. Hinc Deus expreſsè ait: In præceptis patrum veſtrorum nolite incedere, Ezech. 20. v. 18. 19.

Quodſi vitam noſtram ad hanc Phariſaicæ juſtitiæ delineationem examinaverimus, reperiemus, quod inter Chriſtianos major Phariſæorum numerus inveniatur, quàm ipſi cenſeamus. Judas enim multos fratres reliquit, qui Chriſtum oſculantur & ſalutant, Luc. 22, 47. ſed intereà ſeptem abominationes ſunt in corde eorum, Prov. 26. v. 25. Omnia enim, quæ bene agunt, ſunt vapor tantùm ad modicum apparens, & deinceps non apparet, Jac. 4. v. 14. Os precatur, cor imprecatur; exterius nitent ut oves: interius fætent ut hædi, qui libertatem Chriſtianam habent, velut velamen malitiæ, 1. Petr. 2. v. 16.

Veri Chriſtiani abſtineant hâc hypocriſi. In Chriſto Jeſu enim veritas, Eph. 4, 21. Et quemadmodum Deus in V. T. cygnum avibus immundis annumeravit, de quibus Iſraëlitis neq; comedere neq; ſacrificare fas fuit: ſine dubio ex hac ratione, quia carnem nigram habent, quam niveis pennis tegunt, Levit. 11. v. 17. Sic & ejusmodi hypocritæ exterius ſpecie boni ſuperbiunt: at interius nigri ſunt, & pleni vitiorum, ideoq; Deus eosdem deteſtatur & diſperget, Pſ. 12, 4.

II. *Species homicidiorum.* Audiſtis, ait Chriſtus, quia dictum eſt Antiquis: Non occides. Qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, &c.

Antiquorum nomine hîc non intelliguntur, Sancti Patriarchæ & Prophetæ, qui in V. T. vixerunt, quibus verus quinti præcepti ſenſus non abſtruſus fuit, ſicut & in lege Moſaicâ, odium, ira, cum vindictâ expreſsè prohibita ſunt, Levit. 19. v. 17. 18. Sed Majores Judæorum ab aliquot ſeculis, qui poſt Prophetarum tempora in vivis fuerunt, qui legem Dei inventis hominum ita adulteraverant, & ut Dei mandata commendatum ibant.

Rem ipſam quod attinet, duplici modo contra quintum præceptum peccari poteſt:

1. *Facto externo*, quando proximus bombardis, ferro vel veneno, aut ſimili modo necatur, vel alii necando traditur, aut proditur, ſicut Abſolon pueris ſuis fratrem Amnon percutiendum imperavit, 2. Sam. 13. v. 28.

Homicidium eſt, quando conceptio impeditur, Gen. 38, 9. ſive medicinâ fœtus interficitur vel depellitur, ſeu mulier prægnans percutitur, ut abortum faciat, Exod. 21. v. 22. aut opprimitur infans in ſomno, 1. Reg. 3. v. 19.

Homicidium eſt, quando proximus per proditionem hoſtibus traditur, aut peſtilentiâ & aliis morbis contagioſis inficitur, aut falſo teſtimonio oneratur, quo occaſio ejus morti præbetur; aut in egeſtate relinquitur, ubi adjuvari potuiſſet.

Huc quoq; *αὐτοχειρία* pertinet, quando homo ſibi ipſi manus infert, & vel gladio ſe perimit, uti Saul, 1. Sam. 31. v. 5. vel ſuſpendit, ſicut Judas, Matth. 27. v. 5. vel de ſaxo ſe præcipitat, uti Rhatis, 1. Macc. 14. v. 43.

Homicidium eſt, quando cum proximo iraſcimur, aut alteramur, & irati maledictis illum impetimus, aut clandeſtinò famam ejusdem ſugillamus, quo ipſo, incommodum vel mors ei attrahitur, ſicut Sacerdoti Abimelech à Doëg contigit, 1. Sam. 22. v. 18. hoc ſcripturæ vocatur, linguâ percutere, Jer. 18. v. 19. Pſal. 57. v. 5.

Homicidium eſt, quando proximo maledicimus & mala imprecamur, ſicut Bileam conductus eſt ad maledicendum Iſraëlitis, Num. 22. v. 6. Item: quando judicamus & condemnamus eum, ut incolæ inſulæ Melitæ

litæ Paulo fecerunt, Act. 28. v. 4. item quando rixantes mordemus, & comedimus nos invicem, Gal. 5. v. 15.

Homicidium eſt, quando iracundiam geſtibus externis indicamus, ut Cain, Gen. 4. v. 5. & Laban, Gen. 31. v. 5. Cor enim hominis immutat faciem ejus, Sir. 13. v. 31.

Sic & proximus occiditur, quando deridemus eum, Luc. 16. v. 14. aut ſtridemus dentibus in eum, Act. 7. v. 54. aut ſpiramus minas, Act. 9. v. 1. aut murmuramus velut operarii in vineâ, Matth. 20. v. 11. & ſi qui geſtus plures ſint, quibus animus vindictæ cupidus proditur.

2. *Motu interno*, quando odio & invidentiâ implacabili proximum proſequimur, ſicut Eſau Jacobum, Gen. 27. v. 11. ſeqq. Haman Mardochaî, Eſth. 3. v. 5 Saul Davidem, 1. Sam. 22 ſeqq.

Sic adhuc hodiè nihil familiarius eſt, quàm ut alter alterum odio habeat, idq; ſæpe ſine ratione, ubi nulla offenſio interceſſit, ſicut & Martialis ait:

Non amo te, Sapidi, nec poſſum dicere quare,
Hoc tantum poſſum dicere, non amo te.

Quicquid hujus ſit, homicidium ſanè in oculis Dei eſt Omnis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt, 1. Joh. 3. v. 15.

Hic quilibet cor ſuum inſpiciat, & probet, annon modo horum aliquo, contra quintum præceptum deliquerit, & cædis reum ſe fecerit?

Quis juſtificare ſe hîc poterit? Siquidem mundus nihil aliud eſt quàm ſpelunca latronum: & poſtquàm terra parricidio ſanguinis Abelis irrigata eſt, jam continuò cruorem humanum ſitit, eoq; non poteſt exſaturari: hinc indies Diabolus operoſus eſt ad nova bella excitanda, ut ſanguis humanus effundatur, tanquam aqua, Pſ. 79, 3.

Ne jam multa dicam, de odio, invidiâ, irâ, rixis & diſſenſionibus, quæ ubiq; invaluerunt, & pro peccatis non reputantur. Imò multi ideò ſacrâ cœnâ abſtinent, & peccata peccatis cumulant, quia cor ſuum invidioſum & vindictæ cupidum ſuperare nolunt, & in gratiam cum proximo redire, quin potius ſalutis jacturam faciant. His via complanata lapidibus, profunditas inferni, Sir. 31. v. 11.

Veri Chriſtiani abſtineant hiſce vitiis, & caveant, ut iram in pectore ſuo alant, aut vindictam exerceant; Deo potius eandem commendent, qui juſtus judex eſt, cujus oculi aperti ſunt ſuper omnes vias filiorum hominum, Jer. 32. v. 19.

III. *Leges reconciliandorum*, quas Chriſtus tam offendenti, quàm offenſo præſcribit. Offendentem Chriſtus ita alloquitur: Si ergò offers munus tuum ad altare, &c.

In his verbis offendens à Chriſto jubetur, injuriam ſuam agnoſcere & offenſo pro qualitate delicti ſatisfacere: ſi furto læſit, ut reſtituat, ſicut Zachæus, Luc. 19. v. 8. Si diffamavit, & famam depeculavit, ut palinodiam canat, & deprecetur; niſi enim hoc fiat, offenſus non tenetur ei condonare, juxta illud Chriſti, Luc. 17. v. 3. 4. Sicut nec Deus pater cœleſtis eos, qui ad frugem redire & peccata deprecari nolunt, gratiâ & veniâ dignatur. Sed in hoc caſu probè obſervanda eſt Regula S. Auguſtini: *Vitia non homines oderis*: præterea omnia media tentanda ſunt, quibus offenſor ad agnitionem, & deprecationem adduci poſſit, ſic ſalvaſti animam ejus à morte, & operies multitudinem peccatorum, Jac. 5. v. 20.

Offenſum verò quod attinet, jubet eum

Chri-

Chriſtus, ut conſentiens ſit adverſario ſuo, & quidem citò, dum eſt in viâ cum eo, & tempus remittendi. Quod conſentit cũ illo Siracidis: Omnis injuriæ proximi ne memineris, Sir. 10. v. 6. & Paulus ait: Induite ergò ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, Col. 3. v. 12. ſeqq.

Hic examines velim te, utrum ad regulas hasce præſcriptas conformaveris te, & non modo ab offenſo tuo gratiam delicti petieris: ſed & ab eo rogatus facilem te & promtum exhibueris?

Hoc ita fieri debet, ſi Chriſti genuini diſcipuli eſſe velimus. Eſt enim mandatum novum, quod Apoſtolis ſuis & nobis omnibus proximè ante abitum ex hoc mundo dedit, Joh. 13, 34. Hinc clamat: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, Matth. 11. v. 29.

Sed parum obſervatur in mundo hoc rixoſo. Magnates & principes, ſæpè de lanâ caprinâ contendunt, & bella excitant, quod qui vilioris conditionis ſunt imitantur, dum iracundiæ frena laxant, & ad omnem injuriam proximo inferendam proni ſunt.

Sed graviter hoc ipſo peccatur. Ira n. viri juſtitiã Dei non operatur, Jac. 1, 20. Propterea veri Chriſtiani illam fugere, & manſvetudini ſtudere debent, ne vincantur à malo, ſed vincant in bono malum, Rom. 12. v. ult.

Fecit idem Rex Saul, 1. Sam. 10. v. 27.

Julius Cæſar, cum à quopiam offenſus eſſet, adeò non commovebatur, ut diceret: *Indignus eſt Cæſaris irâ.*

Sic & Socrates cum à quodam calce impeteretur, amicis vindictam ſvadentibus, reſpondit: *Quod ſi me aſinus calcibus peteret, num dicam ipſi ſcriberem?* Sic non nimis injuriam illatam exaſperare debemus: *Quibusdam canibus innatum eſt, ut non pro feritate, ſed pro conſvetudine latrent*, inquit Seneca. Sic & cum hominibus nonnullis quaſi natum eſt litigium, ita ad contentiones proni ſunt. Patientiâ itaque veri Chriſtiani inſtructi ſint oportet, ne à contentioſis hujusmodi ad iram irritentur, ſiquidem verum eſt illud Poëtæ:

Fortior eſt, qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit
Mœnia, nec virtus altius ire poteſt.

Quod Salomo ſic explicat: Melior eſt patiens viro forti: & qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium, Prov. 16, 32.

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alteram partem*, χαρακτηρισμὸν, ſive *notitiam Chriſti* meditaturi. Hic nobis proponitur in Evangelio hoc contemplandus

I. *Tanquam veræ juſtitiæ commendator*, ideò ait ad Diſcipulos ſuos: Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus, quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Qualis illa eſt juſtitia?

Hæc eſt, quam Chriſtus nobis acquiſivit. Egemus enim gloriâ Dei, Rom. 3. v. 23. Qui poteſt dicere: mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? Prov. 20, 9. At quod nobis natura denegavit, juxta quam ſumus filii iræ, Eph. 2, 3. Id impetravimus ex gratiâ, per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, Rom. 3, 24. qui factus eſt nobis ſapientia a Deo, & juſtitia, & ſanctificatio & redemtio, 1. Cor. 1, 30. Quæcunque itaque nobis hâc in parte deſunt, in ipſo invenire poſſumus, & gratiam pro gratia accipere, Joh. 1. v. 16.

Juſtitia ejus eſt

I. *Juſtitia conſummata*, Non enim ſaltem totam legem implevit, eiq; pro nobis perfectam

fectam obedientiam præſtitit: ſed & maledictionem legis ſuſtulit, nobisq; adoptionem filiorum impetravit, Gal.4.v.4. Sicut igitur per unius delictum &c. Rom.5,18.

2. *Juſtitia imputata*. Non enim in nobis inhæſivè eſt, veluti peccatum: imputatur autem nobis per fidem. Rom. 4. v. 23. Peccata quæ in nobis ſunt, Deus nobis non imputat: ſed propter Chriſtum nos pro ſanctis reputat, quem fides cum omnibus beneficiis ſibi applicat, & appropriat, ideò ait Paulus: Juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes, qui credunt in eum. Rom. 3. v.22.

3. *Juſtitia gratis data:* Deus enim donavit nobis omnia delicta, Col. 2. verſ.13. & in Chriſto nos adoptavit, cum adhuc peccatores eſſemus, Rom. 5. v 8. ideo omnis juſtitia noſtra hîc excluſa eſt, utpote, quæ in oculis Dei eſt ſicut pannus menſtruatæ, Eſa. 64. v. 6. Quid igitur illâ mereamur?

Sunt noſtra facta perdita,
Stipendium iracundia.
Es iſt mit unſerm Thun verlorn /
Verdienen doch nur eitel Zorn.

Optimum eſt, ut coram Deo humiliemus nos, & cum Prophetâ dicamus: In Domino ſunt juſtitiæ meæ, Eſa.45.v.24.

4. *Juſtitia ſalvifica*, quæ eos, qui eidem operam dant, in cœlum promovere poteſt. Qui enim eâ caret, ait Chriſtus non intrabit in regnum cœlorum. Ex quo ſequitur, quod is, qui eandem habet, regnum cœlorum hæreditare poſſit.

Magnum hinc redundat in nos ſolatium! In regno enim Dei mors non amplius erit, Apoc.21.v.4. Sed juſti in perpetuum vivent, Sap.5.v.16. & in habitatione pacis ſedebunt, Eſa.32.v.18. ubi plenitudo gaudii. Pſal.16.v.ult.

In regno Salomonis aurum & argentum abundabant, & tanta magnificentia & gloria erat, ut Regina Arabiæ non ſatis mirari poſſet, 1.Reg.10.v 6.7.

Ea omnia in regno Dei magnificentiora erunt, nemo enim ſimilis ei, Pſal 35.verſ.10. Ideoque omnia, quæ in mundo hoc magni æſtimantur, umbra tantum ſunt, reſpectu gloriæ, ad quam evehendi ſumus, utpote; quam Paulus appellat: δόξαν καθ' ὑπερβολὴν, εἰς ὑπερβολὴν, 2.Cor.4.v.17.

Ahasverus Mardochæum regio Diademate ornari, ſtolâ Regiâ indui, in equo equitantem per Hamam in plateâ civitatis circumduci, & coram ipſo clamari juſſit: Sic fiet viro, quem Rex volet honorare, Eſth. c.6.v.10.

Multò major erit gloria piorum in vitâ æternâ, quando eos Deus coronabit coronâ juſtitiæ, 2.Tim. 4. v. 8. & per Angelos, in opprobrium Diaboli & impiorum circumagere in cœleſti Hieroſolymâ jubebit, ut ſtent in magnâ conſtantiâ adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt. Sap.cap.5.v 1. & ſeqq.

5. *Juſtitia indubitata*, quâ in vitâ & morte confidere poſſumus. Dominus enim dixit, qui non fallit, 1.Sam.15.v.29. nec facit irrita, quæ proceſſerunt de labiis ſuis. Pſal.89.v.35.

Cum carceris cuſtos Philippis quæreret: quid me oportet facere, ut ſalvus fiam? Reſpondebat Paulus: Crede in Dominum Jeſum, & ſalvus eris tu. Act.16.v.30.

Idem ſi fecerimus, de ſalute nequaquam dubitare debemus, ſed cum Paulo quilibet dicere poteſt: Scio cui credidi. 2.Tim.c.1. v.12. Fides enim eſt ſperandarum ſubſtantia, rerum argumentum non apparentium. Hebr.11.v.1.

II. *Tanquam legis enucleator.* Scribæ & Phariſæi adinventionibus ſuis & gloſſis legem Dei mirè depravarant, & in alienum ſenſum detorſerant, ſed Chriſtus ſcoreas ab auro ſeparat, Diſcipulisque ſuis, & hodie nobis omnibus verum & genuinum ejus ſenſum indicat. Audiſtis, ait, quia di-ctum eſt antiquis &c. Confer Matt.5. v.27. 28.33.37.

Pontificii contendunt, Chriſtum hîc novum præceptum promulgaſſe, quod in V. Teſt. incognitum fuerit, habere autem magis rationem *conſilii*, quàm *præcepti*, nec omnes concernere Chriſtianos : ſed eos duntaxat, qui in ſanctitate aliis palmam præripere velint. Sed falſum id eſt. In lege enim Moſis ſemina planè præcepta occurrunt, quæ idem, quod Chriſtus Matth.5,21. ſeqq. mandavit, requirunt. Non oderis fratrem tuum in corde tuo. Item: Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Levit.19.v.17.18.

Similiter in decimo præcepto dicitur: Non deſiderabis uxorem proximi tui. Item: Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum. Exod.20.v.16.17. & ſic conſequenter. Quapropter Chriſtus nihil novi hîc protulit: ſed ſaltem legem, per traditiones Phariſæorum depravatam, renovavit. Id enim officium ejus requirebat, ut nobis voluntatem patris cœleſtis annunciaret, Joh.1. v.18. Atqui voluntas Dei immutabilis in lege tradita eſt. Hujus itaque genuinum ſenſum Chriſtus nobis indicavit, ut ſciremus, quid faciendum & omittendum foret. Idque optimè præſtare potuit. Nemo enim novit patrem niſi filius, & cui filius voluerit revelare, Matth.11.v.27.

Nos hinc *admonitionem* capiamus, ut vitam noſtram ad legem divinam quantum poſſumus, componamus. Chriſtus enim perſpicuè indicavit nobis, quid bonum ſit, & quid Dominus à nobis requirat, Mich.6. v.8. propterea nemo excuſationem habebit de peccato ſuo, Joh.15.v.22. ſed multis vapulabit, Luc. 12. v. 47. Scienti enim bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi. Jac.4.v.ult.

III. *Tanquam iræ deteſtator*, Omnis enim, ait Chriſtus, qui iraſcitur fratri ſuo temerè, reus erit judicio i. e. in judicium citabitur, criminaliter accuſabitur, & velut homicida ad tormenta infernalia damnabitur.

Hoc de irâ privatâ intelligendum eſt, ſicuti vocula εἰκῆ temerè, quæ ſtudio additur, indicat.

Neque enim Magiſtratus ad flagitia impiorum connivere debet : ſed meminiſſe, cur gladium geſtes, Rom.13.v.4.

Sic & miniſtri eccleſiæ delinquentes durè increpent, Tit.1. v. 13. Secus enim canes muti erunt, Eſa 56. v.10. quibus ratio reddenda de ſanguine amiſſo, Ezech.3. v. 18.

Idem facere debent Patres & matres familiâs, ne pœnam Eli incurrant, 1. Sam. 3. v. 13.

Hoc modo bonum eſt æmulari in bono, Gal.4.v.18. ſic enim iraſcitur, & non peccatur, Pſal.4.v.5.

Alia ratio eſt de irâ privatâ, quâ proximus odio habetur, & offenditur, hæc enim ad opera carnis pertinet, talia qui agunt, regnum Dei non hæreditabunt. Gal. cap. 5. v. 20.21.

Fugiamus itaque iram, de quâ Poëta: *Ira furor brevis eſt.*

Et Cato interrogatus, quale diſcrimen inter iracundum & furioſum eſſet, reſpondit: *Temporis mora.*

Ex ira Cain fratrem Abelem occidit, Gen.4. v.8. Ex irâ Saul generi ſui vitæ inſidiatus eſt, 1.Sam.19. v.10. Ex irâ juravit David, ſe non relicturum de omnibus in domo Nabalis, ne mingentem ad parietem, 1.Sam.25.v.22. Ex irâ occidit Herodes pueros Bethlehemiticos, Matth.2.v.16.

Ex iracundiâ adhuc hodie multi committunt talia, quæ corpori & animæ exitio ſunt. Stultum occidit indignatio, & inſipientem zelus. Job.5.v.2.

Quando itaque iracundia infeſtat nos 1.*Speculum conſulamus*, intuentes nos, quomodo eadem nos depravarit. *Ira enim quædam hominis dæmoniaci effigies eſt*, ait Baſilius.

2. *Humilitati ſtudeamus.* Qui enim nimium ſibi tribuit, & omnia ad libitum affectat, facilè ad iram provocari poteſt. Qui verò humilitate præditus eſt, ad omnem fortunam patiens erit. Sicuti igitur inter ſuperbos ſemper jurgia ſunt, Prov. c.13. verſ.10. Sic humiles facilè pacem colent, quia in humilitate ſibi invicem ſuperiores arbitrantur, Phil.2. v.2.

3. *Nihil in irâ faciamus*, ſed ante orationem Dominicam recitemus, ut Ambroſius Theodoſio hoc conſilium dedit.

Quia verò imprimis *Patientia* requiritur, quæ non cuilibet in promtu eſt, ideò à Deo eandem rogemus oportet, qui propterea Deus patientiæ vocatur. Hoc ſi fecerimus, iræ valedicentes, Deus nos à futurâ irâ liberabit & in regnum ſuum ſuſcipiet. Quod ita fiat, per Chriſtum Jeſum, Amen.

* * *

Dominica VII. poſt Trinitatis.

Evangelium Marc. 8. v.1. — 9.

EXORDIUM.

Patriarcha Abrahamus habuit Procuratorem, qui præfuit omnibus facultatibus, & reliquo famulitio ejus, Gen.24. v.2.

Sic & Pater cœleſtis Procuratorem conſtituit: qui eſt filius ſuus, Servator noſter, Jeſus Chriſtus: huic domum Univerſi hujus, nec non domum Eccleſiæ adminiſtrandam concredidit. Omnia enim ſubjeciſti ſub pedibus ejus, ait David, Pſal.8.v.8.9. in eo, quòd omnia ei ſubjecit, nihil dimiſit, non ſubjectum ei, Hebr.2.v.8.

Imprimis vero *ſeptem Claves* fidei ejus commiſit, quibus pro re natâ claudere & recludere poteſt, ſicut aliàs, Domus Procurator clavibus inſtructus, & promus condus eſt eorum, quæ ad rem familiarem neceſſaria ſunt.

1. Eſt *clavis cœli*, quâ cœlum reſerat, theſaurum ſuum optimum, & tribuit pluvias terræ in tempore ſuo, Deut.28 12. & effundit benedictionem, usque ad abundantiam, Mal.3.v.10.

2. Eſt *clavis frumenti*, quâ terram aperit, & educit panem de terrâ & vinum, Pſal. 104.v.14. ut comedamus veſcentes, & ſaturemur, Joel.2.v.26.

3. *Clavis puerperii*, quâ clauſam matricem recludit, & habitare facit ſterilem in domo, matrem filiorum lætantem. Pſ. 113. v ult. ut exemplum Rahel teſtatur, quæ pro libitu ejus, modò ſterilis, modo fœcunda fuit. Gen. 29 v. 31. 30. v. 22.

4. *Clavis verbi*, eſt enim Dominus, qui habet clavem David, Apoc. 3. v. 7. & aperire poteſt librum ſcriptum intus & foris, ſignatum ſigillis ſeptem. Apoc. 5. v. 1.

5. *Clavis corculi*, quâ corda aperire, & ad pœnitentiam diſponere poteſt, ut exempla Lydiæ, Act. cap. 16. verſ. 14. Et diſcipulorum Emaunticorum teſtantur, Luc. 24. v. 45.

6. *Clavis ſepulchri*, quâ aliquando tumulos noſtros aperiet, & educet populum ſuum de ſepulchris ejus, Ezech. 37. verſ. 12. Hinc ait: Fui mortuus: & ecce ſum vivus in ſecula ſeculorum &c. Apoc. 1. v. 18.

7. *Clavis paradiſi*, quâ omnibus peccatoribus pœnitentibus januam vitæ æternæ reſerat, proptereà ait ad latronem: Hodiè mecum eris in paradiſo, Luc. 23. v. 43.

Quando igitur indigemus donis *corporalibus*, *ſpiritualibus* & *cœleſtibus*, à Domino hoc, ea petere debemus, qui dat omnibus ſimpliciter, & non improperat, Jac. 1, 5. Non enim poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cœlo. Joh. 3. v. 27.

In prælecto Evangelio utitur *clave verbi*, & egregiam concionem habet ad populum: utitur *clave cordis*, & aperit corda eorundem, ut cum devotione auſcultent, & tres dies in eo fervore perſeverent. Utitur quoque tandem *clave panis* ſive *frumenti*, eaq; recludit domum ſuam frumentariam, dum ſeptem panibus & paucis piſciculis auditorum ſuorum quatuor millia cibavit, exceptis uxoribus & parvulis, & ſaturavit: ſuperantibus de fragmentis ſeptem ſportis, ut ex Evangelio præſente patet.

Nos abſque ulteriori præfamine accingemus nos Evangelio prælecto, tractaturi ex eodem:

I. Ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri*.
II. Χριστολογίαν, ſive *notitiam Chriſti*.

J. J.

Exegeſis.

Ubicunque fuerit cadaver, illic congregabuntur & aquilæ, ait Servator noſter de ſeipſo, Matth. 24. v. 28. Hoc ita factum eſt, cum in diebus carnis in mundo peregrinatus eſt; tùm populus ad eum certatim confluxit, quia non modò ægrotos ſanabat: ſed & ceu poteſtatem habens docebat, & ita ſalutaris animæ & corporis medicus erat, qualis nunquam viſus fuerat, ut ex prælecto Evangelio luculentum exemplum habemus.

Hîc enim anſam ad *notitiam noſtri* meditandam nobis ſubminiſtrat:

I. *Populus præſens*, de quo Evangeliſta ita ait: In diebus illis, cum turba multa eſſet, nempè ut inferius exprimitur, quatuor millia, & quidem uti Matthæus addit: χωρὶς γυναικῶν ϗ παιδίων, Matth. 15. v. 38. Cauſa cur Chriſtum ſequuti ſint, fuit non modo auxilium mirabile, quò infirmis ſubvenit: ſed & deſiderium verbi divini: parum enim ſolatii ex concionibus Phariſæorum haurire poterant: Chriſtus verò prædicabat remiſſionem peccatorum, Matth. 4. v. 17. & promittebat ad ſe venientibus refectionem, & requiem animarum, Matth. 11. v. 28.

Hæc concio ipſis pergrata erat, ideoque omnibus negotiis aliis poſthabitis Prophetam hunc inſequebantur, ſine cibo & potu

cum

cum eo perſeverantes triduo, ut Chriſtus ipſe teſtatur.

Quilibet hic ſcrutetur ſe & probet, utrum etiam tanto zelo, Chriſto approperet, quando per miniſtros ſuos in Eccleſiâ prædicat, in eaq; conſtanter perſeveret?

Utinam id fieret! Sed experientia diverſum teſtatur. Quando nuptiæ aut epulæ quædam adeundæ ſunt, tum quilibet ita ſe comparat, ut juſto tempore compareat: ſed ad eccleſiam non perinde maturatur. Nonnulli templo neglecto, domi reſident, leviter æſtimantes, ſive audiant verbum ſive minus. Alii quidem in templo comparent, ſed moram diuturniorem ægrè ferentes, ante abſolutam concionem diſcedunt.

His meritò ruborem incutere debet populus hic, qui Chriſtum per longum iter ſecutus, triduum cum eo manſit, in tanto fervore, ut famem tolerare, quàm concionibus ejusdem carere maluerit.

Simili zelo præditi fuerunt, David, Pſal. 27. v. 4. Hanna, Luc. 2. v. 37. Maria, ſoror Lazari, Luc. 10. v. 42. Cornelius, centurio Cæſareæ, Act. 10. v. 33.

Hæc exempla nos imitantes, pari zelo ad verbum divinum properare debemus. Hoc enim unicum eſt neceſſarium, Luc. 10. v. ult. reliqua omnia πάρεργα ſunt, unde Chriſtus: Quærite primùm regnum Dei & juſtitiam ejus. Matth. 6. v. 33.

Imprimis verò noſtrum erit, ut ad exemplum populi hujus, *triduum* cum Chriſto maneamus.

Primus dies vocari poteſt *dies Solis*, quando proſperâ fortunâ utimur, ut promtuaria noſtra ſint plena, educentia de frumento in frumentum, Pſal. 144. v. 13. 15. tum enim cavendum eſt, ne abutamur felicitate hâc, dicentes: Quis eſt Dominus? Prov. 30. v. 9. ſed potius inde occaſionem capiamus, Chriſto Domino noſtro, qui ſol juſtitiæ eſt, Mal. 4. v. 2. eò majores gratias agere, nec minus orare, ut dare nobis velit cor αὐταρκὲς, ne divitiis abutamur, & à verâ pietate iisdem abſtrahamur, ſicut David magnus Rex fuit, nullâ inopiâ laborans, & tanti tamen verbum Dei æſtimavit, ut ſuper millia auri & argenti dilexerit, Pſalm. 119. v. 72.

Secundus dies eſt quaſi *dies Lunæ*. Veluti enim luna ſubinde immutatur & decreſcit: ſic etiam in vitâ hâc nihil ſtabile & permanens eſt: Deus enim malam diem facit ſicut bonam, Eccleſ. 7. v. 15.

Don Alvaro de Lunâ, eques Ordinis Teutonici, in ſymbolo ſuo habebat ſemi lunam, cum inſcriptione: Nil ſtabile. Aliquando famulus ejus ſubſcribebat: O nunquam creſcat in plenum. Dominus propterea eum objurgabat: ſed ille excuſabat ſe, dicens: ſe non malâ intentione id feciſſe. Lunam enim plenam neceſſariò rurſum decreſcere. Sed malle ſe, Dominum ſuum in proſperitate felici ſemper manere, quàm ex eadem eum deturbari.

Ita mediocris fortuna optima eſt. Ideò orat Salomo: Duo rogavi te &c. Prov. 30, 7. Nos id agamus, ut maneamus cum eo, quando Luna decreſcit, & optimum ſolatium ex verbo ejus hauriemus, dicentes cum Davide: Niſi lex tua gaudium meum, tunc fortè periſſem in afflictione meâ, Pſal. 119. v. 92.

Tertius eſt *Dies Paraſceves*, quâ Servator noſter mortuus eſt. Mors enim & nos aliquando inveniet, ideò danda nobis opera, ne à Chriſto deficiamus, ſed cum Hiobo dicamus: Etiamſi occiderit me Dominus, tamen ſperabo in eo, Hiob. 13, 15. Qui

enim perſeveraverit uſque ad finem, hic ſalvus erit, Matth. 10. v. 22.

Si per hoc triduum cum Chriſto perſeveravimus, aliquando ſabbathum ex ſabbatho orietur, quod cum Chriſto celebraturi ſumus, Eſa. 66. v. 23.

II. *Panis deficiens*, non enim habebant, quod manducarent, & quia triduum Chriſtum ſuſtinuerant, verendum erat, ſi jejunos dimiſiſſet Jeſus, ne in viâ defeciſſent.

Hoc adhuc hodie quandoq; accidit.

Facilè ſiquidem fieri poteſt, ut ſubtracto frumento, Deus famem regioni immittat, ut homines non habeant, quod manducent. Utitur enim,

I. *Mediis conſpicuis*, quâ fruges perdit:

1. *Per adverſam tempeſtatem*, quod fieri poteſt ſequentibus modis:

1. *Æſtu & ſiccitate*, Deut. 28. v. 23. Amos. 4. v. 17. 1. Reg. 17. v. 1. ſeqq.

2. *Pluviis & nimiâ humiditate*, Job. 12. verſ. 15.

3. *Pruinis & intempeſtivâ frigiditate*, Pſal. 147. v. 16.

4. *Grandinis incommoditate*, Exod. 9. v. 31. Sir. 40. v 35.

5. *Rubiginis iniquitate*, Eſa. 18. v. 5. 6.

2. *Per inſectorum voracitatem*, quæ fruges in agris depaſcunt, juxta illud: Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit locuſta, Joel. 1. v. 4.

3. *Per hominum pravitatem.*

Inveniuntur enim

1. *Tyranni & immiſericordes*, qui poteſtate ſuâ abutuntur, & ſuper ſubditos annonæ caritatem inducunt. Quod fecit Caligula, ethnicus ille Imperator, qui granaria clauſit, & fruges Romam invehere prohibuit, quò res annonaria difficilis foret civibus. Hæc oblectatio ejus fuit, ſicut adhuc hodiè homines inveniuntur, qui proximo neglecto, ſe tantummodò reſpiciunt, exemplo Epulonis, Luc. 16. v. 22.

2. *Impii milites*, qui fruges perdunt, & ſic rem frumentariam in anguſtias cogunt.

3. *Fœneratores*, qui frumentum in vilitate annonæ coëmunt, & pauperes nimio fœnore onerant, vel planè compreſſum tenent, hi meritò maledicti ſunt, Prov. 11, 26.

2. *Mediis inconſpicuis*, ita ut maledictione immiſsâ, nemo rationem reddere poſſit. Seminatur multum & parum infertur, Hagg. 1. v. 6. & quod infertur, inſufflando diſſipatur, Hagg. 1. v. 6. ut cum acceſſerimus ad acervum viginti modiorum, fiant decem: & intraverimus ad torcular, ut exprimeremus quinquaginta lagenas, fiant viginti, Hagg. 2. v. 17. aut germen non facit farinam, Hoſ. 8. v. 7. Quin adeò maledictione Deus id perdere poteſt, ut ſi panem in cibario habeamus, & dentibus comminutum ſtomacho immittamus, comedentes non ſaturemur, Oſ. 4. v. 10.

Hic teipſum examina, mi Chriſtiane! ſi res tua familiaris deficit, ut non habeas quod manduces, annon peccatis tuis ipſe id effeceris?

Flagellamus enim annonam.

1. *Per injuſtitiam*, quando injuſta media apprehendimus, quibus opes acquiramus. Quales illi ſunt, qui mutuò ſumentes nunquam ſolvunt, de his David ait: Mutuatur peccator, & non ſolvet. Pſal. 37. v. 21. ſive adhibent varias fraudulentias, quiſquilias frumenti vendunt, Amos 8. v. 6. ſive habent injuſtas ſtateras, iniqua pondera & menſuras, Levit. 19. v. 35. 36. ſive converſationem vitæ compoſitam ad lucrum habent, etiam ex malo acquirentes, Sap. 15. verſ. 12. ejusmodi

modi bona in maledictione erunt, Sir. 41. verſ. 12. Subſtantiæ injuſtorum enim ſicut fluvius ſiccabuntur, Sir. 40. v. 13. ſive per manifeſtum furtum, velut Achan. Joh. 7. v. 20.

2. *Per luxuriam*, quando cum Epulone quotidie ſplendidè epularis, Luc. 16. v. 19. Qui diligit voluptates, in egeſtate erit, Prov. 21. v. 17.

3. *Per invidiam.* Qui enim deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam, Prov. 28. v. 27. Apoſtoli plus pro aliis, quàm pro ſeipſis hîc curarunt. Sic & tu frange eſurienti panem tuum, Eſa. 58. v. 7.

Quicunque itaque horum modo aliquo peccavit, ſeriam pœnitentiam agat, & oret Deum verâ fide de remiſſione peccatorum, & remittentur illi peccata. Voluntatem enim timentium ſe faciet, Pſalm. 145. verſ. 19.

III. *Cor ambigens*, Chriſto enim de cibatione hujus populi animas eorum exploranti, diffidentes reſpondent diſcipuli: Unde iſtos quis poterit hîc ſaturare panibus in ſolitudine? nec reputant ſecum, quod Dominus & Magiſter ſuus quinque panibus hordeaceis & duobus piſcibus, non quatuor duntaxat: ſed quinque millia cibaſſet, Joh. 6. v. 10.

Hic inſpicias velim te, mi Chriſtiane, annon & ipſe quandoq; cogitationibus ejusmodi labores, quando difficultatem rei familiaris reſpicis, commerciis interea, & quæ alimonia inſervire debebant, votis non reſpondentibus?

Hæc trita querela eſt, Mechanicis & Opificibus, qui manu victum acquirere coguntur, vel maximè familiaris, vix enim quotidianos ſumtus tolerantes, ſubinde conqueruntur: Unde panes in ſolitudine? ſive ut verbis Chriſti utar: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Matth. 6. v. 31.

Hæc *pars diffidentiæ* eſt, quæ in multorum cordibus tantas radices egit, ut externis modò mediis intenti ſint: his verò deficientibus, & fides eorum deficiat, exemplo ſit eques Samaritanus, 2. Reg. 7. v. 1. & ſeqq.

Veri Chriſtiani huic vitio renunciare & fidem ſuam fundare debent:

1. *In veritate promittentis.* Qui confidit in Deo, non minorabitur, Sir. 32. v. 28. Eſcam enim dat timentibus ſe, Pſal. 111, 5. nec affliget fame, animam juſti, Prov. 10. v. 3. Ideò ipſe ait: Victum ejus benedicens benedicam, pauperes ejus ſaturabo panibus, Pſal. 132. v. 15.

Hæc non hominis verba ſunt, qui ſæpè fallunt. filii viri ſunt mendacium, ſi ponderentur in ſtaterâ, ipſi ſimul ipsâ vanitate ſunt leviores, Pſal. 62. verſ. 10. ſed verba Dei æterni & immutabilis, qui non mentitur, Tit. 1. v. 2. Cœlum & terra tranſibunt, verba autem ejus non tranſibunt, Luc. 21. v. 33. Eſt enim firmius ſermo propheticus, &c. 2. Petr. 1. v. 19. citius montes commovebuntur, & colles loco movebuntur, Eſ. 54, 10. quàm unum jota perierit.

2. *In poteſtate facientis*: præ multitudine fortitudinis, & roboris, virtutisq; ejus, neq; unum deficit, Eſa. 40. v. 26.

Magnates terreni non ſemper opem ferre poſſunt, unde & ipſi imbecillitatem ſuam confiteri coguntur, ut videmus in Rege Joſaphat, 2. Chron. 20. v. 17. Hiskia, Eſa. 37, 5. Joram, 2. Reg. 6. v. 27. Ejusmodi impotentem Dominum nõ habemus, ſed ipſe eſt dicens, & faciens, Ezech. 17, 24. manus ejus non abbreviata eſt, Eſa. 50. v. 2. Omnia, quæcunque

cunque vult, facit, in cœlo, & in terrâ, in mari, & in omnibus abyſſis, Pſ.135,6.

Hoc ſi fecerimus, nihil nobis deerit, Dominus daturus eſt nobis, quibus indigebimus, ſi non abundanter, tamen ſufficienter, cum animo paucis contento, ut minimum pro magno placeat nobis, Sir.29.v.30. Melius enim eſt modicum juſto, ſuper divitias peccatorum multas. Pſal.37.v.16.

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alterã partem*, χειϛογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti* contemplaturi. Hic nobis commendatur in Evangelio præſente:

1. *Tanquam miſericors miſerator.* Dicit enim: Miſereor ſuper turbam. In Gr. eſt vox σπλαγχνίζομαι, quæ ſignificat, viſcera interiora mihi commoventur, miſerans miſerebor illorum, Jer.31.v.20.

Hic adhuc hodie fons eſt, ex quo omnia beneficia derivantur, quibus affluenter & quotidiê fruimur, in hac miſeriarum valle. Cura noſtra nihil efficit, probitas noſtra valet nihil, nihil quoq; bonis noſtris operibus promereri poſſumus, & ut paucis multa comprehendamus, indigni ſumus, quibus Deus panem & vinum largiatur: ſed omnia accepta ferenda ſunt indebitæ miſericordiæ Servatoris noſtri, cujus miſerationes ſuper omnia opera ejus, Pſal.145.v.9. Imprimis inſpectio in electis ejus, in quibus gratia & miſericordia ejus Sap.3.v.9.

Hoc altâ mente repoſtum ſit nobis, ut diſcamus hinc, Chriſtũ noſtri, noſtrorumque curam gerere, nec conceſſurum, ut fame moriamur. Quali enim affectu tum in homines fuit, eo adhuc hodiè in nos eſt, æque dives eſt hodie ac fuit ab æterno. Sed hoc à nobis requiritur, ut fiduciam in eo ponamus, identidem ſuſpirantes: O dulciſſime Jeſu! Magnæ in terris ſunt anguſtiæ, quilibet ſibi proſpicit, ut abundet, tibi derelictus eſt pauper. Et ſicut dixiſti in Evangelio præſente: Miſereor ſuper hanc turbam: ſic etiam miſerearis Chriſtianorum tibi fidentium.

Ejusmodi precatio non fruſtranea erit. ſed opitulaturus eſt Dominus, ſi non primo, tamen ſecundo, vel certè, tertio die, ut hîc in Evangelio fecit.

Scit ipſe tempus optimum,
Nobisq; nullum dat malum,
Spes hæc repoſita nobis!
Er weiß wol wenns am beſten iſt/
Und braucht an uns kein arge Liſt/
Deß ſolln wir ihm vertrauen.

Hæc *conſolatio noſtra ſit*, quando peccata nos accuſant, & conſcientia angit, miſericordia enim ejus ſuper omnem carnem eſt, Sir.18.v.12. & major, quàm omnium hominum peccata, ideoq; non deſperemus, ſed recordemur, quod Paulus ait: Ubi exſuperat delictum, ibi exuperat gratia, Rom. 5.v.21.

Hæc *conſolatio noſtra ſit*, quando fides infirmior eſt, ut in dubium vocemus, an conſiſtere poſſimus, coram tribunali Dei. Miſericordia Chriſti, nos ſuſtentare debet, de quo dictum, quod calamum quaſſatum non contriturus, & linum fumigans non exſtincturus ſit, Eſa.42.v.3. Virtus enim ejus in infirmitate perficitur, 2.Cor.12,9.

Hæc *conſolatio noſtra ſit*, quando cruci immerſi, tribulationes multas & malas experiri cogimur, Pſal.71.v.20. Miſericordia Chriſti non patietur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, 1.Cor.10. v.13. Nunquid oblivìſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Eſ.49,15.

II. *Tan-*

II. *Tanquam famelicorum ſaturator.* Hîc audimus, quod tantùm ſeptem panes habeat, & piſciculos paucos, his quatuor millia paſcit, ut omnes ſaturentur. Hoc præclarum eſt miraculum, quod nemo hominum unquam imitabitur. Sed & idem quotidiè facit, ſi modò agnoſceremus? Oculi omniũ in te ſperant, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Pſal. 145. v. 15.

Si poſſibile foret, ut omnes beſtiæ in Germania in unum locum convenirent, eaſq; ſingulas Princeps Romani Imperii, conveniente cibo, prout natura ejus requirit, unum tantùm diem ſuſtentare deberet, impoſſibile ei foret, licet omnes theſauros ſuos his impenderet.

Quantâ potentiâ eum eſſe exiſtimaveris, qui à mundi exordio, non ſaltem in Germania, ſed per totum terrarum orbem omnes beſtias & homines cibavit, adhuc quotidiè cibat, & cibaturus eſt, uſque ad diem noviſſimum? Eſt ille Dominus, qui rigat montes de ſuperioribus ſuis: & de fructu operum ſuorum ſatiat terram; qui producit fœnum jumentis, & herbam ſervituti hominum; qui educit panem de terra & vinum, &c. Pſal. 104. v. 13. ſeqq.

Eſt ille Dominus, qui viſitat terram, & potat eam, Pſal. 65. v. 10. ſeqq.

Eſt ille Dominus, qui dat nobis pluviam temporaneam, & ſerotinam, in tempore ſuo, ſeptimanas ſtatutas meſſis cuſtodiens nobis, Jer. 5. v. 24. qui cœlos exaudit, ut illi exaudiant terram. Et terra exaudiat triticum & vinum, & hæc Iſraël, h. e. filios gratiæ, exaudiant, Oſ. 2. v. 22. Dominus, qui operatur ſalutem in medio terræ, Pſalm. 74. verſ. 12.

Nemo noſtrûm vel minimum graminis è terrâ proferre poteſt, ſed quando agrum coluimus, incrementum à Deo expectandum eſt, 1. Cor. 3. v. 6. Hic clavem habet cibarii ſui, noſq; omni neceſſitate ſuſtentare valet, multis modis. Aut *ordinariè* mediante agriculturâ, quæ antiquiſſima parandi victûs ratio eſt, quâ Patriarchæ ante & poſt diluvium uſi ſunt, Adam, Gen. 3, 25. Noah, Gen. 9. v. 20. Abraham, Gen. 13. v. 2. Iſaac, Gen. 26. v. 12. Boas, Ruth. 2. verſ. 1. aliiq; plures: cui quoque benedictionem ſuam Deus promiſit, ut Salomo teſtis eſt: Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus, Prov. 12. v. 11. Aut *Extraordinariè*, per media ſupernaturalia, ſicut Iſraëlitas in deſerto Arabico cibavit, Exod. 16. verſ. 35. nec non Eliam, 1. Reg. 19. verſ. 6. & Danielem, Dan. 5. verſ. 32. 34. Eccleſia ſic canit:

Quis Elia te nutriit,
Triennium dum non pluit,
Annona cùm gravis?
Relicta te Sidonia,
Cibo refecit hoſpita.
Jacente ſubter junipero,
Deſcendit Angelus polo,
Ferens cibum potum:
Iter meat ſic maximum,
Montem uſq; ad Oreb arduum.
Haud Daniêlis inſcius,
Sedentis in leonibus,
Legavit Angelum:
Juſſitq; ferre obſonium,
Per Habacuc ſervum ſuum.

Helia wer ernehret dich/
Da es ſo lange regnet nicht/
In ſo ſchwer theurer Zeit?
Ein Witwe auß Sidonier Land/
Zu welcher du von Gott war'ſt geſand.

Da er lag unter dem Wachholder-
baum/
Ein Engel Gotts vom Himmel kam/
Bracht ihm Speiß und Tranck:
Er gieng gar einen weiten Gang/
Biß zu dem Berg Horeb genandt.

Deß Daniels Gott nicht vergaß/
Da er unter den Löwen ſaß/
Sein Engel ſand er hin:
Und ließ ihm Speiſe bringen gut/
Durch ſeinen Diener Habacuc.

Sic adhuc hodiè Deus potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quam petimus aut intelligimus, Eph. 3. verſ. ult. Ideò non abjiciamus fiduciam noſtram, quando curta ſupellex nobis eſt, ſicut viduæ Sareptanæ, 1. Reg. 17. v. 12. ſed orationi inſtemus: ſic Dominus, qui pullos corvorum exaudit, iisq; eſcam largitur, Pſal. 147. v. 9. noſtrûm quoque miſerebitur, & verum reddet illud Prophetæ: Edent pauperes & ſaturabuntur, Pſalm. 22. v. 27. Sir. 2. v. 12.

III. *Tanquam panis multiplicator.* Septem enim hos panes & paucos hos piſciculos, ita augere poteſt, ut non ſaltem ſatiandis quatuor millibus ſufficiant, ſed ſeptem ſportæ de fragmentis tollantur.

Eſt hoc opus *omnipotentiæ divinæ*, quo Servator noſter non nudum hominem ſe eſſe, ſed θεάνθρωπον probavit, qui vocat ea quæ non ſunt, Rom. 4. v. 17.

In principio omnia ex nihilo produxit, Gen. 1. v. 3. ſeqq. Poſtmodum agriculturæ Iſaac benedixit, ut invenerit in ipſo anno centuplum, Gen. 26. v. 12. gregem Jacobi ita benedictione ſuâ auxit, ut duas turmas habuerit, cùm ante in baculo ſuo Jordanem tranſiviſſet, Gen. 32, 8. ſeqq.

Viduæ Sareptanæ hydriam farinæ, & lecythum olei multiplicavit, ut neutrum minutum fuerit, usque dum annonæ caritas deſiit, 1. Reg. 17. v. 14. Vide 2. Reg. 4. v. 1. ſeqq. 2. Reg 4. v. 42.

Sic adhuc hodiè homines multiplicat, ut interdum decem, viginti vel plures ex una matre naſcantur, Gideon habuit ſeptuaginta filios, Jud. 8. v. 30. Abeſan habuit triginta filios, totidemq; filias, Jud. 12. verſ. 9.

Sic adauget pecudes, multiplicat piſces, amplificat aves, nec minus rem familiarem piorum conjugum, ut ex ſupellectile exiguâ in ampliſſimas facultates deſinant, ſicut exemplum Abrahæ teſtatur, Gen. 13. v. 2. Hoc benedictioni Dei acceptum ferendum eſt, quæ divites facit ſine moleſtiâ, Prov. 10. v. 22. & dilectis Dei in ſomnis dat, Pſal. 127. v. 3. Hinc Siracides egregiè: Confide in Deo, & mane in loco tuo, c. 11. v. 22. 24. Hoc ſi ita obſervaverimus, non deſtituemur omni bono, Pſal. 34. v. 11. panem aliquando manducantes in regno Dei, Luc. 14. v. 15. panem videlicet Angelorum, Pſal. 78. v. 26. cibum qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam, Joh. 6. v. 27.

Largiatur id nobis Deus omnibus ex gratiâ, per Jeſum Chriſtum, Dominum & Servatorem noſtrum, Amen.

* * *

DO-

Dominica VIII. poſt Trinitatis.

Evangelium, Matth. 7. v. 15. — 23.

EXORDIUM.

REx Ahaſverus olim Mardochæum ingente honore mactavit, quòd ei inſidias Bagathan & Thares Eunuchorum duorum nunciaverat, quas ad Regem perimendum aluerant, Eſth. 6. v. 2. 11.

Nos ſimiliter inter ſacrum & ſaxum ſtamus, qui undique pluribus hoſtibus cincti ſumus, qui vitæ noſtræ inſidiantur. Anteſignanus eſt Diabolus, qui homicida ab initio eſt, Joh. 8. v. 44. Contribules ejus ſunt hæretici & Tyranni, qui omnes homicidia & cædes ab eo didicerunt. De Tyrannis ait Chriſtus: Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur, cultum ſe præſtare Deo, Joh. 16. v. 2. De hæreticis verò & falſis Prophetis in Evangelio prælecto audimus, quòd intrinſecus ſint lupi rapaces, à quorum fraudulentiâ nobis cavere debeamus. Alibi Chriſtus, fures & latrones eos appellitat, Joh. 10. v. 1.

Quemadmodum igitur Ahaſverus gratum ſe declaravit erga Mardochæum, quia eum de inſidiis Sicariorum præmonuerat: Sic & nos gratum animum Chriſto Servatori debemus, quod nos ratione falſorum Prophetarum cohortatur, quos gregatim Diabolus ablegat, in poſtremâ hâc mundi fece, ut homines conturbent in fide, Gal. 5. v. 10. & per dulces ſermones & aſſentationes ſeducant corda innocentium, Rom. 16. v. 18. Beatus ille, qui admonitioni Chriſti locum relinquit, animam enim ſuam ſalvabit, Ezech. 33. v. 5.

Nos abſque prolixiori præfamine ad ipſam Evangelii tractationem nos conferemus, contemplaturi ex eodem:

I. Ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

VBi Deus templum exſtruit, plerumque Diabolus ibi ſacellum habere ſatagit, ideoque valde negotioſus eſt, excitando falſos Prophetas, qui regnum ejus, quod in filiis diffidentiæ habet, Eph. 2. v. 2. propagare & amplificare tenentur, ſiquidem expreſsè ait: Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus, 1. Reg. 22. v. 22.

Ut verò oculos aperiamus, ne fortè ad Satanæ ſynagogam declinemus, Apoc. 3. v. 9. quando eccleſiam Dei frequentare debemus, ideò Servator in prælecto Evangelio nos alloquitur: Cavete vobis à Pſeudo-Prophetis &c.

Nos anſam hinc capimus *notitiam noſtri* meditandi, quando inſpicimus

I. *Cautelam*, quâ Chriſtus diſcipulos ſuos & nos omnes hodiè excitat. Dicit enim: Cavete vobis à Pſeudo-Prophetis, & hoc ipſo commonere nos vult, ut eosdem omni ſtudio obſervemus, ne ab iis ſeducamur.

Hoc mandatum accuratè in omnibus ſtatibus advertere debemus. Dominus enim, qui hoc mandat, eſt magnus ille Propheta, in cujus ore Deus verba ſua poſuit, qui

autem verba ejus audire noluerit, ego ultor exiſtam, dicit Dominus, Deut. 18. v. 18. Eſt filius Dei vivi, Matth. 16. v. 16. Dominus gloriæ, 1. Cor. 2. v. 8. verus Deus, & vita æterna, 1. Joh. 5. v. 20. æquum igitur erit, mandato ejus obſequi, Eſa. 1. v. 19. 20. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.

Hic quilibet probet ſe, utrum Cavete hoc Servatoris noſtri fideliter ſemper obſervaverit?

Adverſantur huic mandato

1. *Simpliciſtæ*, qui de vera religione parùm ſolliciti, terrenis tantùm inhiant, & nullo ſtudio tenentur, ut fundamentum fidei rectè imbibant, ſicut Berrhoënſes, Act. 17. verſ. 11.

O quot eorum inveniuntur, qui A. C. profitentur, nunquam ipſis viſam vel lectam? Quot eorum, qui Lutheranos ſe appellant, neſcientes quid Lutherus docuerit? Quot eorum, qui Chriſtianorum nomine ſuperbiunt, Chriſtum Servatorem verò ratione officii & perſonæ ignorant? Quomodo poterunt hi cavere Pſeudoprophetas? quomodo probare ſpiritus? 1. Joh. 4. v. 1. quomodo parati eſſe omni, poſcenti rationem de fide. 1. Petr. 3. v. 15. Ideò mandat Chriſtus: Scrutamini ſcripturas, Joh. 5. v. 39. Quod non modò Clericis, ſed & Laicis dictum eſt.

Fecit hoc Camerarius Reginæ Candaces, Act. 8. v. 28.

Alphonſus Rex Arragoniæ Biblia quatuordecies perlegit.

Theodoſius Imperator Novum Teſtamentum manu ſuâ deſcripſit, & tantâ Bibliorum voluptate affectus fuit, ut etiam noctu eâ legere non ceſſaverit.

Inſiſtamus horum veſtigiis, quo ſalvificæ Religionis fundamentum capiamus & ſciamus, cui credamus, 2. Tim. 1. v. 12. Juſtus enim ex fide vivet, Hab. 2. v. ult.

2. *Neutraliſtæ*, qui claudicant in duas partes, ſicut Iſraëlitæ tempore Eliæ, 1. Reg. 18. v. 21. & neque calidi neque frigidi ſunt, Apoc. 3. v. 15.

Tales erant Samaritani, de quibus Joſephus ſcribit, quod ad quemlibet ſe fortunæ flatum converterint, modò cum Judæis, modò cum Ethnicis facientes, prout fortuna alterutri parti favorabilis fuit, propterea Judæis maximè infenſi erant, Joh. 4. v. 9. Sir. 50. v. 28.

Sed Chriſtus deteſtatur hypocritas ejusmodi, Qui non eſt mecum, inquiens, contra me eſt, Luc. 11. v. 23.

3. *Syncretiſtæ*, qui Religiones in fundamento errantes, cum Lutheranâ facilè conciliari poſſe cenſent. Sed quæ conventio Chriſti ad Belial? 2. Cor. 6. v. 14. *Maledicta concordia, propter quam periclitatur veritas*, jam olim B. Lutherus dixit. Apoſtolus vult Chriſtianos idem ſapere, inter ſe invicem; ſed non aliter, quàm ſecundum Jeſum Chriſtum, Rom. 15. v. 5.

Nonnulli falſæ religioni affines fiunt, vel per connubia, uti Salomo, 1. Reg. 1. v. 3. ſive per commercia, per loca Pontificia iter facientes, ibidemq; diutius perſeverantes, quo ipſo fides nimiùm turbatur, Gal. 5. v. 10. ſive per collegia, quando filios ad Jeſuitarum ſcholas ablegant.

Sed quid aliud hi parentes faciunt, quàm quod eosdem Moloch ſacrificant, ad exemplum gentilium, & qui ipſos imitati ſunt, Judæorum, Levit. 18. v. 21. c. 20. v. 2. 1. Reg. 11. v. 7. Jer. 32. v. 35.

Nos moniti Servatoris memores Pſeudo-Prophetas omni ratione caveamus, utpote,

Digitized by Google

pote, qui in veſtimentis ovium veniunt, intrinſecus ſunt lupi rapaces.

Sicut itaque à lupis, ſerpentibus & peſtilentia nobis cavemus: ſic multo magis vigilemus, ne à falſis Prophetis decipiamur, & ſeducamur. Sunt enim lupi graves, non parcentes gregi, Act. 20. v. 29. Sunt genimina viperarum, Matth. 3. v. 8. ſunt inſtar contagii, & ſermo eorum ut cancer ſerpit, 2. Tim. 2. v. 17. Imprimis vero orationi ſtudeamus, cum Jeremia precantes: Inventi ſunt ſermones tui & comedi eos. Jer. 15. v. 16. & cum Davide: Eloquia Domini, eloquia juſta, Pſal. 12. v. 7. 8.

II. *Querelam*, ait enim Chriſtus: Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Item: Multi dicent mihi in illa die, Domine, &c.

Hoc de hypocritis intelligendum venit, habentibus ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantibus, 2. Tim. 3. v. 5. qui in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis ſunt, ut Simon Magus, Act. 8. v. 22.

Hic velim inſpicias te, utrum etiam in collegium horum pertineas, & hypocriſeos particeps evaſeris?

Hæc familiaris contages eſt, qua tota ubique Eccleſia infecta, citius nigrum cygnum & candidum corvum repeties, quam ejuſmodi hominem, qui ab hypocriſi omni immunis eſt, de pauciſſimis dici poteſt, quod Chriſtus de Nathanaele ait: Ecce ! vere Iſraelita, in quo dolus non eſt, Joh. 1. v. 47.

Hypocritæ occurrunt *in Politia*, mel habentes in ore, & fel in corde, ſicut Joab, 2. Sam. 20. v. 10. Vel rectius: Mel in ore, ſub cingulo novacula: Blandiores ſunt ore ſuo, quam butyrum, molliores ſunt ſermones ejus oleo, Pſal. 55. v. 22.

Hypocritæ occurrunt *in Theologia*: qui concionem adeunt, velut Herodes, Matth. 26, 20. confeſſionem, uti Phariſæi, Matth. 3. v. 7. Euchariſtiam, ſicut Judas, Matth. 26. v. 25. Interea tamen avaritiam ſuam ſequitur cor eorum, Ezech. 33. v. 31. Ejuſmodi homines putant, ſe Deũ fraudulentiis ſuis decepturum, ut hominem, Job. 13. v. 9. Sed fruſtra idem tentabunt. Deus peccata eorum ſtatuet contra faciem eorum. Pſal. 50. v. 21. & manifeſtabit conſilia cordium, 1. Cor. 4. v. 5. ut quilibet videat, quid ſit inter juſtum & impium, Mal. 3. v. 18.

Ne proinde inobediens ſis timori Domini, & ne acceſſeris ad eum duplici corde, Sir. 1. v. 36. Nam in Chriſto Jeſu veritas, Eph. 4. v. 21.

Sæpe pœnitentiam ſimulamus, ſed ex ficto corde. Potius ſerio rem agamus, Deus enim non irridetur, Gal. 6. v. 7.

Veniet aliquando tempus, ubi hypocriſis finem habebit. Ubi enim Chriſtus hypocritas in infernum ablegabit, ingenue confitebuntur ſtultitiam, dicentes: Quid nobis profuit ſuperbia? Sap. 5. v. 8. 9. 10.

III. *Medelam*, quomodo pœnam propoſitam effugere & regnum cœlorum introire poſſimus: Hoc conſtat ex oppoſito: Sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt.

Satisfacimus autem voluntati Patris cœleſtis:

1. *Vere pœnitendo*, juxta illud: Lavamini, mundamini, aufferte malum cogitationum veſtrarum, Eſa. 1. v. 16. Convertimini ad me, in toto corde veſtro, Joel. 2. v. 12. 13. Vivo ego, dicit Dominus Deus; nolo mortem impii, Ezech. 33, v, 11.

Hæc Dei voluntas eſt, cui omnes obedire tenemur. Aut pœnitendum, aut ar-

dendum. Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis, Luc.13.v.3.5.

2. *Recte credendo*, nempe in Chriſtum filium Dei. Hæc eſt voluntas patris mei, qui miſit me, Joh.6.v.40.

Hoc modo omnes Sancti ſervati ſunt; & nos ſimiliter ſalvabimur per gratiam Domini JeſuChriſti, ſicut & patres noſtri. Act. 15.v.11.

3. *Sancte vivendo.* Hæc enim eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, 1.Theſſ.4.v.3. Apparuit enim gratia Dei ſalutifera. Tit.2. v.11.12.

Qui proinde regnum Dei introire vult, non diabolo in peccatis ſervire debet: ſed cum Deo ambulet oportet, ſicut Noah, Gen.6.v.1. & voluntatem patris cœleſtis pro norma habeat, in vita & doctrina, ſic non aberravit. Quicunq; enim hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos. Gal.6. v.16.

Hic velim examines te, utrum & ipſe ad voluntatem Dei, vitam tuam compoſueris?

Hoc ſi ita factum foret, & fieret, nullum eſt dubium, quin in omnibus ſtatibus optime ſe res haberet.

Denn wenn wir thäten/was wir ſolten/
So thäte GOtt auch was wir wolten.

Si populus meus audierit me: Iſrael ſi in viis meis ambulaverit. Pro nihilo forſitan inicimos eorum humiliaſſem, Pſal.81. v.14.17.

Sed tantum abeſt, ut potius quilibet pro ſuo libitu vivat. Dominus proſpexit ſuper filios hominum, Pſal.14.v.2.

Cum clamat Dominus: Revertere averſatrix Iſrael, Jer.3.v.12. Dicunt illi: Nolumus, Jer.6.v.17. nullus eſt, qui pœnitentiam agat, ſuper peccato ſuo dicens: quid feci, Jer.8.v.6.

Quodſi Chriſtum nobis proponit propitiatorium, ut in ipſum credamus, & per fidem vitam æternam habeamus, Rom.3, 25. Joh.3.v.18. Itidem pluribus non placet, ſed ajunt, ut filii Belial de Saule: Num ſalvare nos poterit iſte! 1.Sam.10.v.ult. Unde cum Davide conquerendum nobis: Defecit ſanctus. Pſal.121.v.1.

Quodſi vitæ innocentiæ ſtudere & ſanctimoniam ſectari debeamus, ſine qua nemo videbit Dominum, Heb.12.v.14. plurimi in peccatorum ſordibus ſeſe volutant. Non eſt veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra. Mich.4,2. Summa: quemadmodum tempore diluvii omnes montes quindecim cubitis aquâ operuerat, Gen.7.v.20. ita hoc noſtro ſeculo mundus profundius in limo malitiæ jacet, Dies mali ſunt, ait Paulus, Eph.5.v.16. & Johannes: Mundus totus in maligno poſitus eſt, 1.Joh.5.v.19. Veritas eſt è medio ſublata, & qui receſſit à malo, prædæ patuit, Eſa.59.v.15.

Nos ſcimus, quid bonum ſit, & quid Dominus requirat à nobis, Mich.6.v.8. Propterea nos totos ad nutum & verbum Dei componamus: Et audiemus aliquando: Euge ſerve bone, Matth.25.v.21.

Qui vero norunt bonum & facere negligunt, multis vapulabunt, ſcienti enim bonum facere, & non facienti, peccatum eſt, Jac.4.v.ult.

De Secundo.

TRanſibimus nunc ad *alteram partem* Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti* contemplaturi. Hic nobis meditandus proponitur:

I. *Tanquam Pſeudo-Prophetarum colorator graviſſimus.* Depingit enim eos:

1. Sub

1. *Sub imagine luporum.* Veniunt enim in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Quanta crudelitas & voracitas luporum ſit, experientia teſtatur: non enim tantum ingluviem ſuam ſatiant: ſed & totum gregem, niſi impediantur, proſternunt: Idem faciunt falſæ Prophetæ:

Graſſantur & deſæviunt,
Nos devorare tendunt,
Hiante rictu nos petunt,
Metum Dei contemnunt.
Ut fluctuat ſævum mare,
Sic ſitientes ſanguine,
Pœnas Dei videbunt.

Sie wüten faſt/und fahren her/
Als wolten ſie uns freſſen /
Zu würgen ſteht all ihr Begehr/
Gotts iſt bey ihn vergeſſen:
Wie Meeres Wellen einher ſchlahn/
Nach Leib und Leben ſie uns ſtahn /
Des wird ſich Gott erbarmen.

Lupi aſinos titillando adoriuntur, & tandem devorant: ſic & Pſeudo-Prophetæ hominum aures initio blandis verbis ſcalpturiunt, & ad placitum loquuntur, ſed hoc ipſo ejectiones cum è regione, tum è cœlorum regno ipſis prædicant, Thren. 2, 14.

Lupi inſtar canum latrare poſſunt, & ſic oviculas aſtu invadunt: Sic & Pſeudo-Prophetæ mutant vocem, quo minus ſimpliciores inſidias eorum agnoſcere poſſint: ſed tandem dentes lupinos nudant, & oviculas Chriſti dilaniant, ut animæ ſuæ detrimentum illæ patiantur, Matth. 16. v. 26.

Lupi non facile interdiu: ſed plerumque noctu & in tenebris graſſantur: ſic & Pſeudo-prophetæ lucem fugiunt & in tenebris truculentiam ſuam perficiunt. Omnis enim qui male agit, odit lucem, Joh. 3. v. 20.

Lupus foveæ incluſus, vel alio modo cuſtodiæ traditus, non facile lædit, & licet ovis ipſi adducatur, tamen non nocet ei: Sic & Pſeudo-Prophetæ ſimplices & probos ſe ſimulant, quando in diſcrimine ſe fore animadvertunt: ſimulac autem extra periculum verſantur, ad ingenium ſuum redeunt, inceſſabiles delicti, 2. Pet. 2. v. 14.

Tanta inter oves & lupos ἀντιπάθεια eſt, ut etiam poſt mortem illa maneat: fides enim è luporum & ovium inteſtinis factæ nunquam concordant: Sic etiam Pſeudo-Prophetæ paſtoribus fidelibus, eorumque auditoribus vel maxime infenſi ſunt, quandocunque iisdem incommodare poſſunt, non intermittentes. Hoc ab antiquo ſerpente oritur, qui inſidiatur calcaneo ſeminis mulieris, Gen. 3. v. 15.

Quando lupi truculentiam ſuam ſatis exeruerunt, exuviæ eorum tandem in officina pellionis conveniunt: ſic & hæretici & falſi Prophetæ tandem congregabuntur in ſtagno, ardente ſulphure & igne, quæ omnium mendacium pars eſt. Apocalypſ. 21. v. 8.

Cavete proinde à Pſeudo-Prophetis, qui in veſtimentis ovium veniunt, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.

2. *Sub imagine dumorum.* Nunquid colligunt de ſpinis uvas? ait Chriſtus:

1. Vepres non feruntur, aut plantantur: ſed ſponte creſcunt, ob maledictionem, qua Deus terram oneravit, Gen. 3. v. 17. nec modo marginem aut extrema occupant: ſed in medio agro vel prato, invito poſſeſſore naſcuntur:

Eodē modo res ſe habet cum Pſeudoprophe-

phetis, non opus eſt, ut è locis peregrinis accerſantur: ſed ſponte accedunt, imo in media Eccleſiæ exſurgunt. Ex vobis ipſis exſurgent viri, loquentes perverſa, Act. 20. v. 30. Ex nobis prodierunt, 1. Joh. 2. v. 19.

2. Vepres habent ſpinas aculeatas, quibus lædunt, Jud. 8. v. 7. 16.

Sic & Pſeudo-Prophetæ pungunt non modo *verbis*, quibus animam lædunt, ſtylus enim eorum mendax eſt, Jer. 8, 8. os autem quod mentitur, occidit animam: Sap. 1. v. 11. ſed & *facto*, ſanguinem enim ſitiunt, & inebriantur de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine martyrum Jeſu. Apoc. 17. v. 6.

3. Sub ſpinetis varia inſecta, bufones, ſerpentes & viperæ deliteſcunt, à quibus ex improviſo lædi poſſumus: Sic, ſi cum hæreticis congrediamur, facile fieri poteſt, ut vipera nos invadat, ut Paulo contigit, Act. 28. v. 5.

4. Spinæ ita implicantur, ut non facile divelli queant: Sic falſi prophetæ amice conſpirant, & errorem ex errore ſerunt, & omnes qui erroribus eorum implicantur, in conſcientia confunduntur, & medicinam non admittunt, imo excuſationem non habent, de peccato ſuo, Joh. 15. v. 22.

5. Spinæ ſunt pœnæ Dei, qua ager poſt lapſum oneratus eſt, Gen. 3, 16. Heb. 6, 8. Sic & Pſeudo-Prophetæ juſta Dei pœna ſunt, quæ verbi contemtum, & ingratitudinem hominum conſequi ſolet. Eo quod caritatem veritatis non receperunt, 2. Theſſ. 2. v. 10.

6. Vepreta in pratis gramen, & in agris bonum ſemen ſuffocant, Luc. 8. v. 4. Ideo à patre familias exciduntur, & igni comburuntur, Eſ. 33, 12. Sic ubi Pſeudo-Prophetæ invaleſcunt, Evangelium ſupprimitur, & pretioſum fit. 1. Sam. 3, 1. Ideo cœleſtis Paterfamilias eas tandem exſcindet, & in ignem infernalem conjiciet, ut urantur uſque in ſempiternum, Judith. 16. v. 21.

Quotiescunque itaque in campis deambulantes vepreta conſpicimus, recordemur admonitionis Chriſti, qua nos in præſentia hortatur. Sic & Dominus noſtrum recordabitur, nec relinquet virgam peccatorum, ſuper ſortem juſtorum, Pſal. 125. v. 3.

3. *Sub imagine Tribulorum.* Nunquid colligunt de tribulis, ficus? ait Servator. Tribuli cito creſcunt, & præ reliquo frumento eminent: ſic & falſi Doctores facile ſibi applauſum conciliant, & prærogativam prætendunt in agro Eccleſiæ juxta illud:

Æquumque juſque dicimus,
Effata ſunt pro legibus,
Quis quæſo nos culpabit?

Wir haben Recht und Macht allein/
Was wir ſetzen/das gilt gemein/
Wer iſt/der uns ſoll meiſtern?

Tribuli ſemine abundant, ut ſi ſemel invaluerint, non facile eradicari poſſint, Prov. 24. v. 30. ſic & falſi Doctores, ubi ſemel nidificarunt, non facile eliminari poſſunt, quin & doctrina eorum tenaciter cordi inhæret, quod ad omne malum pronum eſt, Gen. 6. v. 5.

Tribuli floribus purpureis ornati ſunt, ſed ſi decerpſeris eosdem, manus vulnerabis: Sic & falſi Prophetæ ſpecie externa nitent, verbisque blandis & ad oſtentationem compoſitis cauſam ſuam ita exornare ſciunt, ut videantur, aliquid eſſe, cum tamen nihil ſint, Gal. 6. v. 3. & qui ab ipſis collutulatur, illæſus non elabitur, ſed cauteriatam acquirit conſcientiam. 1. Tim. 4. v. 2.

Hac

Digitized by Google

Hac admonitione Chriſtus Servator nos inſtruit, ut falſos Doctores caveamus, qui eosdem optime novit, & ſcit, quantum detrimenti adferant. Quando igitur uvas aut ficus comedere volumus, non eos à ſpinetis aut tribulis petamus: ſed à Chriſto, qui vera vitis eſt. Joh. 15. v. 5. & ficus, ut non modo foliis ejus nuditatem noſtram contegere valeamus, ſicut protoplaſti poſt lapſum, Gen 3. v. 7. ſed maſſam quoque de ficis tollere, & ulcera noſtra cataplaſmare poſſimus, quæ ſatanas nobis inflixit, Eſa. 38. verſ. 21. A ſpinis vero & tribulis nil niſi damnum inſtat. Qui enim tetigerit picem, inquinabitur ab ea, Sir. 13. v. 1. Et ab impiis egreditur impietas, 1. Sam. 24. v. 14.

II. *Tanquam hypocritarum damnator juſtiſſimus.* Quando enim illi dicent: Domine Domine, reſponſurus eſt illis: Non novi vos. Hæc ſententia in æternum non retractabitur. Hinc ſcriptura in more habet, quando pœnam horrendam indigitare vult cuidam, ut dicat, partem ejus fore cum hypocritis, Mat. 24, 51. Deus enim certo modo manifeſtos peccatores melius ferre, & majori patientia ad pœnitentiam invitare ſolet, quam hypocritas, qui verbis pietatem oſtentant, & in corde eandem deteſtantur, Pſal. 50. v. 17. Quin & experientia teſtatur, peccatores manifeſtos, & latrones, ut ille, Luc. 23. verſ. 39. & perſecutores, ut Paulus, citius reſipiſcere, quam ejuſmodi hypocritam, qui dicit, quod dives & locupletatus ſit, & nullius egeat, & neſcit, quod ſit miſer & miſerabilis, & pauper, & cœcus & nudus. Apoc. 2. v. 17. Quamvis enim ſalutares admonitiones illi audiant, tamen eas vento tradunt, & ſunt inſtar adulteræ, quæ comedit, & tergens os ſuum dicit, non ſum operata malum, Prov. 30. v. 20. Ideoque omnis ſpes de converſione & ſalute eorum decollat. Job. 8. v. 13.

Equidem conditio Eccleſiæ in his terris ita comparata eſt, ut boni & mali, veri Chriſtiani & hypocritæ invicem permixti ſint, juxta Poetam:

Non omnes ſancti, qui calcant limina templi.

Sed plerique veſtibus Eſavi induti ſunt, ſicut Jacobus, ut Iſaaci temporalem benedictionem conſequantur, Gen. 27. v. 15. h. e. exterius pro veris Chriſtianis ſeſe venditant, ut ab hominibus benedicantur, promoveantur & honore aſſiciantur. Magis enim diligunt gloriam hominum, quam gloriam Dei Joh. 12. v. 43.

Hæc mixtura durabit, uſque ad diem noviſſimum, ubi Servator noſter ſeparationem inſtituet, & neminem in regnum cœlorum ſuſcipiet, qui non corde & ore credidit & confeſſus eſt. Rom. 10. v. 10. Interea nos operam dabimus, ne inter hypocritas inveniamur: ſed bonos fructus proferamus, & laus nobis erit à Deo, 1. Cor. 4. v. 5.

III. *Tanquam bonorum operum æſtimator certiſſimus.* Multi enim, inquit Servator, dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus &c.

Prophetare idem eſt, ac ſcripturas interpretari, ſicut in N. T. paſſim ita uſurpatur, Rom. 12. v. 6. 1. Cor. 14. v. 4. & alios verbum Dei docere, id bonum opus eſt; Quando vero quis gloriæ ſuæ ſtudet, & alios docet, ſeipſum non docens, Rom. 2. v. 21. Dominus die noviſſimo non magni æſtimabit, etiamſi quis multos annos con-

cionatus fuerit, non enim quæret, quam bene dixeris, ſed quam bene vixeris, non judicabit ex noſtris ſcriptis: ſed ex noſtris factis. Notitia & praxis conjuncta ſint, oportet. Joh.3.v.17.

Similiter dæmonia ejicere, & alia miracula patrare, quæ in primitiva Eccleſia egregia dona fuerunt, 1. Cor.12.v.8.& ſeqq. nihil adjumenti conferunt ad ſalutem, niſi fides adfuerit. Magi Ægyptiaci, per incantationes ſuas omnia Moſis & Aaronis miracula æmulati ſunt, Exod.7.v.11. Judas quoque cum cæteris Apoſtolis dono hoc inſtructus fuit, Matth. 10.v.14. Nonne Simon magus ingentes virtutes edidit, utpote, quibus populus adeo faſcinatus, ut dixerit: Hic eſt virtus Dei, quæ vocatur magna, Act.8.v.10. Quid nobis Chriſtus de falſis Prophetis, eorumq; miraculis prædixerit, vide Matth.24,24.

Ne itaque faſcinemur miraculis, quas Pontificii plenis buccis jactitant, ſunt enim plerumque prodigia mendacia, 2. Theſſ. 2. v.9. quæ non ad Dei gloriam aut confirmationem veritatis: ſed ad ſuperſtitiones ſuas ſtabiliendas fiunt.

Permittit illa Deus ſecundum operationem ſatanæ fieri, 2.Theſſ.2. v.9. partim reſpectu piorum, partim reſpectu impiorum. *Reſpectu piorum*, ut in fide probentur. Si ſurrexerit in medio tui Prophetes, Deut.13.v.1. *Reſpectu impiorum*, quia illi verbi divini pertæſi, aures prurientes habent alienæ doctrinæ, ideo permittit Deus, ut per ejusmodi mira & prodigia decipiantur, mittit illis operationem erroris, ut credant mendacio: quod eſt juſtum ejus judicium, 2. Theſſ. 2.v.10.11.

Nos relinquimus Pontificiis miracula ſua, & lætamur, quod Chriſtus à nobis diabolum expulerit, ejusque imperium aboleverit, Hebr. 2. verſ. 14. ut nobis nocere non poſſit, ſi ei reſiſtimus ſolidi fide, 1. Petr. 5. verſ. 9. Lætamur, quod miniſterio B. Lutheri, à doctrinis dæmoniorum plene liberati, 1. Timoth. 4. verſ.2. Babylone exiverimus, Apoc.18,2. Lætamur, quod ſub pio, & orthodoxo Magiſtratu, quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & honeſtate, 1. Tim. 2.v.2.

Demus modo operam, ut digne Evangelio Chriſti converſemur, Phil. 1. verſ. 27. & lux noſtra luceat, Matth. 5. verſ. 16. ut in eo, quod detractant de nobis, tanquam de malefectoribus, ex bonis operibus nos conſiderantes, glorificent Deum, 1.Petr.2 verſ.12. Sic multo beatius comparebimus coram tribunali Chriſti. Et quando illis dicet: Non novi vos, diſcedite à me, qui operamini iniquitatem. Nos contra in æternam gloriam cum Angelis introducet, Matth.25,ult. Quam largiatur nobis omnibus ex gratia, Amen.

Do-

Digitized by Google

Dominica IX. poſt Trinitatis.

Evangelium Luc. 16. v. 1...9.

EXORDIUM.

INter alia Feſta, quæ divinum Numen Iſraelitis celebranda mandaverat, feſtum quoque Tabernaculorum ſancivit, ubi poſt congregatos fructus, in umbraculis ſeptem diebus habitare, de optimis fructibus comedere, & lætitia exultare tenebantur, in maximorum beneficiorum recordationem, quæ Deus majoribus ſuis exhibuerat, qui etiam ædibus deſtituti in tabernaculis habitaverant Deo ipſis panem de cœlo mittente, & coturnicibus paſcente, ut nulla inopia unquam laboraverint. Levit. 23. v. 4.

Nos, dilecti! etiam celebramus Tabernaculorum feſtum, in hac miſeriarum valle quotidie, dum enim domi ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, 2. Corinth. 5. verſ. 6. nec habemus civitatem permanentem, Heb. 13. v. 14. ſed peregrini ſumus in terra, Pſal. 119. v. 19. & omnia quæ poſſidemus, bona aliena ſunt, quorum procuratores Deus nos conſtituit, ut rationem de iis ei reddamus. Ab ipſo habemus animam & corpus, corporis & fortunæ bona, & omnia quibus indigemus, ad ſuſtentationem corporalis, & adeptionem æternæ vitæ. Ipſe enim magnus ille Pater-familias eſt, qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum, 1. Timoth. 6. verſ. 17. imo quo plus largitur, eò plus habet, quod largiri poſſit. Manus enim ejus non invalida eſt, Num. 11. verſ. 23. Sed facit mirabilia, Pſalm. 98. verſ. 1. implens omne animal beneplacito. Pſalm. 146. v. 15. Interea non proprietarii ſumus eorum, quæ Deus nobis conceſſit: ſed diſpenſatores duntaxat, unde facile conjicere poterimus, quod aliquando interrogaturus ſit opera noſtra, & cogitationes ſcrutaturus, Sap. 6. verſ. 4. Quando cuilibet noſtrum dicetur: Redde rationem villicationis tuæ, ſicut in prælecto Evangelio manifeſtum ejus rei exemplum habemus, quod propterea non inconcinne *idea Tabernaculorum* appellari poteſt: Ubi Servator terrenorum tabernaculorum & villicationis nos commonefacit, quomodo eam adminiſtrare debeamus, ne tabernaculorum æternorum jacturam faciamus: ſed lætabilem vocem audiamus: Euge bone ſerve & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam; intra in gaudium Domini tui, Matth. 25. v. 21.

Nos abſque longiori præloquio ad ipſam Evangelii tractationem nos accingemus, meditaturi ex eodem:

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστολογίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

INter alia, quæ nobis ruborem merito incutere debent, tam coram DEO, quam coram mundo, mentio quoque ſit infidelitatis, quando illi, qui adminiſtrandis bonis præpoſiti ſunt, fraudulenter agunt, acceptorumque & expenſorum Proprietario rationem reddere nequeunt, ut verum fiat illud Siracidis: Pudeat te, non poſſe reddere tuæ adminiſtrationis rationem. Sir. 42. v. 24.

Hoc villico ita accidit, de quo Chriſtus in prælecto Evan. ait, quod apud Dominum ſuum diffamatus fuerit, quaſi diſſipaſſet bona illius. Et poſtquam Herus ipſum vocavit, ut rationem redderet, iniquus inventus, ab officio remotus eſt: Nos hinc anſam prehendimus *notitiam noſtri* meditandi, quando ſpectamus:

I. *Concreditam Villicationem.* Erat enim homo dives, qui habebat villicum. Hoc parabolice intelligendum venit: Et quidem per hominem divitem, Pater noſter cœleſtis indigitatur, dives in omnes, qui invocant illum, Roman. 10. verſ. 12. Per villicum vero, omnes ſine diſcrimine homines. Cœli cœlorum enim Domino: terram autem dedit filiis hominum, Pſal. 115. verſ. 16. Non itaque Proprietarii ſumus: ſed omnia quæ poſſidemus, à Deo habemus, ut David fatetur: Benedictus es, Domine, Deus Iſraël, Patris noſtri, ab æterno in æternum, &c. 1. Chron. 29. v. 11. ſeqq.

Hic velim te ipſum examines, utrum hoc recte tecum perpenderis, & non potius ea in perſuaſione fueris, te proprietarium bonorum tuorum eſſe, quæ pro libitu tuo adminiſtrare poſſis.

Horum multi ſunt in mundo, qui omnia, quæ habent ſuis viribus & laboribus adſcribunt, propterea ſacrificant reti ſuo, & thymiama adolent ſagenæ ſuæ, Hab. 1. v. 16. exemplo Nebucadnezaris, Dan. 4. v. 27.

Hoc iniquum eſt. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, Jacob. 1. verſ. 17. Ille diſtribuit, prout vult, 1. Cor. 12. v. 11. Uni quinq; talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique ſecundum propriam virtutem: quæ non abſcondere: ſed iiſdem lucrari & rationem reddere debet. Matth. 25. v. 15. ſeqq.

Hæc villicatio autem cui Deus nos præfecit, *bifariam* conſiderari poteſt:

1. *Generatim.* A quo habetis animam rationalem, & corpus bene diſpoſitum? Nonne à Deo, in quo vivimus, movemur, & ſumus? Act. 17. v. 28. Job. 10. verſ. 8. 12. Hic eſt ille Dominus, qui Aaroni eloquentem linguam, Exod. 4. v. 14. Abſoloni pulchritudinem, 2. Sam. 14. v. 25. Regi Hiskiæ, ſanitatem, 2. Reg. 20. verſ. 6. Simſoni fortitudinem, Jud. 15. verſ. 12. aliiſque alia dona concredidit. Non enim poteſt homo accipere quicquam, niſi ei fuerit datum de cœlo. Joh. 3. v. 17.

A quo habetis domum & agros, pecunias & opes? Nonne à Deo, qui Abrahamum divitem fecit in poſſeſſione auri & argenti, Geneſ. 13. verſ. 2. qui Jacobo benedixit, ut duabus turmis egreſſus fuerit, Geneſ. 32. verſ. 10. qui erexit de pulvere Joſephum, & conſtituit Proregem Ægypti, Gen. 41. v. 43. qui obſtetricibus

cibus Ægyptiacis ædificavit domus, Exod. 1. v. 21. qui Jobo dedit, ſeptem millia ovium, & tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, & quingentas aſinas, Job. 1. verſ. 3. qui adhuc hodiè producit fœnum jumentis, & herbam ſervituti hominum, Pſal. 104. v. 14. 15.

A quo habetis dona gratiæ, nempe verbum Evangelii, & ſacramenta, quibus miſeris nobis homuncionibus, remiſſio peccatorum, juſtitia, quæ coram Deo valet, & vita æterna quotidie offertur? Nonne à Deo? Qui hoc ipſo ſignum erigit, & prædicari facit pœnitentiam & remiſſionem peccatorem in omnes gentes, Luc. 24. 47. *Verbum Diploma* eſt, in quo nobis gratiam ſuam pollicetur: *Sacramenta autem quaſi ſigilla* ſunt, quæ propitiationi annexuit, ut firmiter credamus, quæ nobis propoſuit, fore etiam & Amen, 2. Cor. 1. v. 20.

2. *Speciatim.* Hunc enim Deus miniſtrum eccleſiæ, illum Magiſtratum, iſtum Patremfamiliâs conſtituit. Quilibet vocationem ſuam habet à Deo. Illis dicit Apoſtolus, ne ſibi ipſis honorem ſumant, ſed expectent vocationem à Deo, tanquam & Aaron, Hebr. 5. v. 4. Eſa. 41. v. 17. De iſtis dicitur, quod ſint miniſtri regni Dei, quibus data poteſtas à Domino, Sap. 6, 5. Rom. 13. v. 1.

Patres- & matres- familiâs quod concernit, ſicut & liberos & famulos, quilibet habet functionem ſuam à Deo, ſicut unicuiq; diviſit, unumquemq; ſicut vocavit Deus, ita ambulet, 1. Cor. 7. v. 17.

Sic nos nihil aliud ſumus quàm Diſpenſatores Dei, quibus bona ſua ille concredidit: ideò cautè ambulare debemus, iisq; ad gloriam Dei & proximi emolumentum uti, dum poſſidemus. Et quando Dominus ea auffert, æquo animo ferre, dicentes cum Jobo: Dominus dedit, Dominus abſtulit, Job. 1. v. 21.

II. *Iniquam diſpenſationem*, Diffamatus enim eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona illius. Ita hic villicus bona Domini ſui adminiſtravit, ut nunquam de ratione reddendâ cogitaverit. Lautè enim in diem vivendo, vitam hanc perpetuam fore opinatus eſt. Sed poſtquam aliquamdiu bonis Domini ad libitum ſuum abuſus eſt, diffamatur apud Dominum, quaſi diſſipaſſet bona illius. Quia igitur ratio accepti atque expenſi non convenit, renunciat ipſi officium Dominus; quo ipſo in tantas animi anguſtias conjicitur, ut quò ſe vertat, neſciat. Tandem ratiocinatur ſecum: Quid faciam? Fodere non valeo, mendicare erubeſco: Sed mox colligens ſe, inquit: Scio, quid faciam. Convocatis itaque ſingulis debitoribus Domini ſui, rationem adulterat, primo donat quinquaginta cados olei, alteri viginti choros tritici, hoc modo amicos ſibi conciliat de Mammonâ iniquitatis, ut debitores viciſſim commodis ſuis ſerviant. Ita furtum furto auget, & ex incommodis Domini commoda ſua comparat: quod ſi enim rationem ſubduxeris, quantum in utroque incommodaverit Domino ſuo, damnum ſexcentum florenis æſtimari poteſt, non ſupputatis iis, quibus Dominum defraudavit, in officio adhuc conſtitutus. Quid videtur vobis, Dilecti! nonne reſtim meritus eſt? Sed non rete accipitri tenditur, neque milvio, Die kleinen Diebe hengt man / und die groſſen läſſet man lauffen, ut in Proverbio dicitur.

Hic velim probes te, mi Chriſtiane! annon & ipſe bona, quæ Deus tibi concredidit, iniquè dilapidaveris & profuderis?

O Dilecti! iniquus hic villicus multos fratres & diſcipulos reliquit, qui eandem artem callent, & varias argento comparando fallacias fingere norunt, illi præſertim, qui à rationibus ſunt, & aliorum bona adminiſtrant. Occaſio enim facit fures, Es iſt kein Aemptlein ſo klein / es iſt Henckens werth. Hinc multi ad ampliſſimas opes perveniunt, quibus ante ad raſtros res redierat. Sed meritò tandem malorum meſſem metunt, divitias, quas impius devoravit, evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus, Hiob. 20. v. 15.

Xenocrates, cum quempiam ad crucem duci videret, effusè riſit, quærenti cauſam, reſpondit: ridiculum ſibi videri, quod magni fures minorem ad mortem condemnaſſent, ſuſpenſuri eundem, quod tamen iſti magis meriti fuiſſent.

Sic adhuc hodiè non infrequens eſt, ut fur, qui forte decem vel viginti florenos ſurripuit, ad patibulum condemnetur: Alii verò, qui multa millia compilarunt, in ampliſſimis dignitatibus conſtituti degant, ut Cato ſenior verè dixerit: *Privatarum rerum fures in compedibus vitam agere, publicarum in auro & purpura conſpicuos incedere.*

Hoc ita in mundo fieri amat. Sed ſententia eorum dudum lata eſt: Injuſti regni Dei hæreditatem non conſequentur, 1. Cor. 6. v. 9.

III. *Reddendam rationem.* Dominus enim eum propterea objurgans ait: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ.

Sicut hic villicus de ratione reddenda compellatus fuit, ſic etiam nobis aliquando coram tribunali Chriſti ratio reddenda erit, quomodo bona nobis concredita diſpenſaverimus.

Quilibet hic ſeipſum inſpiciat, & probet, quomodo ſibi cum Deo conveniat, an rationem reddere poſſit, quando aliquando ad eam referendam adſtringetur?

De Hieronymo memoratur, quòd memoriæ ergò Muſei parieti inſcripſerit, hæc verba: *Memento tubæ Archangeli.*

Nos idem faciamus, ſemper recordantes rationis ultimæ, quam aliquando de omnibus dictis, factis & cogitatis reddere tenemur, non coram Imperatore Romano, aut alio Principe terreno, ſed coram Domino Dominantium, qui corda ſcrutatur & renes, Jer. 17. v. 10, & ſcit, quid in homine ſit, Joh. 2. v. ult.

Hæc ratio exquiſitiſſima erit, quando Dominus dicturus eſt: Quid hoc audio de te, homo improbiſſime? Hæccine gratia eſt, quam retuliſti mihi, qui tantis te beneficiis ornavi, & Dominum creaturarum omnium conſtitui?

Si hoc de beſtiis audirem, aut diabolis, qui catenis noctis conſtricti ſunt, 2. Petr. 2. v. 4. ſive de ethnico, qui alienatus & ſine Chriſto eſt, Eph. 2. v. 12. tantopere non mirarer: Sed de te, quem ad imaginem meam creatum, ratione aliisq; beneficiis ornavi, Gen. 1. v. 26. 27. De te, quem tanto amore proſecutus ſum, ut proprio filio non pepercerim, ſed eum pro te tradiderim, Rom. 8. v. 33. De te, quem filius meus dilectiſſimus, non auro & argento, 1. Petr. 1. v. 18. ſed ſanguine ſuo, adeoque magno pretio emit, 1. Cor. 6. v. 20. De te, cui Evangelium meum manifeſtavi, & ſinceros Doctores largitus ſum, qui nihil ſubtraxerunt tibi, quo minus annunciaverint omne Dei conſilium, Act. 20. v. 20. Hoc non parum affligit me, beneficia mea non melius collocata eſſe. Age, rationem redde villicationis

tionis tuæ! Dedi tibi corpus bene diſpoſitum, membra ſana, oculos videntes, aures audientes, linguam eloquentem, & ſuper hæc omnia animam rationalem.

Rationem itaque redde de corpore, oculis, auribus, linguâ, manibus, pedibus, ut & de anima tua. Quin & ratio nobis reddenda erit de verbis noſtris: Ex verbis tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis, Matth.12.v.37.

De operibus noſtris, an bona vel mala fuerint. His quidem ſecundum patientiam boni operis, gloriam & honorem, Rom. 2. v. 9.

De cogitationibus noſtris. Licet enim JCtorum regula ſit: Cogitationis pœnam nemo patitur: non tamen hoc valet in foro Dei, Matth.5,28. Opera enim & *cogitationes* congregabit Deus, Eſ.66,18. O graviſſimam rationem, quam unusquisq; noſtrûm pro ſe reddet Deo! Rom.14,13.

Sic & in publico officio conſtitutis ſtrictiſſima ratio reddenda erit. Cui enim multum datum eſt, multum quæretur ab eo, Luc.12.v.48.

Primùm enim ad tribunal citabuntur, *Miniſtri Eccleſiæ*, cujuscunq; illi ſint ordinis: Pontifices, Cardinales, Abbates, Prælati, Superintendentes, Paſtores, Diaconi, &c. Hos Chriſtus alloquetur: Conſtitui vos diſpenſatores myſteriorum Dei, 1.Cor.4,1. dediq; claves regni cœlorum, Joh.20,23. multas quoq; animarum myriades fidei veſtræ commiſi, quas omnes ſanguine meo redemi, ut gregem commiſſum fideliter paſceretis & improbos mei loco adhortaremini. Reddite igitur rationẽ villicationis veſtræ.

Deinde *Magiſtratum politicum* ad tribunal vocabit, dicturus: Redde rationem villicationis tuæ. Commiſi tibi utramq; legis tabulam, ut juſtitiã adminiſtrares, & nutricius eccleſiæ meæ eſſes, Eſ.49,23. portas mundi elevares, Pſ.24,9. quo velociter curreret ſermo meus, Pſ.147,15. & hoc ipſo regnum meũ adveniret Matth.6,10. An ſubditis juſtitiam adminiſtraſti, oppreſſo ſubveniſti, viduam defendiſti? Eſ.1,17. An ſubditorũ bona conſervaſti, ut victum atq; amictum illi acquirere, & quilibet ſub vite ſua & ſub ficu ſua absq; timore ullo habitare potuerit? 1.Reg. 4,25. Hoc niſi factum fuerit, ſecundum ſententiam latam judicabuntur: Potentes potenter tormenta patientur, Sap.6,7.

Tertiò *Patres & Matres-familiâs* ſuccedent. Quorum quilibet ſeorſim ad judicium vocabitur, marito dicetur: Dedi tibi honeſtam uxorem, quam ut corpus tuum diligere debuiſti, Eph.5,28. Redde rationem! Uxori dicetur: Dedi tibi honeſtum maritum, quem reverentiâ, honore & obſequio proſequi debebas, Eph.5,27. Col.3,18. Hoccine feciſti? Redde rationem!

Parentibus in genere dicetur: Dedi vobis ſanos liberos, ut eos tanquam hæreditatem & mercedem de manu meâ ſuſciperetis, Pſ. 127,3. & in diſciplinâ & admonitione Domini educaretis, Eph.6,4. iisdemq; præciperetis, ut cuſtodiant viam Domini, & faciant judicium & juſtitiã, Gen.18,19. Hoccine feciſtis? Reddite rationem!

Quilibet proinde, quæ muneris ſui ſunt, agat, rationem per ſingulos dies ſecum inſtituat, donec hodie cognominatur, Hebr. 3,13. & per miſericordiam Dei reputet ſecum, quanto rigore coram tribunali Chriſti examinandus ſit, ut juſtus vix ſalvetur, impius & peccator ubi parebunt? 1.Pet.4,18.

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alteram partem*, χειρογραφον, ſive *notitiam Chriſti* meditaturi.

turi. Ille nobis proponitur in Evangelio præſente:

I. *Tanquam accuratus obſervator*. Ita enim dicitur in Evangelio: Erat homo quidam dives, qui habebat villicum: & hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona illius. Hoc ἀνθρωποπαθῶς dictum: ſed θεοπρεπῶς intelligendum venit. Deus enim eſt ſpiritus Joh. 4.v.24. qui replet orbem terrarum, Sap. 1. v. 7. nec eget diffamatione ullâ, ſed novit omnia, quæ nec dum facta ſunt, Eſa. 46. v. 10. & intelligit cogitationes noſtras de longè, Pſ. 139. v. 3.

Interea tamen Coricæos ſuos habet, per quos, quæ in abſcondito fiunt, ſæpè præter opinionem manifeſtantur, ut ſunt:

1. *Angelorum chorus*, bonorum æque ac malorum, qui quotidiè circa homines verſantur: boni, ut ſpiritus adminiſtratorii, Hebr. 1. v. ult. mali ut leones rugientes, quærentes devorare eos, 1. Petr. 5. verſ. 8. Quando igitur angeli boni mali quicquam conſpiciunt, eo ipſo contriſtantur, & offerunt Deo, ſicut orationem fidelium, Tob. 12. v. 12. Mali verò non tantum ad Deum deferunt, quæ mala patrari vident & audiunt, ſed accuſant quoque propterea homines ante conſpectum Dei, die ac nocte, Apoc. 12. v. 10.

2. *Conſcientiarum morſus*: *Mala* enim illa *beſtia eſt, quæ hominem ſtare facit contra ſeipſum*, ut Lutherus dixit. Hinc Paulus ait, quod ejusmodi homo ſit αὐτοκατάκριτος Tit. 3. v. 11.

3. *Creaturarum gemitus*. Exempla teſtantur, quòd nonnunqvam cædes per canes, vel alia animalia proditæ ſint.

Mortem Ibyci, Poëtæ Itali grues manifeſtarunt.

Beſſus parricida hirundines de ſe canere opinatus, ſeipſum ita prodidit, ut verum ſit illud Salomonis: Aves cœli portabunt vocem tuam, Eccl. 10. v. 20.

4. *Homo occultus*, Exod. 2. v. 14. 1. Sam. 21. v. 7. c. 22. v. 18.

5. *Sanguis inultus*. Sic ſæpè fit, ut homicidâ præſente, corpus trucidati denuò ſanguinem ſtillare incipiat. Hinc Deus ad Cainum fratricidam: Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ, Gen. 4. v. 10.

Ecce! his & aliis modis diffamari poſſumus apud Deum, quando bona ejusdem malè adminiſtramus. Quilibet proinde caveat ſibi, ne quid malè committat, dicens: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob, Pſal. 94. v. 7. ſed abdicemus occulta dedecoris, 2. Cor. 4. v. 2. quia nihil opertum, quod non revelabitur, Matth. 10. v. 26. Quodſi non accidit in hoc mundo: certo certius futurum eſt, die noviſſimo, ubi Dominus abſcondita tenebrarum illuminabit, & manifeſtabit conſilia cordium, 1. Cor. 4. v. 5.

II. *Tanquam ſeverus degradator*. Dicit enim Dominus villico: Jam non poteris amplius villicare. Quodſi juxta merita ejusdem cum eo agere voluiſſet, jure ipſum non modo officio privare, ſed & capite plectere potuiſſet. Sed adeò rigoroſè cum eo non agit, ſed ab officio remotum indignum judicat, cui bona ſua in poſterum committat.

Eodem modo adhuc hodiè Chriſtus agit, cum omnibus iis, qui in functione ſibi concreditâ fraudes atqve fallacias verſant. Verùm ſicuti ejusmodi Dominus eſt, ſine quo nihil facere poſſumus, Joh. 15. verſ. 5. & quando manum ſuam ſubtrahit, verè dicitur: Væ illis, ubi ego diſceſſero, Oſ. 9. v. 12. ſic iræ ejus compen-

dium

Digitized by Google

dium eſt, quando homines ab officio removet,

1. *Tempore præſentis gratiæ*, ut, aut in pauperiem aut morbos incidant, aut abſumantur à terrore, Pſal. 73. v. 19.

Exempla habemus in Pharaone, Exod. 14. v. 28. Haman, Eſth. 9. v. 1;. Nebucadnezar, Dan. 4. v. 30.

Adhuc hodiè Deus quandoq; exempla ſtatuit in iis, qui poteſtate ſibi à Deo commiſsâ, in perniciem aliorum tyrannicè abutuntur, unde Maria mater Domini canit: Fecit potentiam in brachio ſuo, Luc. 1. verſ. 51.

2. *Tempore ſequentis iræ*, quando veniet ad judicandum vivos & mortuos, tùm plenè & penitus eos de gradu dignitatum dejiciet, & cum Diabolis in ignem æternum mittet, Matth. 25. v. 41. Quoniam enim in hoc ſeculo donis Dei abuſi, membra ſua, quæ meritò ad Dei gloriam & proximi emolumentum uſurpare debuiſſent, arma iniquitatis ad Diaboli miniſterium fecerunt, Rom. 6. v. 13. cum dæmonibus quoq; partem ſuam habebunt in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda, Apoc. 21. v. 8.

Cum Rex Belſazer manum hominis conſpiceret, quæ in ſuperficie parietis aulæ regiæ, contra candelabrum ſcribebat: Mene, mene: Thecel, Phares: tantopere commutabatur, & conturbabatur, ut compages renum ejus ſolverentur, & genua ejus ad ſe invicem colliderentur, Dan. 5. v. 5. ſeqq.

Quanta conſternatio, quantus tremor erit reſpectu impiorum, quando die ultimo Chriſtus ipſis æternum exitium denunciaturus eſt? Ideò maturè reſipiſcere, & cum iniquo villico dicere debemus. Quid faciam? Hic enim remedium parari poteſt, ibi verò res deſperata erit, ex inferno enim nulla eſt redemtio, Pſ. 49. v. 15.

Quis Rex iturus committere prælium, adverſus alium Regem, &c Luc. 14 31.

Hâc politicâ ſagacitate nos ſpiritualiter uti debemus, & quia audimus, juſtiſſimum judicem adverſus nos in viâ eſſe, rigoroſo nos examini ſubditurus, in quo non conſiſtere valemus, rogemus ea, quæ pacis ſunt, dicentes cum Davide: Domine ne intres in judicium, Pſal. 143. v. 2. Id ſi fecerimus, Dominus non ex rigore juſtitiæ nobiſcum aget: ſed pacem inibit, propter Chriſtum, qui nos ſanguine ſuo patri reconciliavit, Rom. 5 v. 10.

III. *Tanquam prudentiæ ſecularis commendator.* Laudavit enim Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet: quia filii hujus ſeculi prudentiores filiis lucis in generatione ſuâ. Deinde finitâ parabolâ Chriſtus ait: Facite vobis amicos de Mammonâ iniquitatis &c.

Hic Servator univerſum genus humanum in duas quaſi claſſes diſtribuit, primam vocat *filios ſeculi*, alteram *filios lucis.*

Filii ſeculi inde nomen habent, *primò*, quia mundum diligunt, & quæ in mundo ſunt, Joh. 2. v. 15. *Deinde*, quia partem ſuam habent in hoc mundo, poſt in altera vita cariturì, Pſal. 17. v. 14. *Tertiò*, quia ita in hoc mundo vivunt, acſi manſionem perpetuam haberent, Pſal. 49. v. 12.

Filii lucis verò ita dicuntur, quia ex Deo nati ſunt, qui pater luminum dicitur, Jac. 1. v. 17. *Deinde*, quia in Chriſtum credunt, qui eſt lux vera, Joh. 1. v. 9. *Tertiò*, quia in luce ambulant, 1. Joh. 1. verſ. 7. Epheſ. 5. verſ. 11. hinc ſolatium habent, quod aliquando perventuri ſint ad lucem æternam, ubi ſocietatem habebunt cum pa-

tre, & cum filio ejus Jeſu Chriſto, 1. Joh. 1. v. 3.

Quando autem Chriſtus filios ſeculi & filios lucis invicem ſibi hîc opponit, & illos his prudentiores ſtatuit in generatione ſuâ: hoc ipſo nos excitare vult, ut nos tanquam filii lucis prudentiam ſpiritualem ab illis diſcamus, & ſic ſalutem noſtram ſtudioſè operemur.

Filii ſeculi ſunt indefeſſi, & in omnem occaſionem intenti, quomodo concupiſcentias ſuas à diabolo ſibi ſuggeſtas in effectum deducant, exemplo ſit Ammon, 2. Sam. 13. v. 3.

Vos filii lucis imitamini hoc in ſpiritualibus, delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, Pſal. 37. v. 4. Thren. 3. v. 25.

Filii ſeculi deſiderio flagrant cibi & potûs, animus eorum ſemper in patinis eſt. Manè conſurgunt ad ebrietatem ſectandam, Eſa. 5. v. 11.

Vos filii lucis operamini cibum, non qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, Joh. 6. v. 27. Matth. 4. v. 4.

Filii ſeculi gloriæ æſtu flagrant, ideoq; ſæpè opes & vitam profundunt.

Vos filii lucis idem facite, & date operam, ut bonum certamen certetis, quo coronam juſtitiæ reportetis, 2. Tim. 4. v. 8. 2. Tim. 2. v. 5.

Filii ſeculi varias verſutias agunt, ut temporalia acquirant, noctu quoq; iniquitatem cogitantes, Mich. 2, 1. Vos filii lucis theſaurizate vobis theſauros in cœlo, Matth. 6. verſ. 20.

Filii ſeculi amicis ſuis ſe accommodant, & teſtatori blandiuntur, ut in teſtamento ſui rationem habeat.

Vos filii lucis idem ſtudete: Deus legavit nobis hæreditatem incorruptibilem, 1. Pet. 1, 4. ideò caveamus, ne teſtatorem peccatis noſtris ad iram commoveamus, patiamur quoq; æquo animo, quod nos pati juſſit, hæc enim conditio teſtatoris noſtri eſt, Rom. 8. v. 17.

Filii ſeculi in id incumbunt, ut ubiq; ſibi amicos concilient, Mich. 7, 3. Vos filii lucis! facite vobis amicos de iniquitatis Mammonâ, ut recipiant vos in æterna tabernacula. Da pauperibus, & theſaurum habebis in cœlo, Matth. 19. v. 21. Calicis aquæ frigidæ mercedem non perdemus, Matth. 10. v. ult. Pſ. 34, 11. Quin potius vitam cum Chriſto habebimus, Joh. 10, 10. Largiatur eam nobis Deus per Chriſtum, Amen!

Dominica X. poſt Trinitatis.

Evangelium Luc. 19. v. 41, --- 48.

EXORDIUM.

CUm Ben-adad Rex Syriæ ægrotaret Damaſci, ablegavit ad Prophetam Eliſæum præcipuum ſuum miniſtrum Hazaël cum pretioſis muneribus, & quæſivit ex ipſo, an evaſurus ſit de infirmitate hac ſua. Eliſæus ſignificavit ipſi, quod non ſanandus: ſed morte moriturus ſit, juſſit tamen legatum, ne id Regi indicaret: ſimul poſuit vultum ſuum ad confuſionem, flevitq; vir Dei. Cui Hazaël ait: Qua-

Digitized by Google

Quare Dominus meus flet? Reſpondit Propheta: quia ſcio, quæ facturus ſis Iſraël mala: oſtendit mihi Dominus, te Regem Syriæ fore, 2. Reg. 8, 7. & ſeqq.

In prælecto Evangelio audimus, non Prophetam Eliſæum, ſed eum lacrymas emittere, qui eſt Dominus gloriæ, 1. Cor. 2, 8. auctor vitæ, Act. 3, 14. Deus ſuper omnia benedictus in ſecula, Rom. 9. v. 5. Et quidem illo tempore, cum tanquam Rex filiæ Sion, magno populi jubilo ingrederetur Hieroſolymorum urbem, Omnes enim gratulabundi acclamabant, Hoſanna filio David, Benedictus &c. Propterea potiori jure quæramus: Quare Dominus meus flet? Graviſſimæ ſanè cauſæ lacrymas tibi expreſſerunt.

Cauſa lacrymarum eſt, funeſtiſſimus interitus Hieroſolymæ, in toto Oriente florentiſſimæ, ubi Deus ignem & caminum ſuum habuit, Eſa. 31. v. ult. Ideò ſervator ait: Si tu cognoviſſes, & quidem in hac die tuâ, quæ ad pacem tibi &c.

Certiſſimè perſuadeamus nobis, Dominum adhuc hodiè flere, quando cernit, non modò in politiâ omnia turbari, ut quaſi lapis ſuper lapidem non relinquatur, ob ſubitaneam mutationem, quæ tam intra quam extra Romanum imperium, paucis abhinc annis contigit, ſed & ſanctuarium per varias hæreſes & ſectas multis modis prophanatum, & in ſpeluncam latronum commutatum eſſe. Prætereà cauſæ ſat eſt, cum Davide conquerendi: Defecit ſanctus, Pſal. 12. v. 2. quodſi quæremus cum Bernhardo: *Bone Jeſu, quid ploras?* reſpondebit ille dicens: *Ploro, quia paſſio mea ſufficit multis, prodeſt paucis.* Sicut & per Prophetam ait: Ex te perditio tua Iſraël, Oſ. 13. v. 9.

Nos absq; ulteriori præfamine ipſum Evangelium meditandum aggrediemur, ex eodem pro inſtituti ratione tractaturi:

I. ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*

II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

Civitates, quò majores, eò deteriores, plenæ turbis, ſed magis turpitudinibus, plenæ divitiis, ſed magis vitiis, inquit Salvianus.

Idem dicere poſſumus de Hieroſolyma: erat illa pulchra, magna, munita, & opulenta. Sed cives enormiter peccabant, ſubſannantes & irridentes nuncios Dei, qui à Deo ad ipſos mittebantur, & pœnitentiam prædicabant, 2. Chron. 36, 16. vertebant ad Deũ tergum, Jer. 2, 27. & omnes converſi erant ad curſum ſuum, quaſi equus, impetu vadens ad prælium, Jer. 8, 6. ideò tandem funditus deleti ſunt, ut lapis ſuper lapidem non fuerit relictus, ſicut Servator in prælecto Evangelio ipſis prædixit.

Nos hinc anſam capimus, *notitiam noſtri* meditandi, quando intuemur:

I. *Cæcitatem Judæorum ſupinam*, qui non cognoverunt, quę ad pacẽ ſibi conveniebãt.

Deus multifariam ipſos præmonuit, per Prophetas ſuos: præterea ablegato jam filio ſuo, pœnitentiam & remiſſionem peccatorum prædicabat, Matth. 4. v. 17. Sed omnia fruſtrà tentabantur, in pertinaciâ ſuâ præfractè perſeverantes dicebant: non veniet ſuper nos malum, Jer. 5, 12. in eo enim confidebant, quod ſemen Abrahæ eſſent, Joh. 8. v. 33. & quia Deus ipſos in peculium ſuum elegerat, Deut. 7, 6. opinabantur, ſe non abjici poſſe; hinc identidem ingeminabant: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini, Jer. 7, 4.

Hæc ſupina erat cœcitas: meritò enim perpendere debuiſſent. Deum non eſſe perſonarum acceptorem, Act.10.v.34. Idcircò malè quoq; ipſis ceſſit. Quanto enim amore ipſos complexus, dum in præceptis ejus ambularunt: tanto furore eosdem perſecutus eſt, ubi à mandatis ejus defecerunt, faciens eos in exſecrationem, & in ſtuporem, & in maledictum, & in opprobrium, Jer.42,18. Thren.2.v.17.

Quilibet hîc ſeipſum in examen vocet, annon & ipſe hac in parte peccaverit, ut quæ ad pacem ſuam pertinent, à ſe rejecerit, & deſpexerit?

Hoc nimis familiare eſt, ut propterea non temerè querela Prophetæ nobis repetenda: Vident multa, neque obſervant. Apertas habent duas aures, nec tamen audiunt, Eſa.42.v.19. Filii colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, Jer.7 v.8. à minimo uſque ad maximum omnes avaritiam ſequuntur, Jer.8 v.10. tamen levi pendunt, dicentes: pax, pax, cum non eſt pax, Jer. 8. v.11. quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à deſertis montibus malum ingruet. Pſal.75.v.7. At:

Quò major ſecuritas, eò propior pœna eſt.

Intuemini primum mundum! Erant comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, donec venit diluvium, & tulit omnes, Gen 7. verſ.1.ſeqq. Matth.24.v.38. Quid evenerit Sodomitis, vide Gen.19 v. 24.25. De Achab, Michæ præmonitionem ſpernente, 1 Reg 22.v.27.

Quando quis igne læditur, continuò membrum retrahit: nos verò adeò occœcati ſumus, ut igem non ſentiamus, quem Deus in portis noſtris accendit: quin idem nobis evenit, quod muſcis majoribus, qui candelæ advolant, & paulatim alas ſuas adurunt, dum volare amplius nequeunt. Sic nos facilè ſcimus, nos peccatis noſtris Dei iram provocaſſe, non tamen deſiſtimus, neque deſiſtemus prius, quàm in barathrum infernale præcipitati, uramur, nec comburamur, moriamur, nec mori poſſimus, Apoc.9.v.6.

Hanc cœcitatem & obdurationem Deus hominibus quandoq; ex juſto judicio ſuo immittit, quia audire & videre nolunt, ut deinde videre & audire nequeant, Pſal.81. v.11. Rectè enim Auguſtinus: *Quando Deus deſeritur ab homine, homo rurſus deſeritur a Deo.* Qui verò à Deo deſertus, verè omni ſolatio derelictus eſt. Væ illis, ubi ego diſceſſero; ait Deus, Oſe. 9. verſ. 12.

Quanta hæc pœna ſit, verbis exprimi, nedum cogitationibus, perpendi nequit. Bellum, fames & peſtilentia, pœnæ ſunt atrociſſimæ, quibus Deus mundum ob peccata caſtigat: ſed reſpectu cœcitatis & obdurationis hujus leviter æſtimandæ, & præſtat, homines ab una harum vel omnibus ſimul invadi, quàm occœcatione ejusmodi à Deo puniri. Quin quodammodo melius eſt, Satanæ in hoc mundo tradi, quam cordi ſuo impœnitenti relinqui, ſiquidem illi, qui ita temporaliter Satanæ traduntur, ex vinculis ejusdem per gratiam Dei & ſeriam pœnitentiam redimi poſſunt, 1.Cor.5.v.5. Qui verò cordis ſui deſideriis traduntur à Deo, iniquitatem ſuper iniquitatem incurrunt, Pſ.69,28. & juravit Deus in ira ſuâ, non introituros eos eſſe in requiem ſuam, Pſal.95.v.11.

II. *Conſequentem urbis ruinam.* Quia venient dies in te, inquit Servator, & circumdabunt te inimici vallo: & circumdabunt te, & coanguſtabunt te undique, & ad

ad terram proſternent te,& filios tuos, qui in te ſunt. Et non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.

Hoc ita per Romanos impletum eſt. Quia enim rebellantes, Ceſtum Florum cum copiis ſuis profligaverant, ut Joſephus ſcribit,exinde Romani ad novum bellum anſam ceperunt. Titus enim Veſpaſianus filium ſuum Titum, cum ingenti exercitu ablegavit: qui adeo arcte Hieroſolyma obſedit,ut nemo exire vel ingredi potuerit, hoc ipſo cives in tantas anguſtias redacti ſunt,ut ſeditionibus, fame & peſtilentia multa millia abſumti ſint: tandem urbem occuparunt,adeoque everterunt, ut lapis ſuper lapidem non manſerit. Caſtrum, templum,& omnia ædificia cremata,hominesque primo impetu miſere trucidati fuerunt,ut vix quispiam vitam ſervaſſet, niſi Titus cœdis finem faciens, reliquos captivos ducere juſſiſſet. Hinc multa millia Alexandriam miſſi, varias operas ſerviles facere coacti ſunt. Multi beſtiis objecti, multi pecunia viliſſima, triginta videlicet, uno argenteo venditi ſunt. Quin adeo ſævitum fuit in occupatione urbis, ut Titus Veſpaſianus,poſtquam urbem intravit, lacrymas miſerit, dicens: *O Deus, tu vides, quod ego hac non facio, tanti mali culpa non eſt in me*! Hæc omnia vero peccatis ſuis ſibi ſuperinduxerant. Hinc ait ipſe Joſephus: *Puto ſi Romani contra noxios venire tardaſſent,aut hiatu terra devorandam fuiſſe civitatem, aut diluvio perituram, aut fulminum ac Sodoma incendia paſſuram.*

Hoc quotannis ideo in Eccleſia prædicatur,ut hinc agnoſcamus, quanta peccata abominatio ſint,in oculis Dei ſanctiſſimi,ut etiam urbes & domicilia ad vindictam trahantur,quando incolæ peccatis Deum offendunt Eſa.2.v.15.

Hic ſcrutare te,mi Chriſtiane! annon funeſtum illud bellum, quod dilectam noſtram Germaniam inundavit,& vaſtavit peccatis tuis & ipſe provocaveris?

Quando ſcripturas evolvimus, Deum *idololatriam* bello vindicaſſe, deprehendimus, ſicut liber Judicum abunde teſtatur cap.II.& III. Bello punivit *perjurium*,ut Zedekia,Rex Judeæ expertus eſt,Ezech.17. v. 15. Bello animadvertit in *contemtores verbi ſui*,hinc ait ad Judæos: Pro eo, quod non audiſtis verba mea,ecce ego mittam,& aſſumam,Jer.25.v.9. Bello caſtigavit *libidines,ſtupra,adulteria,inceſtum*, & alia flagitia,contra ſextum præceptum commiſſa, exemplo eſſe poteſt tribus Benjamin propterea fere deleta, Jud.20.v.35.

Bello multavit *crapulam & ebrietatem*; comeditis arietes de grege, & vitulos de loco, ubi ſaginantur pecora, Amos 6. verſ. 5.

Bello vindicavit, *avaritiam & fœnora.* Mala enim parta male dilabuntur.Quando itaque opes per fas & nefas corraſæ ſunt, immittit Deus milites terræ, quæ illas rapiunt: qui vero illas collegerunt, derelinquere coguntur eaſdem, ſicut perdix fovet ova,eaque non excludit, Jerem. 17. verſ. 11.

Hic quilibet ſibi ad animum revocet: quomodo in Germania vixerimus, & deprehendet,omnia hac peccata ſine ullo propudio commiſſa eſſe. Ideo Deus pro juſtitia ſua non aliter potuit,quin bellis, rapinis & vaſtationibus & incendiis per triginta annos omnia miſcuerit in dilecta patria noſtra, quorum veſtigia paſſim adhuc viſuntur,

tanquam *μαρτύριον τῆς πονηρίας*, teſtimonium malitiæ: ut de incendio Sodomæ dicitur, Sap. 10,7. Jer. 2,19.

Utinam saperemus, & intelligeremus, ac noviſſima noſtra provideremus, Deut. 32. v. 29. Ad eremum perducet omnem terram iniquitas, Sap. 6. v. 1. Quodſi igitur Deus non eradicare, deſtruere & diſperdere: ſed potius ædificare & plantare nos debet: Jer. 18. v. 7. peccata declinemus, & negotia noſtra in judicio diſponamus oportet, Pſal. 112. v. 5.

Diligite juſtitiam, qui *judicatis terram*. Sap. 1. v. 1. judicate pupillo, defendite viduam, Eſa. 1. v. 17. ſic regimen veſtrum confirmabit, confortabitque ſeras portarum veſtrarum, Pſal. 147. v. 13.

Diligite juſtitiam *vos cives & ſubditi*! ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem ſuum: quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus, 1. Theſſ. 4. v. 7. Hoc ſi factum fuerit, Deus brevi ſanabit fracturas terræ, quæ ita commota eſt, Pſal. 60. v. 4. bonisque donabit majoribus, quam habuimus antea, Ezech. 36. verſ. 11. Non enim delectatur in perditionibus noſtris. Tob. 3. v. 22. 23.

III. *Prophanationem templi adulterinam.* Sicuti enim in prælecto Evangelio audimus, templum in forum pecorum commutatum fuit. Quia enim Judæi, qui è remotis locis adveniebant, pecudes adducere non poterant, quæ ſacrificiis deſtinatæ erant, ne vacui apparerent in conſpectu Domini, Exod. 23. v. 16. Pontifices omnis generis pecora in templo vendi curarunt, ut quilibet, quæ devotioni ſuæ congrua cenſeret, potiri poſſet. Erant quoque nummularii in templo, qui pecuniam provincialem pro extranea permutabant, quo hoc ipſo quæ neceſſitatis erant, emere, & indigentiæ ſuæ conſulere poſſent. Joh. 2. verſ. 14.

Sed hæc turpiſſima templi prophanatio fuit, quod non ut in eo emeretur ac venderetur, ſed cultus Dei in eodem perageretur, exſtructum erat, ad confitendum nomen Domini, Pſal. 122. v. 4.

Hic velim probes te, mi Chriſtiane! utrum & ipſe hac intentione ædem Domini acceſſeris, eandemque vanis cogitatis, dictis & factis prophanaveris?

Hoc toties fit, quoties celebratio cultus divini contemnitur, aut non ea devotione qua debebat celebratur.

Templa nihil aliud ſunt, quam *ſcholæ noſtra*, ubi Doctor eruditæ linguæ, Eſa. 50, 4. per miniſtros ſuos utilia nos docet, Eſa. 48. v. 17. artem recte credendi, patienter ferendi, utiliter orandi, Chriſtiane vivendi, & beate moriendi. Hæc ſcire, ſupereminens ſcientia eſt, Eph. 3. v. 19.

Templa ſunt *domus noſtra conſolatoria*. In hoc mundo multæ ſunt tribulationes juſtorum, Pſal. 34. v. 20. ut ad pacem amaritudo ipſis amara, Eſa. 38. v. 17. Ideo optime ſibi conſulit, qui cum Aſſapho intrat in ſanctuarium Dei, Pſal. 73. v. 17. Ibi reperitur ſolatium adverſus peccata, Col. 2. v. 14. Solatium adverſus mortem, 1. Cor. 15. v. 55. Solatium adverſus perſecutiones mundi, Joh. 16. v. 33. Solatium item contra omnes miſerias. Deum enim diligentibus omnia in bonum operantur, Rom. 8. v. 28.

Templa ſunt *domus noſtra precatoria*, ubi *quaſi manu facta Deum adorimur, hac enim vis ei grata eſt*, ut Tertullianus ait. Omnes enim qui ita ad eum confluxerunt, facies eorum

rum non ſunt confuſæ, Pſ. 34. 6. Quamvis enim in N. T. nulli certo loco adſtricti ſimus, ut Judæi in V. T. ſed in ſpiritu & veritate, Joh. 4. v. 23. in omni loco, 1. Tim. 2. v. 8. omni tempore, Eph. 6. v. 18. Patrem adorare poſſimus: noſtrum t. men erit, non deſerere collectionem noſtram, Heb. 10. v. 25. ſed unanimiter in æde Domini comparere, precibusque noſtris Dei auxilium implorare. Vis enim unita fortior, Eccl. 4. v. 12. Matth. 18. v. 19.

1. *Per idololatriam*, ſicut in Papatu fit, ubi idola divino cultu afficiuntur, Hab. 2. v. 19.

2. *Per ſomnolentiam.* Domus enim Dei domus orationis eſt. Eccl. 4. v. 17.

3. *Per Confabulationes.*

De Secundo.

DIgrediemur nunc ad *alteram partem*, χειςογνωσίαν, ſive *notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti* perpenſuri. Hic nobis in Evangelio hoc noſtro meditandus proponitur:

I. *Tanquam miſeriæ noſtræ deplorator.* Sicut enim Dominus ſuper Hieroſolymis flevit: ſic & adhuc hodie propter nos lacrymas effundit, quando in peccatis contra conſcientiam viventes, prono curſu ad infernum ferimur.

Judæi omnium beneficiorum Dei indigni erant, ideo Deus conſtituerat ſecum, eosdem à facie ſua projicere: id non latebat Dominum: propterea intuitu miſeriarum eorundem, animus ejus adeo commovetur, ut lacrymas continere non poſſit. Irrita enim eſt anima ejus, ſuper miſeria Iſraelis, Jud. 10. v. 16.

In mundo variæ lacrymæ profunduntur, quarum aliæ *futiles*, aliæ vero *utiles* appellari poſſunt.

Inveniuntur enim, qui animo fallendi ex hypocriſi lacrymantur, ſicut Delila, Jud. 14. v. 16. 17. ſive ex conſuetudine: ut Poeta de fœminis ait:

Ut flerent, oculos erudière ſuos.

Sive ex malitia & vindictæ cupiditate, ſicut Eſau, Gen. 27. v. 38.

His lacrymis Deus non delectatur: ſed ut easdem odio habet: ſic taliter flentibus crucem immittere ſolet, qua iis ſerias lacrymas exprimit. Quodſi vero ad frugem redire nolint, die extremo dolores furoris ſui iis diviſurus eſt, Job. 21. v. 17. miſſurusque eosdem in tenebras exteriores, ubi fletus & ſtridor dentium, Matth. 22. v. 13.

Deinde, quoque ab hominibus ſtillantur, *lacrymæ pœnitentiales.* Joel. 2. v. 12.

Lacrymæ amoriferæ, quas David & Jonathan emiſerunt, 1. Sam. 20. v. 41.

Lacrymæ precatoriæ, velut in Hanna matre Samuelis videmus. 1. Sam. 20. 1. v. 10.

Verùm Chriſti lacrymas, quas ſuper Hieroſolymis effudit, intueri debemus:

1. Ut *informatrices*, Chriſtum enim verum hominem eſſe probant, quod per omnia fratribus ſuis aſſimilatus fuerit, excepto peccato. Heb. 2. v. 17.

Hoc nobis in ſolatium vergit. Habemus enim in eo Pontificem, qui compatitur infirmitatibus noſtris. Heb. 4. v. 15.

2. Ut *Conſolatrices.* Sicut igitur egenus factus eſt, ut illius inopia nos divites eſſemus, 2. Cor. 8. v. 9. ſic etiam flevit, ut omnes lacrymas abſtergeret ab oculis noſtris, Apoc. 7. v. ult.

Lacrymæ alias *ſunt legati dolorum*, ut Cyprianus loquitur, & *ſanguis animi vulnerati*, Bren-

Brentio dicente. Quia igitur Dominus adeò acerbe interitum Hieroſolymorum deflet, luculento id eſt indicio, ſe non perniciem hominum deſiderare. Vivo ego, dicit Dominus Deus: non delector morte impii. Ezech. 33. v. 11.

3. *Exhortatrices*, quæ nos adducere debent:

1. *Ad pœnitentiam*. Quodſi enim ſervator ob aliena peccata lacrymas edit: quidni magis nos ob noſtra peccata lamentaremur, quod beneficentiſſimum DEUM iisdem offendimus. 1. Corinth. 7. verſ. 10. Matth. 5. v 4.

2. *Ad condolentiam*. Diabolus eſt ejusmodi ſpiritus, coram quo gaudet mœror, Job. 41. v. 13. & qui partem cum eo habent pari modo affecti ſunt, hinc effuſe de incommodis aliorum rident, dicentes: Euge, euge, viderunt oculi noſtri, Pſal. 35. v. 21. Sed veri Chriſtiani, ſicut Chriſtus affecti eſſe debent, & flere cum flentibus, Rom. 12. v. 15. Hæc proprietas Chriſtianæ caritatis eſt, quæ non gaudet ſuper iniquitate, 1. Cor. 13. verſ. 6. Rom. 12. verſ. 10. 1. Pet. 3, 8. Prov. 24. v. 18.

II. *Tanquam diligens viſitator*, quem ſeſe præſtat dupliciter:

1. *Gratioſe*.

1. *Per verbi prædicationem*, quando miniſtros & legatos ſuos mittit, qui nos ad pœnitentiam exhortantur, dicentes: Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo, 2. Cor. 5. v. 20.

Hæc magna gratia eſt. Noſtri officii foret, gratiam Dei implorare, & ipſe ad nos venit obſecrans nos, ut reconciliemur Deo, quis hic non admirabundus exclamet: Quam magna miſericordia Domini! Sir. 18, 18.

2. *Per paternam caſtigationem*. Dum enim judicamur, à Domino corripimur, ut non cum mundo damnemur, 1. Cor. 11, 32. Quem enim diligit Dominus, caſtigat, Prov 3. v. 11. Heb. 12. v. 7. ſeqq.

3. *Per beneficiorum cumulationem*. Modo enim liberorum benedictione nos ornat, Pſal. 113. v ult. Pſal. 127. v. 4. modo coronat annum benignitate ſua, & parat cibum nobis, Pſal 65. v. 10. 12. modo benefactores nobis excitat, ut Eliſæ, 2. Reg 4, 8. Hæc omnia Deus facit, qui plurima beneficia confert in nos. Sir. 50. v. 24.

2. *Rigoroſe*. Quando enim homines gratioſam ejus viſitationem aſpernantes, ad pœnitentiam redire nolunt, tandem miſericordiarum ſuarum finem facit, ut ignis & indignatio ejus egrediatur, & accendatur, Jer. 4. v. 4. Prov. 1. v. 24.

Ah dilecti! nos adhuc vivimus jam in tempore gratiæ, dies ſalutis adhuc lucet, ſed jam ad interitum fertur. Jam adhuc tempus pœnitentiæ eſt, Deoque obviandi Hodie, ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, Pſal. 95. v. 8. Quodſi hodie non venerimus, dum dies ſalutis eſt, Deusque gratiam ſuam nobis offerri curat: Certiſſime dies iræ accendetur, dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis, Joël. 2. v. 2. ubi Deus gratiæ fores clauſurus eſt, & licet diu pulſabimus, tamen reſpondetur nobis: Non novi vos. Matth. 25. v. 12.

II. *Tanquam templi reformator*: Ingreſſus enim Jeſus templum, cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes, dicens illis: ſcriptum eſt &c.

Quæ hæc negotiatio, & in quem finem inſtituta illa fuerit, ſuperius memoratum eſt. Sed Domino id minus probatur. Hinc juſto cœlo percitus, flagello de funiculis facto

Digitized by Google

facto, omnes ejecit de templo, oves quoque & boves: & numulariorum effundit æs: & menſas ſubvertit, his verbis ſeveriſſimis adjectis, Domus mea, domus orationis eſt: Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Hoc Chriſti factum Hieronymus omnibus ejus miraculis præfert, & ait: Divina majeſtas & omnipotentia adeo ex oculis Chriſti refulſit, ut emtores & venditores ab uno hoc viro inermi fugerint, nec eidem ſeſe opponere auſi fuerint. Ideo dicitur Dominus templi. Mal.3.v.1.

Hoc exemplum Chriſti, templa & ædes ſacras reformandi, nobis imitari non licet, ſicut nec Apoſtoli imitati ſunt. Ipſe enim non nudus homo: ſed filius Dei vivi erat, Matth.16.v.16. Rex & ſummus Pontifex noſter, Pſal.110.v.4. ſuper quem ſpiritus Domini requieſcebat. Eſa.11. verſ. 2.c.61. verſ.1.

Sicuti igitur æmulari non poſſumus, quod quadraginta dies & noctes jejunavit, Matth.4.v.2. quod ſuper mari ambulavit, Matth.14.v.25. quod verbulo tot ægrotos ſanavit, & mortuos ſuſcitavit. Matth.9.v.6. 21.25.33. Sic nec imitari poſſumus, quod hic cum ementibus & vendentibus peregit. Exempla non ſunt trahenda in conſequentiam, præſertim quod facta Heroica concernit, quæ Spiritus Sanctus in hoc vel illo operatus eſt. Propterea optimam Reformationem illam eſſe cenſemus, quæ juxta Dei verbum inſtituitur, & peragitur.

Imprimis vero quilibet Chriſtianus templum cordis ſui ſedulo debet reformare, quando illud prophanavit, & in domum potatoriam, luſoriam, aut prædatoriam commutavit, & ad exemplum Jacobi Deos alienos à ſe rejicere, nempe Veneris, Bacchi & Mammonis idola, Cerberum mundi tricipitem, & id generis alia: ex adverſo vero verbum Dei cordi ſuo inſerere, Jacob.1.v.21. & cum Davide orare: Domine Deus! legem tuam clementer concede mihi, Pſalm. 119. v. 29. Demus quoque operam, ut templum cordis noſtri vera fide, & Chriſtianis virtutibus exornemus, & concupiſcet Rex pulchritudinem noſtram, cum voluptate in eo habitaturus, Pſal.45.verſ.12. Quinimo ſicut columba Noæ per arcam evolabat & involabat: Sic etiam Spiritus Sanctus, cœleſtis illa columba, in cordibus noſtris nidum ſibi conſtruet, & pullos ponet, Pſalm. 84. verſ. 4. ut indies creſcamus in ſcientia Dei, Col.1.verſ.10. & abundemus magis, 1.Theſſal.4.verſ.2. Dum è militante Eccleſia transferamur in cœleſtem Hieroſolymam, ubi ante thronum Dei, ſerviemus ei die ac nocte in templo ejus, Apoc.7.verſ. 15. Tanta cum lætitia, quam in terrenis oculus non vidit nec auris audivit, nec in cor hominis adſcendit, 1. Cor.1.v.9.

Eo nos ex gratia transferre dignetur, cœleſtis Pater, per filium ſuum Jeſum Chriſtum, Redemtorem noſtrum, benedictum in ſecula, Amen.

* * *

Dominica XI. poſt Trinitatis.

Evangelium Luc. 18. v. 9.... 14.

EXORDIUM.

VEnerunt aliquando duæ mulieres meretrices ad Regem Salomonem, afferentes duos infantes, quorum alter vivus, alter mortuus erat, & hunc mater in ſomnis oppreſſerat: hæ rixabantur inter ſe, utraque puerulum vivum pro ſe poſtulante, dicente altera: Filius meus vivit, & filius tuus mortuus eſt: altera reſpondente: Non; ſed filius tuus mortuus eſt, meus autem vivit.

Rex, quo litem hanc dirimeret, gladium afferri, eoque vivum infantem in duas partes dividi, & dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri dari juſſit. Dixit autem mulier, cujus filius erat vivus ad regem: incaluerunt quippe viſcera ejus ſuper filio ſuo. Obſecro Domine, date illi infantem vivum, & nolite interficere eum: E contrario illa dicebat: nec mihi nec tibi ſit, ſed dividatur. Hinc Rex colligebat, eam, quæ infantem diviſum nolebat, veram matrem eſſe, eique vivum dare jubebat, 1. Reg. 3. v. 26. ſeqq.

Hæc myſtice ſcopo noſtro applicare poſſumus.

Chriſtus cœleſtis Salomo, ſive princeps pacis eſt. Juſtificati enim ex fide, pacem habemus ad Deum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Rom. 5, 1. Ideo exclamat: Ecce! hic plus quam Salomo, Mat. 12. v. 41.

Sicut igitur Salomonem duæ meretrices acceſſerunt, cum vivo & mortuo infante, quarum hæc dixit: filius meus vivit, & tuus mortuus eſt: illa reſpondit: Non, ſed filius tuus mortuus eſt, meus autem vivit: Sic audimus in prælecto Evangelio, diſſimiles duas perſonas aſcendiſſe in templum, ut orarent, Phariſæum videlicet & publicanum. Phariſæus fuit hypocrita, per opera legis juſtificari fatagens, cum tamen lex data non ſit, quæ poſſit juſtificare, Gal. 3. v. 21. Publicanus vero peccata ſua agnovit, unice confidens in miſericordia Patris cœleſtis, & merito filii ſui unigeniti, quem nobis propoſuit ἱλαςήριον per fidem in ſanguine ipſius, Rom. 3. v. 25. hâc fiducia fretus, pectus ſuum percuſſit, dicens: Deus, propitius eſto mihi peccatori!

Quodſi nos hic judicium ferre debuiſſemus, procul dubio phariſæo palmam in ſanctitate dediſſemus, qui mirum in modum de bonis ſuis operibus gloriari ſcivit: Publicanus vero tantis peccatis oneratus erat, ut attollere oculos ad cœlum minus auderet. Verum cœleſtis Salomo, qui non ſecundum viſionem oculorum judicat, neque ſecundum auditum aurium arguit, Eſa. 11. v. 3. ſed cor intuetur, 1. Reg. 16. v. 7. & agnoſcit omnem operam hominis, Sir. 15. v. 20. ejuſmodi judicium fert, quod Phariſæus in peccatis maneat: Publicanus autem in domum ſuam juſtificatus deſcendat, præ illo.

Nos

Digitized by Google

Nos ad ipſum Evangelium pergentes conſiderabimus ex eodem:

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

ABominatio Domini eſt omnis arrogans, ait Salomo, Prov. 16. v. 5. hoc perſpicimus in Phariſæo, qui ob animi faſtum, quo propter opera bona efferebatur, à Domino reprobatus eſt.

Nos hinc anſam capiemus, ad *notitiam noſtri meditandam*, ubi ſpectabimus:

I. *Phariſaicam præſumptionem.* In ſeipſo enim confidebat, quod eſſet juſtus, & adſpernabatur cæteros, inquiens: Deus, gratias ago tibi, quia non ſum, ſicut cæteri hominum: raptores, injuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus.

Tempore Chriſti inter Judæos tres ſectæ erant, videlicet *Phariſæorum, Sadducæorum & Eſſæorum. Phariſæi* homines eruditi erant, qui jactabant, ſe clavem ſcientiæ habere, Luc. 11. v. 52. Ideoque aliis ſe præferebant, unde etiam Phariſæi, h. e. ſeparati dicebantur.

Sadducæi erant Epicuri de grege porci, neque mortuorum reſurrectionem, neque Angelos & ſpiritus credentes, Matth. 22. v. 23. Act. 23. v. 6.

Eſſæi vero boni hortulani & operarii erant in cœlibatu & ſolitudine degentes, & omnium bonorum communionem habentes. In N. T. nulla eorum mentio fit quamvis à Joſepho & aliis Scriptoribus mirifice commendentur.

Inter hos Phariſæi palmam obtinuerunt, utpote qui aſſidue in ſcriptis Moſis & Prophetarum verſabantur, & in peculiari Collegio, quod Hieroſolymis habebant, ſtudioſæ juventuti legem Dei interpretabantur. Habebant præterea alia quoque exercitia quibus corpus affligebant, quibusque cœlum ſe promerituros eſſe, ſperabant. Joſephus & Epiphanius memorant, quod noctu lapides & ſpineta capiti pro pulvinari ſubſtraverint, quo juſto tempore expergiſci & devotionem ſuam habere potuerint.

Hoc exterius *ſpeciem ſanctitatis* habuit: ſicut & Phariſæus in Evangelio ab omni peccato immunem ſe deprædicat, adeo operibus ſuis ſuperbiens, quaſi legem Dei perfecte impleviſſet. Juxta primum enim præceptum profitetur ſe eum, qui Deum recte agnoſcat: juxta ſecundum eum, qui Deo pro beneficiis ſuis gratias agat. Juxta tertium, illum, qui templum ingrediatur, ut oret. Juxta quartum, qui magiſtratui & Sacerdotibus decimas ſine fraude largiatur. Juxta quintum & octavum, illum, qui ab injuſtitia & vindictæ cupiditate alienus ſit. Juxta ſextum, quod nullus adulter. Juxta ſeptimum nullus raptor, juxta nonum & decimum quod plus fecerit, quam ſibi à Deo mandatum ſit: jejunare enim ſe bis in ſabbatho, & dare decimas omnium, quæ poſſideat. Hoc quaſi opus ſupererogationis erat, quod omittere potuiſſet, niſi devotio eum inflammaſſet: Judæis enim anniverſarie ſemel duntaxat jejunium injunctum erat, Levit. 23. v. 27. Fructus quoque & pecora nominetenus expreſſa erant, de quibus decimas dare juſſi ſunt, nempe de frugibus, oleo, & vino, Deut. 25, 17. de pomis arborum, bobus & ovibus, Levit. 23. verſ. 30. Aliæ res viliores decimis exemptæ erant. Sed Phariſæi ſæpius jejunabant, & decimabant mentham,

& anethum, & cyminum, Matth. 23. v. 23. De his etiam hic Phariſæus jactat & ut breviter abſolvam: ſanctiſſimus omnium videri vult, q. d. Ego ſum, & extra me non eſt alius amplius, Zeph. 2. v. ult.

Verum quemadmodum tabulæ Moſis in utroque latere conſcriptæ ſunt, & tam internum, quam externum obſequium requirunt, ut ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine Deum diligant, Deut. 6. v. 5. Sic Chriſtus externis Phariſæi hujus operibus minime contentus eſt, quia fides & dilectio cordis aberant, ſine quibus, omnia quæ facimus, licet externa ſpecie optima videantur, ſunt, velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens, 1. Cor. 13. v. 1.

Hic quilibet ſcrutetur ſe, annon magnam ſanctitatem & ipſe ſibi imaginatus fuerit, & meliorem ſe aliis eſſe, perſuaſerit?

Hoc in Papatu vel maxime familiare eſt, ubi ſemper unus Ordo altero melior eſſe cotendit, dum ſuperſtitioſis ſuis operibus plus ſe promereri cenſent, ut non immerito Deus, ut Judæis olim, ipſis objicere poſſit: Quis requiſivit hæc à manibus veſtris? Eſa. 1. verſ. 12. Et iterum: fruſtra mihi ſerviunt Eſa. 29. v. 4. Matth. 15. v. 8.

Sed miſſis illis, inter noſmetipſos occurrunt, qui, modo gravioribus peccatis mortalibus abſtineant, nihil referre putant, ſi ebrietati, imprecationibus, fœnori aliisque levioribus peccatis ſeſe obſtringant. Hi ſciant, quodlibet peccatum, quamvis viliſſimum videatur, æternam mortem promereri, & damnationis reos facere, ex hac ratione, quia adverſus juſtiſſimum Deum committitur, cujus mandata quocunque peccato infringuntur. Quicunque totam legem ſervaverit, Jac. 2. v. 10.

Alii in *potentia* ſua confidunt, & propterea plus ſibi, quam plebejis licere arbitrantur, non reputantes ſecum: Deum non accipere perſonas principum, nec cognoſcere divitem coram paupere, Hiob. 34. v. 19. Potius illud ſibi dictum putent: Potentes potenter tormenta patientur, Sap. 6. v. 7.

Alii in *tempore* aſylum quærunt, exiſtimantes, in bello non omnia ad amuſſim exigenda eſſe, ad exemplum Davidis, 2. Sam. 11. v. 25.

Alii ex *ratione juventutis* peccata ſua palliare nituntur, præſertim ipſo Salomone dicente: Lætare ergo juvenis in adoleſcentia tua, non obſervantes, quod adjiciat Salomo: & ſcito, quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium, Eccl. 11. v. 9.

Sunt, qui eo excuſare ſe volunt, quod hoc vel illud ex ira vel ebrietate admiſerunt: quaſi vero ira & ebrietas peccata non eſſent, & ita unum peccatum alio excuſari poſſit. Hoc eſt peccata peccatis cumulare, & theſaurizare ſibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei, Rom. 2. 5. & ſic ulterius.

Ita quilibet juſtum ſe reputat, & tamen non eſt, qui faciat bonum, non eſt usque ad unum, Rom. 3. v. 12. Pſal. 14. v. 1. Quilibet igitur ſeipſum noſcere debet, quod adeo neceſſarium eſt, ut ſine notitia noſtri ad notitiam Dei pertingere non valeamus. Si quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit, Gal. 6. v. 3.

II *Publicani confeſſionem.* Stabat enim à longe, nolebat nec oculos ad cœlum levare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens: Deus, propitius eſto mihi peccatori! Hæc precatio humilis erat, quæ Deo gratiſſima eſt, Judith. 9. v. 15.

His

Hic proba te, mi Chriſtiane! utrum & ipſe coram Deo h. m. te humiliaveris, & in confeſſione, cordis tui anguſtias explicaveris, & confeſſus fueris?

Publicanus debitum ſuum obſervavit

1. *Ratione objecti.* Dirigit enim confeſſionem ſuam, non ad Mariam, Petrum, Paulum, vel alium Sanctorum demortuum, ſed ad Deum; Deus, inquit, propitius eſto mihi peccatori!

Idem ab eo diſcere debemus: Deus enim adhuc hodie eſt, qui peccata remittit:

1. *Immediatè.* Ideò nullo mediatore aut intercesſore indigemus, extra Chriſtum, qui unus ille mediator eſt Dei & hominum, 1.Tim.2.v.5. in quo gratificavit nos pater, Eph.1.v.6. & remiſſionem peccatorum promiſit, omnibus, qui in eum credunt, Act.10.v.43.

Æquum igitur eſt, ut coram eo nos humiliemus, quando gratiam & remiſſionem peccatorum conſequi volumus. Eſt enim Dominus Deus miſericors, & clemens, patiens, & multæ miſerationis, Exod. 34. verſ. 6. 7.

2. *Mediatè.* Quando enim gratiam Dei & remiſſionem peccatorum impetrare volumus, cum proximo ante in gratiam redeamus opo[rte]t, Matth.5.v.24. Matth.6. verſ. 14.

Hoc ſi factum eſt, coram Confeſſionario compareamus, velut coram Deo ipſo, cum verâ animi devotione & contritione, Dei enim vicem gerit, & poteſtatem habet peccata remittendi, & retinendi, Matth. 18. v. 18. Sic miſericordiam conſequeris, Prov. 28,13. Et ex ore ejus audies: Dominus tranſtulit peccatum tuum, 2.Sam.12,19.

2. *Ratione delicti*, quod confitetur, inquiens: Deus, propitius eſto, *mihi peccatori!* Quo ipſo omnium peccatorum ſuorum confeſſionem edit.

Idem & nos faciamus. Si dixerimus enim peccatum non habemus, &c. 1.Joh. 1. v. 8. 9. 10. Sed non ore duntaxat fieri debet: verùm ex intimâ contritione cordis. Ingemiſcendum in contritione lumborum, Ezech.21.v.6. corpus caſtigandum in jejunio, 1.Cor.9.v.27. corda ſcindenda ſunt, Joël. 2. v. 13. & caro crucifigenda cum affectibus & concupiſcentiis, Gal. 5,24.

3. *Ratione fundamenti.* Confidit enim unicè in miſericordiâ Dei, dicens quaſi cum Davide: Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, Pſal. 25.v.6.

Hoc refugium noſtrum eſto, in omnibus calamitatibus & miſeriis. Gratiâ enim Dei ſumus, quod ſumus, 1.Cor.15.v.10. miſerationes ejus diluculo novæ, Thren. 3. v. 23. *antecedit* nos, quando bonum inchoamus, *comitatur* nos, quando in bono progredimur, *ſequitur* nos, quando bonum conſummamus. Sine hâc facere nihil poſſumus, Joh. 15.v.5. Hinc Siracides: Lætetur anima veſtra in miſericordia ejus, Sir. 51. verſ. 37. 38.

Si ita confeſſio noſtra facta fuerit, non eſt quod dubitemus de remiſſione peccatorum, & gratiâ Dei. Qui verò ſine pœnitentiâ & fide acceſſerit, ei retenta ſunt peccata ſua, Joh. 20. v. 23.

III. *Utriusq; intentionem.* Duo enim homines adſcenderunt in templum, ut orarent. Phariſæus proinde & Publicanus idem habent propoſitum:

1. *Ratione motus externi.* Adſcendunt enim ambo in templum Domini, quod in excelſo monte Moriâ ſitum erat, ut conſtat ex 2. Paral. 3. v. 1. eo ipſo in loco, ubi Abrahamus filium ſuum Iſaacum ſacrificatu-

Digitized by Google

ficaturus erat, Geneſ.22. verſ.2.

2. *Ratione motus interni.* Ambo enim orationem ſuam fundere volunt, cui fini templum præcipuè conſecratum erat, juxta illud: Domus mea, domus orationis, Eſa. 56. v. 7.

Hic velim teipſum probes, mi Chriſtiane! utrum & ipſe debitum tuum obſervaveris: ademq; ſacram precandi gratiâ acceſſeris?

Hoc quilibet verus Chriſtianus curare debet. Quemadmodum enim in templo Hieroſolymitano Deus habitaculum ſuum habuit, quod gloriâ ſuâ implevit, 1.Reg.8. v. 10. ſic adhuc hodiè in Eccleſia habitat, quæ expreſsè domus Dei vivi propterea appellatur, 1.Tim.3,15. Hebr.3,16.

Quando domus ædificanda eſt, *experti architecti* requiruntur: Sic Spiritus ſanctus principalis Director eſt, qui per verbum & ſacramenta in toto orbe ſibi eccleſiam colligit: Apoſtoli & omnes fideles eccleſiæ miniſtri ſunt architecti, 1.Cor.3,10.

Fundamentum, ſuper quo hæc domus ædificatur, eſt Chriſtus, 1.Cor.3.v.11. firmiſſima petra, quæ omnibus procellis reſiſtere valet, Matth.7.v.25.

Lignum & lapides, ſunt omnes veri Chriſtiani, 1.Petr.2.v.5. hi dolabrâ legis dolandi ſunt, quando ad ſpiritualem hanc machinam idonei eſſe debent, Oſ.6.v.5.

Calx & lutum, quo lapides hi conglutinantur, eſt unitas Spiritus, quam ob cauſam pax vinculum dicitur, Eph.4,3.

Et quemadmodum in domo, non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia, 2.Tim.2. v. 20. Sic etiam in eccleſia ſunt varia χαρίσματα, quæ Spiritus ſanctus diſtribuit, prout vult, 1. Cor. 12. v. 5. ſeqq.

Menſa in hâc domo miſericordia ſtrata eſt, Pſal.23. v. 5. plena ſpirituali cibo & potu, Joh.6.v.55.

Tectum Dei protectio eſt, Pſalm.91.v.1. Procellæ & imbres ſunt variæ tentationes & perſecutiones, Pſal.124.v.1. ſed non prævalere poſſunt adverſus hanc domum, quia in petrâ fundata eſt, Matth.7.24.

Oſtium eſt Chriſtus, Spiritus ſanctus oſtiarius, Joh.10.v.3. Feneſtræ verbum Dei, per quas domus eccleſiæ illuminatur, Pſal. 119. v. 105.

Hoc ita eſt *ſpirituale templum*, & collectio, quam non deſerere debemus, Hebr. 10. v. 25. Pſal. 27. v. 4.

Hic ad exemplum Phariſæi & publicani precibus Deo ſupplicare debemus. *Quamvis enim Deus ubique præſens eſt*, & preces exaudire poteſt, ſicut Jonam in ventre ceti, Jon. 2. v.1. Danielem in lacu leonum, Dan.14.v.33. Petrum in carcere exaudivit, Act.12.v.5. ſeqq. attamen majori cum ſucceſſu id fit in eccleſia, ut Chriſtus ipſe docet, Matth. 18. v. 19. Luc. 18. v. 2. ſeqq. Pſal.145. v. 19.

Ibi habitat *Deus pater*, qui audit orationem, ideò ad eum omnis caro venit, Pſ. 65. verſ. 2.

Ibi habitat *Deus filius*, qui dedit ſemetipſum pro nobis, Tit.2.v.14.

Ibi habitat *Deus Spiritus ſanctus*, diſtribuens fructus ſuos, qui ſunt charitas, gaudium, pax, longanimitas, Gal.5.v.22.

Ideò non diu tardemus, ſed quæramus Dominum, dum inveniri poteſt, Eſa.55,6. & non ejiciet nos foràs, Joh.6.v.37. ſed ſanabit infirmitates noſtras, Pſ.103,3. Quantus enim ipſe eſt, tanta eſt ejus miſericordia, Sir.2. v. ult. neque deeſt ei potentia, quia potens eſt facere ſuperabundanter, quàm petimus aut intelligimus, Eph.3,20.

De Secundo.

TRanſibimus nunc ad *alteram partem* Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti* contemplaturi. Hic nobis meditandus proponitur:

I. *Tanquam oratorum contemplator.* Quod patet in Phariſæo & Publicano, quorum precationem exactè obſervat, cernens Phariſæi hypocriſin, & publicani pœnitentiam.

Adhuc hodiè Eccleſia non pura, ſed hypocritis & falſis Chriſtianis permixta eſt, qui habent ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegant, 2. Tim. 3. v. 5. Hinc comparatur roſæ inter ſpinas, Cant. 2. v. 2. vineæ: in quâ uvæ & labruſcæ inveniuntur, Eſa. 5. v. 2. agro, in quo triticum & zizania pariter creſcunt, Matth. 13. v. 24.

Id Adami æde fuit pius Abel, & fratricida Cain, Gen. 4. v. 8. In arca Noæ inter octo animas impius Cham, Gen. 9, 18.

In Eccleſiâ Abrahami fuêre pius Iſaac & irriſor Iſmaël, Gen. 21. v. 10. In Eccleſia Iſaaci probus Jacob & infenſus Eſau, Gen. 22. v. 4. Jacobus inter duodecim filios ſuos, duos ſaltem habuit, qui frugi fuerunt, nempe Joſephum & Benjamin, Gen. 37. v. 2. ſeqq.

Eliæ temporibus fideles adeò rari erant, ut Elias ſe ſolum ſuperſtitem cenſeret, 1. Reg. 18. v. 19.

Chriſtus Servator duodecim ſibi Apoſtolos elegerat, & tamen unus Diabolus erat, Joh. 6. v. 70.

Hæc omnia Chriſtus explorata ſibi habet, & cujusque cor intuetur, hypocritarum & impiorum iter peribit, Pſal. I. v. ult. etſi enim via eorum complanata eſt lapidibus: tamen in fine illorum profunditas inferni, Sir. 21. v. 11.

Piorum verò greſſus accepti ſunt in oculis Dei, quos etiam numerat, Pſal. 56, 10. cuſtodiens introitum & exitum eorum, Pſal. 122. v. ult.

Propterea ne ſcandalizentur, neque à zizaniis ſuffocari ſe patiantur, ſed luceant, ſicut luminaria in mundo, in medio nationis pravæ atque perverſæ, Phil. 2. v. 15. *Lilium enim eſſe inter lilia magnum non eſt, ſed lilium eſſe inter ſpinas, hoc verè magnum eſt*, ut Bernhardus ait.

Hoc nobis exemplo ſuo commendarunt Noah, præco ille juſtitiæ, Gen. 7. v. 1. Loth, Gen. 19. v. 22. Hiob, c. 1. v. 1. aliiq;.

Inſiſte eorum veſtigiis, nec acquieſce, ſi te lactaverint peccatoribus, Prov. 1. v. 10. ſed perſiſte in pietate tuâ: Veniet aliquando tempus, ubi triticum à paleis, Matth. 3. v. 12. oves ab hædis, & boni à malis ſegregabuntur, Matth. 25. v. 32. ibi videbimus, quid ſit inter juſtum & injuſtum, Mal. 3. v. 18. Apoc. 22. v. 11.

II. *Tanquam ſuperborum reprobator.* Hic Phariſæus tanto faſtu turgebat, ut ne quidem gratiam Dei imploraret: ſed opera ſua jactans, cœlum ſibi ex merito deberi, cenſeret. Sicut Monachus ille Argentoratenſis in agone exclamavit: Domine, redde mihi quod debes!

Verùm opera illa non conſiſtere valent in judicio Dei.

B. Bernhardus, qui multis in ſanctitate palmam præripuerat, morti vicinus meritorum ſuorum obliviſcens, dixit: *Perditè vixi, ſed meritum meum Jeſus Chriſtus eſt.*

Prior aliquis in Cœnobio Reinhards-

bran-

Digitized by Google

brunnenſi in agone conſtitutus, ad circumſtantes dicebat: *Ah fratres! premit & anguſtat me totus mundus, omnes creaturæ mihi ſunt adverſæ.* Fratres conſolari ipſum volebant, prætendentes, quod vitæ ſeveritate ſe omnes ſuperaſſet: Sed reſpondebat ille: *Horum nihil coram judicio Dei ſubſiſtit, ſed Chriſtus Jeſus crucifixus, eſt teſtamentum & juſtitia mea.*

Ita dilecti! in articulo juſtificationis, bonis noſtris operibus promereri nihil poſſumus: ſed nos ipſos abnegare oportet, & omnia, quæ bene fecimus, cum Paulo pro damnis & ſtercore reputare, quo Chriſtum lucrifaciamus, ejusq; juſtitiæ compotes fiamus, quæ non ex lege eſt, ſed per fidem nobis imputatur, Phil. 3. v. 8. Rom. 4. v. 5.

Et quomodo in operibus noſtris conſiderare velimus? Sunt ſiquidem

1. *Imperfecta*, licet enim aliquid faciamus, tamen non omnia facimus. Qui verò per legem juſtificari & ſalvari vult, omnia, quæ in lege ſcripta ſunt, ſervare debet, ſecus enim maledictus eſt, Deut. 27. v. ult.

2. *Impura.* Volentibus enim facere bonum, malum adjacet, Rom. 7, 21. imò omnis juſtitia noſtra eſt ſicut pannus menſtruatæ, Eſa. 64. v. 6. ideoque mereri iisdem nihil poſſumus, Apoc. 21. verſ. 26. 1. Joh. 3 v. 5.

3. *Aliena.* Non enim ſufficientes ſumus cogitare aliquid à nobis ipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, 2. Cor. 3. v. 5. qui operatur in nobis velle & perficere, Phil. 2. v. 13. huic igitur debetur & gloria. Non nobis Domine: Pſal. 115. v. 1.

4. *Debita.* Servi enim Dei ſumus, creati in Chriſto Jeſu ad bona opera, ut in iis ambulemus, Eph. 2. v. 10. Cum itaque omnia fecerimus, quæ præcepta nobis ſunt, dicamus: Servi inutiles ſumus, Luc. 17. verſ. 10.

5. *Imparia.* Nulla enim proportio eſt inter opera noſtra & vitam æternam, Exiſtimo quod non condignæ ſint paſſiones, Rom. 8. v. 18.

Ex his perſpicimus, quàm vanum ſit gloriari in operibus noſtris. Nullus enim homo eſt, qui non peccet, 1. Reg 8, 18. imò qui delicta intelligat, Pſal. 19. v. 13. ideoque quemlibet oportet ad gratiam Dei confugere & orare: Non intres, Domine, in judicium cum ſervo tuo, Pſal. 143. v. 2. Noſtra verò gloriatio in Chriſto eſt, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemtio, 1. Cor. 1. v. 30. Qui credit in eum non peribit, Joh. 3, 16.

III. *Tanquam verè pœnitentium juſtificator.* Exemplo eſt publicanus, qui poſt actam pœnitentiam, deſcendit juſtificatus in domum ſuam.

Quemadmodum enim peccata ex animo deteſtatur: ita contrà delectatur pœnitentia peccatoris, ideò dicit, quod gaudium ſit in cœlo, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis. Luc. 15. v. 7.

Per pœnitentiam impetramus remiſſionem peccatorum, Deus enim bonæ ſpei fecit filios ſuos, quoniam dat locum in peccatis pœnitentiæ, Sap. 12, 19.

Per pœnitentiam conſequimur juſtitiam quæ coram Deo valet. Sicut enim peccata nos à Deo dividunt, Eſa. 59. v. 2. Ita per pœnitentiam cum Deo unimur, ut verè dicere poſſimus: In Domino juſtitiæ meæ, Eſa. 45. verſ. 24.

Per pœnitentiam adipiſcimur ſpiritum ſanctum Act. 2. v. 38.

Per pœnitentiam exauditionem precum

nan-

Digitized by Google

nanciſcimur. Hæc eſt fiducia, quam habemus ad Deum &c. 1. Joh. 5. v. 21.

Per pœnitentiam accipimus liberationem, vel ad minimum levamen, in temporalibus pœnis, ut Ninivitarum exemplo conſtat, Joh 3. v. 10. Ideò ipſe Deus ait: Repentè loquar adverſus gentem &c. Jer. 18. verſ. 7. 8.

Per pœnitentiam potimur tandem vitâ æternâ, non quidem *ratione meriti*, ſed *ratione medii*, quia medium illud eſt à Deo ordinatum, per quod bona ſua nobis promiſit, *unicè propter Chriſtum*, quem peccator pœnitentiam agens, verâ fide apprehendit. Fides enim eſt quaſi *anima pœnitentiæ*, & quicquid non ex fide eſt, peccatum eſt, Rom. 14. v. 23.

Ideò pœnitentiam nobis fideliter commendatam habeamus, ne deſperemus, ſi ex infirmitate humanâ, delicto aliquo præoccupati fuerimus, ſed in tempore reſipiſcentes, de admiſſis peccatis doleamus, & Chriſtum, qui peccata noſtra expiavit, verâ fide apprehendamus, ſic ille miſerebitur noſtri, mundabit iniquitates noſtras, & projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra, Mich. 7. v. 18.

-- Si pœnitet, haud nocet error.

Si impius egerit pœnitentiam &c. Ezech. 18. verſ. 21.

S. Ignatius memorat, quod peccatori cum deſperatione conflictanti, Chriſtus apparuerit, qui oſtenſis ei vulneribus, dixerit: Eccur deſperatione te perditurus es: ecce! hæc vulnera propter te accepi, & ſi hæc non ſufficiunt, adhuc ſemel pro te moriturus ſum.

Idem animus adhuc hodie Servatori noſtro eſt, in omnes peccatores, qui ſeriâ pœnitentiâ ad eum redeunt: propterea nemo deſperare debet, licet peccata ſua ſint velut arenæ maris. Verùm enim manet, quod Paulus ait: Ubi exuperat delictum, ibi exuperat gratia, & ſicut regnavit peccatum in mortem; ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam, per Jeſum Chriſtum, Dominum noſtrum, Rom. 5, ult. Cui ſit laus & gloria, in ſecula! Amen.

Dominica XII. poſt Trinitatis.

Evangelium Marc. 7. v 31. — 37.

EXORDIUM.

CUm Deus ter Opt. Max. univerſam hanc mundi machinam abſolviſſet, valdè id ei probatum eſt: Vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona, Gen. 1, 31.

Quando præclarum illud miraculum, quod Chriſtus in μικρῷ κόσμῳ, videlicet in ſurdo & muto, tanquam magiſter ſanationum patravit, intuemur: illud eodem ferè encomio concluditur, dum populus ſummâ cum admiratione in hæc verba erumpit: Omnia bene fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.

Hoc ex re & vero Chriſto competit. Quemadmodum enim quoad divinam naturam cooperatus eſt, *in creatione*, & cum Patre & Spiritu ſancto, totam hanc univerſitatem ex nihilo produxit, ut dictum fuerit: Omnia valdè bona. Unde dicit: Pater meus operatur, & ego operor, Joh. 5, 17. Sic

Digitized by Google

etiam in diebus carnis ſuæ virtutem ſuam exeruit *in reparatione*, quod & non ceſſat facere *in regeneratione*, ut erepti de poteſtate tenebrarũ, Col.1,13 qui naturâ ſumus filii iræ, Eph.2,3. ſimus filii Dei, hæredes Dei, & cohæredes Chriſti, Rom.8,16.17.

Primo creationis die, dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux. Et vidit Deus lucem, quod eſſet bona, ut refert Moſes, Gen.1.v.3. Idem de Chriſto dicere poſſumus, Venit enim in mundum, ut vera lux, Joh.1.v.9. ut omnis, qui credit in eum, in tenebris non maneat, Joh.12.v.45. ſed habeat lumen vitæ, Joh.8.v.12.

Secunda die fecit firmamentum, diviſitq; aquas, quæ erant ſub firmamento, ab his, quæ erant ſuper firmamentum: id erat valdè bonum. Sic & bonum eſt, quod Chriſtus nobis *firmamentum, ſive firmam manſionem* in domo patris cœleſtis paraverit, Joh.14.v.2. ut cum Paulo dicere poſſimus: Scimus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus tabernaculi diſſolvatur, &c. 2.Cor.5.v.1.

Tertio die creavit Deus herbam virentem, lignumq; faciens fructum, id erat valdè bonum. Ita etiam bonum eſt, quod Servator per Evangelii concionem nos in paſcuis herboſis paſcit, Pſal.23.v.2. quod juxta alimoniam temporalem, & ratione animæ cibamur. Non enim ſolo pane vivit homo, &c. Matth.4.v.4.

Quarto die creavit Deus luminaria cœli, ſolem, lunam & ſtellas. Et hoc quoque bonum erat: Sic non minus bonum eſt, quod Chriſtus in Eccleſiâ quotidiè dat, quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios Evangeliſtas, alios verò Paſtores & Doctores, Epheſ.4.v.11. hi ſunt luminaria mundi, Matth.8.v.14. & ſpirituales ſtellæ, quas habet in dexterâ ſuâ, Apoc.1.v.20.

Quinto die produxit Deus ex aquis omne volatile & varias piſces, id erat valdè bonum. Sic & bonum eſt, quod Chriſtus baptiſmum inſtituit, quo tanquam medio renaſcimur ex aqua & ſpiritu, Joh.3.v.5. & mutamus virtutem, adſcendentes alis, quaſi aquilæ, Eſa.40.v.31.

Sexto die creavit hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum, id æquè bonum erat: Sic & valdè bonum eſt, poſtquam imaginem Dei per peccata amiſimus, quod Chriſtus eandem reparavit, nosq; ad vitam æternam renovavit, hinc revelatâ facie, gloriam Domini, tanquam in ſpeculo recipientes &c. 2.Cor.3.v.18. Meritò itaque beneficia hæc cum populo in Evangelio celebramus, dicentes: Omnia bene fecit.

Nos abſque ulteriori præloquio, ad ipſam Evangelii enucleationem progrediemur, meditaturi ex eodem:

I. ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. χριςολογίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

.J.J.

Exegeſis.

QUemadmodum magna ſunt opera Domini, inveſtigata in omne beneplacitum eorum, laus & magnificentia ſunt opus ejus, Pſ.111,2.3. Sic è contrario Satanæ opera tetra & abominanda ſunt. Hujus rei luculentam teſtimonium in homine habemus, qui initiò ad imaginem Dei creatus eſt: poſtquam imaginem illam Dei deperdidit, Diaboli mancipium factus, etiam forma mutata eſt, ut Adam filios genuerit non ad Dei, ſed ſuam imaginem, Gen. 5. verſ.3.

De

De Protomartyre Stephano legimus, quod omnes, qui in concilio ſederunt, faciem ejus, tanquam faciem Angeli viderint: id inde fuit, quia interna Dei imago, nimirum juſtitia, ſanctitas, gaudium ſpiritus, per fidem in Chriſtum, è facie ejus eluxit. Hoc opus Dei fuit. Contrà de Caino memoratur, quod facie tetrâ & deformi fuerit, Gen. 4. v. 6. Hæc ſatanæ imago erat, quæ per vultum judicabatur.

Intuemini Dilecti! miſeriæ ſpeculum in Evangelio, hominem ſurdum & mutum, ſed & contemplamini eundem à Chriſto ſanitati reſtitutum. Antea neque audire neq; loqui poterat: ſed poſtea Servator ei aperuit aures, ſolvitq; vinculum linguæ; hoc diſcrimen inter opera Chriſti, & opera Satanæ eſt, quod probè à nobis notari debet.

Ανθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri*, qui hîc diſcere cupit conſideret

1. *Surdum patientem.* Exeunti enim Chriſto de finibus Tyri & Sidonis adduxerunt ſurdum & mutum. Sic nulla calamitas ſola.

Utraq; hæc miſeria meritò deploranda eſt: Surdus enim audire nequit, quæ ſaluti ſuæ inſerviunt. Mutus verò linguâ ſuâ laudes Dei perſonare non poteſt, jure itaq; miſerrimus hic homo cenſendus erit.

Cum Angelus Raphaël cœcum Tobiam ſalutaret, & diceret: Gaudium tibi ſit ſemper! Reſpondit Tobias: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video, Tob. 5. v. 11. Atqui, cœcitas, reſpectu hujus defectus, beneficium dicendum eſt. Ille enim verbum Dei audire, ex eoq; fidem, quæ ex auditu eſt, haurire valet. Præterea linguâ ſuâ Deum invocare, & per orationem cum Deo colloqui, quod utrumq; ab hoc homine muto & ſurdo fieri nequit, quis igitur miſeriam ejus ſatis enarraret?

Hic proba te, mi Chriſtiane! an hoc unquam rectè animo tuo revolveris, Deoq; gratias egeris, quod ab hoc malo te cuſtodierit, & ut linguâ & auditu tuo uti poſſis, tibi conceſſerit.

Cum homuncionibus nobis ita comparatũ eſt, ut bona non agnoſcamus, donec ingratitudine noſtrâ ea amiſerimus, tũ demũ ingemiſcimus: Cogitavi dies antiquos, Pſ. 77, 6. E.g. Dedit Deus homini aures, ut iisdem audire debeat, propterea quærit Hiob: Nonne auris verba dijudicat? Job. 12. v. 11.

Quid verò audiemus?

1. *Sacras conciones.* Ad has audiendas in ædem Dei confluere debemus, non verò velut Herodes, Marc. 6, 20. neq; ut Eutychus, Act. 20, 9. verùm ſtudio diſcendi, ut animæ ſaluti proſit. Cuſtodi pedem tuum, ingrediens domum Dei, Eccl 5, 1. Sir. 4, 1.

2. *Salutares admonitiones.* Naturâ enim ignoramus, quid facere aut omittere debeamus: ſed gradimur in viâ non bonâ poſt cogitationes noſtras, Eſa. 65 v. 2. Imò, licet in viâ rectâ ſimus, tamen ſæpè diſcentes tantum ſumus, nunquam verò ad veritatem pervenientes, 2. Tim. 3. v. 7. ideò eccleſiæ paſtores ſemper arguere, obſecrare, exhortari tenentur, opportunè, importunè, 2. Tim. 4. v. 2.

Has admonitiones non ſurdis auribus haurire debemus, ſed præpoſitis noſtris obedire & parere, quia pervigilant pro animabus noſtris, Heb. 13. 16.

Deinde Deus homini quoque *orationem* tribuit, quâ ſolus inter cæteras animantes articulatè loqui, & animi ſui ſenſus indicare poteſt.

Exempla quidem obvia ſunt, quod & bruta quandoq; locuta ſint, ut Aſinus Bileam, 2. Petr. 2. v. 16. Num. 22. v. 18.

Præterea & aves nonnullæ informari poſſunt, ut ſermonem hominis imitentur. Sed nulla inter earum loquelam & hominis orationem comparatio eſt, quæ character animi vocari poteſt. Matth. 12, 34. Quamvis enim illæ verba hominum imitari poſſint, tamen ea ſunt *ſine mente ſonus*, quem ipſæ non intelligunt.

Utrumq; magnus theſaurus eſt, qui cum nullis mundi divitiis comparari poteſt. Utrumque à Deo eſt, qui fecit os hominis, Exod. 4, 11. & aurem plantavit, Pſ 94, 8.

Sed quæ Deo pro beneficiis his exhibeantur gratiæ, experientia ſatis probat, ut propterea lingua, quæ nobiliſſimum hominis membrum eſt, cum Æſopo rectius *Optimum peſſimum* appellari poſſit. Optimum; ſi utiliter adhibeatur: Peſſimum; quando ad varia peccata in Deum & proximum abutamur. Quid enim familiarius eſt, in hac mundi ſenectâ, quàm maledictiones, imprecationes, perjuria, mendacia &c. Flagelli plaga livorem fecit, Sir. 28. v. 21.

Idem de auditu dicere poſſumus. Quando enim in eccleſiâ docetur, quomodo ſanctè vivere, patienter mala ſuſtinere & beatè mori debeamus, ſurdo narratur fabula, ut Eſaiæ querela hic locum inveniat: Vides multa neq; obſervas! Eſa. 42. v. 20.

Quando flagitia in eccleſia corripiuntur, plurimi nihil ad ſe attinere arbitrantur, inſtar adulteræ, qui tergens os ſuum dicit: non ſum operata malum, Prov. 30, 20. ſic nemo vult erubeſcere, Jer. 3. v. 3.

Sic & conſolatione ad ſecuritatem abutuntur, cogitantes: Miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur, Sir. 5 v. 6.

Horum conditio multò deterior eſt, quàm ſurdi & muti in Evangelio præſente. Rectè enim Menander: *præſtat corpus quàm animam ægrotare.* Corpus enim terra eſt, & in terram revertetur, Gen. 3. v. 19. Spiritus verò revertitur ad Deum, qui dedit eum, Eccl. 12. v. 7. *Omnia nobis dupliciter dedit Dominus, duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes; ſi igitur horum alterum lædatur, per alterum neceſſitatem conſolamur. Animam verò unam tantùm dedit, ſi hanc perdiderimus, quâ quæſo vivemus?* ait Chryſoſt. Matth. 16. v. 26.

II. *Plebem adducentem.* Adducunt enim ei ſurdum ac mutum, & deprecantur eum, ut imponat illi manum. Hoc opus erat Chriſtianæ caritatis, quæ compatiens, proximi miſeriæ miſeretur, 1. Cor. 13, 17.

Hic velim examines te, utrum & ipſe ſurdos & mutos alioſq; id generis infirmos, hoc modo reſpexeris, eorumq; miſeriâ ſeriò commotus fueris?

Exempla talia rara ſunt in hac mundi fece. Experientia potius teſtatur, miſeros hujuſmodi homunciones iniquè, velut improbos traduci & derideri, quos natura non temerè ita notaverit, ſicut jam tum ſuo tempore innuere voluit Horatius:

Rarò quippe boni, quos ſic natura notavit.

Et Martialis:

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luſcus,
Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.

Idem adhuc hodie ita fit. Sed grande peccatum eſt. Qui ſubſannat pauperem, exprobrat factori ejus, Prov. 17, 5.

Veri

Veri Chriſtiani exemplum horum in Evangelio hominum imitentur:

1. *Condolendo.* Sumus enim membra unius corporis, quorum hæc natura eſt, ut ſi quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra, 1. Cor. 12. v. 26. quod & nos facere debemus, flentes cum flentibus, Rom. 12, 15.

Ad hoc commovere nos debet exemplum Patris cœleſtis, qui noſtra miſeria tantopere affectus eſt, ut proprio filio non pepercerit, quo nobis ſalutem procuraret, Rom. 8. v. 32. Quin adhuc quotidie irritata eſt anima ejus, ſuper miſeria Iſraelis, Jud. 10. v. 16. Idcirco idem faciamus erga proximum, alias ſpurii, & non filii ſumus. Heb. 12. v. 8.

2. *Intercedendo.* Homo ærumnoſus in Evangelio ſurdus erat, nec animi ſui ſenſa proferre valebat, ideo turba ejus commiſeratione mota, intercedendo cauſam illius agit.

Hoc adhuc hodie officium noſtrum requirit, Orate pro invicem, ut ſanemini, Jac. 5. v. 16.

Nos ſpirituales fratres & ſorores invicem ſumus: habentes unum Dominum, unam fidem, unum baptiſma, Eph. 4. verſ. 4. unam Euchariſtiam, 1. Cor. 10. v. 17. unam hæreditatem in cœlo, 1. Pet. 1. v. 4. Quidni igitur pro nobis invicem intercederemus? Certe qui hoc non facit, ſe ſegregat ſe à Chriſtianorum communione, & pertinet in ſynagogam ſatanæ, ubi non orant, ſed maledicunt, Apoc. 3. v. 9.

Huc pertinent compluria ſanctorum exempla. Abraham interceſſit pro Sodomitis, Gen. 18. v. 24. Loth pro oppido Zoar, Gen. 19. v. 20. Iſaac pro Rebecca, Gen. 25, 21. Moſes pro Iſraelitis, Exod. 32. verſ. 11. ut & Propheta Samuel, 1. Sam. 12. v. 17. Daniel pro Judæis in captivitate degentibus, Dan. 9. v. 4. Chriſtus ipſe pro fidelibus, Joh. 17. v. 9. & pro Apoſtolis, Luc. 22 v. 32. & in cruce, pro crucifigentibus, Luc. 23. v. 33. Stephanus pro lapidantibus, Act. 7. v. 60. Eccleſia pro Petro incarcerato, Act. 12. v. 5. Paulus pro comitibus ſuis, Act. 27. v. 35.

Hæc exempla imitari debemus, ut ſimiliter pro confratribus noſtris in miſeria conſtitutis oremus, non modo publice in Eccleſia: ſed & privatim in cubiculo noſtro. Dilectio enim, quæ per preces, & alia beneficia proximo ſuccurrit, eſt verum ſignum, quo genuini Chriſtiani cognoſcuntur, Joh. 13. v. 35.

III. *Chorum applaudentem:* Quanto enim eis Chriſtus præcipiebat, tanto magis & plus prædicabant: & ſupra modum ſtupebant, dicentes: Bene omnia fecit: & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.

Sine dubio, hic mutus & ſurdus, cum reliquo choro, recuperata loquela concinuit, Deoque pro hoc beneficio gratias egit ! juxta illud: Sacrifica Deo laudem, Pſal. 50. v. 14. 24.

Hic velim probes te, mi Chriſtiane! utrum & ipſe morbo liberatus, Deo tuo gratias cecineris?

Hoc ipſa æquitas requirit. Honora medicum propter neceſſitatem, ait Siracides, c. 38. v. 1. Quomodo & Naeman gratum ſuum animum erga Eliſam declarare voluit. 2. Reg. 5. v. 15.

Quanto magis noſtri officii erit, in voce laudis immolare Domini, & quæcunque vovimus reddere ſalutem Domini. Joh. 2, 10

Sed plerumque morbo emerſi hodie deteriores fiunt, juxta adagium: Da der Krancke genaß/ ſe ärger er was.

Crates Thebanus ejuſmodi teſtamentum fecit: *Ponite coquo minas decem, medico drachmam, aſſentatori talenta quinque, Conſiliario fumum, meretrici talentum, Philoſopho triobolum.*

Alexander M. Glaucũ Med. quia amicus ſuus Hephæſtion moriebatur, quamvis ſibi ipſi adverſus Medici conſilium interitum attraxiſſet, cruci affigi juſſit.

Idem Servatori noſtro accidit, ut plerumque ingratitudinis meſſem, pro fideli ſua curatione metat. Imo ſunt, qui ipſum denuo crucifigunt, Heb. 6, 6. & ſanguinem teſtamenti pollutum ducunt, in quo ſanctificati ſunt. Heb. 7. v. 30.

Quando Menecrates Medicus Syracuſanus, quendam ſanitati reſtituebat, promittere ei tenebatur, quod pro Jove eum habere & venerari vellet. Hæc nefanda erat temeritas, & temeraria impietas. Sed Servatori id optime convenit, qui propterea languores noſtros tulit, & dolores noſtros portavit, Eſa. 53. v. 4. ut ex miraculoſa ejus curatione agnoſcere debeamus, ſe verum eſſe ſanatorem, Exod. 15. v. ult. & magiſtrum ſanationum, Eſa. 63, 1. qui olim Iſraelitas ſermone ſuo in deſerto ſanaverit, Sap. 16, 12. & adhuc hodie omnes ad ſe venientes ſanare poſſit, præ multitudine enim fortitudinis & roboris, virtutisque ejus, neque unum deficit. Eſa. 40. v. 26.

De Secundo.

TRanſibimus nunc ad *alteram partem*, χριστογνωσίαν ſive *notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti*, contemplaturi. Hic nonobis meditandus proponitur:

I. *Tanquam benevolus gentium viſitator.* Exiens enim de finibus Tyri & Sidonis, venit ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos.

Tyrus & Sidon duo emporia fuerunt, ad mare mediterraneum ſita, quæ adeo floruerunt, ut negatiatores, principes, & inſtitores ejus inclyti terræ habiti fuerint, Eſa. 23. v. 8.

Eò & Chriſtus pervenit in diebus carnis ſuæ, & poſtquam penſum ſuum ibidem abſolverat, Judæam repetiit. In quo itinere fines Decapoleos attigit. Hæc regio erat Cæleſyriæ ultra Jordanem, ad mare Galilæum, quæ à decem civitatibus, non multum ibi inter ſe diſtantibus, ita appellata fuit. Quarum & Gadara una, ubi cives probroſe ipſum tractatum, è finibus ſuis ejecerant, quia diaboli, permiſſu ejus, gregem porcorum paſcentium, in mare præcipitem egerant. Matth. 8. v. ult. Jam eo revertitur, hoc ipſo indicans, ſe nolle interitum ullius, ſed velle, ut omnes ad agnitionem veritatis perveniant, & æternum ſalventur. 1. Tim. 2. v. 4.

Imprimis eo indicavit, gentiles quoque regni ſui conſortes eſſe, & beneficiorum ſuorum compotes fore, ſi ipſi modo velint. Propterea dicitur, deſiderium omnium gentium, Hagg. 2. v. 8. Sicut & ſtatim poſt reſurrectionem ſuam Apoſtolos ablegavit in univerſum mundum, cum expreſſo mandato: Ite in mundum univerſum, & docete omnes gentes. Matth. 28. v. 19.

Hoc noſtro quoque ſolatio inſervit. Ante octingentenos enim vel nongentenos annos noſtri Majores in Gentiliſmo viventes, verum Deum non agnoverunt: ſed gloriam ejus mutaverunt in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, Rom. 1. v. 23.

Antiqui Germani Martem & Mercurium pro Diis habuerunt, in quorum honorem liberos ſuos mactarunt, & ad conteſtandum zelum ſuum eorum ſanguinem bibe-

biberunt, ut Hiſtoriæ referunt. Sed Chriſtus Servator noſter, qui hic fines Gentilium viſitavit, nos quoque tandem acceſſit, & illuminavit ſedentes in tenebris & umbra mortis. Matth. 4,16. Ut jam non hoſpites ſimus & advenæ, ſed cives. Eph. 2, 19.

O beatos nos! Si hoc agnoſcimus, non ambulantes in ethnicis prioribus deſideriis, ſed ad voluntatem ejus, qui de tenebris vocavit nos, in admirabile lumen ſuum, 1. Pet. 2. v. 9.

Caveamus igitur, ne nominetenus duntaxat Chriſtiani ſimus: ne accinatur nobis: Nomen habes, quod vivas, & mortuus es, Apoc. 3. v. 1.

Potius ſecundum eum, qui vocavit nos, ſanctum, & ipſi in omni converſatione ſancti ſimus, 1 Petr. 1. v. 15 Sic bono animo eſſe poſſumus, in omnibus hujus vitæ ærumnis. Chriſtus enim, à quo nomen gerimus, præivit nobis, relinquens nobis exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus, 1. Pet. 2, 21. Ideo certiſſimi ſumus, quod ſi commortui fuerimus, & convicturi ſimus, 2. Tim. 2. v. 11. Nam ubi ego ſum, illuc & miniſter meus erit, ait Servator, Joh. 12. v. 26.

II. *Tanquam felicisſimus ægrotorum curator*. Hic audimus, quod apprehenderit ſurdum & mutum de turba ſeorſim, miſerit digitos ſuos in auriculas ejus; & exſpuens tetigerit linguam ejus: & ſuſpiciens in cœlos ingemuerit, & dixerit illi: Ephata, quod eſt, aperire. Et ſtatim apertæ ſint aures ejus, & ſolutum ſit vinculum linguæ ejus, & locutus ſit recte. Alias Chriſtus ſolo verbo vel contactu infirmos reſtituit & mortuos quoque reſuſcitavit: ſed hic certis ceremoniis utitur, quo indicat, ſe æque per media, ac ſine mediis ſanare poſſe.

Ad hunc igitur cum turba Evangelii præſentis confugiamus, ejusque auxilium & conſilium imploremus, Domini enim eſt ſalus, Pſal. 3. v. ult.

Huc invitare nos debet:

1. *Prona voluntas*, ſicut enim hic muto & ſurdo promte ſuccurrit: ſic & nobis promiſit: Antequam clament, ego exaudiam, Eſa. 65. v. 24.

Id quod probavit in Rege Hiskia, cui poſt annũciatam mortem, ad preces ejus ardentes, quindecim annis vitam ſuam prolongavit, Eſa. 38. v. 6. 2. Reg. 20, 6.

Adhuc hodie prope timentes ſalus ejus, Pſal. 85. v. 10. *Neminem ſpernit, neminem abjicit, neminem perhorreſcit, niſi forte quis amens ipſum exhorruerit*, ait Auguſtinus. Ideo cum Davide dicere poſſumus: Ego in miſericordia tua ſperavi, Pſal. 13. v. 6.

2. *Magna facultas*, Nullus Medicus in toto orbe erat, qui miſerum hunc hominem ſanare potuerit. Sed Chriſtus ex tempore, vi omnipotentis dexteræ, ipſi auditum & orationem reſtituit, neque enim impoſſibile eſt apud ipſum omne verbum, Luc. 1. v. 37.

In Ægypto olim conſuetudinis fuit, ut ſingulis morbis, ſinguli Medici attributi fuerint, ut hic peſtilentiam, ille febrim, iſte phtiſin curarent. Chriſtus vero omnia eſt in omnibus, 1. Cor. 15, 28. Liberavit ſervum Centurionis à paralyſi, Matth. 8. v. 7. Petri ſocerum à febri, Matth. 8. v. 15. Mulierem à ſanguinis profluvio, Luc. 8. verſ. 43. Reſtituit hominem, manum habentem aridam Matth. 12. v. 9. Hominem ad piſcinam Bethſaida, triginta & octo annos habentem in infirmitate ſua, Joh. 5 v. 5 ſeqq Summa: Nulla eſt calamitas, anguſtia nulla, ubi non opitulari poſſit, & quidem ſuperabundanter, quam petimus, aut intelligimus. Eph. 3, 20.

Gau-

Gaudio hinc exulta, mi Chriſtiane! nec reproba increpationem Domini, quia ipſe vulnerat, & medetur, Hiob. 5. v. 18.

III. *Tanquam abſolutiſſimus cunctorum rectificator.* Hoc teſtimonium impetrat à turba in Evangelio, ſupra modum enim ſtupebant, dicentes: Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.

In V. T. quaſi in proverbium abierat, quod ſolus Deus omnia benefaciat, Pſal. 111. v. 3. Sed hic ad Chriſtum id applicant, eoque gloriam divinæ ſapientiæ & omnipotentiæ ei attribuunt, quæ non nudo homini conferri poteſt: Quamvis enim & homines quandoque benefaciunt. Sicut Moſes, magnus ille Dei amicus multa bene fecit, ſicut & David, vir & cor Dei, & Salomo Regum omnium ſapientiſſimus: Attamen non omnia bene fecerunt. Deus ſolus juſtus eſt. Quis ſufficit enarrare opera illius: Sirac. 18. v. 2. ſeqq.

Salomo in ſenectute ſua peccavit per idololatriam, 1. Reg. 11. v. 6. David rebus ſecundis per adulterium & homicidium, 2. Sam. 11. v. 4. Moſes per diffidentiam. Num. 21. v. 31. Sed de Chriſto hic dicitur, quod omnia bene fecerit, *hic digitus Dei eſt!* Luc. 11.

Intuemini *opus creationis*, & perpendite, quomodo cœlum extenderit, & contignaverit aquis, terramque fundaverit ſuper baſin ſuam, Pſal. 104. v. 3. 5. A ſummo cœlo egreſſio Solis, & circuitus ejus, usque ad extremitatem ejus: nec eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus, Pſal. 19. v. 6. 7. Luna creſcit & mutatur, & diſcernit menſes, & oſtenſio eſt temporis, & ſignum ævi, Pſal. 136. v. 9. Sir. 43. v. 6. Homo ad imaginem Dei conditus erat, in vera juſtitia & ſanctitate, Eph. 4. v. 24. Et ut denuo ingeminem: Omnia erant valde bona, Gen. 1. verſ. 31. Quod vero Angeli quidam, & homines quoque imaginem Dei deperdiderunt, & non amplius in ea felicitate verſantur, in qua à Deo creati ſunt, id à peccato eſt. Deus enim mortem non creavit: ſed invidia diaboli, &c. Sap. 2. v. 24.

Inde quoq; periculum oritur, de beſtiis, ſerpentibus, aſpidibus, ſcorpionibus & variis inſectis, ut & herbis venenatis, & id generis aliis: Licet enim ea omnia Deus ratione eſſentiæ bona, & ad hominum miniſterium creaverit: tamen poſt lapſum nocifera facta ſunt, cum ob abuſum, Rom. 8. v. 20. tum ob divinam maledictionem, Gen. 3 v. 19. quorum ratione jam vindictæ inſervire tenentur, Sir. 30. v. 32. 33.

Spectate *Opus redemtionis*, & conſiderate, quomodo Chriſtus, ceu alter Adam, omnia bene fecerit, & reſtituerit, quæ primus Adam male fecerat, & corruperat, Rom. 5. v. 19. Frater redimendo non redimere poterat quenquam, Pſal 49. v 8. 9. Sed Chriſtus amavit animam noſtram, Eſa. 38. v. 17. & quæ non rapuit, exolvit, Pſal. 69. v. 5. ut à poteſtate tenebrarum liberati, in regnum lucis tranſpoſiti ſimus. Col. 1. v. 13.

Auguſtinus de hominibus dicit, quod plus ament verbis, quam operibus: Chriſtum vero è contrario plus amâſſe operibus, quam verbis. Quamvis enim multas præclaras conciones habendo, verba vitæ affatim labiis ſuis ſanctiſſimis diſſeminavit, Joh. 6. verſ. 68. tamen nec cætera ejus membra otioſa fuerunt. Oculis ſuis amoriferis peccata noſtra deflevit, Luc. 19. v. 41. Auribus benevolis preces non contemſit invocantium. Luc 18. v. 4. Pedibus ſuis ſanctiſſimis paſſim pertranſiit, benefaciendo & ſanando omnes à diabolo oppreſſos, Act. 10. v. 38. Manibus miraculoſis ægrotos ſana-

ſanavit. Corde ſuo benedicto, mundum dilexit, Joh.3.v.16. Imo toto in corpore nullum membrum fuit, quod non percuſſum, afflictum, vulneratum & attritum fuerit, quo livore ejus ſanaremur, Eſa. 53, 5.

Quid igitur eſt, quod debuit ultra nobis facere, quod non fecerit? Eſa.5,4.

Conſiderate opus miraculoſa ejus providentia, & gubernationis? quomodo mirificet ſanctos ſuos, Pſal.4.v.4. per gloriam & ignominiam, per infamiam & bonam famam, 2. Cor. 6.v.8. ut tamen Deum diligentibus omnia in bonum cooperentur, Rom.8,28.

Id probant exempla Joſephi, Davidis, Jobi, Gen.50. v.20. 1.Sam.18.& ſeqq. Job.1. v.42.

Hoc etiam noſtrum ſolatium eſto in hoc mundo! Dominus omnia bene fecit, ideo & porro faciet, neque nos patietur tentari, ſupra id, quod poſſumus, 1. Cor. 10. v.13. ſed eripiet & glorificabit, & oſtendet ſalutare ſuum, Pſal.91.v.15.16. Nempe in vita æterna, ubi verificabitur: Ecce omnia facio nova! Act.21. v.1. Bene facio cum corporibus, præ claritate enim coruſcare debent, 2.Cor.15.v.41. Bene facio cum animabus, plenæ enim ſapientiæ erunt. 1. Cor. 13.v.10.

Confide igitur, mi Chriſtiane! Chriſtus enim ex morte quoque bonum quid elicuit, ut illa non perditio nobis ſed lucrum futura ſit, Phil.1. v.21. nobisque fores pandat ad regnum cœlorum, Joh.5.v.24. ubi non amplius moriemur, ſed in æternum vivemus, Sap.5.v.16. & fulgebimus ut firmamentum, Dan.12.v.3. imo, velut Sol in regno Patris in æternum, Matth.13.v.43.

Fiat id per Chriſtum JESUM, Servatorem noſtrum, Amen.

* * *

Dominica XIII. poſt Trinitatis.

Evangelium Luc.10. v.23. --- 37.

EXORDIUM.

Quando Sapientiſſimus Regum Salomo Deo Iſraelis templum exſtruit, inter alia idem feneſtris quoque ornavit, quæ fuerunt *perſpicua clauſa*, ſive interius amplæ, exterius vero anguſtæ, 1.Reg.6.v.4.

Hæc myſtice intelligenda veniunt.

Templum Salomonis *trifariam* diſtinctum fuit. In frontiſpicio fuit *atrium*, quod cuique accedere licuit. Deinde ſequebatur *Sanctum*, in quo cultus divinus perficiebatur, & tertio *Sanctum Sanctorum*, quod nemini ingredi conceſſum, niſi ſummo Pontifici, & quidem anniverſarie ſemel tantum, nec ſine ſanguine.

Sic etiam Numen divinum *habitationi hominum triplicem locum* definivit.

1. *Mundum*, hic quaſi *atrium* eſt, in quo boni & mali permixti ſunt. Deus enim fecit homines, quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens principem, Hab. 1. v.14. Interea cœli enarrant gloriam Dei, Pſal.19.

 v.2.

v.2. qui ratione ſua recte uti vult, facile hinc inviſibilia Dei intelligere poteſt. Rom. 1, v.20.

2. *Eccleſiam*, quæ vocatur *ſanctum*, in quod per baptiſmum ſuſcipimur, & deinde paulatim per verbum & Sacramenta præparamur, Epheſ. 4.v.12. ut idonei fiamus in partem ſortis ſanctorum, in lumine, Col. 1, v.12. nec amplius hoſpites & advenæ, ſed cives ſanctorum, & domeſtici Dei vocemur, Eph.2.v.19. abluti, ſanctificati & juſtificati, in nomine Domini Jeſu, & in ſpiritu Dei noſtri, 1.Cor.8,11.

3. *Cœlum*, quod eſt *Sanctum ſanctorum*, quia ſanctiſſimus Deus ibi habitaculum ſuum habet, Eſa.66. v.1. *Deinde* & ideo, quia Chriſtus, qui eſt Sanctiſſimus, merito id nobis ſuo acquiſivit, Dan.9.v.24. *Tertio*, quia nihil immundum, aut abominationem faciens, intrabit in illud, Apoc.21,26. Eſa. 60.v.21.

Quodſi igitur illud aliquando introire volumus, id per atrium fieri debet, h.e. in mundo, qui totus in maligno poſitus eſt, ante multas moleſtias ſuſtinere, ejusque purgamentum & peripſema fieri cogimur, 1.Cor.4.v.13. Opera quoque danda eſt, ut vera Eccleſiæ militantis membra ſimus, cum Paulo bonum certamen certantes, 2.Timoth. 4. verſ.7. Ante omnia vero fidem & bonam conſcientiam habeamus, 2. Tim.1,19. ſi in triumphantem Eccleſiam, quæ in cœlo eſt, ſuſcipi velimus Nemo enim coronabitur, niſi qui legitime certaverit, 2. Tim.2.v.5.

Quemadmodum vero Salomonis templum ejusmodi feneſtris inſtructum fuit, quæ extrinſecus anguſtæ, intrinſecus vero latæ erant, ut commodius ex eo proſpici, quam introſpici potuerit: ſic hoc ipſo indicata fuit, *imperfectio cognitionis Dei, & articulorum fidei*, quæ nobis in verbo Dei proponuntur; Ex parte enim cognoſcimus. Videmus quidem, ſed quaſi per rimam, per ſpeculum in ænigmate, 1.Cor.13.v.12.

Quando vero eo perveniemus, *feneſtræ erunt laxæ & ampliſſimæ.* Claritas enim Dei illuminabit nos, Apoc.21.v.23. Ut viſuri ſimus, quæ oculus non vidit. 1. Cor. 2. v.9. 2.Cor.3.v.ult.

In prælecto Evangelio, Servator diſcipulos & Apoſtolos ſuos, præ regibus & Prophetis V. T. beatos prædicat, quia cum in aſſumta carne videbant, quod illi quidem vehementer deſiderarant, at non conſecuti fuerant. Verum nudus aſpectus non ſalvat, ſecus enim Herodes quoque, Pilatus, Caiphas & omnes impii Judæorum ſalutis compotes facti fuiſſent, qui tum temporis Chriſtum viderunt miracula patrantem, Act. 10. v.38. Verum fundamentum fides eſt, & *quaſi ſpiritualis oculus*, quo Chriſtus videtur. Sancti Patriarchæ *extrinſecus introſpexerunt*, & miro venturi Meſſiæ deſiderio flagrarunt: Nos vero *intrinſecus proſpicimus quomodo* Meſſias in carnem venerit, & opus redemtionis præclare & potenter abſolverit. Hæc magna prærogativa eſt, quam præ Patriarchis. V.T. habemus. Interea tamen unus eſt Chriſtus, quem pii Patriarchæ flagranti deſiderio expectarunt, Gen.49.v. 17. Apoſtoli oculis perſpexerunt, & manibus contrectaverunt, 1. Joh.1.v.1. nos vero diligimus, & fide apprehendimus, licet non videamus. 1.Pet.1.v.8. Hoc erat decretum Concilii Hieroſolymitani: Credimus per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti. Act.15. v.11.

Nos ad enodationem Evangelii digredientes, diſcemus ex eodem:

L A-

I. ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*
II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

INter omnia Evangelia *duo* cumprimis excellunt, quorum alterum agit de *muliere Cananæa*, alterum de *Samaritano*, qui ſaucium, & ſemi-occiſum hominem reſpexit, & beneficiis ſuis adjuvit, ſiquidem B. Lutherus de hoc poſtremo ſcribit, quod adeo ferax ſit doctrinarum & conſolationum, ut vel totus annus explicationi ejusdem impendi debeat.

Ad *notitiam noſtri*, ex hoc Evangelio perveniemus, ſi ſpectabimus:

1. *Deprædicatam Apoſtolorum felicitatem.* Converſus enim Jeſus ad diſcipulos ſuos ſeorſim dixit: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt; & audire, quæ auditis, & non audierunt.

Chriſtus diligentiſſimus erat Concionator, qui non modo ipſe circumibat totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, Matth. 4, 23. Sed juxta duodecim Apoſtolos & ſeptuaginta diſcipulos habebat, quos ablegabat in omnes civitates & pagos, quos inviſere ſibi propoſuerat. Hi jam remeantes nunciabant Chriſto, quanto cum ſucceſſu verbum prædicaſſent & miracula patraſſent. Propterea optimus Servator gaudio exultans, non modo gratias agit patri ſuo cœleſti: ſed & diſcipulos beatos deprædicat, quod ad tempus N. T. vivi pervenerint: habuiſſe idem in votis Patriarchas & Prophetas V. T. ſed eventum votis non reſpondiſſe, defunctos eſſe juxta fidem, non acceptis repromiſſionibus, Heb. 11. v. 13.

Hic te examini ſubjice, mi Chriſtiane! an ſalutem tuam in ſolo Chriſto, an vero in terrenis rebus, debito ſtudio quæſiveris?

Unusatque alter, quando Evangelium hoc legi audit, ſecum forſan cogitat: Utinam & ipſe tempore Chriſti vixiſſem, & nullis ſumtibus pepercisſem, modo formoſiſſimam faciem Servatoris intueri, & verba vitæ ex ore ſuaviſſimo ejusdem mihi audire licuiſſet! Sed noli contriſtari, mi Chriſtiane! Adhuc hodie tu *conſpicis* Servatorem tuum, *oculis cordis*, per veram fidem in verbo & Sacramentis: *audis verba ejus ſalvifica* in omnibus concionibus, id majoris æſtimandum eſt, quam ſi eum in diebus carnis oculis corporis vidiſſes. Beati enim qui non vident, & tamen credunt, Joh. 20. v. 29.

Ne itaque contriſtemur, quando hodie Chriſtum corporaliter neq; videre, neque audire poſſumus, non enim propterea excluſi ſumus à ſalute. In ſcriptura enim *imaginem* ejus habemus, in qua videre poſſumus quales *oculos* habeat, nimirum oculos benignos, quibus reſpicit metuentes ſe, Pſal. 33. verſ. 18. cernere poſſumus, quales habeat *aures*, nempe benevolas, quibus reſpicit in orationem humilium, Pſal. 102. verſ. 18. Spectare poſſumus, qualia *labia* habeat, videlicet, in quibus gratia diffuſa eſt, Pſal. 45. v. 43. ex quibus verba vitæ ſtillant, Joh. 6, 68. dulciora ſuper mel & favum, Pſal. 19, 11. Conſpicere poſſumus, quales *manus* habeat, nempe omnipotentes & miraculoſas, quæ ab initio terram fundarunt & cœlum, Heb. 1. verſ. 10. & adhuc hodie omnes creaturas conſervant, ut in eo vivant, moveantur & ſint, Actor. 17. verſ. 28. Contemplari denique poſſumus, quales *pedes* habeat, nempe celeres pedes fidelibus ſubveniendi in calamitatibus; Prope enim eſt

Digitized by Google

Dominus omnibus invocantibus eum, Pſ. 145. v. 18. 19.

Quoties igitur Scripturam ſacram legimus, audimus, meditamur, toties videmus & audimus Chriſtum, illæ enim ſunt, quæ teſtificantur de eo, Joh. 5. v. 39.

Hanc ſummam beatitudinem reputemus qua frui in hoc ſeculo poſſumus. Mundus enim tranſit, & concupiſcentia ejus, 1. Joh. 2. v. 17.

Alias verum eſt, quod olim ſapientiſſimus Solon dixit:

Dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.

Filii quidem hujus ſeculi beatos ſe cenſent, quando in omnium rerum affluentia vivunt; ſeneſcunt illi confortatique divitiis. Hiob. 21. v. 7. & ſeqq. Hæc ſi habere poſſunt, felices ſe deprædicant, dicentes: Beatum populum, cui hæc ſunt, Pſalm. 144. v. 15.

Sed ô vaniſſimam beatitudinem! quæ ſimilis eſt ſepulchris dealbatis, quæ foris apparent ſpecioſa, intus vero ſunt plena oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia, Matth. 23. v. 27. Sic horum via complanata eſt lapidibus, Sir. 21. v. 11. & magna in hoc ſeculo autoritate pollent: ſed finis interitus eſt, Phil. 3. v. 19.

Propterea operam demus, ut nos ab hoc ſeculo immaculatos cuſtodiamus, Jac. 1. v. ult. & quæramus in Chriſto ſalutem noſtram, qui ſalvat populum ſuum à peccatis ſuis, Matth. 1. v. 21. Quæramus quæ ſurſum ſunt, ubi Chriſtus eſt. Col. 3. verſ. 1. & 23.

II. *Scribæ inſurgentis temeritatem.* Ecce! enim, Legisperitus quidam ſurrexit, tentans illum, & dicens: Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo?

Hæc quæſtio magni momenti fuit, quam ſi bona intentione protuliſſet, nullam reprehenſionem mereretur, ſed noſtrum potius foret, eo omnes nervos intendere, ut vitam æternam indipiſceremur: hæc enim deſtinatus ſcopus eſt, ad quem currimus, Phil. 3. v. 14. eſt corona, propter quam certamus, 2. Tim. 4. v. 7. eſt finis fidei quem omnes intendimus, 1. Pet. 1. v. 9. Sed hypocrita erat, inſtituitque quæſtionem hanc non diſcendi, ſed tentandi gratia. Struebat enim Chriſto inſidias, ut ſi aliam viam ad regnum cœlorum oſtenderet, quam legem Moſis, Chriſtum ut contemtorem Moſis traducere poſſit, qui gentem ſubvertat à lege, ſicut poſtea publice accuſatus eſt, Luc. 23. v. 2.

Hic quilibet probet ſe, an non & ipſe quandoq; vitam æternã pro joco habuerit, aut ex animo idem crediderit, & ſerio ſtudio illud inquiſiverit?

Inveniuntur irriſores, qui vitam æternam non magnopere curant, ſed terrenam felicitatem ei præferunt. Id vita eorum prophana probat. Quod ſi enim ex animo crederent, aliam poſt hanc vitam futuram eſſe, fidem ſuam in bonis operibus demonſtrarent, & vitam æternam quærerent, Rom. 2. v. 7.

Hi deteriores multo ſunt Scriba hoc, qui vitam æternam confitetur, hoc ſaltem ignorans, quomodo ad eam pervenire debeat. Ideo die ſuprema exſurget, & ejusmodi Epicureos accuſabit, qui toties ex ſcripturis admoniti, omnem fidem abjecerunt, & nihili fecerunt. Horum damnatio juſta eſt, Rom. 3, 8. Servus enim, qui cognovit voluntatem Domini ſui, &c. Luc. 12, 47.

Nos

Digitized by Google

Nos omni dubitationi renunciantes, dicamus cum Jobo: Scio, quod Redemtor meus vivit, Job.19,25. ſeqq. Sed & opera navanda nobis, ut rectæ viæ inſiſtentes non per *facere* aut *Opera*, ut hic Scriba: ſed per fidem in Chriſtum eò tendamus.

Sunt facta noſtra perdita
Stipendium iracundia.
Es iſt mit unſerm Thun verlohrn/
Verdienen doch nur eitel Zorn.

Chriſtus verò via eſt, Joh.14,6. & ſcala Jacobæa, quâ cœlum adſcendere & in vitam æternam pervenire valemus, Gen.28,12. Noſtrûm eſt, verâ fide ipſum apprehendere, & cum Jacobo dicere: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi, Gen.32,26.

Hæc *doctrina conſolationis feraciſſima* eſt. Quomodocunque enim in hoc mundo nobiscum agatur, ſcimus tamen, quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, Rom.8,18. Ideoque animas noſtras in patientiâ cuſtodire poſſumus, quia modicum adhuc reſtat, ubi tempus refrigerii adveniet, Act.3,20. ubi juſtum erit apud Deum, reddere iis, qui affligerunt nos afflictionem, nobis verò, qui tribulamur requiem, 2.Theſſ 1,6.7.

III. *Summam viatoris calamitatem.* Deſcendit enim ab Hieruſalem in Hiericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum, & plagis impoſitis abierunt, ſemivivo relicto.

Hoc dupliciter conſiderari poteſt.

1. *Literaliter.* Præter enim intentionem hoc ei accidit, rebus enim ſuis obeundis proficiſcitur, juſto tempore reverſurus, ſed in deſerto Adunim, ut Hieronymus ſcribit, inter Hiericho & Hieruſalem à Prædonibus invaditur, qui non modò deſpoliaverunt eum, ſed ad mortem usq; vulnerarunt.

Hoc in dilectâ patriâ noſtrâ, ſuperiori bello non adeo infrequens fuit, quoniam gladius inimici in circuitu, Jer.6,25. At poſtquam alma pax reſtituta, viæ publicæ ſecuriores ſunt: interim tamen peregrinantes non planè in vado ſunt, ideoq; precibus ſe devotis munire debent, ſemper enim maleferiati inveniuntur, qui ſanguini inſidiantur, Prov.1,11. quis igitur dicturus eſt: Hodie aut craſtino ibimus in illam civitatem? Jac.4.v.13.14.15.

2. *Spiritualiter.* Veteres enim Eccleſiæ Doctores parabolam hanc exponunt de triſtiſſimo Protoplaſtorum lapſu. Hos enim reliquit Deus in manu conſilii ſui, appoſuitq; illis vitam & mortem, ut ad quod voluerint, porrigerent manum ſuam, Sir.15,14 ſed per ſerpentem decepti ſunt, & ab Hieruſalem in Hiericho deſcenderunt, h. e. mandato divino neglecto, comederunt de ligno de quo iis Deus præceperat, ne comederēt, Gen.3,17. Hoc ipſo, illi, & nos cum eis in infernales latrones incidimus, qui nobis non modo veſtem imaginis divinæ exuerunt, de qua Paulus ait, quod conſtiterit in juſtitiâ & ſanctitate, Eph.4,24. ſed ſauciarunt quoque noſtra corda per malitiam, intellectum per ignorantiam, voluntatem per inobedientiam, ut jam nihil boni habitet in carne noſtrâ, Rom.7,18. ſed omne figmentum cordis noſtri malum ſit omnibus diebus, Gen.6,5. In hâc miſeriâ ſemivivos nos reliquerunt, & abierunt. Hinc eſt, quod licet homo, naturali vitâ præditus, munia ſua in temporalibus obire poſſit, nihil tamen in ſpiritualibus valeat, ſed in peccatis mortuus ſit, Eph.2,4. non idoneus ex ſeipſo, velut ex ſeipſo quicquam cogitare, 2.Cor.3,5. Niſi Deus per ſpiritum ſuum ſanctum operetur & velle & perficere, Phil.2,3.

Digitized by Google

Hîc velim probes te, mi Chriſtiane! utrum hanc naturæ tuæ corruptionem unquam rectè agnoveris, de eaq́; ſeriò dolueris?

O quàm multi reperiuntur, qui apud ſemetipſos prudentes ſunt, Rom.12,17. ideoque preces negligunt, omnia viribus ſuis metientes. Quid mirum igitur quod omnia adverſo Marte gerant, ut dici de eis poſſit: Dilexit maledictionē & veniet ei, Pſ.109,18.

Veri Chriſtiani omnia, quæ faciunt in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti faciant, Col.3,17.

A Jove fac orſum, ne ſerpens det tibi
morſum.

Cor hominis diſponit viam ſuā, ſed Domini eſt, dirigere greſſus ejus, Prov.16,9.

O quàm multi quoq; ſunt, qui ſpiritualem miſeriam non ſentiunt, in quam per triſtem Protoplaſtorū lapſum incidimus. Licet enim de notitia noſtri ſubinde prædicetur, & ut juxta Decalogū nos ipſos probemus injungatur, tamen multi putant, ſe non adeo malos eſſe, quales in concionibus delineantur, ſed ſibi ipſi blandiuntur, & ſic nunquam ad notitiam ſui perveniunt. Sed ſibi ipſis incommodant.

Niſi enim naturæ noſtræ depravationem rectè expenderimus, quomodo ad ſpiritualem regenerationem perveniemus, ſine quâ tamen nemo regnum Dei videre poteſt, Joh.3,3. Quin renati quoq; non planè exemti hîc ſunt, ſed queri tenentur: Scio quod in me, h. e. in carne meâ non habitat bonum, Rom.7.v.18.

Ideò ſecuritati nos non tradamus, ſed Lothi meminerimus, qui Sodomis egreſſus, & extra periculum ſe conſtitutum exiſtimans, à Diabolo ſeductus, inceſtum cum filiabus ſuis commiſit, Gen.19,33. Sic adhuc ſe res habet, ut nihil metuentibus nobis periculum quàm proximè inſtet. Beatus verò qui ſemper eſt pavidus, Prov.28,14.

De Secundo.

PRogrediemur nunc ad *alteram partem* Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti* contemplaturi. Hic nobis commendatur:

I. *Tanquam unicus cunctorum beatificator.* Ideo ſub exordium Evangelii ait: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, eoq; & corporalem & ſpiritualem viſionem intelligit. Sicut *ex oppoſito* apparet, ubi Regum & Prophetarum V. T. meminit, eosq; idem non vidiſſe, aſſeverat. Spiritualiter & illi Chriſtum viderant, ſiquidem expreſsè Servator de Abrahamo dicit, quod viderit diem ſuum, & gaviſus fuerit, Joh.8,56. Sed Apoſtoli hanc gratiam à Deo impetrarunt, *quod Chriſtum & oculis corporis & fidei conſpexerint*, & hoc reſpectu quoq; beatiores deprædicandi ſunt, quàm Patriarchæ V. T. Intereà Chriſtus fundamentum eſt, in quo beatitudo, tam in V. quàm N. T. fundatur. Chriſtus Jeſus enim heri & hodie, idemq; etiam in ſecula, Hebr.13,8.

Errant igitur, qui ſummum ſuum bonum quærunt:

1. *In mundi gloriâ*, quæ nihil aliud eſt, quàm πολλὴ φαντασία, Act.25.v.23. & velut umbra tranſit, Sap.5,9. Ideoq; gloria illa neminem beare poteſt. Abibit ad progeniem patrum ſuorum, & usque in æternum non videbit lucem, Pſal.49.20.

2. *In divitiarum copiâ*, quod putant aurum robur ſuum, & obrizo dicunt: Fiducia mea, Job.31,24. Non enim in abundantiâ cujusquam vita ejus eſt, Luc.12,15. Ergò nec beari poteſt à copiis ſuis. Potius Pauli illud locum habet: Qui volunt divites fieri, inci-

Digitized by Google

incidunt in tentationem, 1. Tim. 6. v. 9.

3. *In vita luxuria.* Væ enim illis, qui conſurgunt manè ad ebrietatem ſectandam, Eſa. 5. v. 11. 12. 13.

Breviter: Quocunq; vertimus nos, nihil eſt, niſi vanitas vanitatum, & omnia vanitas, Eccl. 1, 2. Ideò inquit Paulus: Hoc dico fratres: Tempus breve eſt. Reliquum eſt &c. 1. Cor. 7. v. 29. 30. 31.

Qui verò in Chriſtum credit, & per fidem diſcipulus ejus factus eſt, ſimul quoq; fidem ſuam per opera probat, tum erga Deum, tum erga proximum, & in verâ pietate perſeverat, is adhuc hodie æque beatus, ac Apoſtoli deprædicandus eſt,

1. *In vita moderna,* quamvis enim ærumnæ & tribulationes non deficiant: tamen ſcimus, quod Deum diligentibus omnia cooperentur in bonum, Rom. 8, 28. ſicut igitur Philippus Rex Macedoniæ Deo gratias egit, non modò propterea quod filius Alexander ſibi natus eſſet ſed & quod tempore Ariſtotelis lucem aſpexerit, à quo in bonis diſciplinis & virtute informari potuerit: Sic multò magis nos cauſam habemus, Deo gratias ex animo agendi, quod nos eo tempore naſci voluerit, ubi verbum ejus purè & ſincerè, ſine hominum adinventionibus prædicatur. A Domino factum eſt iſtud, & mirabile in oculis noſtris Pſal. 118. v. 23.

2. *In vita æterna,* ubi Deum à facie ad faciem videbimus, 1. Cor. 13, 12. Cum diſcipuli Chriſti ad Emaus proficiſcerentur, Dominum etiam videbant: at oculi illorum tenebantur, ne illum agnoſcerent, Luc. 24. v. 16. At ibi non modò Regem in decore ſuo videbunt oculi noſtri, Eſa. 33, 17. ſed omnes quoque cognoſcemus eum, à minimo uſque ad maximum, Jer. 31. v. 34. & vocem amabilem audiemus: Venite benedicti Patris mei, Matth. 25. v. 34. Id tam gratum erit auribus noſtris, ut omnium miſeriarum noſtrarum obliti, ovantes cantaturi ſimus:

-- Vincit præſentia fatum.

Hic non eſt finis præſentiarum ejus, Eſa. 2. verſ. 7.

II. *Tanquam legis Moſaicæ confirmator.* Scribam enim ſe tentantem, ad legem ablegat, eumq; dextrè reſpondentem, his verbis inſtruit: Fac hæc & vives.

Hoc ſimplicioribus mirum videri poſſit, quod Chriſtus eum, qui de ſalute quærit, ad legem relegat, cùm tamen lex data non ſit, quæ poſſit vivificare, Gal. 3. v. 21. Sed rectè ponderanda eſt reſponſio Chriſti: reſpondit enim ſtulto ad ſtultitiam, ut Salomo ait, Prov. 26. v. 5.

Scriba hic non quæſivit, quæ via eſt ſalutis? ſecus enim Chriſtus ei reſponſum dediſſet, quale Nicodemo: Sic Deus dilexit mundum, Joh. 3. v. 16. Aut ut Thomæ reſpondit: Ego ſum via, veritas & vita, Joh. 14. v. 6.

Quia verò hic naſutulus *de faciendo* quærit, & vitam æternam non ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum conſequi vult, Rom. 4, 4. ideo Chriſtus reſponſum ſuum ad quæſtionem ejus accommodat, ut eum ad notitiam ſui perducat, & intimā naturæ corruptionē ob oculos ponat, ratione cujus legem perfectè implere non poſſimus, eſt n. jugum, quod neq; patres noſtri, neq; nos portare valemus, Act. 15, 10. Joh. 7, 19.

Neq; verò hîc exiſtimandum eſt, quod Chriſtus hoc ipſo legem inutilē cenſeat, aut ex Eccleſiâ exterminatam eat. Minime. Lex bona eſt, & poſſet homini vitā dare, ſi perfectè eam impleret. Quia verò nullus homo

reperitur, qui id præſtare poſſit, ideo Chriſtus legi ſe ſubjecit, eamq; usq; ad minimum apicem implevit, Matth. 5,17. Sic lex tanquam pædagogus noſter nos ad Chriſtum manuducit, ut ex fide juſtificemur, Gal. 3. v. 24. Rom. 10. v. 4.

Notentur hæc

1. *Ad correctionem*, ne viribus noſtris adſcribamus, quod legem Dei perfectè ſervare poſſimus. Omnis enim juſtitia noſtra, eſt ſicut pannus menſtruatæ. Eſ. 64,6. Et cum fecerimus omnia, quæ præcepta ſunt nobis, dicamus: Servi inutiles ſumus, Luc. 17,10. & gratiam Dei imploremus, dicentes: Domine, ne intres in judicium cum ſervo tuo, Pſal. 143. v. 2.

2. *Ad inſtructionem*. Quamvis enim juſtitia non veniat ex lege, quia eam perfectè implere nequimus, non tamen propterea planè exterminari debet, ſed vitam noſtrā, pro gratiâ, quæ in nobis eſt, ad eam componamus. Sic luceat lux noſtra coram hominibus, Matth. 5,16. Licet per opera bona ſalvari non poſſimus, tamen per mala opera damnari poſſumus. Gal. 5.

3. *Ad erectionem*. Si lex condemnationem tibi minatur, reſponde tu: Reconciliati Deo ſumus per mortem filii ejus, Rom. 5. v. 10. Hic cœlum duplici jure poſſidet: primò *jure hæreditario*, ſecundò *jure meritorio*, priori modo ſibi vendicat, poſteriori modo mihi communicat, Bernhardo aſſerente. Sic per fidem in Chriſtum liberamur à maledictione legis, Gal. 3,13. Rom. 4,5.

III. *Tanquam generis humani reparator*. De infelici viatore audimus, quod poſtquā in latrones incidit, qui etiā deſpoliaverunt eum, & plagis impoſitis abierunt, ſemivivo relicto: Sacerdos & Levita præterierint, in miſeria eundem relinquentes. Hoc ipſo indicatum eſt, nec legem nec ſacrificia peccata expiare potuiſſe: ſolus Chriſtus id fecit, qui per Samaritanum præfiguratur, non aliud enim ſub cœlo nomen datum eſt, in quo ſalvari poſſimus, Act. 4,12.

Samaritanus iter fecit per viam, ubi vulneratus jacuit: Sic totus mundus plenus infirmorum erat, ideò Chriſtus viam hanc ingreſſus eſt, quærere & ſalvū facere, quod perierat, Luc. 19, v. 10.

Samaritanus miſericordiâ vulnerati motus eſt. Sic & Chriſtus commiſeratione miſeriæ noſtræ affectus eſt. Non n. delectatur in perditionibus noſtris, Tob. 3,22.

Samaritanus appropinquans alligavit ſaucii vulnera, & in diverſorium duxit, & curam ejus egit. Sic & Chriſtus nobis appropinquavit, dum nobis fratribus ſuis per omnia adſimilatus eſt, excepto peccato, Heb. 2,17. & per vulnera ſua noſtra vulnera ſanavit, Eſ. 53,5. Ideò ait Bernhardus: *Nil tam efficax eſt, ad curanda conſcientiæ vulnera, quàm vulnerum Chriſti recordatio ſedula*, quod in diverſorio eccleſiæ quotidie inculcatur, ideo Chriſto acceptum referamus oportet, quod huc nos perduxerit, velut in ſpirituale νοσοκομεῖον, in quo omnia inſtructa ſunt, quæ ad curationem animæ pertinent. Primò enim adhibetur *vinum*, h. e. conciones legis, quibus vulnera renovantur, ut ſenſum peccatorum in conſcientia deprehendamus. Deinde *Oleum Evangelii*, quod dolores lenificat, ut oſſa exultent contrita, Pſ. 51. v. 10.

Samaritanus alterâ die egrediens, protulit *duos denarios*, & dedit hoſpiti, & ait: Curam illius habe, & quodcunq; præterea inſumſeris, ego cum rediero, reddam tibi.

Chriſtus ſimiliter cœlum adſcenſurus, *Hoſpiti*, h. c. *Eccleſiæ miniſtris* duos denarios reli-

Digitized by Google

reliquit, *verbum* nimir. & *ſacramenta*, quibus ad terrorem impœnitentium, & conſolationem fidelium & corde contritorum uti debent. Id quoq; fideliter remuneraturum ſe promiſit, Pſ.61,6. Hinc ipſe ait: Electi mei non laborabunt fruſtrà, Eſ.65,23. Et Chriſtus ait: Merces veſtra copioſa erit in cœlis, Matth.5.v.12.

Nos gratias Deo agere debemus, pro ſpirituali hâc animæ curatione, & honorare medicum convenientibus donariis, Sir.38,1. ſtudentes, ne recidivam patiamur. Ecce, ſanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi quid contingat, Joh.5,10.

Hoc nobis dictum putemus. Poſtquam enim effugerunt coinquinationes mundi, in cognitione Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, &c. 2.Petr.2 v 20.

Rogamus cœleſtem Samaritanum noſtrum, ut nos ab omni infirmitate liberare, & in reſtitutâ ſanctitate conſervare dignetur, Amen.

Dominica XIV. poſt Trinitatis.

Evangelium Luc.17. v.11... 19.

EXORDIUM.

PRæſcripſit Deus olim Iſraëlitis peculiarem ritũ, mundandi & expiandi leproſos. Nempè, qui purificabatur, duas aves mundas, quibus Iſraëlitis veſci licuit, afferre tenebatur, unam immolandam in vaſe fictili, ſuper aquas viventes: aliam autem vivam, cum ligno cedrino, & cocco, & hyſſopo, tingendam in ſanguine paſſeris immolati; quo adſpergere oportuit eum, qui mundandus erat ſepties. Quando hoc ita factum erat, dimittenda erat avis viva, ut avolaret in agrum. Quô indicatũ fuit, hominem leproſum, nunc perfectè liberatum, hominem commercio frui poſſe, Lev. 14.v.1.ſeqq.

In prælecto Evangelio, Servatorem decem Leproſos ſimul mundaſſe audimus, ſed non adhibitis ceremoniis illis, quæ in V.T. uſitatæ fuerunt. Ille enim jam præſens aderat, quem ceremoniæ hæ præfigurarunt, ratione ſpiritualis purgationis peccatorum noſtrorum, quam facturus erat per ſeipſum Hebr.1.v.3.

Nos omnes ſpirituali peccatorum leprâ infecti ſumus. Nemo dicere poterit: Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? Prov.20.v.9. Omne enim figmentum cogitationum cordis noſtri tantummodo malũ eſt, omnibus diebus, Gen.6,5.c.8,21.

Sed per Chriſtum reſtituti ſumus, qui languores noſtros tulit, & dolores noſtros portavit, ut livore ejus ſanati ſimus, Eſ.53,5.

Id Deus adumbrare voluit per *aves mundas*, quas leproſi ad mundationem ſuam afferre tenebantur.

Altera, quæ immolata fuit, ſignificat cruentum illud Chriſti ſacrificium, quod velut agnus immaculatus præſtitit pro peccatis totius mundi, 1.Joh.2,2.

Altera, quæ dimiſſa fuit, ſignificat liberationem animæ, quæ ſanguine Chriſti purificata, viva in cœlum avolat, ad ſpiritus juſtorum perfectorum, Heb.12,23. & ita particeps fit in partem ſortis ſanctorum, in lumine, Col.1,12.

Flabrum verò quod Sacerdoti conficiendum fuit, ex ligno cedrino, & cocco & hyſſopo, imago eſt ſacri Miniſterii, per quod

Digitized by Google

Spiritus S. efficax eſt, & ſanguine Chriſti nos conſpergit per verbum & ſacramenta, 1.Petr.1.v.2.

Quoniam igitur Servator noſter, in ultimo itinere Hieroſolymitano verſabatur, per ſanguinem ſuum, humanum genus, de ſpirituali peccatorum leprâ purificaturus: In viâ decem leproſos corporaliter mundavit, & hoc ipſo quaſi præambulum fecit, ſpiritualis emundationis, quam perfecturus erat in arâ crucis, eaq; conſummaturus in æternum eos, qui ſanctificantur, Heb.10,14. Propterea omittit uſitatas V.T. ceremonias; Neque enim avium, taurorum & vitulorum ſanguine ulterius opus eſt: ſed ſanguis Jeſu Chriſti, Filii Dei emundat nos ab omni peccato, 1.Joh.1.v.7.

Nos abſq; ulteriori præloquio ad ipſam Evangelii meditationem nos conferemus, tractaturi ex eodem:

I. Ανθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

QUemadmodum Deus in V.T. decimas ſibi vendicaverat, de frugibus, muſto & oleo, Levit.27,30. ſed conqueritur, quod non bonâ fide ſibi offerantur, Mal.1,8.14. ſic & idem Chriſtus Servator in prælecto Evangelio expertus eſt, quod quidē de decē leproſis, quos ſanaverat, decimas ſuas acceperit. Unus n. ex illis, ut vidit, quia mundatus eſt, regreſſus, cum magnâ voce glorificavit Deum. Et hic erat Samaritanus. Cujus ordo aliàs non uſq; adeò commendatur. Ideò quærit & queritur Chriſtus: Novem a. ubi?

Nos hinc anſam capimus, ad *notitiam noſtri* perveniendi, quando intuemur:

1. *Leproſorum conditionem*, quorum non unus & alter, ſed decē unâ vice Chriſto obviarunt, ſicut hic morbus Judæis vel maximè familiaris fuit, procul dubio ex ſingulari Dei diſpenſatione. Quia n. Judæi peculium ejus erant, hoc ipſo eoſdem compeſcere voluit. Ideò Autor libri II. Maccabæorū, qui & ipſe haud dubiè Judæus fuit, ait: Multo tempore non ſinere peccatoribus ex ſententiâ agere, ſed ſtatim ultiones adhibere, magni beneficii eſt indicium, 2.Macc.6,14.15.

Apud nos leproſorum non multi viſuntur, præter paucos aliquot, qui in noſocomiis habitant: Verùm è contrario ſpiritualis peccatorum lepra eò plus invaluit. Non eſt enim, qui faciat bonum, non eſt uſq; ad unum, Rom.3,12. Omnes n. in peccatis concipimur & naſcimur, peccaminoſi liberi à peccaminoſis parentibus, Pſ.51,7. quis igitur dare poteſt mundum, de immundo conceptum ſemine? Job.14,4.

Moſes tres lepræ ſpecies recenſet, quæ Iſraelitis familiares fuerunt. Fuit enim

1. *Lepra membrorum*, quæ totum hominem inficit, & à parentibus in liberos propagatur. Sic comparatum eſt cum peccato, ut Eccleſia canit:

Per lapſum Adæ corruptio
In poſteros perrexit:
Hæc noſtra nunc poſſeſſio,
Medela nulla venit,
Dei ſine
Solamine,
Qui labe liberavit
Qua perditam
Serpens Evam
Iræ Dei implicavit.

Durch Adams Fall iſt gantz verderbt/
Menſchlich Natur und Weſen:
Daſſelb Gifft iſt auff uns geerbt/
Daß wir nicht konten geneſen/
Ohn Gottes Troſt/
Der uns erlöſt
Hat von dem groſſen Schaden/

Dar-

Digitized by Google

Darein die Schlang
Evam bezwang/
Gotts Zorn auff ſich zu laden.

2. *Lepra veſtimentorum*, quo ipſo adumbrata fuit hypocriſis Pſeudo-Chriſtianorum, qui quidem lepram peccatorum ſuorum, pallio bonorum operum contegere ſatagunt, ſed quantò plus palliare volunt, tantò magis illa ſerpit. Omnis enim juſtitia noſtra eſt, velut pannus menſtruatæ, quâ peccatorum lepra coram Dei oculis non operiri poteſt, Eſa. 64, 6.

3. *Lepra domorum*, hæc imago eſt pravorum exemplorum, verborum & operum, quibus ſubinde unus maleferiatus, totã aliquam civitatẽ aut pagum inficit, ut circumquaq; impii obambulent, Pſ. 12. v. ult.

Hic velim ſcruteris te, mi Chriſtiane! utrum & ipſe ſpirituali peccatorum lepræ obnoxius ſis?

Non eſt dubium, quin triplex illa lepra ante indicata, inter nos quoq; graſſetur. Quod enim lepram membrorum attinet, illam comitatur:

1. Cutis tumor, hæc eſt ſuperbia, quæ hominem inflat, ut ultra conditionem ſuam ſe extollat, dicens: Ego ſum, & extra me, non eſt alius amplius, Zeph. 2. v. ult. hæc ſpiritualis lepra eſt, quâ homo gratiâ Dei & æternâ ſalute excidit. Abominatio Domini eſt omnis arrogans, Prov. 16, 5.

2. *Oris fœtor*, hæc luxuria eſt in verbis & operibus, quâ filii hujus ſeculi ſe filios ſpiritus immundi eſſe, produnt, Luc. 11, 24. ea fœtor eſt coram Deo, qui pura & caſta eſſentia eſt. Et omnis qui ſpem habet ad eum perveniendi, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt, 1. Joh. 3, 3. Matth. 5, 8.

Sicut igitur leproſi in V. T. os contegere veſte tenebãtur, Lev. 13, 45 ita & nos dare ori noſtro cuſtodiã debemus, Sir. 23, 33. ne turpitudo aut ſtultiloquium aut ſcurrilitas in ore noſtro verſetur, Eph. 5, 4. 1. Cor. 15, 33.

3. *Pruriginis ardor* cum ſiti conjunctus, hic avaritia eſt. Avarus enim non implebitur pecunia, Eccl. 5, 9. Sed ut pruritum tandẽ dolor conſequitur: ſic divites parum gaudii capiunt ex opibus, ſed ex improviſo eas relinquere coguntur, Jer. 17, 11. aut non audet ſibi de opibꝰ benefacere, & hæc redditio eſt malitiæ illius, Sir. 14, 6. Hæc ſpiritualis lepra eſt radix omnium malorum, 1. Tim 6, 10.

4. *Internus calor*, qui cor infeſtans ſanguinem inflammat. Hæc iracundia eſt, quæ in ira ſtulti requieſcit, Eccl. 7, 10. nec juſtitiam Dei operatur, Jac. 1, 20. adeoq; è regno cœlorum excludit, Gal. 5, 20. 21.

5. *Diverſus color*. Exterius enim cutis in leproſis albicat, interius verò nigricat, hæc invidia eſt; qui enim hoc vitio laborant, exterius humanitatem ſimulant, intrinſecus v. pleni malitiæ ſunt. Hinc Salomo: Ne comedas cum homine invido, Prov. 23, 6. 7. Et hæc ſpiritualis lepra eſt, ubi enim zelus & contentio, ibi confuſio, Jac. 3. v. 16.

6. *Animi torpor*. Tale impiorum ingenium eſt, qui ſemper pœnitentiam differunt de die in diem, Sir. 5, 8. & tardi ad bonum, Hebr. 12, 1. Apoc. 3, 16. Et hæc ſpiritualis lepra eſt, fides enim, ſi non habeat opera, mortua eſt, Jac. 2. v. 17.

7. *Falſus rubor*, quem facies mentitur. Hæc eſt hypocriſis, quæ valdè familiaris eſt in hac mundi fece, plurimi enim ſpeciem tãtùm habent pietatis, 2. Tim 3, 5. dicentes ore: Domine, Domine, Matth. 7, 21. ſed factis negant, Tit. 2. v. ult. Hæc itidem ſpiritualis lepra eſt, non enim veniet in conſpectum ejus hypocrita, Hiob. 13, 16.

8. *Raucus clamor*, qui ingratitudo eſt, vel maximè hodie vulgaris, de qua Deus graviter conqueritur, Jer. 5, 24. Et hæc ſpiritualis

 lepra

lepra eſt. Non enim bene erit eleemoſynas non compenſanti, Sir. 12. v. 3.

2. *Lepra veſtimentorum*, quibus ſuperbiunt homines utriusq; ſexûs, præter modum & decorem: cum tamẽ Deus minetur, ſe viſitaturum ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrinâ, Zeph. 1, 8. Hanc lepram Deus in divite epulone flammâ infernali punivit, Luc. 16, 23. & puniet in omnibus, qui in eâ delectantur, Sir. 10, 16.

Genuini Chriſtiani potius ad morem Judæorum veſtes ejusmodi leprâ contaminatas igne exurere, quàm adverſus Deum peccare debent. Quid enim eſt corpus hominis niſi terra & cinis? Sir. 10, 13. qui verò benevolum Deum in cœlo habet, in eo theſaurum invenit, Sir. 40, 18.

3 *Lepra domorum*, quæ plerumq; plenæ dolo ſunt, ſicut cavea plena avibus, Jer. 5, 27. Multi ædificant domum ſuam cum injuſtitia, & cœnacula ſua non in judicio, Jer. 22, 13. Hinc etiam tot lepræ maculæ inveniuntur, ut lapides de pariete clament, & laquear ligneum reſpondeat, Hab. 2, 11.

O quot maledictiones & imprecationes eructantur in quibusdam ædibus! quot vitia & flagitia in iisdem committuntur! Inveniuntur molles, qui peccant ut Onan, Gen. 38, 9. Sodomitæ & maſculorum concubinatores, Gen. 19, 5 Scortatores & adulteri, Sir. 23, 26. Potentes ad bibendum vinum, Eſ. 5, 11. 12. Hinc Deus vaſtatores vocat, qui civitates ſuccendunt igne, Eſ. 1. 7.

Fugiamus igitur ſpiritualem peccatorum lepram, ne corpus & animam præcipitemus in gehennam, Matth. 10, 28.

Et quia cum leproſis nemo facilè converſatur, ne contagioſo hoc morbo inficiatur: ſic & noſtri erit officii, pravorum ſodalitium fugere, & cum bonis converſari. Ab impiis enim egredietur impietas, 1. Sam. 24, 15. Sed cum bono bonus eris, Pſal. 18, 26.

II. *Chriſti compaſſionem*, quam declarat ergà leproſos.

1. *Intuendo*. Neq; enim ille lepræ contagio infici poterat. Sed veluti Sol lacunas lutulentas colluſtrat, nec tamen eò inquinatur: Sic Chriſtus eſt ſol juſtitiæ. Mal. 4, 2. amat animam noſtram, Eſ. 38, 17. ubicunque ſimus, oculi ejus reſpiciunt nos, Sir. 23, 28. & potens quoq; eſt eis, qui tentantur auxiliari, Heb. 2. v. ult. Pſ. 38, 10.

2. *Alloquendo*. Audit enim preces eorum, quas corde devoto ad eum fundunt, & commiſeratione motus, eosdem ad Sacerdotes ablegat, qui vi legis divinæ lepram dijudicare tenebantur. Sic adhuc hodie prope eſt invocantibus ſe, Pſ. 85, 10. Eſ. 65, 24.

Hic velim probes te, utrum erga infirmos tu quoque commiſerationem tuam conteſtatus fueris?

Hoc Magiſtratus æque ac ſubditi ſibi dictum putent.

Magiſtratus quidem, ut noſocomia in eſſe ſuo conſervet, iisq; qui leprâ aut aliis morbis affecti ſunt, neceſſariis eleemoſynis ſuccurrat, ne cauſam habeant, inter ſanos excurrere, iisq; ut & prægnantibus offendiculum ſtruere.

In V. T. leproſos extra caſtra habitare oportuit, Lev. 13, 4. quin & procuratum fuit egenis, & infirmis, ut ſine mendicando ſuſtentati fuerint, Deut. 15, 4.

Tempore Chriſti ejusmodi valetudinarium fuit Bethſaida, quod quinq; porticus habuit. In his jacebat multitudo magna languentium, cœcorum, claudorũ &c. Joh. 5, 2.

Poſtea Deus multos Reges, Principes, alioſq; beneficioſos excitavit, qui vitio corporis & morbo corporis laborantib. opulẽtos reditus conſtituerunt. Hîc Magiſtratus officiũ requirit, ut provideât, quò eleemoſynæ rectè

Digitized by Google

ææ recte adminiſtrentur, & indigentibus, præcipue vero domeſticis fidei exhibeantur. Nam & hoc inter alia officium ejus concernit, ut pauperum fidelem curam gerat, ſicut Jobus ſe patrem pauperum appellitat, Job. 29. v. 16. Ne inopes conquerantur, quod in miniſterio quotidiano deſpiciantur, Act. 6. v. 1. hoc enim grave peccatum eſt, quo Deus ut exſurgat incitatur, Pſalm. 12. verſ. 6. quicquid enim pauperi incommodi infertur, id Chriſto ipſi fit, Matth. 25, 40.

Subditos vero & in genere omnes Chriſtianos hoc concernit, quia omnes ſanctorum neceſſitatibus communicare tenentur, Rom. 12, 13. Qui enim habuerit ſubſtantiam hujus mundi, &c. Joh. 3. v. 17.

Abdias præfectus Regius tulit Prophetas Domini, & abſcondit eos quinquagenos in ſpeluncis, & pavit eos pane & aqua, 1. Reg. 18. v. 4.

Carolus M. quotidie menſam mendicantium aluit, eosque proxime menſam ſuam aſſidentes habuit.

Placilla Imperatoris Theodoſii conjux, pauperes in infirmitate non modo inviſit: ſed & diſcumbentibus inſtar ancillæ miniſtravit, & manibus ſuis patinas eorum mundavit.

Sic & nos pauperes & ægrotos ſerio ſtudio adjuvare, nec cogitare debemus: Quid ille ad me? Quisquis enim ille ſit, caro tua eſt, Eſa. 58. verſ. 7. Hinc Siracides, cap. 4. v. 5. 6.

Huc quoque ſpectant preces publicæ, quæ non ideo ſaltem fiunt, ut inopes & infirmos Deo precibus commendemus: ſed & ideo, ut facultatibus noſtris iisdem ſubveniamus.

Hoc Deus largiter remuneratum ibit. Beatus, qui intelligit ſuper egenum, Pſal. 41. v. 2.

III. *Samaritani reverſionem.* Unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus eſt, regreſſus eſt, cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens ei. Et hic erat Samaritanus.

Sine dubio comites ejus novem, qui ſimiliter mundati ſunt, & imprimis Sacerdotes ſedulo eum monuerunt, ne ſe à Nazareno ſeduci pateretur, quaſi ille foret, qui à lepra ſe liberaſſet: ſed exiſtimaret potius, ideo mundatos eſſe, quia templum accedentes ſacrificia ſua juxta legem Moſaicam obtulerint, ut Lyra autumat, Sed hoc ipſo non avertitur à Chriſto, verum in fide conſtans manet, quod à nemine, niſi Chriſto ſanatus ſit. Propterea, ut ſacerdotibus ſe, juxta mandatum Chriſti, oſtenderat, revertitur ad Chriſtum, eique ad pedes pronus, gratias agit. Quod Servatori quoque tantopere placuit; ut per amice ipſum exceptum alloquutus fuerit: Surge, vade: fides tua te ſalvum fecit.

Hic examina te, mi Chriſtiane! an & ipſe Deo pro beneficiis, quib. te ornavit corporaliter & ſpiritualiter, ad exemplum hujus Samaritani debitas gratias egeris?

Nos non minores ſed majores cauſas habemus, quam Samaritanus, ob quas Deo gratias litare debeamus: Idcirco non ceſſantes, dicamus cum Davide: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo. Pſal. 57. v. 8. 9. 10.

Samaritanus recordans priſtinæ ſuæ conditionis, hoc ipſo ad gratiarum actionem exſtimulatus eſt: Sic & tu revolve tecum mi Chriſtiane! quis natura fueris, nempe, filius iræ, Eph. 2. v. 3. & quam miſere inqui-

natus in ſanguine tuo jacueris, Ezech. 16,6. ſed per baptiſmum te Chriſtus mundavit, in lavacro verbi, Eph.5.v.26. qui jam non amplius filius iræ: ſed filius Dei, hæres Dei & cohæres Chriſti es, Rom.8.v.16.17.

Samaritanus reverſus, nec multitudine ſociorum retractus eſt: Sic, mi Chriſtiane! ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis, Prov.1,10. Sed revertere in viam quando aberraſti. Errare enim humanum eſt, delicta quis intelligit? Pſal.19,13. Non vero in errore præfractè perſeverandum eſt, ſed mature ſurgendum, ſi gratiam & remiſſionem peccatorum conſequi velis. Revertere averſatrix Iſrael! Jer.3.v.12.13.

Samaritanus clara voce Chriſto gratias egit: Et tu cum Davide ingemina: Benedicam Dominum in omni tempore, Pſal.34.v.2. Magnus enim eſt Dominus, & Deus noſter præ omnibus Diis, Pſal.135.v.5. David erat magnus Rex, & tamen tripudiabat totis viribus coram Domino, 2.Sam.6,14.

Sic & Imperator Henricus III. commendatur, quod Merſeburgi cum conjuge ſua ad pulpitum in templo Cathedrali conſiſtens, cum reliquis Canonicis, ſonora voce hymnos cecinerit.

Quinimo Angeli & Archangeli, Cherubim & Seraphim adſiſtunt throno Dei, alta voce ingeminantes Triſagion illud: Sanctus Sanctus, ſanctus. Eſa.6.v.3. Quidni & nos concineremus iis, cum filius Dei non angelos adſumſerit. Heb.2.v.16. Hinc nos in gratiam aſſumti ſumus, ubi ex adverſo angeli peccantes catenis noctis in tartarum detracti, cruciandi in judicium reſervantur, 2.Pet.2.v.24.

Sed deteſtabilis ingratitudo multorum eſt, ut Deus querelam Eſaiæ haud injuria repetere poſſit: Audite cœli, & auribus percipe terra! Eſa.1.v.2.3.

Hi bipedum ingratiſſimi dedecori eccleſiæ ejus ſunt, Deut.32.v.5. Ideoq; nunquam beneficiorum ejus obliviſci debemus. In omnibus gratias agite, 1.Theſſ.5.v.18.

De Secundo.

TRanſibimus nunc ad *alteram partem*, χριστογνωσίαν ſive *notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti*, meditaturi. Hic nobis commendatur:

I. *Tanquam Magiſter ſalvandi venerabilis.* Ita compellant eum decem leproſi, dicentes: Jeſu, præceptor, miſerere noſtri! In Græco eſt vox ἐπιστάτης, quæ ſignificat præfectum, qui jus & poteſtatem habet imperandi. Alias διδάσκαλος ſive Rabbi vocatur, quæ vox ſignificat, Magiſtrum, Joh.13.v.13. Matth.23.v.8.

Quando igitur duo hæc nomina conjungimus, oritur inde Magiſter ſalvationum, in quo Theoria & praxis concurrunt. Si modo unum verbum loquitur, infirmitas abeat neceſſe eſt. Sap.16,12.

Hujus artis S. Evangeliſtæ egregia teſtimonia ipſi perhibent: quomodo cœcos videntes, claudos ambulantes, ſurdos audientes, mutos loquentes, imo mortuos redivivos fecerit. Item, quomodo verbulo paralyticum ſanaverit, Matth.9,6. Mulierem ſanguinis profluvio laborantem reſtituerit, Luc.8.v.44. Hydropicum curaverit, Luc.14.v 4. & non ſemel diabolos expulerit, Lu.11.v.14. Matth.8.v.4.

Inde facile colligere poſſumus, quod ſi tanta miracula in diebus carnis, in abjecta ſervi forma patraverit: quanta nunc virtu-

te

Digitized by Google

te polleat, ad dexteram Dei patris exaltatus, ſuper omnem principatum, & poteſtatem, Eph. 1. v. 21. 22.

Quinimo, nullæ anguſtiæ ſunt tantæ, nulli morbi adeo deſperati, ex quibus liberare non valeat.

Sic vindicat Regem Joſaphat è periculo, 2. Chron. 20. v. 22. 23. Socios Danielis è fornace ardente, Act. 12. v. 8. Petrum è carcere, Act. 12. v. 8. Ægrotum ad Bethesdam è diuturniore morbo, Joh. 5. v. 4.

Noli itaque deſperare in calamitatibus: ſed perfugio magiſtri hujus ſalvationum utere, invoca eundem precibus devotis, inquiens; Jeſu, præceptor mi, miſerere mei! Et reipſa experiêre, quod neminem extrudat foras, qui venit ad ſe, Joh. 6. v. 37. & lætabundus dicere poteris, cum Ambroſio: *Inveni medicum, qui in cœlis habitat, & medicamenta ſpargit in terris: ipſe ſolus poteſt curare vulnera mea, qui neſcit ſua.* Operatur enim ſalutem in medio terræ, Pſal. 74, 12. creat de terra Medicinam, quæ in pharmacopolio præparatur, Sir. 38, 4. Si vero ſalutaris ægroto eſſe debet, incrementum det neceſſe eſt, 1. Cor. 3, 7. propter quod & invocari vult. Sir. 37. v. 19.

Quin & quando mors appropinquat, naturæ debitum à nobis perſolvendum poſtulans, ob peccata: tamen manet Magiſter ſalvationum, cujus manus non abbreviata eſt, Eſ. 50, 2. & à morte quoque redimere valet, Pſ. 68. 21. Sicuti die noviſſimo aperiet tumulos noſtros, & educet nos, populum ſuum de ſepulchris noſtris, Ezech. 37. v. 12. ut vivamus in conſpectu ejus. Hoſ. 6. v. 2.

II. *Tanquam miniſterii fautor laudabilis.* Non enim propterea ad Sacerdotes mittit hos leproſos, ut mundarentur ab ipſis: mundabantur enim inter eundum: Sed partim *reſpectu mandati.* Deus enim ſacerdotibus de lepra judicare præceperat, & qui mundi pronunciari volebant, ideo ſacerdotibus ſe oſtendere tenebantur, Luc. 13, 14. Partim *reſpectu miraculi*, ut Sacerdotes exinde agnoſcerent, ſe eſſe promiſſum mundi Meſſiam, de quo prædictum erat, quod ejusmodi morbos curaturus eſſet, Eſa. 35. v. 5. partim quoque *reſpectu ſacrificii*, quod, illi, qui à lepra mundati erant ad Dominum perferre tenebantur, de quo & ſacerdotibus quoque pars ſua debebatur, quam & Chriſtus ipſis ſubtrahere noluit, qui enim ſacris operantur, quæ de ſacrificio ſuperſunt, edunt, 1. Cor. 9. v. 13.

Sic Chriſtus hoc ipſo obedientiam eorum probare vult, an legem Moſaicam reverenter habere, & Eccleſiæ ſtatutis ſe ſubjicere velint. Hæc obedientia Deo gratior eſt, quam victimæ, 1. Sam. 15, 22. & divite remuneratione potietur, Deut. 28. v. 1. ſeqq.

Adhuc hodie Chriſtus eos, quos à ſpirituali peccatorum lepra curare vult, ad ſacerdotes ablegat, qui pro Chriſto legatione funguntur, 2. Cor. 5. v. 20. & ab eo plenariam poteſtatem habent, peccata ligandi & ſolvendi, Joh. 20. v. 23. Sicut hujus rei in Saulo perſpicuum exemplum habemus. Act. 9. v. 10. ſeqq.

Nos quoque miniſterium verbi non deſpicere: ſed ſacerdotibus nos oſtendere debemus, qui ſunt loco Dei, Luc. 10, 16. quorum acta Deus rata jubet, Matth. 18. v. 18.

Hoc autem fieri debet:

1. *Templum frequentando.* Qui enim ex Deo eſt, verbum Dei audit, Joh. 8, 47. Hinc non exiguam voluptatem capiunt verbi miniſtri. Fratres mei chariſſimi & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona

mea

mea: ſic ſtate in Domino. Phil.3.verſ.16. cap.4. v.1. Hoc ipſo enim illi eo magis excitantur, ut officium ſuum moleſtiarum pleniſſimum,cum gaudio faciant,Heb. 13. verſ. 17. quia ſciunt, quod labor ſuus non inanis ſit in Domino, 1. Cor.15.verſ. ult.

2. *Peccata revelando.* Sæpe contingit, ut huic vel illi conſcientia ſit anxia ob peccatum, quod forte commiſit, ignorans, quomodo ſe extricare, & requiem animæ invenire poſſit. Hic optimum remedium eſt, ut ejuſmodi homo oſtendat ſe ſacerdoti, per confeſſionem peccati, quod animum ſuum angit, ſic eum Confeſſionarius verbi divini ſolatio reficiet, ut levamen accipiat. Quoniam tacui,inveteraverunt oſſa mea.Pſal.32.v.3.5.

Hoc fine quoque Confeſſio privata in Eccleſiis A.C. retinetur,ut peccator occaſionem habeat,cordis ſui dolorem in ſinum verbi miniſtri effundendi: qui & ſecretum illum habere debet, utpote non ſibi, ſed Chriſto dictum.

Quicunque igitur hoc contemnunt,non homines ſpernunt: ſed Deum ipſum,qui dedit poteſtatem hominibus, Matth. 9. v.3.

3. *Beneficentiam præſtando.* Communicet is,qui catechizatur in verbo,ei, qui ſe catechizat,in omnibus bonis, Gal. 6,6.

III. *Tanquam ingratitudinis vindicator irreconciliabilis.* Nonne decem mundati ſunt? & novem ubi ſunt? Non ſunt reperti, qui redirent, ut darent gloriam Deo,niſi hic alienigena?

In hodiernum adhuc diem ingrati animi vitium, in hoc mundo vel maxime familiare eſt, nemo gratiam iis refert, quibus referenda erat: quales ſunt Parentes,Præceptores,verbi miniſtri, Magiſtratum gerentes. Pauciſſimi æquo animo perpendunt onus,quod hiſce hominibus incumbit.

Sunt,qui parentes in ſenectute deſerunt, à quibus omnem ſalutem habeat, non metuentes vindictam Juſti Numinis. Sed tanquam blaſphemus eſt, qui derelinquit patrem,& eſt maledictus à Deo,qui exaſperat matrem,Sir.3.v.18.

Quæ gratia refertur fidelibus præceptoribus? qui tamen quotidie in pulvere ſcholaſtico verſantur, & ſtrictiſſima ratione tenentur: Negligere enim puerum, eſt vitiare virginem, ſapiens ille ethnicus ait. Nonne ingratitudinis meſſem metuat?

Quæ gratia præconibus verbi? qui pro animabus auditorum vigilant,Hebr. 13,17. nec ceſſant die ac nocte unumquemque lacrymis monere, Act.20.v.31. Odio habent corripientem in porta, & loquentem perfecte abominantur,Amos.5.v.10.

Quæ gratia magiſtratui fideli? Id Moſes, Exod.17.v.4. Samuel experti ſunt, 1.Sam. 12.v.12. ut non abs re Diogenes dixerit: *Nihil citius ſeneſcit quam beneficium.*

Invenias homines, quos ſi quis portet ad urbem.
Auſoniam, indomiti quæ caput orbis erat:
Nec tamen ad portam placide deponat eosdem,
Gratia præteriti nulla laboris erit.

Sed vindex eſt Dominus de his omnibus, 1.Theſſ.4.v.6. Qui enim reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus, prov.17.v.13. Spes ejus tanquam hybernalis glacies tabeſcet, & diſperiet, tanquam aqua ſupervacua, Sap.16. v. 29. tandem

dem pœnam & ignominiam inveniet, Prov. 6. v. 33. quando ſuperveniet eis calamitas eorum, & dolores dividet furoris ſui Dominus. Tum erunt ſicut paleæ ante faciem venti, & ſicut quisquilia, quam turbo diſpergit, Job. 21. v. 17. 18 Omnes illi qui opera caritatis non exercuerunt, ſed ingrati fuerunt & membra Chriſti non adjuverunt, tum audient: Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare. Sitivi & non dediſtis mihi potum, Matth. 25. v. 41. & ſeqq.

Avertat id à nobis benigniſſimum Numen, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Amen.

* * *

Dominica XV. poſt Trinitatis.

Evangelium Matth. 6. v. 24. — 34.

EXORDIUM.

CUm Philiſtæi in prælio cum Iſraelitis commiſſo, arcam Dei cepiſſent, aſportaverunt eam in Azotum, & intulerunt eam in templum Dagon: & ſtatuerunt eum juxta Dagon. *Verum Dagon & arca Dei non convenit inter ſe.* Cumque ſurrexiſſent diluculo Azotii altera die, ecce, Dagon jacebat pronus in terra, ante arcam Domini, & tulerunt Dagon, & reſtituerunt eum in locum ſuum. Rurſumque mane die altera conſurgentes, invenerunt Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abſciſſæ erant ſuper limen: porro Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo.

Hac in re Philiſtæi imago ſunt omnium hypocritarum, & Pſeudo-Chriſtianorum, qui arcam Dei & idolum Dagon conjungunt, h. e. lucem & tenebras, Chriſtum & Belial, Deum & Mammona conferentes, utrique ſervire volunt. Hoc fieri nunquam poteſt: neque enim dimidium modo cultum Deus ſibi vendicat: ſed ex *toto corde* ipſi ſerviendum eſt, Deuteronom. 6. 5. in juſtitia & ſanctitate coram ipſo, Luc. 1. 75.

Inveniuntur homines qui actiones ſuas mire exornant. Superbiam venditant pro Magnanimitate; πολυπραγμοσύνην, pro diſcendi cupiditate; Stultitiam pro ſimplicitate: luxuriem in ædificiis & veſtibus, pro munditie & decore; prodigalitatem pro liberalitate; avaritiam pro parſimonia: vindictæ cupiditatem pro ſeveritate &c. Sic ſemper Dagon & arca Dei conjunguntur: ſed die noviſſimo videbimus, quid ſit inter juſtum & impium: & inter ſervientem Deo, & non ſervientem ei, Mal. 3. v. ult. Diſperdet enim Deus omnia labia doloſa, Pſal. 12. v. 4. & conſilia cordium manifeſtabit, 1. Cor 4. v. 5. Id cogitandum eſt, ut ita immaculatos nos cuſtodiamus ab hoc ſeculo, Jac. 1. v. ult. quia amicitia hujus mundi inimicitia eſt Dei, quicunque ergo voluerit amicus eſſe ſeculi hujus, inimicus Dei conſtituetur. Jac. 4. 4.

Hac de re Chriſtus etiam differit in prælecto Evangelio, inquiens: Nemo poteſt duobus Dominis ſervire: Aut enim unum odio habebis, & alterum diliget:

Uu aut

Digitized by Google

aut uni adhærebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ.

Nos absq; ulteriori præloquio ad ipſum Evangelium nos conferemus, tractaturi ex eodem:

I. ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*

II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

DE Meſſia inter alia dicitur, quod gratia diffuſa ſit in labiis ejus, Pſal. 45. v. 3. Quo ipſo Regius Pſaltes reſpicit Miniſterium ejus, quod prædicando peregit, eoque innuit, tam præſtantem Concionatorem fore Meſſiam, ut homines concionibus ejus audiendis non ſatiari poſſint. Quod & opere ipſo comprobavit, cum Miniſterium ſuum inchoavit, ubi homines obſtupuerunt ſuper doctrina ejus; erat enim docens eos, ſicut autoritatem habens, & non ſicut ſcribæ & Phariſæi, Matth. 7. v. ult. Joh. 7. v. 46.

In hodierno Evangelio præclarum ejusdem exemplum habemus, ubi cœleſtis ille Orator gratiam labiorum ſuorum diffundit, & de nocentiſſima ventris cura Apoſtolos ſuos & nos omnes adeo dehortatur, ut quilibet hinc colligere poſſit, quod ſit Orator eruditæ linguæ, cui neque Cicero, neque Demoſthenes pares fuerint, neque palmam præripere poſſint, Eſa. 50. v. 4.

Nos ἀνθρωπολογίαν ſive notitiam noſtri hinc diſcemus, ſi ſpectemus:

1. *Neutralitatis fugam*, ſunt enim qui cum Iſraelitis claudicant in duas partes, 1. Reg. 18. v. 21. putantes, Dei & Mammonis ſervitium ſimul conſiſtere poſſe, ſicuti de gentilibus quibusdam legitur, qui Deum & diabolum ſimul coluerunt: interrogati, cur id facerent, reſponderunt: *Deum bonum colimus, ut nobis benefaciat, Deum malum, ne nobis malefaciat.* Hac de re dehortatur nos Chriſtus, ſub initium Evangelii, inquiens: Nemo poteſt duobus dominis ſervire.

Intelligendum hoc eſt, de dominis ſibi invicem contrariis, qui diverſis ſtudiis diſſident. Quod ſi enim plurimi iisdem ſtudiis tenentur, non repugnat quo minus iisdem ſervire poſſimus. Concordia enim multos facit unum, ut Veteres dixerunt. Sed Dominis inter ſe diſſidentibus, vel fideliſſimus ſervorum non ad palatum inſervire poterit, ut exemplum Joſephi reſpectu heri & heræ probat, Gen. 39. v. 7.

Hic velim probes te, mi Chriſtiane! annon cultum tuum inter Deum & mundum partitus fueris, ut Deo & mundo ſimul ſervire volueris?

Hoc quilibet facile deprehendet, ſi modo accurate ſe examinet. Etſi enim omnes ſcimus, quid bonum ſit, & quid Dominus requirat à nobis, Mich. 6. v. 8. tamen in ea perſuaſione ſumus, quod non adeo ſtricte mandatis Dei teneamur; ſed Chriſtianæ libertati non adverſari, ſi in levioribus mundo adſimilemur, modo in gravioribus conſcientiam noſtram non læſerimus, & ſ. ule.

Hoc ipſo Regum mortalium ſapientiſſimus Salomo infatuatus eſt. Principio enim non in animo habebat à Deo ſuo deſciſcere: ſed cenſebat, voluptatem illam, quam in terrenis vanitatibus quæreret, facile cum vera pietate conſiſtere poſſe: ſed ſcriptura meminit, quod fecerit, quod non placuerit coram Domino, 1. Reg. 11. v. 6.

Non

Non enim conventio Chriſti ad Belial, 2. Cor. 6. v 14.

Herodes & Pilatus quidem amici facti ſunt, qui tamen antea inimici erant ad invicem, Luc. 23. v. 12. Sed inter Deum & peccata nulla pax conciliari poteſt.

Non enim Deus volens iniquitatem tu es, Pſal. 5. v. 5. Hinc etiam peccata dividunt inter nos & Deum noſtrum, Eſa. 59. v. 2. Ideoque probe cavendum eſt, ne quotidianas imbecillitates, à quibus nec renati immunes eſſe poſſunt, nimium extenuemus, dicentes, ut Lothus de Zoar: Nunquid non modica eſt, & vivit anima mea? Gen. 19. v. 20. aut cogitemus, nullum ſubeſſe periculum in levioribus, modo in graviora non incidamus. Nunquid caput canis ejus ſum, quod argueres pro muliere hodie, ait Joab, 2. Sam. 3. v. 8.

Sed ô ſtolide! latent ne te inſidiæ diaboli, qui ſemel retibus ſuis implicatum, arcte conſtrictum tenet ut vix extricare ſe poſſit. Nunquid poteſt homo fovere ignem in ſino ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant? Prov. 6. v. 27. Certe peccata non ſine peccato ſunt! Dicitur quidem, parum parum nocet: ſed id medice intelligendum eſt, de cibis homini incommodantibus. In ſchola Theologica vero, parum multum nocet, nam parva peccata majoribus fores aperiunt, & venena ſenſim cordibus inſtillant, ut tandem conſcientia vulnus accipiat: ſicuti per continuas pluviarum guttas, etiam ſaxa duriſſima excavantur. Ideo optimum eſt, ut principiis peccatorum obſtemus, & fructum vetitum ne quidem intueamur, nedum guſtemus, ne ineſcet animam noſtram, tandemque ſubjuget. Concupiſcentia, cum conceperit, parit peccatum, Jac. 1. v. 15.

Quodſi itaque Deo ad placitum ſervire velimus, ne conformemus nos huic ſeculo, Rom. 12, 2. neque adverſus legem Dei, quicquam committamus, utut leviſſimum videatur, quicunque enim totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus, Jac. 2. v. 10. Apoc. 3, 16.

II. *Ventris curam.* De hac dehortatur nos Chriſtus, inquiens: Nolite ſoliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt.

Hic non prohibetur cura officii, quæ apprime neceſſaria, & à Deo mandata eſt. Bono enim paſtori de ovibus ſuis ſolicitum eſſe convenit, Joh. 10. verſ. 11. & pervigilare pro animabus Auditorum. Hebr. 13. v. 17.

Magiſtratus curam gerat oportet, pro ſubditorum ſalute, & officio ſuo præeſſe, cum ſolicitudine, Rom. 12. v. 8.

Pater-familias quoque domeſticorum ſuorum curam habere debet, 1. Tim. 5. v. 8. & in ſudore vultus ſui panem acquirere, Gen. 3. v. 10. ut habeat, unde tribuat neceſſitatem patienti, Eph 4. v. 28.

Breviter: Quilibet, cui animæ ſalus curæ eſt, pro peccato ſuo dolere debet, Pſ. 38. v. 20.

Non igitur Chriſtus curam hanc intelligit: *ſed curam ventris & diffidentiæ* quando in operibus vocationis fiduciam in Deum abjicimus, & ambigimus, utrum nobis quotidianum victum largiri velit, ideoque undique lucrum comparamus, etiam ex malo acquirentes, Sapient. 15. verſ. 12. Hi enim homines nunquam ſatiari poſſunt, quamvis ad abundantiam habeant, & tempus cauſantur, Sir. 29. v. 6. Hinc Vates:

Digitized by Google

Si quantas rapidis flatibus incitus
Pontus verſat arenas,
Aut quot ſtelliferis edita noctibus
Cœlo ſidera fulgent
Tantas fundat opes, nec retrahat manum
Plena copia cornu:
Humanum miſeras haud ideo genus
Ceſſet flere querelas.

Hoc ipſo Deus ad iram provocatur. Veros enim Chriſtianos contentos eſſe oportet præſentibus, Heb. 13, 5. & cætera Deo commendare, ipſe faciet, Pſal. 37, 5.

Hic velim inſpicias te, mi Chriſtiane! & probes, annon & ipſe nonnunquam cura diffidentiæ deliqueris?

Hac in parte ſæpius delinquimus. Ubi enim noſtrum foret, Deo omnia commendare, & in benevola ejus voluntate acquieſcere: nos curis noſtris cor aggravamus, ut ante tempus ſæpe caneſcamus, quod tamen fruſtra fit, & nihil nobis adjumenti confert, quia Deus omnia ordinavit & definivit in pondere, numero & menſura, Sap. 11. v. 22. Nos hic ei præſcribere non poſſumus, aut dicere: Cur ita facis? Hiob. 9. v. 12. Niſi quod precario obtinemus, quod Ninivitas feciſſe legimus, Jon. 3. v. 10. Quod & nos faciamus, in Dei providentia unice acquieſcentes, qui facit, ut diligentibus Deum omnia in bonum cooperentur, Rom. 8, 28.

Qui vero ſollicitudinum æſtu abrepti, dies noctesque anxii ſunt, quomodo liberis ſuis theſauros colligant, illi non modo vitam ſibi acerbam faciunt, vigilia enim divitiarum tabefacit carnes, Sir. 31. verſ. 1. ſed, ut verum fateamur, curis ſuis in infernum ſe præcipitant, ubi ſicut oves poſiti erunt, mors depaſcet eos, Pſalm. 49. verſ. 15. nec aquæ guttulam impetrabunt, qua linguam refrigerent, Luc. 16. v. 24.

Confide igitur Deo, & mane in loco tuo. Sir. 11, 23.

III. *Naturæ ſcholam*, in hanc introducit nos Chriſtus, dicens: Reſpicite volatilia cœli, &c. & iterum: Conſiderate lilia agri, quomodo creſcant.

Hic Præceptores noſtri eſſe debent:

1. Volucres cœli, quas Deus adeo largiter alit, ut nulla inopia laborent. Ipſe enim Dominus ille eſt, per quem nec ales eſurit, ut Eccleſia canit: ſed aperit manum ſuam implens omne animal beneplacito, Pſ. 145. v. 16. Et hæc providentia ejus non modo luſciniam & alias aves concernit, quæ homines cantu ſuo exhilarant, aut cibo inſerviunt: ſed & corvos & paſſeres, ſicut Lucas memorat, quod Chriſtus dixerit: Conſiderate corvos, quia non ſeminant, neque metunt, Luc. 12. v. 24. De paſſeribus loquitur Chriſtus, Matth. 10. v. 29.

2. *Lilia campi*, quæ Deus ſic veſtit, ut ornatu ſuo Salomonem in omni gloria ſua facile ſuperent.

1. *Ratione coloris.* Quantum enim diſcrimen eſt, inter artem & naturam: tanta quoque differentia eſt inter gloriam Salomonis, & naturalem pulchritudinem florum, qua à Deo ornati ſunt, qui omnium artifex eſt, Sap. 7. v. 21.

2. *Ratione odoris*, Salomonis veſtes fragrantia odoramentorum perfuſæ ſunt: ſed lilia & alii flores à natura odorem ſpirant, quo ſæpe totum conclave repletur. Hinc Siracides: Obaudite me divini fructus &c. c. 40. v. 17.

3. *Ratione vigoris*, Medicinæ enim inſerviunt, & unguentarius conficit ex iis unctio-

Digitized by Google

ctiones ſanitatis, Sir.38,7. Hanc virtutem veſtimẽtis,quamvis pretioſiſſimis attribuere non poſſumus,ſed finis eorum eſt,ut nuditatem iisdem operiamus, Gen.3. v.21.

Hoc ipſo Chriſtus à ſolicitudinis præpoſteræ curâ avocare nos vult, ut cogitemus: Si Deus abjectos corvos & paſſerculos adeo largiter alit,& lilia campi tam ſplendidè exornat: quidni magis nos, qui ad imaginem ejus creati ſumus,omni neceſſitate inſtruet, & curabit. Ipſe enim ſolus eſt,qui dat nobis frumentum, & vinum, & oleum, & argentum & aurum, Oſ.2.v.8.

Hic examines te, mi Chriſtiane! an hâc in ſcholâ rectè te exercueris, & occaſione avium & florum providentiæ Dei recordatus fueris?

Antonius Eremita interrogatus, ubi libros ſuos haberet, reſpondit: *Codex meus eſt tota rerum natura.* Neque aberravit. Poſt Bibliorum enim codicem, non præſtantior inveniri poteſt,quàm liber naturæ, qui quatuor quaſi tomos continet.

In primo tomo tractatur doctrina de cœlis, conſcripta literis fulgentibus ſtellarum,quæ omnes Deum eſſe probant. Cœli enim enarrant gloriam Dei,Pſ.19,4.

In ſecundo exhibentur nobis vegetabilia,plantæ, arbores, flores, herbæ &c. quæ vario colore,odore & virtute diſtincta ſunt, & iterum Deum creatorem ſuum teſtantur, ipſe enim rigat montes de ſuperioribus ſuis,Pſal.104,13.& ſeqq.

In tertio & quarto tomo vivum exemplar habemus omnium animalium in terrâ, avicularum in aëre,& piſcium in mari, qui omnes de creatore ſuo teſtantur, noſq; non modò ad eundem manuducunt, ſed & in pluribus rebus informant,ſicut hic Servator volucres cœli & lilia campi nobis proponit, ut ab iis fiduciam in providentiâ divinâ diſcere debeamus.

Hæc doctrina perneceſſaria eſt, ſine quâ Chriſtianiſmus noſter conſiſtere nequit. Qui enim ſeipſum procuraturus eſt,creatoris ſui obliviſcitur, Prov.12,1. nec credit Deum animo paterno in ſe affectũ eſſe, Pſ. 103.v.13. Obliviſcitur precationis,& quamvis oret,tamen ſine fide, & ita fruſtrà orat, Jac. 1. v. 6.

Obliviſcitur quoq; ſacræ ſynaxeos,terrena enim modò ſapit, Phil. 3.v.19. ideoq; oleum & opera in iis perditur. Nam qui volunt divites fieri,incidunt &c. 1.Tim. 6, 9.

Chriſtus Servator noſter, hîc à minore ad majus argumentatur, dicturus quaſi: Si pater cœleſtis paſcit volucres cœli,& veſtit lilia campi,ſine curâ & labore eorum: quidni magis vos paſceret? quidni magis vos veſtiret? O modicæ fidei! Nonne vos magis pluris eſtis illis?

Verè magis pluris ſumus illis! Volucres enim cœli & lilia campi Deus per nudum *fiat* creavit:Hominem verò creaturus, prius deliberationem inſtituit.

Præterea volucres cœli & lilia campi non ad imaginem Dei,nec ad vitam æternã condita ſunt, ut homines, Sap.2,23. Gen.1,26.

Quinimò, quod palmarium eſt, Deus hominibus filium ſuum miſit, qui magno nos emit, 1.Cor.6.v.19. quod volucribus cœli & liliis campi non contigit, nec neceſſe fuit.

Quotieſcunque igitur avem aut florem conſpicimus, reminiſcamur horum Chriſti verborum, ut ab iiſdem fiduciam in Deum diſcamus, ne nobis ruborem incutiant ratione diffidentiæ noſtræ. Scimus enim, Deum creatorem & patrem noſtrum eſſe, qui nos creavit, ideoq; & cor-

pus & vitam conſervare velle: canamus ergò cum Eccleſiâ:

Corculum meum quid angeris,
Dolebis & torqueberis
De temporalibus?
Confide tu Deo tuo,
Qui cuncta ſervat verbulo.
Te neſcit ille linquere
Non inſcius penuriæ,
Terræ, poli dives:
Meus parens, meus Deus,
Me ſublevans defectibus.

Warum betrübſtu dich mein Hertz/
Bekümmerſt dich und trägeſt Schmertz/
Nur um das zeitlich Gut!
Vertrau du deinem Herren Gott/
Der alle Ding erſchaffen hat.
Er kan und wil dich laſſen nicht/
Er weiß gar wol was dir gebricht/
Himmel und Erd iſt ſein/
Mein Vatter/und mein Herre Gott/
Der mir beyſteht in aller Noth.

De Secundo.

DIgrediemur nunc ad *alteram partem* Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti* contemplaturi. Hic nobis conſiderandus proponitur:

1. *Tanquam Mammoniſmi deteſtator*, ideo dicit: Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ.

Mammon, ut Hieronymus exponit, eſt Deus divitiarum, qui apud Gentiles Pluto appellatus fuit, quem omnes terræ theſauros in tutelâ ſuâ habere, opinati ſunt.

Qui igitur Mammonæ ſervit, & ita temporalibus cor apponit, ut obrizo dicat, fiducia mea, Job.31 v.24. Is Chriſti miniſter eſſe nequit. Radix enim omnium malorum eſt avaritia, 1.Tim.6. v.10. Ejusmodi homines plures faciunt aurum quàm Deum, χρ[illegible]σον quàm χριστὸν, inde etiam avari idolorum ſervi, Eph.5,5. & avaritia ſimulachrorum ſervitus dicitur, Col.3.v.5. quod contra primum præceptum eſt.

2. Sæpè pecuniâ incitantur, ut perjurio ſe obſtringant, aut veritatem Evangelicam abnegent, quod contra ſecundum Præceptum eſt.

3. Avari quoq; cultum divinum non magnoperè curant. Quia enim terrenis modò inhiant, ideò verbum & ſacramenta contemnunt, congregationem ſanctorum relinquunt. Quando, inquiunt, tranſibit menſis, & venundabimus frumenta, Amos.8,5.6. Imò licet in æde Dei appareant, tamen ſemper lucro & Mammonæ cor appoſitum habent. Sic à ſolicitudinibus, & divitiis & voluptatibus vitæ euntes, à ſpinis his ſuffocantur & non referunt fructum. Et hoc tertio præcepto contrarium eſt.

Avari in parentum pietatem peccant. Sæpe enim iisdem mortem imprecantur, quò argento eorundem fruantur, ut experientia probat. Quinimò inveniuntur, qui non tantùm Mammonæ detrahere audent, ut Parentes honeſtâ ſepulturâ terræ commendent. Quod quarto præcepto repugnat.

5. Sic etiam φιλαργυρία plerumq; ſecum trahit animum ſanguinarium, ut homo avarus proximi vitæ inſidietur, quo bonis ejusdem fruatur, ſicut Jeſebel Nabothum è medio ſuſtulit, quo vineâ ejus frueretur, 1. Reg.21,8.ſeqq. Sic ſemitæ omnis avari, animas ſociorum ſuorum rapiunt, Prov.1,19. Hoc quinto præcepto adverſatur.

6. Propter pecuniam ſæpè quis opulentam ducit uxorem, & hæc opulentum maritum, ubi pecunia dilapidata eſt, & amor exſpirat,

Digitized by Google

ſpirat, ibi rixæ & irreverentia & contemtus eſt, Sir. 25, 39. Nonnulli parētes propter lucrum filias proſtibula faciunt, quod expreſſè prohibuit Deus, Lev. 19, 29.

7. Avarus quoque fur eſt, qui ſacrilegia quoq; parvi æſtimat. Ut rectè dixerit Poëta:

Auri ſacra fames, quid non mortalia cogis
Pectora.

8. Avarum mendaciorum non pudet, modò lucrum iisdem ſibi acquirere poſſit, exemplo eſt Ziba, 1. Sam. 16, 1. ſeqq.

Summa: Propter pecuniam multi deliquerunt, & qui quærit locupletari, avertit oculum ſuum, Sir. 27, 1.

Quomodo igitur Chriſtus Mammonæ ſervum favore complecteretur? Potius illud Auguſtini locum habet: *Qui pecuniam appetit fidem perdit, qui aurum redigit, gratiam prodigit, lucrum in arcâ, damnum in conſcientiâ*, 1. Tim. 2, 19. Hab. 2, 6. 1. Cor. 6, 9.

II. *Tanquam juſtæ proportionis collator.* Ideò dicit: Quis veſtrum cogitans, poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?

In hiſtoriis præcellentes artifices inveniuntur, qui variis inventionibus commendantur. Nota ſunt Zeuxis, Apellis, Architæ aliorumq; inventa. Sed ubi reperiri poterit, qui ad ſtaturam hominis non dicam cubitum, ſed digitum ſaltem addere queat. Hoc ſolius Dei opus eſt, qui puſillum & magnum fecit, & æqualiter cura eſt illi, de omnibus, Sap. 6. v. 8.

Proinde quilibet ſtaturâ ſuâ contentus eſſe debet, quæ Deo ita placuit. Væ, qui contradicit fictori ſuo, Eſa. 45, 9.

Quamvis igitur magnitudini tuæ alios non adæques; tamen tam magnus es, qualem Deus te creavit. Non uni dat cuncta Deus, ſed diſtribuit bona ſua prout vult, 1. Cor. 12, 11.

Hunc corporis robore Deus inſtruit, velut Samſonem, Jud. 14. v. 5. 6. Alii corpus imbecille largitur, ſed ingenium excellens, & egregias animi dotes, ut Paulo, 2. Cor. 10. v. 10.

Filii Enac gigantes fuerunt, quibus alii comparati quaſi locuſtæ videbantur, Num. 13. v. ult. Contrà Zachæus puſillus ſtaturâ fuit, ut Chriſtum viſurus, in arborem Sycomorum adſcenderit, Luc. 19. v. 3. 4.

Quodſi igitur Deus tibi proceritatem & robur Giganteum non conceſſit, ſed in corpore tuo puſillo, animam ſapientiâ & fide præſtantem, omnis res ſalva eſt. Non enim perſonarum acceptor eſt Deus, Act. 10, 34.

Cum Propheta Samuel à Deo juſſus eſſet, quendam ex filiis Iſai in Regem ungere, & Eliab primogenitus ingrederetur, qui Samueli dignus videbatur, dixit Dominus ad eum: Ne reſpicias aſpectum ejus, neq; altitudinem ſtaturæ ejus. Cum verò David adduceretur, qui minimus natu & ſtaturâ erat, ait Dominus: Surge & unge eum, 1. Sam. 16. v. 6. 12.

Hinc perſpicimus, quod Deus non magnos, ſed pios intueatur. Impii verò improbantur ei, licet ſtaturâ ſuâ cœlum attingerent. Non enim in fortitudine equi voluptatem habet, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei, Pſal. 147. v. 10.

Fluit hinc

1. *Dehortatio*, ut quilibet ſtaturâ ſuâ, quâ à Deo inſtructus eſt, contentus ſit, nec aliam affectet, ne creatorem ſuum ad iram provocet.

2. *Conſolatio.* Virtus enim non quantitate, ſed qualitate æſtimatur. Ingens ille Goliath, à parvo Davide proſtratus eſt, 1. Sam. 17, 4. ſeqq. Sic:

A cane non magno ſæpè tenetur aper.

Hinc

Digitized by Google

Hinc Siracides: Non laudes virum in ſpecie ſuâ, Sir.11.v.1.

III. *Tanquam pietatis ante omnia ſectanda commendator.* Ideò Servator in fine Evangelii: Quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus, &c.

Per regnum Dei hîc non intelligitur *regnum potentiæ*, de quo Pſal.103.v.19. Pſal. 135.v.6. ſed 1. *Regnum gratiæ*, quod in eccleſiâ ſceptro verbi & ſacramentorum gubernat, Pſal.45.v.7. Regni hujus conſortes ſunt omnes veri Chriſtiani, qui propterea genus electum, Regale ſacerdotium, gens ſancta vocantur, 1.Petr.2.v.9.

Hoc regnum, ſicut non venit cum obſervatione, h.e. externâ pompâ, Luc.17,20. ſic etiam non eſt eſca & potus, ſed juſtitia, & pax & gaudium in Spiritu S. Rom. 14,18. 2. *Regnum gloriæ*, de quo Sap.5.v.16.17.

Eò igitur omni ſtudio contendere debemus, ut ſimus cives ſanctorum & domeſtici Dei, Eph.2,19. Sic tandem hæreditariò accipiemus paratum nobis regnum à conſtitutione mundi, Matth.25,34. & coronam vitæ reportabimus, Apoc.2.v.10.

Hîc magno ſtudio & contentione opus eſt, ideò dicit Chriſtus ζητεῖτε, & quidem *ante omnia*, hoc enim unicum eſt neceſſarium, Luc.10.v.ult.

Contrarium à multis ſubinde fit, Mich. 2.v.1. Ideò Servator ait: Lata porta, & ſpacioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, Matth.7.v.13.

Nos proinde contendamus intrare per anguſtam portam, Luc.13.v.24. cum metu & tremore ſalutem operemur, Phil.2.v.12. & præbeamus corda noſtra, & animas noſtras, ut quæramus Dominum Deum noſtrum, 1.Chron.23. v.19. ſic inveniemus eum, Deut.4.v.29. Et cum eo omnia, quibus quoad animam & corpus indigemus. *Cum Dei enim ſint omnia*, ubique Deum habens, ſimul habet omnia, ait Cyprianus. Et Aſſaph: Quid enim mihi eſt in cœlo? &c. Pſal.73.v.25.

Verè *petra cordis* noſtri in omnibus adverſitatibus. Niſi lex tua gaudium meum, Pſal.119.v.50.92. Verè quoque *pars noſtra*, primò *in vitâ*, eſt enim protector vitæ noſtræ, Pſ.27.1. Deinde *in morte*. Sive n. vivimus ſive morimur, Domini ſumus, Rom. 14,8. & tandẽ portio noſtra *in terrâ viventium*, in æternũ, Pſ.142,6. Largiatur id nobis Chriſtus Jeſus, benedictus in ſecula, Amen!

Dominica XVI. poſt Trinitatis.

Evangelium Luc.7.v.11.---17.

EXORDIUM.

DE Abrahamo refertur, quod ab Ephron Hethæo emerit *ſpeluncam duplicem*, quam habuit in extremâ parte agri ſui, in poſſeſſionem ſepulchri, quo Saram defunctam conderet, quadringentis ſiclis argenti, cum tamen aliàs non haberet hęreditatem in terrâ iſtâ, nec veſtigium pedis, Gen.23.v.16. Act.7.v.5.

Hoc *myſticè* intelligendum eſt.

Abraham non ignarus erat, ſe *hominem eſſe mortalem*, ideò emit hunc agrum, nón

modò

modò pro demortuâ conjuge ſuâ Sarâ, ſed hæreditariè in poſſeſſionem ſepulchri, pro ſe & poſteris ſuis, qui omnes ibidem ſepulti ſunt, ideò Jacobus morti vicinus, præcepit filiis ſuis: Ecce congregor ad populum meum: ſepelite me cum Patribus meis in ſpeluncâ duplici, quæ eſt in agro Ephron Hethæi, contra Mambre, in terra Canaan, quam emit Abraham cum agro, ab Ephron Hethæo, in poſſeſſionem ſepulchri. Ibi ſepelierunt eum & Saram uxorem ejus: ibi ſepultus eſt Iſaac cum Rebeccâ, conjuge ſuâ: ibi & Lea condita jacet, Gen. 49. verſ. 20. ſeqq.

Diſcamus ab Abrahamo, ut & nos mortalitatis noſtræ memores, in tempore *de Dormitorio* circumſpiciamus, in quo aliquando condi velimus.

Etſi enim Domini eſt terra, & plenitudo ejus orbis terrarum, Pſal. 24. v. 1. attamen plerumq; poſt mortem in eo loco, ubi noſtri conditi ſunt, ſepeliri commodum videtur, ſicut & Tobias ſenior filio ſuo mandavit, ut uxorem ſuam juxta ſe ſepeliret, Tob. 4. v. 5.

Imprimis non incommodas meditationes hoc in nobis excitat, quod ſpelunca hæc, quam Abraham in poſſeſſionem ſepulchri emit, *ſpelunca duplicitatis* vocatur.

Sine dubio ſic appellatur, quia *duo* habuit *oſtia: alterum per quod ingredi, alterum per quod egredi* potuerunt. Sic cœmiteria noſtra & tumulos, in quibus condimur, intueri debemus. Per unam enim ſpeluncam ſive oſtium intramus, per alteram verò exibimus, quando dicetur: Revertimini filii hominum, Pſal. 90. v. 3. Quamvis enim omnibus nobis ob peccata moriendum ſit: tamen non in ſepulchris manebimus, ſed prodibimus viciſſim ex iiſdem, non in ejusmodi infirmitate & fragilitate, quâ terræ mandati ſumus: verùm in angelicâ claritate & gloriâ. Seminatur enim in corruptione, & reſurget in incorruptione, 1. Cor. 15, 42.

Hujus rei multa *ſpecimina & exempla* habemus, tam in V. quàm in N. T. in iis, qui non modo à morte abrepti, ſed & à Prophetis, Chriſto & Apoſtolis reſuſcitati ſunt, in quorum numerum & juvenis Nainiticus meritò referendus eſt, de quo audimus in prælecto Evangelio, quod jam feretro impoſitus, in magnâ populi frequentiâ civitate elatus fuerit. Chriſto verò commodùm accedente, duellum quaſi ortum eſt inter vitam & mortem. Attamen vita palmam obtinuit. Mors enim cedere, & defunctum adoleſcentem è vinculis ſuis, quibus ipſum conſtrinxerat, dimittere cogebatur, ſicut pluribus ex Evangelio conſtat.

Nos abſque ulteriori præambulo ipſam Evangelii tractationem aggrediemur, ex eodem meditaturi:

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*
II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

Pii veteres, in quibus eſt ſapientia & prudentia, Hiob. 12, 22. profundas meditationes, ut aliis in rebus, ſic & quod mortalitatem noſtram concernit, nobis reliquerunt, ut inde occaſionem caperemus, identidem cum Regio Pſalte ſuſpirandi: Notum fac mihi, Domine, finem meum, & menſuram dierum meorum, quis ſit: ut ſciam, quod deſiturus ſim, Pſ. 39. v. 5.

Imprimis memoratu dignum eſt, quod Gr. Nyſſenis ſcribit, ſuper Græcis appellationibus, primi & ſecundi librorum Moſis.

 Quia

Quia enim primus inſcribitur, γένεσις & agit de principio & introitu hujus mundi, quomodo Deus omnia ex non apparentibus fecerit, Hebr. 11, 3. in ſapientia, Pſ. 104. v. 24. Secundus verò ἔξοδος, qui exitum Iſraëlitarum ex Ægypto memorat: applicat id illa ad hominem, qui nullam civitatem permanentem in hoc mundo habet, Hebr. 13. v. 14. ſed quando vix mundum ingreſſus eſt, ad exitum, ſe continuò parare. & ita omnibus momentis mortem expectare debet. Æquo enim pede domicilia omnium pulſat, tam divitum quàm pauperum, tam ſenum quàm juvenum, ubi enim in ſepulchrum ventum eſt, nihil refert, multosne, an paucos annos aliquis vixerit, Sir. 41, 7.

Exemplum habemus in *juvene Naimitico*, qui in ipſo ætatis flore, à morte abreptus fuit, ubi mater ejus ſibi ſpem fecerat, fore ſibi ſuſtentaculo & fulcro, in ſenectute ſuâ, nec minus ſolatium viduatûs.

Ad *notitiam noſtri*, ſi pervenire velimus, ſpectemus

1. *Adoleſcentem defunctum*, qui poſtquam ex ephebis exceſſit, in ipſo adoleſcentiæ virore, acerbiſſimo matris cum dolore, portis civitatis elatus eſt. Ubi de mortalitate noſtrâ commonemur, omnibus enim dictum eſt: Terra es, & in terram reverteris, Gen. 3. v. 19. Hic nemo exemtus eſt, omnes quicunque terræ munere veſcimur, ſive Reges ſive inopes ſimus coloni, hinc exire cogimur, ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, Hebr. 9. v. 27.

Philoſophi & Sophiſtæ
Theologi & Juriſtæ,
Medici & divites,
Ægroti & pauperes,
Domini & Subditi,
Infimi & Supremi,
Senes & Patres,
Infantes & Matres,
Excluſo prorſus nemine
Coguntur illuc ire.

Hic inſpiciant ſe juvenes & virgines, an etiam cogitent, ſe hodie adhuc, vel hoc ipſo momento à morte invadi & abripi poſſe?

Id paucis familiare eſt. Juvenes enim Baccho & Veneri litantes pro ſymbolo habent: Sit fortitudo noſtra lex injuſtitiæ, Sap. 2, 11. Virgines verò elevatæ ſunt, & ambulant extento collo, fucatis faciebus, eunt & plaudunt, & ambulant, & pedes ſuos ornant, Eſ. 3. v. 16. Sic parùm de mortalitate illi ſuâ cogitant.

Hæc *culpabilis eſt ſecuritas*, quam omnes veri Chriſtiani meritò fugere debent. Mors utique certa eſt, ſed hora mortis incerta. A mane enim uſque ad veſperam immutabitur tempus, Sir. 18, 26.

Multi ſiquidem ex improviſo morte abrepti ſunt, ut exempla probant. Multa cadunt inter calicem ſupremaq; labra, imò infantes in utero materno non immunes ſunt ab eadem. In ſepulchro enim jacent infantes, qui concepti non viderunt lucem, Job. 3. v. 16.

Quis igitur es, quod in juventute tuâ adeò confidis, quaſi cum morte fœdus, & cum inferno pactum inieris, & facis, quæ animo tuo libet? Memento, memento inquam, Adoleſcentis Nainitici, & alia mens tibi erit.

1. *Reſpectu annorum*; erat enim νεανίσκος, flos ipſe ætatis, qui matri baculus ſenectutis, & ſolatium vitæ fuit: Sed ex improviſo à morte demetitur, nec ullum in adoleſcentia patrocinium invenit. Hoc exemplū humilitatem & pietatem in te excitare debet. Propterea cogites, quod ſicut ejus judicium

dicium fuerit, ſic & tuum futurum ſit, Sir. 38. v. 23.

2. *Reſpectu morum.* Sine dubio enim filius frugi fuit, & bonæ ſpei, quia non modò mater ejus adeò largiter lacrymas profundit, ſed & tota civitas funus proſequitur: quin & Chriſtus miſericordiâ motus eſt, ut illum à mortuis reſuſcitaverit: nihilominus morti obnoxius fuit, & quidem ratione peccati, quod in renatis quoq; non planè exſtinguitur, ſed potius tegitur & remittitur, Pſal.32.v.1. ut in iis nulla condemnatio ſit, Rom.8.v.1.

Quid vobis igitur fiet, vos præfracti adoleſcentes! qui nullomodo huic juveni comparandi eſtis? an cenſetis mortem vobis parſuram eſſe? Quia in delitiis hujus mundi vivitis, jam tùm mortui eſtis viventes, 1. Tim.5.v.6. 1.Petr.2.v.11. Et quamvis perſvadeatis vobis, viam veſtram complanatam eſſe lapidibus, tamen in fine erit profunditas inferni, Sir.21.v.11.

3. *Reſpectu locorum.* Habitavit enim in oppido Nain, duodecim milliaribus, ab Hieroſolymis, loco peramœno, ubi aër ſalubris & terra frugifera fuit, unde etiam procul dubio Nain, i.e. amœni ſc. agri appellatum fuit; Præterea adhuc cum matre cohabitavit, quæ omni curatione ei præſtò fuit. Attamen mortuus eſt, eumq; neq; amœnitas loci, neq; amor matris, protegere potuit. Mors enim ubiq; penetrat, ut nullus murus adeò craſſus, nulla turris adeò alta, & nulla arx tam firma ſit, quâ reprimi poſſit: quinimò & ex improviſo per feneſtras adſcendit, Jer.9.v.21. & æquo pede pulſat pauperum tabernas Regumq; turres.

Omnem itaque animi torporem excutere debemus, recordantes verborum Senecæ: *Incertum eſt, quo te mors expectat loco, itaq; tu illam omni in loco expecta.* Si ethnicus hoc conſideravit, multò magis noſtrum erit, qui Chriſtiani ſumus, ut ſingulis momentis ad mortem nos præparemus, ſic nobis perinde erit, ubicunque locorum fuerimus, mori, ſiquidem & mors ipſa diligentibus in bonum cooperabitur, Rom.8.v.28.

II. *Exequialem pro eſſum.* Cum enim appropinquaret portæ civitatis, ecce, defunctus efferebatur, filius unicus matris ſuæ, & hæc vidua erat; & turba civitatis multa cum illâ.

Hæc laudabilis conſvetudo ſemper viguit in populo Dei, quod defunctos honeſtè terræ mandarint, & eorum exequias proſecuti fuerint, ideò Siracides ait: Fili, in mortem produc lacrymas, c.38. v.16. *Hoc viventium pariter, & mortuorum ſolatio inſervit. Viventium quidem*; Ut dolorem citius deponant, quando ſuos vident honeſtâ ſepulturâ per multorum comitatum honorari, ut bonum nomen illi relinquant, quod magis permanet. quàm mille theſauri precioſi & magni, Sir. 41, 15. *Mortuorum* verò, ut eò animoſius diem ſuum obeant, quia ſciunt, ſe non inſepultos abjectum iri, velut Rex Jojakim, Jer.22,19 ſed honeſtam ſepulturam potituros eſſe, porè parentes, conjuges, liberos, & alios amicos, qui ante ipſos mortem oppetierunt, ſicuti de Barſillai decrepito legimus, quod nihil magis deſideraverit, quàm ut moreretur in civitate ſuâ, & ſepeliretur juxta ſepulchrum patris ſui, & matris ſuæ, 2.Sam.19 v.37.

Hic teipſum velim examini ſubjicias, mi Chriſtiane! Utrum & ipſe cum aliis Chriſtianis libens in funus prodieris, & exequias eorum comitatu tuo cohoneſtaveris?

Hoc ultimum pietatis officium eſt, quod alter alteri exhibere poteſt, habetq; hinc hâc inſi-

inſignem utilitatem, ut ſimul mortalitatis ſuæ commoneatur. Hinc Salomo: Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii, Eccl. 7. v. 3.

Hîc verò locum habet illud Poëtæ:

Cum moritur dives, concurrunt undique cives,
Cum moritur pauper, veniunt vix unus & alter.

Nonnulli verò, licet hanc gratiam defuncto præſtent, tamen ex condolentiâ id non faciunt, ſed tantùm quia ita moris eſt: pauciſſimi verò cogitant, quod & ipſi hâc viâ ſuo tempore deducendi ſint. Alii luctui funebri intereſſe nolunt, dicentes, ut Xerxes ad Artabanum: *Omittamus iſta, neque triſtium rerum mentionem faciamus, cum lætiora præ manibus habeamus.*

Veri Chriſtiani libenter cum aliis Chriſtianis in funus prodeunt. Eſt enim

1. *Proceſſus neceſſarius.* Deus enim juſſit, quod flere debeamus cum flentibus, Rom. 12, 15. & charitatem, quæ nunquam excidit, 1. Cor. 13, 8 mortuo nõ prohibere, Sir. 7, 37.

2. *Proceſſus commodus.* Multi libentius ſectantur vinum & ſtudent calicibus epotandis, Prov. 23. v. 30. ſed melius eſt in domum luctus ire, ubi Memento mori diſcere poſſumus, qui enim memoratur noviſſima, in æternum non peccabit, Sir. 7. v. ult.

3. *Proceſſus laudandus.* Hîc enim nobis exempla ſanctorum prælucent. Joſephus exequiis paternis cum fratribus & totâ domo ſuâ interfuit, Gen. 50, 7. ſeqq.

David cum Abnero in funus prodiit, 2. Sam. 3, 31. Confer Matth. 9, 23. Joh. 11, 33. 38.

Hæc & alia hujusmodi exempla, & nos quoq; imitari debemus. Hîc enim quaſi ſpeculum habemus, in quo cernere poſſumus, quàm præclarum ſit, ſi in vita laudabiliter & præclarè te geras. Qui hoc enim facit, amorem ſibi plurimorum conciliat, ut poſt mortem frequentes in funus ſuum veniant; hoc ipſo verò pius Chriſtianus, eò magis ad honeſtam & piam vitam, & ergà Deum, & ergà proximum inflammatur. Impii enim indigni ſunt, qui honeſtâ ſepulturâ afficiantur, icciircò pii quoq; Chriſtiani hoc pietatis officium iisdem non præſtant, ſed ſinunt, ut mortui ſepeliant mortuos ſuos, Luc. 9, 60.

Icciircò quilibet rationem ſuam inſtituat, ut juſtè, temperanter, & piè vivat in hoc ſeculo, Tit. 2. v. 12. Sic memoria ejus cum laudibus erit, Prov. 10, 7. quilibet libenter funus ejus adjuvabit, & dicet. Væ frater, væ ſoror, Jer. 22, 18. quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te, 2. Sam. 18. v. ult. quia pater fuiſti pauperum, Job. 29. v. 16. & neceſſitatibus Sanctorum communicaſti, Rom. 12. v. 13. Hæc præclara laus eſt, quam quis honeſtè ſe gerendo, ſibi conciliare poteſt. Ampliſſima ex ore Chriſti audietur, quando dicturus eſt die noviſſimo: Eſurivi & dediſti mihi manducare, Matth. 25, 35. tunc laus erit unicuique à Deo, 1. Cor. 4, 5.

III. *Matris triſtiſſimæ ſtatum.* Erat enim vidua. Viduatus per ſe eſt ſtatus miſerrimus, maximè verò ubi malum uxorem attingit, ut marito ſuo privetur, & hoc ipſo in luctum & ſqualorem conjiciatur. Vir enim caput eſt mulieris, Eph. 5, 23. Quid v. corpus ſine capite? Nil niſi truncus omnib9 miſeriis expoſitus. Hinc Theknitis miſeriam ſuam complexura, ait ad Davidem: Heu vidua ſum! 2. Sam. 14, 5.

Interim tamen Deo gratæ & commendatæ ſunt, qui grave edictum promulgavit de non offendendo eas: Viduæ & pupillo non nocebitis, Exod. 22, 22. Deut. 27, 19.

Verum

Verum hoc de vere viduis intelligendum eſt, quæ in Deo ſperant, deſolatæ & irreprehenſibiles ſunt: cæteræ viventes mortuæ ſunt, 1. Tim. 5. v. 7. Nec patrocinium Dei ipſis ſperandum, Deus enim non eſt Deus mortuorum, ſed viventium, Matth. 22. v. 32.

Hic probent ſe viduæ, quomodo hactenus in ſtatu ſuo ſe geſſerint, & adhuc gerant, an in eo bonam conſcientiam ſervare, deque auxilio Chriſti certi eſſe poſſint?

Vidua in hodierno Evangelio, ſine dubio pia Matrona fuit, ſecus enim Chriſtus miſericordia ejus affectus non fuiſſet: neq; tot pii homines exequias filii ejus præſentia ſua decoraſſent. Ideoque in eam omnes Chriſtianæ matronæ, velut in ſpeculum intueri debent, ut ad ejusdem exemplum, viduatum ita ducant, ſicut verbo Dei conſentaneum, ſibi ipſis vero laudabile eſt.

Exempla in ſacris ſunt *Ruth*, Ruth. 3. v. 10, 11. *Judith*, 8. v. 8. *Hanna*, Luc. 2. verſ. 37. Quæ proinde viduæ adhuc hodie veſtigiis harum inſiſtent, eas non relinquet Chriſtus orphanas, Joh. 14. v. 18. ſed vult judex earum eſſe, Pſal. 68. v. 6. & cauſam earundem contra omnes offendentes illas, agere, Prov. 23. v. 11.

Sad tales viduæ raræ ſunt: plures reperiuntur, quæ otioſæ diſcunt circumire domos, non ſolum autem otioſe, ſed & verboſe & curioſe loquentes, quæ non oportet, ut à Paulo deſcribuntur, 1. Timoth. 5. verſ. 13. hæ Chriſto minus placent. Ideoque ſæpe mirabiliter puniuntur, ut famæ honeſtioris naufragium faciant, & licet ad ſecunda vota tranſeant, tamen ex juſto Dei judicio hoc ideo fit, ut prior maritus vindicetur. Sic verum fit Salomonis iſtud: Malum eſt, malum eſt, dicit poſſeſſor, & cum receſſerit, laudatur, Prov. 20. v. 14.

Matronæ igitur honeſtæ caveant, ne famæ ſuæ labeculam adſpergant, & ante omnia id operam dent, ut Chriſtum ſibi amicum retineant, is omnem mœrorem profligare poterit, quod & promiſit, Pſal. 55. v. 23.

De Secundo.

Accedemus nunc ad *alteram partem*, *χριστογνωσίαν*, ſive *notitiam Chriſti* conſideraturi. Hic nobis commendatur in præſente Evangelio:

I. *Tanquam opportunus auxiliator.* Hoc luculento exemplo hîc probat.

Adoleſcens Nainiticus ſine dubio dies aliquot ægrotavit, ibi Chriſtus accedere, eumque ſanitati reſtituere potuiſſet. Sed id non fecit. Cum moreretur jam, etiam ex judicio noſtro commodior adveniſſet, dum corpus adhuc calore præditum nondum rigeret: ſed non venit, donec funus porta civitatis efferretur. Interim tamen non nimis ſero, ſed juſto tempore advenit, & auxilium exhibuit, ut populus in amirationem raptus, cum gaudio exclamaverit: Propheta magnus ſurrexit in nobis & Deus viſitavit plebem ſuam.

Solatium hinc cape, mi Chriſtiane! quando afflictio tua indies augeſcit, & nusquam auxilium apparet, ut cauſam habeas Jeremiæ verbis querendi: Quare factus eſt dolor meus perpetuus? Jer. 15. v. 18. Dominus in tempore veniens veniet & non tardabit, Hab. 2. v. 3. Quia non repellet in ſempiternum Dominus, Thren. 3. verſ. 31. Non vero patitur ſibi præſcribi tempus, ſed quando õnia deſperata videntur, in inundatione

Digitized by Google

prætereunte; conſummationẽ faciet loci ejus, Nahum.1.v.8. Ideo vocatur, Adjutor in opportunitatibus, Pſal.98.v.10.

Cum Moſes *Iſraelitas* ex Ægypto eduxiſſet, ad mare rubrum quaſi inter ſacrum & ſaxum illi ſtabant, coram ſe mare cernentes, pone ſe Pharaonem cum exercitu adventurientem metuentes: Verum diviſit Deus mare, ut illi ſicco pede pertranſirent, Pharao vero cum exercitu ſuo in eodem ſuffocaretur, Exod.14.v.25.ſeqq.

Pari modo Deus *Aſſam Regem* ex anguſtiis ſuis liberavit, 2.Chron.14.v.9.ſeqq. Et *Hiskiam* à metu Sennacherib, Eſa.37. v.29.

Sic *tempus deſperationis*, *tempus ſalutis*, ideoque animum non abjiciamus: ſed in omnibus calamitatibus potenti huic Domino confidamus: Mutatio enim dexteræ Excelſi, Pſal.77,11. Viæ ejus paratæ ſunt, Judith.9.v.5.

II. *Tanquam optimus conſolator*. Hic audimus, quod mœſtiſſimam hanc viduam perhumaniter alloquatur, quando mors filii lacrymas ei exprimit, ut dicat: Noli flere!

Nos quoque ſolatio ejusmodi indigemus, mundus enim nihil aliud eſt, quam vallis lacrymarum, Pſal.80. v.6. ubi ſuper flumina tribulationum ſedemus, & flemus, Pſal.137.v.1. Et quemadmodum Gelimer, Sclavorum Rex, à Belliſario Imperatoris Juſtiniani Duce, in anguſtias redactus & obſeſſus, ut quomodo ſe liberaret neſciret, ad amicum quendam literas exaravit, ut ſibi panem, ſpongiam & lyram mitteret: panem, ut famem ſedaret; ſpongiam, ut lacrymas abſtergeret, & lyram, ut animi dolorem propelleret: ſic & nos imprimis ſpongia indigemus, ut lacrymas abſtergamus, quas quotidie profundere tenemur, in hac lacrymarum valle. In flagella enim parati ſumus Pſ.38,18. Et homo naſcitur ad laborem, ut avis ad volatum, Job.5.7.

Sed Chriſtus adhuc vivit, & veluti viduam hanc affatus eſt: Noli flere: ſic adhuc hodie omnes, qui cruce premuntur, efficaci conſolatione erigit, ne deſperemus, ſed fidentes ſimus in Deo, qui ſuſcitat mortuos, 2.Cor.1.v.9.

Confidite igitur *Chriſtiani Parentes!* quando per mortẽ liberis privamini, velut Hiob, c.1.v.19. Chriſtus ſolatio vobis dicit: Nolite flere, in requie enim requieſcũt, Sir. 18.v.24. Iam noviſtis, quòd in refrigerio ſint, ubi nec malitia intellectum eorum mutare, nec fictio animam eorundem decipere valet, Sap.4.v.11. Die noviſſimo recuperabitis eosdem, non infirmos aut mortuos: ſed in corporibus glorificatis, fulgentes ut Sol in regno patris eorum, Matth.13.v.43. Dan.12.v.3

Confidite, *derelictæ viduæ!* quæ per mortem conjugibus veſtris privatæ eſtis! Chriſtus & vos alloquitur: Nolite flere! quia ſaltem præmiſſi ſunt, quos vos ſuo tempore ſequamini. Intereà Dominus maritus veſter erit, Eſa 54.v.5. facietque vobis judicium, Deut.10.v.18. Cuſtodit enim advenas, pupillam, & viduam, Pſ.146.v.9.

Confidite, *pupilli & orphani!* qui in hoc mundo omnium prædæ & direptioni expoſiti eſtis, Eſa.10.v.2. Audite Jeſum dicentem: Nolite flere! Propterea in patientiâ cuſtodite animas veſtras, Luc.21.v.19. dicentes cum Davide: Pater & mater mea dereliquerunt me; Dominus autem aſſumſit me, Pſal. 27. verſ. 10.

Omnes in univerſum afflicti & ærumnoſi

Con-

Confidite! qui hoc in mundo pane lacrymarum cibamini, & lacrymis copioſe potamini, Pſal.80. v.6. Jeſus amice vos affatur: Nolite flere! usque ad ſenectam, & usque ad canos ego vos portabo, Eſ.46.

Hæc fiducia veſtra ſit, Dilecti! Mementote, Deum fidelem eſſe, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, 1.Cor. 10.v.13. Quoniam ira momentum, Pſal. 30.v.6. Hæ ſunt viciſſitudines, quibus Deus fideles ſuos mirificat, dum introducat eos in cœleſtem Hieroſolymã, ubi conſolabitur eosdem ut mater, Eſa 66.v.13. Et omnem lacrymam abſterget ab oculis eorum, Apoc.7.v.ult.

III. *Tanquam Triumphator.* Hujus hic præclarum habemus exemplum, ubi fit *occurſus vitæ & mortis*, dum ex urbe Nain mortuus effertur, illo ipſo momento, quo Dominus eam ingreſſurus eſt: Ideo opponit ſe ei, & duello confligit, tanquam Dominus, habens claves mortis & inferni, Apoc.1.v.18. De quo Eccleſia:

Cum morte vita certans,
  Mirum duellum geſſit:
At vita palmam portans,
  Mortis furorem preſſit.
Scriptum nunciavit,
Ut nex necem voravit,
  Mors in jocum nunc ceſſit.

Es war ein wunderlicher Krieg/
  Da Tod und Leben rungen.
Das Leben hie behielt den Sieg/
  Es hat den Tod verſchlungen.
Die Schrifft hat verkündet das/
Wie ein Tod den andern fraß/
  Ein Spott aus dem Tod iſt worden.

Dum enim modo loculum tetigit, & defuncto dixit: Adoleſcens, dico tibi ſurge, ex templo reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ.

Diabolus eſt *præpotens ſpiritus* & Princeps hujus mũdi, Eph.6.v.12. ſed tanta potentia non pollet, ut demortuum in vitam revocare poſſit. Quod enim per Pythoniſſam in Endor, cum Samuele peregit, præſtigiæ tantum fuerunt, 1. Sam.28. v.13. Animæ juſtorum in manu Dei ſunt, Sap.3.1. in eos nullam poteſtatem habet diabolus, non rapiet eas quisquam de manu mea, ait Servator, Joh.10.v.29.

Quando proinde diabolus perſonas dudum defunctorum repræſentat, non arbitrandum eſt, quod defuncti ipſi id ſint: ſed diabolus hoc ipſo hominibus ſuperſtitioſis glaucoma objicit, ut ſuperſtitionem eorum confirmet, & ſic in errore retineat.

Sed cum Chriſto nullæ præſtigiæ fuerunt: Verum quicquid fecit in diebus carnis ſuæ, mortuos reſuſcitando, & alia miracula patrando, id omne vere ita factum eſt. Propterea vocatur Dux vitæ, Act.3.v.14. qui ideo in mundum venit, ut deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, i.e. diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti, Heb.2.v.14.15.

Die noviſſimo tumulos noſtros aperiet, nosq; populum ſuum ex iis educet, Ez.37. v.12. Venit enim hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, &c. Joh.5 v.28.29.

Dicant igitur Sadducæi, dicant Epicuræi, quicquid velint: Tu vera fide amplectere Servatorem tuum, qui juvenem Nainiticum reſuſcitavit: hinc neque te ſepulchro relinquet: ſed die ultimo cum Majeſtate reducet, transfiguraturus corpus humilitatis tuæ, configuratum corpori claritatis ſuæ, ſecundum operationem virtu-

Digitized by Google

Virtutis ſuæ, qua etiam poteſt ſibi ſubjicere omnia, Phil. 3. verſ. ult. Huic itaque mane & veſperi te commenda, devote orans:

Servator, angelos jube
Ut ſpiritum in ſinum Abrahæ,
Agone mortis portent:
Ut oſſa dormitorio
Lædente nullo incommodo
Magnum ad diem dormitent.
Tum morte me reſuſcita,
Ut clara cernant lumina,
In gaudio, benigne te
Servator, & fons gratiæ,
Tu pronus aures applica,
Laudabo te per ſecula.

Ach HErr laß dein lieb Engelein
Am letzten End die Seele mein
In Abrahams Schooß tragen.
Den Leib in ſeinm Schlafkämmerlein/
Gar ſanft ohn einge Quaal und Pein
Ruhn biß am Jüngſten Tage.
Alsdenn vom Tod erwecke mich/
Daß meine Augen ſehen dich.
In aller Freud O Gottes Sohn/
Mein Heyland und Genaden-Thron/
HErr Jeſu Chriſt erhöre mich/
Ich wil dich preiſſen ewiglich.

Dominica XVII. poſt Trinitatis.

Evangelium Luc. 14. v. 1. --- 11.

EXORDIUM.

Vidit olim Nebucadnezar per ſomnium ſtatuam magnam & ſplêdidam valde, cujus *caput ex auro optimo* erat, at pedum quædam pars erat *ferrea*, quædam autem *fictilis*. Poſtremo abſciſſus eſt *lapis* de monte ſine manibus: & percuſſit ſtatuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Dan. 2. v. 31. & ſeqq.

Quid Deus per hanc ſtatuam Nebucadnezari ſignificare voluerit, id Daniel dicto loco pluribus expoſuit: nimirum quatuor Monarchias & Imperia mundi, quomodo per ultimum Chriſti adventum, plane comminuenda & deſitura ſint. Sed juxta illam ſignificationem etiam delineatio eſſe poteſt hypocritarum, qui mera *verba aurea* fundunt, dicentes: comede & bibe, quorum mens non eſt tecum, Prov. 23 v. 7. ſed in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis, ut de Simone mago dicitur, Act. 8. v. 23. potant enim proximum ſuum, & inebriant, ut videant nuditatem ejus, Habac. 2. v. 15. Ideoque *pedes* eorum obſervandi ſunt, quorum pars quædam ferrea, quædam autem fictilis eſt, & apparebit, *facta cum verbis* non conſentire: ſed ſunt homines δίψυχοι, & monſtra hominum, qui quaſi geminum cor habent, & duplicem animum Jac. 1. v. 8. altero bonum, altero malum meditantur. Idcirco ratione illorum nos commonet Salomo, ut caveamus ab ipſis, quando

do, inquiens, gratioſam fecerit vocem ſuam, ne credideris ei: quoniam ſeptem abominationes ſunt in corde illius. Prov. 26. v. 25.

Exemplum habemus in *Principe Phariſæorum* prælecti Evangelii: qui Chriſtum Servatorem, animo ut videri volebat, amico ad cœnam invitavit: ſed anguis in herba latuit: obſervabant enim eum, ut Evangeliſta memorat. Hoc eſt, id ſtudebant, ut ex Chriſti verbis & operibus quicquam exciperent, quo ipſi periculum ſtruerent.

Id non latuit Servatorem: ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine, Joh. 2. verſ. v. ult. Attamen ad *convivium hoc hypocriticum* apparuit, eosque adeo in inſidiis ſuis confudit, ut nullo verbo reſpondere potuerint: ſicuti *lapis de monte ſine manibus abſciſſus, ſtatuam Nebucadnezari viſam plane comminuit.* Non enim eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum, Prov. 21. v. 30.

Nos absque ulteriori præloquio ad ipſam Evangelii tractationem accedemus, pro inſtituti noſtri ratione, ex eodem meditaturi:

I. Ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.
Exegeſis.

Haud inconcinne Phariſæi & Scribæ à Chriſto, ejusque præcurſore Baptiſta, progenies viperarum appellantur, Matt. 3. v. 7. 12. v. 34. c. 23. v. 33.

Quemadmodum enim *viperæ maxime venenatæ* ſunt, & quando in herba latent, facile ictu ſuo hominem lædere poſſunt: ſic illi acuerunt linguas ſuas, ſicut ſerpentes: venenum aſpidum ſub labiis eorum, Pſal. 140. v. 4. ſimularunt ſe quam maxime probos eſſe: ſed data occaſione, uno impetu venenum ſuum effuderunt, ſicut hic in Chriſto luculentum exemplum habemus.

Sicut autem *prudens Medicus & Pharmacopola ex aſpidibus venenatis ſaluberrimum alexipharmacum conficit*, velut quoq; ad theriacam conficiendam adhibentur, ſive baſis Theriacæ ſunt, ſine quibus illa parari nequit, ut Galenus indicat.

Sic & Chriſtus experientiſſimus ille Sanator, Exod. 15. v. ult. technas Phariſæorum ad bonum finem direxit, ut hydropicum ille ſanaverit, ejusque *concio convivalis*, quam occaſione hujus epuli habuit, informationi noſtræ adhuc hodie inſerviat.

Occaſionem ad *notitiam noſtri* diſcendam, præbet nobis prælectum Evangelium, ſi ſpectemus:

I. *Phariſaicum convivium.* Accidit enim, cum introiiſſet Jeſus in domum cujusdam Principis Phariſæorum, ſabbatho manducare panem.

In hoc convivio invenitur.

I. *Aliquid laudabile.* Convivia enim inſtruere, neque Deo, neque verbo ejusdem repugnat. Ideoque in ſingulari benedictione habetur, quando Deus fertilitatem & pacem largitur, ut amicus amicum ſuum ſubter vineam & ſubter ficum vocare poſſit, Zach. 3. v. 10. Imprimis vero *hoc in Phariſæo laudem meretur, quod nullos dapſiles ſumtus fecerit*: ſed parce; ſiquidem Evangeliſta refert, quod Chriſtus venerit in domum ejus, ad manducandum panem. Etſi autem ſcripturæ familiare eſt, ut per panem Synechdochice totum epulum indigitet, 2. Sam. 9. v. 2. attamen hoc ipſo αὐτάρκεια reſpicitur, ne luxui indulgeamus, ſed temperamenta ſumtuum adhibeamus, præci-

puum vitæ hominis aqua & panis, Sir. 29. v. 28.

2. *Aliquid culpabile.* Non enim animo ſincero, ſed ideo Chriſtum invitaverat, ut ipſi periculum concinnaret, ideo dicit Evangeliſta: ἦσαν παρατηρούμενοι αὐτόν, an ex verbis ejus quicquam excipere poſſint, quo eum in diſcrimen adducerent.

Olim convivia eo fine parata ſunt, ut in iisdem amicitia vel nova iniretur, vel vetus confirmaretur, ideo omnia ſub roſa peragebantur, ſicut imprimis Spartanis in uſu fuit, ut convivas ad fores duxerint, & dixerint: Hac non egrediatur ſermo. Quo collineare quoque videtur Horatius, inquiens:

-- Ne fidos inter amicos
Sit, qui dicta foras eliminet.

Sed hic Phariſæus cum conſortibus ſuis non ideo Chriſtum invitaverat, ut amicitiam cum eo facerent: ſed ut eum in ſermone caperent, & periculo exponerent. Hic fuit panis mendacii, quem quilibet abhorrere debet Prov. 23. v. 4.

Hic proba te, mi Chriſtiane! an profuſas epulas adornaveris, & quo animo convivas invitaveris?

Hic audimus Chriſtum in domo Principis Phariſæorum convivio exceptum, qui ſine dubio opibus valuit, idemque ſine detrimento facere potuit.

Idipſum vero adhuc hodie licitum eſt, iis, qui facultate hac pollent. Splendidum in panibus benedicent labia multorum, Sir. 31. v. 28.

Vitetur autem:

1. *Frequentia.* Verum enim eſt illud Matheſii: *Feſta Martini ſæpius iterata, conſumunt anſeres & prata.* Tandem ſequitur penuria. Qui diligit voluptates, in egeſtate erit, Prov. 21. v. 17.

2. *Luxuria: Si boni ſunt, quos invitaſti, ſatis erit: ſi mali, plus ſatis, dixit* Socrates:

Si dat oluſcula
Menſa munuſcula
Pace quieta:
Non pete grandia,
Lautaque prandia
Lite repleta.

Hoc eſt, uti Salomo explicat: Melius eſt, parum cum timore Domini. Prov. 15. v. 17.

3. *Perfidia.* Ne idem accidat quod Chriſto à Principe Phariſæorum. Hac intentione Saul quoque Davidem invitavit, 1. Sam. 18. v. 21. c. 19. v. 10.

Ejuſmodi convivia hodie adhuc inſtruuntur, ut recte dixerit Poeta:

-- Non hoſpes ab hoſpite tutus.
Mel in ore, verba lactis.
Fel in corde, fraus in factis.

Regius Pſaltes ita eos delineavit: Blandiores ſunt ore ſuo, quam butyrum: molliores ſunt ſermones ejus oleo, & ipſi ſunt jacula gladii, Pſal. 55. v. 22.

Hi male feriati ſunt: & quia in converſatione eorum periculo expoſiti ſumus, apprime nobis cavendum eſt, ut prudentes ſimus velut ſerpentes, Matth. 10. v. 6. cum Davide orantes: Ne trahas me cum peccatoribus. Pſal. 128. v. 3.

Imprimis caveamus, ne & nos colubrino ejusmodi ingenio ſimus. Odit enim omnes qui operantur iniquitatem Dominus. Pſal. 5. v. 7. Pſal. 55. v. 24.

II. *Præſentem hydropicum.* Et ecce, homo quidam hydropicus erat ante illum. Cyrillus, hunc hydropicum ſtudio per Phariſæos in inſidiis locatum, & in ædes Phariſæi hujus introductum fuiſſe, eo fine, ut

Chri-

Chriſtus per ipſum periclitaretur, autumat. Quod veritati maxime conſentaneum eſt, ſecus enim domum principis Phariſæorum introire ei non licuiſſet. Opulentiores enim facile ex adſpectu ægrotorum nauſeam capere poſſunt. Quia igitur nemo præſentiam ejus improbat, hinc facile conſtat, quod data opera eum adduxerint, non dubitantes, quin Chriſtus pro conſueto more eum ſanaturus, & ſic ſabbathum, ut ipſi quidem opinabantur, violaturus eſſet.

Quicquid hujus ſit, in convivio hoc *hydropicum* præſto fuiſſe, audimus, qui ita intumuit, ut vix ſpiritum ducere, & gradum promovere potuerit, ut experientia in ejusmodi hominibus teſtatur.

Hoc exemplum attentius nobis conſiderandum eſt. Quodſi enim probe rem perpenderimus, *hydropico huic non diſſimiles ſumus propter peccatum*, quod velut aquam bibimus. Job. 15. v. 16. Gen. 6. v. 5. Rom 7. v. 21.

Medici *tres hydropis ſpecies* numerant, quæ ſunt, *anaſarca, Tympanites, Aſcites. Anaſarca* hydrops eſt, per totum corpus diffuſus. Hoc ipſo *peccatum originale* intelligi poteſt, quod in omnibus membris militat, Jac. 4 v. 1. ut quilibet queri opus habeat cum Paulo: Scio quod in me, hoc eſt in carne mea, &c. Rom. 7. v. 18. 24.

Tympanites conſtat ex flatibus, & ventrem inflat, ut pulſatus, inſtar tympani ſonum edat. Hæc imago eſt *peccatorum actualium*, quæ per opera mala ſe exerunt, & hominem ducunt ab iniquitate ad iniquitatem, Rom. 6. v. 19.

Quodſi fit, ut ejusmodi homo malleo legis feriatur, quæ quaſi malleus conterit petrá, Jer. 23. v. 29. nihili id facit, ſed contradicit, Tit. 2. v. 9. dicens cum auditoribus Jeremiæ: Sermonem, quem locutus eſt ad nos &c. Jer. 44. v. 16. Huc pertinent ebrioſi, φιλάργυροι, libidinoſi, ſanguinolenti, ambitioſi, & id genus alii, qui in peccatis contra conſcientiam viventes reverti nolunt, Jer. 5. v. 3. ſed converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens, ad prælium, Jer. 8 v. 6.

Aſcites ventre & cruribus conſpicitur, reliqua vero membra tabeſcunt, ut præter cutem & oſſa vix quicquam appareat. Hoc *renatis* applicari poteſt, in quibus reliquiæ peccatorum hærent, non vero regnari patiuntur in mortali ſuo corpore, Rom. 6, 12. ſed crucifigunt carnem ſuam cum concupiſcentiis, Gal. 5. v. 24. ut ipſis inſerviat, πρὸς ἄσκησιν, ad exercitium pœnitentiæ, ſpei invocationis, e. ſ. u.

Proinde non leviter hoc exiſtimemus, ſed probe perpendamus internam hanc noſtram corruptionem, qua ita perditi ſumus, ut à planta pedis usque ad verticem in nobis nulla ſanitas, Eſa. 1. v. 6.

Hydrops omnes internas animi & corporis vires enervat, ut homo vocationi ſuæ præeſſe non poſſit: ita per peccata in hanc miſeriam devenimus, ut animalis homo non percipiat ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, 1. Cor. 2. v. 14.

Hydrops homini edendi appetitum auffert, & facit, ut cibum digerere non poſſit: Sic liberum noſtrum arbitrium per peccata adeo corruptum eſt, ut tædio afficiamur ſpiritualis cibi, verbi Dei, & ſacramentorum: & ſi illis utamur, non digne præparemus nos, ut ſic utrumq; in damnationem nobis cedat. Joh. 15. v. 6. 1. Cor. 11. v. 29.

Hydrops hominem fœdi aſpectus facit, ut ſeipſum ſæpe non agnoſcat: Sic & nos peccatum in oculis Dei deformat, dum imagi-

maginem Dei, ad quam primitus creati ſumus, in nobis exſtinguit, & contra in larvam ſatanæ nos transmutat, ut hic locum habeat, illud Jeremiæ: Candidiores Nazaræi ejus nive, &c. Thren. 4. v. 7.

Hydrops oritur à debili hepate, & corrupto ſtomacho, quo concoctio impeditur, ut omne nutrimentum in aquoſam ſalſuginem abeat: Sic ubi ſpiritualis hydrops invaluit, verbum Dei, animæ cibus, parum prodeſt, & fit odor mortis in mortem, 2. Cor. 2. v. 6. Sir. 11. v. 33.

Hydrops indies incrementa capit, & degenerat ex una ſpecie in aliam, donec certa mors ſequatur: Sic & unum peccatum ex alio originem trahit. Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum. Jac. 1. v. 15.

Hydrops eos, qui illo infecti ſunt, licet morti vicini ſint, *vana ſpe lactat*, quod reconvaleſcere poſſint. Sic impios non fugit, peccati ſtipendium eſſe mortem, Rom. 6. v. ult. attamen ſecuri dicunt: Neque ab oriente neque ab occidente, neque à deſertis montibus malum veniet, Pſal. 75. v. 7. Sed repentinus eis ſuperveniet interitus, 1. Theſſ. 5. v. 3. & ſicut ceciderit lignum, ſive ad auſtrum, aut ad aquilonem, ibi jacebit, Eccl. 11. v. 3.

Quia igitur tantæ miſeriæ ſubjecti ſumus, Dilecti! ad Chriſtum properabimus, ſeria pœnitentia opem ejusdem implorantes: ſic præpotenti dextera ſua nos prehendet, ut ſanemur & æternum ſalvemur. Eſt enim Magiſter ſanationum, Eſa. 63. verſ. 1. De quo omnes Prophetæ teſtimonium perhibent. Act. 10. v. 43.

III. *Problema ſabbathicum.* Quamprimum enim Chriſtus hydropicum conſpexit, conturbata ſunt viſcera ejus ſuper eum. Quia vero probe cognoſcebat, quod Pharisæi ſe obſervarent; interrogat eos: an liceat ſabbatho ſanare? At illi, ne à Chriſto in ruborem conjicerentur, tacuerunt.

Hæc *quæſtio magni momenti* eſt. Sabbathum enim Deus ſtatim poſt creationem deſtinatè ordinavit, requievit enim die ſeptimo, ab univerſo opere, quod patrarat. Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum, Gen. 2. v. 2. Poſtea ubi in monte Sinai legem ſuam promulgavit, emphaticis his verbis uſus legitur: Memento, ut diem ſabbathi ſanctifices, Exod. 20, 8.

Id apud Judæos adeò rigorosè obſervatum fuit, ut rebus manuariis omnibus ſepoſitis, unicè cultui divino vacaverint. Non licuit ipſis arare & metere, Exod. 34, 21. non licuit ignem ſuccendere in habitaculis ſuis, Exod. 35. v. 3. non licuit pondera portare, Jer. 12. v. 21. Non licuit emere & vendere, Nehem. 10. v. 31. non licuit ligna colligere, Num. 15. v. 32. *Hoc reſpectu non immeritò quærit Dominus: an licet ſabbatho ſanare?* Facit autem id ideò, ut occaſione potiatur, verum ſabbathi uſum adverſariis ſuis commonſtrandi.

Hoc ipſo igitur Chriſtus quemlibet noſtrûm ad notitiam ſui revocat, & ut quilibet ſeipſum ſcrutetur, jubet.

Licetne ſabbatho panem & cereviſiam coquere? pecudes mactare? nundinas frequentare, emere & vendere? laborare & iter facere? cauponam adire, & vino ſe ingurgitare? aleâ & chartâ luſoriâ tempus terere? &c.

Non dubito, quin in conſcientiâ convictus, confiteri tenearis: non licet. Quare igitur ſabbathum adeò malitiosè prophanas? Neque verò exiſtimandum, quia Apoſtoli ſeptimum diem, in primum ſeptimanæ diem transtulerunt, præcipuè hanc

ob cauſam, quia ſervator noſter eo ipſo à mortuis reſurrexit, unde etiam ἡμέρα κυριακὴ appellatur, Act.1. v.10. hoc ipſo tertium quoq; præceptum ſublatum,& ſanctificationem ſabbathi deſiiſſe.

Hoc eſſet libertatem Chriſtianam quaſi velamen malitiæ habere,1.Petr.2. Quamvis enim Ceremoniale illud Chriſtus abrogaverit, ut non præcisè diei ſeptimo velut Judæi adſtricti ſimus, & opera neceſſitatis exantiare poſſimus, quæ & hic Chriſtus concedit: Attamen hoc Morale manet, quod ſabbathum ſanctificare,cultui divino vacare, & omnia horum impedimenta è medio tollere debeamus. Qui hoc non facit,adverſus tertium præceptum peccat, & juſtiſſimam Dei pœnam incurrit, de quâ Deus: Si non audieritis me, ut ſanctificetis diem ſabbathi,ſuccendam ignem in portis, Jer.17.v.ult. Quis hic ignis? Ignis belli,qui ad perditionem devorat, Job.31.v.12. Id Judæi experti ſunt,quos ideò Deus in captivitatem Babylonicam abduci voluit, quia ſabbathum prophanarunt.Quia enim tempore pacis feriari nolebant, & dicebant: Quando tranſibit menſis, & venundabimus frumenta? Amos.8. v.5.Deus Regem Babylonis ipſis immittebat, qui ipſos in captivitatem abducebat, donec celebraret terra ſabbatha ſua, 2.Paral.36.v.21. Tandem ſuccedet ignis infernalis, Apoc.14,11.

Nos proinde ſabbathum,ut decet ſanctificabimus,ſic felicitas ſequetur nos. Cuſtodite ſabbatha mea, inquit Dominus, & parete ad ſanctuarium meum, Levit.26.v.4. Eſa.56.v.4.5. Imò tandem eò nos transferet,ubi nulla inquietudo, hydrops & mors nulla erit,ſed ſabbathum ex ſabbatho, Eſa. 66. v.23.

De Secundo.

DIgrediemur nunc ad *alteram partem*, χριστογνωσίαν ſive *notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti*, meditaturi. Hic nobis commendatur:

I. *Tanquam honeſtorum conviviorum approbator.* Introit enim in domum cujusdam Principis Phariſæorum,manducare panem.

Quodſi igitur peccatum & contra Dei legem foret convivia apparare, aut ea accedere,Chriſtus iis non interfuiſſet, qui Sanctus Sanctorum eſt,Dan.9. v.24.

Verum non tantum ante incarnationem ſuam Abrahami conviva fuit,in forma Angeli,Gen.18.v.8.ſed in diebus quoque carnis ſuæ invitatus, præſentiam ſuam non ſubtraxit. Sic haud invitus adfuit Matthæo, Matth.9.v.10. Zachæo,Luc.19.v.6. Lazaro & ſororibus ejus,Luc.10.v.19.& imprimis in nuptiis Cananæis, Joh.2.v.2.

Hinc apparet, eum *verum & naturalem hominem eſſe*,qui nobis,fratribus ſuis,per omnia aſſimilatus fuerit, excepto peccato, Hebr. 2. v. 17. Ideoque *converſationem humanam non abhorruit*,ſed gaviſus eſt cum gaudentibus,Rom.12.v.15.Sicut & expreſſe ait:Deliciæ meæ cum filiis hominum,Prov. 8.v.31.

Hanc φιλανθρωπίαν ejus, & nos imitemur. Homo eſt animal ſociale,ait Ariſtoteles,ideoque ſui ſimilem appetit, & ab honeſtis invitatus,paret, & in timore Dei eſt illi gloriatio,Sir.19,23. Tempus enim eſt flendi,& tempus ridendi, Eccleſ.3.v.4.

Arſenius fuerat Imperatoris Theodoſii Præceptor, tandem à conſortio hominum receſſit,factus Anachoreta. Comperiens id Theophilus Epiſcopus Alexandriæ,aſſum-

to amico, perſvadere ei volebat, ut ſe rurſum in civitatem reciperet. Sed eminus ipſis viſis ille clamabat: Præcipio vobis, ut ubicunque me morari audieritis, illuc non accedatis. Quinimò cum Marcus Abbas quidam illum fortuitò offenderet, & interrogaret, cur penitus hominum commercium fugeret? Reſpondit: Cum Deo & hominibus ſimul eſſe non poſſum. Et ſic in propoſito ſuo perſeveravit.

Id Chriſtus non fecit, ſed potius amicè & humaniter cum hominibus converſatus eſt. Hinc ait: Nunquid poſſunt filii ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus? Matt. 9. v. 15.

Veteres dixerunt: Homo ſolitarius, aut Deus, aut Angelus, aut beſtia, aut Diabolus eſt. Propterea minus probamus, ſi quis planè ſegregem agat. Væ ſoli, quia cum ceciderit, non habet ſublevantem ſe, Eccleſ. 4. v. 10.

II. *Tanquam cultus Sabbathici reſtaurator.* Phariſæi opinabantur, ſabbathum ſanctificari, ſi operibus abſtinerent, & otio indulgerent. Hinc illud crapulâ & ebrietate variisq; deliciis prophanarunt, ut Gentiles hinc offendiculum capientes, putarent, Sabbathum derivari à Sabbo, h. e. Baccho, quia videbant, Judæos plus idolo huic quàm Deo viventi ſabbatho ſervire. Hinc Auguſtinus ſcribit: Si mulieres Judaicæ nihil aliud ſabbatho agere vellent, quàm choreas agere, & voluptatibus indulgere, rectius facerent, ſi fila ducerent, hoc enim inter hæc duo mala minimũ eſſe.

Maxima pars Chriſtianorum in eâdem ferè perſuaſione eſt, ſabbathum ſanctificari, ſi eleganti veſte nos ornemus, delicatè & opiparè vivamus, deambulatum eamus, & jocos agamus. Imò, quod deplorandum eſt, omnis generis flagitiis ſanctiſſimus dies prophanatur, quæ diebus profeſtis perpetrari non poſſunt, ut non immeritò deteſtationem ſuam conteſtaturus, Deus ingeminet: Abominor feſtivitates veſtras, & non capiam odorem cœtuum veſtrorum, Amos. 5. v. 21.

Sed in prælecto Evangelio oſtendit nobis exemplo ſuo Servator, quomodo ſabbathum dextrè ſanctificare debeamus, nempe *per opera pietatis & charitatis.* Habet enim egregium ſermonem convivalem, & docet Phariſæos non modò, in quo vera ſabbathi ſanctificatio conſiſtat: ſed & quomodo ambitionem fugere, & humilitati ſtudere debeant. Hæc moralia decebant feſtivitatem ſabbathi. Sic & nos ſabbathum meditatione verbi divini peragere, & domeſticos noſtros in verbo Dei informare debemus, ad exemplum Abrahami, Gen. 18. v. 19. David, Pſ. 34, 12. Col. 3, 16.

Deinde Chriſtus quoq; ſanat hydropicũ, eoq; indicat, quod opera caritatis ſabbatho exercere, & ſanctorum neceſſitatibus communicare debeamus, Rom. 12, 13.

Id fit, quando infirmos, orphanos & viduas viſitamus in tribulatione eorum, Jac. 1. v. ult. & manum indigentibus aperimus, & pro virili ad cultum Dei conferimus. Ideò Deus juſſit, ne Judæi vacui coram ſe apparerent, Deut. 16. v. ult. ſed afferrent munuſcula ſua, quibus cultus Dei promoveretur, & pauperes ſuſtentarentur. Sic nobis quoq; dictum eſto. Frange eſurienti panem, Eſa. 58. v. 7. 8.

Tertiò quoque concedit Dominus *Opera neceſſitatis*, quando exemplum adfert, de bove & aſino in puteum cadentibus, die ſabbathi, & dicit licitum eſſe, ut extrahantur eodem die.

Sic

Sic parturientibus ſubvenire, incendium reſtinguere, impetum hoſtium reprimere, & ejusmodi neceſſitatis opera die ſabbathi peragere conceſſum eſt. Neceſſitas enim ſine lege! quin ex ipſo templo abire & ab altari recedere poſſumus.& neceſſitati ſubvenire. Vide 1.Macc.2.v.32. ſeqq. 1.Macc. 9.v.43.

III. Tanquam civilitatis commendator. Phariſæos enim primos accubitus eligentes in civilitatem morum ablegat, iisq́; hanc regulam convivalem præſcribit, quæ non modò ipſis, ſed & nobis hodie adhuc obſervanda eſt: Cum invitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, &c.

Hæc *inſtructio pernecеſſaria* eſt, ideoque nobis inſtructioni eſſe debet. Neque enim facimus cum *Anabaptiſtis*, qui *omnes honoris gradus improbant*, & nullum omnium Chriſtianorum diſcrimen admittunt, rati, fidem perſonarum acceptionem non habere, Jac. 2. v. 1. quod quidem in regno Chriſti locum habet, quantum ad ſpiritualia bona attinet: Hic ſanè non eſt ſervus, neq; liber, non maſculus, neq; fœmina. Omnes enim unum ſunt in Chriſto Jeſu, Gal. 3. v. 28. Unus Dominus, una fides, unum baptiſma. Unus Deus & pater omnium, Eph. 4. v. 5.

Sed *in vita & converſatione externa*, nonnulli ſunt τιμιότεροι honoratiores, ut Chriſtus hîc ait, ideoq; æqvum eſt, ut prærogativam habeant, & ratione officii, ætatis & artis præ aliis emineant, & honore afficiantur, juxta illud: cui honorem, honorem, Rom. 13. v. 7.

Deus noſter non eſt Deus confuſionis, ſed pacis, 1. Cor. 14. v. 33. ideoq; *chaos illud informe*, in qvo omnia elementa confusè permixta erant, in ordinem redegit, & intra ſex dies hunc κόσμον κόσμιον ex eodem produxit. Hinc David: Quam magnificata ſunt opera tua Domine, Pſ. 103, 24.

Intuemini *cælum*: Nonne Deus lumina quæ in eo apparent, unum præ alio exaltavit? Sol quaſi Rex in medio Planetarum verſatur: Luna quaſi Regina eſt, quæ à reliquis ſtellis juſto ordine, velut à famulis ſuis deducitur. Hinc Paulus: Alia claritas eſt Solis, alia claritas lunæ, 1. Cor. 15, 40.

Conſiderate *ordinem, qui eſt inter ſanctos Angelos*, quorum quidam ſunt Archangeli, quidam throni ſive dominationes, quidam principatus, ſive poteſtates, Col. 1. v. 16. Inſpicite ipſum corpus veſtrum, quàm mirabiliter factum ſit, Pſal. 139, 14. Caput principem locum obtinet, pedes verò inferiorem, nec tamen caput dicere poteſt pedibus, non eſtis mihi neceſſarii, 1. Cor. 12. verſ. 21.

Sic ipſe in *Politiâ Judaicâ* ordinavit ſeptuaginta Seniores, duodecim Principes, nec non judices, Reges, Præfectos & ejusmodi, & ſupra vulgum evexit, ſicut adhuc hodiè non eſt poteſtas, niſi à Deo, Rom. 13. v. 1. Ideoq; ipſa æquitas naturalis requirit, ut inferiores ſuperioribus reverentiam exhibeant. Id quod & Apoſtolus mandat, Rom. 12. v. 10. 1. Petr. 2. v. 16. Omnia enim honeſtè & ſecundum ordinem fieri debent, 1. Cor. 14. v. ult. Et *ignominiæ nota* eſt, quando puer ſuperbit contra ſenem, & homo inhonorabilis contra virum gravem, Eſa. 3, 5. Præmium virtutis honos.

Sed quilibet expectare debet, dum ipſe Deus ipſi coronam imponat. Qui enim ſeipſum exaltat, humiliabitur, dicitur in calce Evangelii.

Inveniuntur homines φίλαυτοι, qui ſeipſos extollunt, dicentes: Nos poma natamus,

mus, Zeph.2,15. Exemplo eſt Abſolon: ſed infelici cum ſucceſſu, 2.Sam.18,14. Ideoq; ſeipſum humiliare & cuilibet honorem ſuum exhibere præſtat. Deus juſto tempore ipſi confidentes extollet. Si in hoc ſeculo id non fit, certo certius fiet in vita æterna, ubi nos Reges & Sacerdotes faciet, Apoc.1.v.6. ut cum Chriſto ſedeamus in throno ſuo, Apoc.3. v.21. & claritatem videamus, quam Pater ejus ipſi dedit. Fiat id per Chriſtum Jeſum! Amen.

Dominica XVIII. poſt Trinitatis.

Evangelium Matth. 22, v. 34.

EXORDIUM.

POſteaquam Deus Opt. Max. Iſraëlitas Ægypto eduxerat, præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem *in columnâ nubis*, & per noctem *in columna ignis*, ut lumen præberet eis, & dux eſſet itineris, utroque tempore, Exod.13,21. Hæc *allegoricè* interpretabimur.

Nos omnes non minus quàm Iſraëlitæ viatores ſumus in eremo hujus mundi, & facilè in devia aberrare poſſumus, multa enim ſcandala & prava exempla occurrunt, quibus corda innocentium ſeduci poſſunt ad iniquitatem, Rom.16.v.18. Quin & *Diabolus valdè negotioſus eſt*. Et veluti alias noctu quandoq; *ignis erraticus* viſitur, qui viatores à rectâ ſemitâ ſeducit, ut ſæpè in vitæ diſcrimen adducantur: ſic & ignes erratici in ſpirituali hujus mundi peregrinatione occurrunt, à Diabolo emiſſi, ad pios Chriſtianos à recto tramite ſeducendos, & in æternum exitium præcipitandos. *Ex una parte adſunt filii hujus ſeculi*, ipſis acclamantes: Veni nobiscum, implebimus domus noſtras ſpoliis. Sortem mitte nobiscum: marſupium unum ſit omnium noſtrum, Prov.1.v.13. Sap.2.v.6. ſeqq. *Ex altera parte accedunt Pſeudo-Propheta & heretici*, & illiciunt eos in montes ſuos, Pſal.11.v.1. Hic dicit: Hîc eſt Chriſtus: Iſte, illic eſt: Ille, eſt in deſerto, eſt in penetralibus, Matth.24. v.26. Hoc ipſo verò ſimpliciores confunduntur, ut quid credere aut reprobare debeant, neſciant, ſicut Galatæ, Gal.5,10.

Propterea *via ductore* cumprimis nobis opus eſt, qui deducat nos in terrâ rectâ, Pſ. 143.v.10. ne declinemus in curvas vias, Pſ. 125. v. ult. ſed cautè ambulemus, Eph. 5. v.15. ſuper ſemitam juſtitiæ, Pſal.23.v.3. quæ ducit ad vitam, Matth. 7, 14. quam nobis Chriſtus abitu ſuo ad patrem complanavit, Joh.14,3. & verbum ſuum velut columnam ducentem nobis adjunxit, ut in hac mundi ſolitudine idem obſervemus, ſi bonum à malo ſeparare velimus. Habemus enim firmum ſermonem Propheticum, 2.Petr.3.v.19.

Ideam habemus in prælecto Evangelio, ubi Scribæ quæſtionem ſolvit, quam de lege propoſuerat, & deinde de Meſſia eam informationem ſubjicit, ut quivis poſſit cogno-

gnoſcere, quod non modò filius Davidis, ſed & Dominus Davidis ſit, verbo: θεάνθρωπος in unâ perſonâ. Qui hæc duo didicit, non facilè aberrabit in ærumnosâ hujus vitæ peregrinatione, ſed per tenebroſam vallem mortis feliciter tranſibit, & feliciter appellet, in cœleſti Hieroſolymâ, ubi πολίτευμα noſtrum eſt, Phil.3,20.

Nos absq; ulteriori præloquio ad ipſam Evangelii meditationem accedemus, ex eodem tractaturi.

I. ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*

II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

De *infernali Leviathan* inter alia dicitur: *Magnifica ſquama* ejus ſunt fortiſſima ſcuta, compactum ſquamis ſe prementibus: Una uni conjungitur, & ne ſpiraculum quidem incedit per eas: Una alteri adhærebit, & tenentes ſe, nequaquam ſeparabuntur, Hiob 41.v.6.7.8.

Quæ hæ *ſquamæ?* Sunt Diaboli ſatellites, qui jugum ducunt cum infidelibus, 2.Cor. 16.v.14. ejusq; regnum pro virili propagare & promovere ſatagunt. Propterea uno conſenſu juncti, trahunt iniquitatem in funibus vanitatis, & quaſi funibus plauſtri, peccatum, Eſa.5.v.18. imprimis, quando contra Chriſtum agunt: ſicut hujus rei in prælecto Evangelio luculentum exemplum habemus, ubi Phariſæi technis ſuis Chriſtum adoriuntur, qui audierant, quod Sadducæis os obturaſſet, ut ignominiam hanc eorum vindicarent.

Notitiam noſtri hinc diſcemus, ſi ſpectabimus:

I. *Phariſæorum congregationem.* Audientes enim, quod ſilentium impoſuiſſet Sadducæis, convenerunt in unum, deliberaturi nimirum, quomodo Chriſtum inſidiis ſuis circumvenirent, & contumeliâ afficerent.

Quid cum *Sadducæis* acciderit, in præcedentibus exprimitur. Quia enim mortuorum reſurrectionem in dubium vocabant, quæſtionem Chriſto proponebant de muliere, quæ ſeptem viros ſucceſſivè habuerit, cujus in reſurrectione futura ſit, exiſtimantes, ejusmodi hanc fore quæſtionem, ad quam Chriſtus reſpondere non poſſit. Sed opinio fefellit eos: expeditè enim Dominus reſpondebat: Erratis, neſcientes ſcripturas, neq; virtutem Dei. In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur, ſed ſunt ſicut angeli Dei in cœlo. Hoc ipſo adeò iis ſilentium impoſuit, ut audientes turbæ obſtupuerint de doctrina ejus.

Quia igitur Phariſæi metuebant, ne Chriſtus applauſum populi ſibi conciliaret, non è re ſuâ fore cenſebant, ſi ita abire ſinerent; ideò convenerunt in unum, vitam ſibi acerbam putantes, niſi ignominiam hanc vindicaverint. Quamvis enim aliàs cum Sadducæis non faciebant, ſed Vatiniano odio eosdem proſequebantur: attamen invidebant Chriſto hunc honorem, ut ipſe Hieroſolymis celebraretur, quòd palmam à Sadducæis reportaſſet, & ſic ex parte Phariſæorum apparet, non modò *inſignis pertinacia*, dum argumentorum nervis convicti, veritati cedere nolunt: ſed & *clandeſtina invidia*, quâ Chriſto honorem debitum invident, ut Saul Davidi, 1.Sam.18.v.7. Quin & *elata ſuperbia*, dum feliciori cum ſucceſſu rem acturos ſe arbitrantur, tanquam claves ſcientiæ habentes, Luc.11.v.52. nec dubitantes, quin Servatoris laudem, ſi quam à Sadducæis reportaverit, hac ratione decolorare poſſint. Hoc enim impio-

Digitized by Google

rum ingenium eſt, ut inſiſtant viæ non bonæ, & intelligere nolint, ut bene agant, Pſ. 36. v. 4. 5.

Hic velim probes te, mi Chriſtiane! utrum & ipſe cum hoſtibus veritatis fortè colluſeris, & eorum conſilio interfueris?

Adhuc hodiè Sadducæi & Phariſæi occurrunt, qui & Chriſtum & miniſtros ejus perſequuntur, & quando ad voluptatem eorum non loqueris, iracundiâ moti ſuſurrant inter ſe. Pſal. 41. v. 8. quomodo gratiam referre, & animum vindictâ exſaturare velint. Hæc eccleſia eſt malignantium, Pſal. 26. verſ. 5.

Per Sadducæos intelligimus *Epicureos*, quorum magna farrago eſt, inter Chriſtianos, dicentium: Non eſt Deus, Pſal. 14. v. 1. & putantium, non eſſe refrigerium in fine hominis, Sap. 2. v. 1.

Phariſæi autem idea ſunt omnium *hypocritarum* & *Pſeudo-Chriſtianorum*. Sicuti enim omnia opera ſua, jejunando, orando, & eleemoſynas dando fecerunt, coram hominibus, ut viderentur ab ipſis, Matth. 6. v. 1. ſic & hoc tempore ejusmodi hypocritæ ubiq; offenduntur, qui tamen boni Chriſtiani videri volunt. Sed falluntur. In Chriſto Jeſu veritas, Epheſ. 4. verſ. 21.

Ab utriſq; Chriſtus & miniſtri ejus parum boni expectare debent. Illi extenuant & loquuntur nequitiam, iniquitatem de excelſo loquentes, Pſal. 73 v. 8. Agnitio vultus eorum reſpondet contra eos, & peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicant, Eſa. 3. v. 9. hi verò in occulto inſidias agunt, parantes ſagittas ſuas ſuper chordam, ut ſagittent in obſcuro rectos corde, Pſ. 11, 2.

Ideò genuini Chriſtiani provideant ſibi, ne commercium cum illis habeant, ſed cum Jacobo dicant: In conſilium eorum non veniat anima mea, Gen. 49, 6. Qui enim non eſt mecum, contra me eſt, Luc. 11, 23.

Adhuc hodiè inter Chriſtianos reperiuntur *homines præfracti*, qui quando peccata ex ſuggeſtu reprehenduntur, juſtè id fieri, adeoq; cum Scribâ confiteri tenentur: *Magiſter, bene dixiſti.* Interim tamen in peccatis pergunt, dicentes: Nolumus, Jer. 44. v. 16. linguâ noſtrâ prævalebimus, labia noſtra nobiſcum, Pſal. 12. v. 5. quod enim infirmum eſt, inutile invenitur, Sap. 2. v. 11. Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis funes ipſorum, Pſal. 2, 3. hi *rebelles & ſpinæ* ſunt, de quibus Ezechiel cap. 2. v. 6. iisdemq; aliquando durum erit, adverſus ſtimulum calcitrare, Act. 9. v. 5. Servus enim, qui cognovit voluntatem Domini ſui &c. Luc. 12, 47.

In hoc mundo quidem pios Chriſtianos pati oportet, ut concilia adverſus ſe inſtituantur, quorum concluſum eſt: Diſperdamus eos, ne ſint gens, & non memoretur nomen Iſraël ultra, Pſalm. 83. verſ. 5. Sed aliud tempus veniet, quando Dominus comitia ſua indicet, & advocabit cœlum deſurſum, & terram diſcernere populum ſuum: Tum dicturus eſt: Congregate mihi ſanctos meos, curantes fœdus meum magis, quàm ſacrificia, Pſalm. 50. verſ. 4. Impii verò reprobabuntur, pœnas daturi, interitum æternum à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, 2. Theſſ. 1. v. 9.

II. *Scribæ inſurgentis tentationem.* Poſtquam enim conſilium inierunt contra Chriſtum, de viâ & modo ultionis, è medio ſuo quendam eligunt, qui Scriba & in lege probè peritus erat; Hic Chriſto quæſtionem magni momenti proponit, ſed ut Evange-

Digitized by Google

angeliſta indicat, *tentandi gratia*, putat enim, ſe Chriſtum in ſermone ſuo capturum, & coram omnibus in ruborem conjecturum.

Hic *Sycophanta* præ ſe tulit, quaſi diſcendi cupiditate Chriſtum accederet, cum tamen in animo ſe multò doctiorem cenſeret, ideoque quæſtionem inſtitueret, ut Chriſto, minus rectè reſpondenti, ignominiæ labem adſpergeret. Id quod de patre ſuo Diabolo didicit, qui ſe in angelum lucis transformat, 2.Cor.11.v.14. & tamen homicida eſt ab initio, Joh.8.v.44. qui dies noctesq; quærit, quomodo nos devoret, 1.Petr.5.v.8.

Hic examina te, annon & tu ejusmodi Sycophanta fueris, qui proximi famam depeculari, eumq; paſſim in ſuſpicionem adducere volueris?

Id non adeò rarum eſt in mundo hoc immundo, ubi ſemper alter alterius fortunam impeditum it, ideoque exiſtimationi ejusdem detrahit, ubi novit, ipſi id maximo incommodo fore, ne fortè, occaſione ita datâ, promotio ei obtingat. Hi *Diaboli Apoſtoli* ſunt, quorum lingua cogitat infortunium, & ſicut novacula acuta facit dolum, Pſal.52.v.4. Sedentes adverſus fratrem ſuum loquuntur, & adverſum filium matris ſuæ ponunt infamiam, Pſal. 50,20. Et tamen tales videri nolunt, quin potius exterius humanitatem, & amicitiam ſimulant, velut Judas, Matth.26,49.

Alphonſus Arragoniæ Rex lupis eos comparavit. Nam quemadmodum lupi titillando & ſcalpitando aſinos vorare ſolent, ſic hi ad perniciem aliorum blanditiis & mendaciis contendunt. Ideo Fide, ſed cui, vide, Sir.37.v.3.

Veri Chriſtiani contra ejusmodi exploratores ſe muniant per arma juſtitiæ *à dextris & ſiniſtris*, 2.Cor.6.v.7. *A dextris* quidem, ne & ipſi huic vitio affines fiant. Non appelleris ſuſurro, Sir. 5.v.16. Viri enim ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos, Pſal.55.v.23. Pſal.34.v.13. Sir.28.v.28.

A ſiniſtris autem, ne cum ejusmodi hominibus familiariter converſentur. Ei qui revelat myſteria, & eſt delator, & dilatat labia ſua, ne commiſceearis, Proverb. 20. v. 19.

In fabulis Æſopi narratur, quod ægrotantem gallinam vulpecula amicitiam ſimulans inviſerit, quærenti, quomodo ſe haberet, reſpondit gallina: Bene ſi tu diſcedas.

Sic & cum Sycophantis ejusmodi agendum eſt, qui tentandi gratia veniunt, ut poſtmodùm divulgent. Hinc Chriſtianis ſimplicitas columbina & prudentia ſerpentina commendatur, Matth. 10. v. 16. Sir. 19. v. 4.

III *Magnificam titulorum oſtentationem.* Legisperitus enim hic vocat Chriſtum *διδάσκαλον, cujus nolebat eſſe diſcipulus*, Chryſoſtomus rectè addit: His blanditiis Chriſtum explorare ſatagit, quærens eum decipere, qui decipi non poteſt, Job.13,9. ſed corda & renes ſcrutatur, Jer.17,10. & ſcit, quid in homine ſit, Joh.2.v.ult.

Hic probate, mi Chriſtiane! an & ipſe titulorum blandimentis proximum ineſcare, ejus animum explorare, & ſic in diſcrimen adducere volueris?

Quando animos & oculos per mundum circumferimus, facilè deprehendimus quantoperè titulorum luxuries hodie invalucrit,

Digitized by Google

lucerit, qui nullo alio fine uſurpantur quàm ut phaleratis ejusmodi dictis animi lactari & eò facilius expugnari poſſint. Sic in vulgari vitâ nihil frequentius eſt, quàm verbis lenocinantibus & fuco oblitis, & ad gratiam comparatis alteri palpum obtrudere, & ſupparaſitari, ubi intereà cor ipſum malum intentat, ut illud Euclionis apud Plautum hîc locum habeat: *Alterâ manu fert lapidem, alterâ panem oſtentat.* Exemplo ſit Joab, 2. Sam. 20, 9.

Hoc non magnoperè mirandum eſt: ſunt enim ultima tempora, de quibus ipſe Chriſtus prædixit, fore, ut abundet iniquitas, & refrigeſcat caritas multorum, Matth. 24. v. 12. Quinimò fratrum quoque gratia rara eſt, Mich. 7. v. 5. 6.

Sic apprimè cavendum, ne blandimentis titulorum glaucoma nobis objiciatur, ſub hoc enim lacticinio venenum aſpidum latet, Pſal. 140. v. 4. Sir. 19. v. 23.

De Aſſe Mugil, qui in mari eſt, ſcribit Plinius, quod facilè ſentiat, in quo cibo hamus ſit. Sed nos hominum corda inſpicere & probare non poſſumus, quomodo in nos affecta ſint, id Deus ſibi ſoli reſervavit. Tu ſolus noſti corda filiorum hominum, 1. Reg. 8. v. 39. Hinc Medea apud Euripidem:

O Jupiter, quid hominibus auri certa
dediſti judicia
Quæ probumne an adulterinum ſit, arguant?
Viros autem quo exploremus, qui ſint
mali
Nullus character eſt impreſſus corpori.

Optimum eſt, ut ſedulò ad Deum ſuſpiremus:

S's mî Deus ſolatium,
Arx firma, propugnaculum,
Pugnabo ſic ſecurè:
Hoſtes mei
Si ſubdoli
Incommodant utrinq;.
Proterva me cohors dolis,
Laceſſit & calumniis
Caſſes ſtruens cruentas:
Servator en!
Tyrannidem
Infringe fraudulentam.

Mein Gott und Schirmer ſteh mir bey/
Sey mir ein Burg / darinn ich frey
Und ritterlich mög ſtreiten/
Wider mein Feind/
Der gar viel ſeynd/
An mir auff beyden Seiten.
Mir hat die Welt trüglich gericht/
Mit Lügen und mit falſchem Gedicht/
Viel Netz und heimlich Stricke/
HErr nimm mein wahr
In dieſer Gfahr/
Behüt mich für falſchen Tücken.

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alteram partem* Χρι-ϛογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti* contemplaturi. Hic nobis commendatur:

I. *Tanquam Diſputator optimus.* Hic audimus quod tam Sadducæos quàm Phariſæos ita redarguerit, & convicerit, ut ne mutire quidem auſi fuerint. Eſt enim ejusmodi Dominus, in quo omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſauri abſconditi ſunt. Col. 2. v. 3. & habet verba vitæ æternæ, Joh. 6. v. 68. quæ penetrabiliora ſunt omni gladio ancipiti, & pertingunt uſq; ad diviſionem animæ & ſpiritus, Hebr. 4. v. 12. In Gr. eſt vox ἐφίμωσε, quæ ſignificat, os obligavit,

Digitized by Google

ligavit, ſicuti olim boum triturantium ora obligarunt, Deut. 25. v. 4. quo ipſo Evangeliſta ſignificat, quod Chriſtus ora Phariſæorum & Sadducæorum ita obturaverit, quaſi ligata fuerint, nec facile contradicere potuerint, ſicuti in horto Oliveti duabus voculis: Ego ſum, omnes hoſtes ſuos proſtravit.

Alias *Diſputator cum adverſariis diſputans* eſſe debet

1. *Cordatus.* Sicuti legimus de Alexandro Epiſcopo Conſtantinopolitano, quod Philoſophis gentilibus, qui Imperatorem Conſtantinum ad partes ſuas pertrahere ſatagebant, ſe maſcule oppoſuerit, his verbis delegatum quendam affatus: *In nomine Jeſu Chriſti, impero tibi, ne loquaris*, ad quæ verba Philoſophus obmutuit.

Sic Servator noſter Diſputator cordatiſſimus eſt, non eſt illi cura de aliquo, non enim reſpicit perſonam hominum, Matth. 22. v. 16. Et quem ille metueret? Ecce gentes, quaſi ſtilla ſitulæ, Eſa. 40. v. 15. Quando de cœlo auditum facit judicium, terra tremuit, Pſal. 76 v. 9. 10.

2. *Facundus*, ut verba verbis opponere poſſit; quo ſapientia & ſpiritus in verbis ſe exerat, ut de Stephano dicitur, Act. 6. verſ. 10.

Hoc requiſitum in Chriſto quoque invenitur, ideo vocatur Doctor eruditæ linguæ, Eſa. 50. v. 4. cujus ῥήματα ſunt πράγματα, quæ hoſtes veritatis ferre nequeunt. Vox Domini in virtute, Pſal. 29. v. 4. 7.

3. *Eruditus*, quo ad problemata propoſita ſufficienter reſpondere poſſit. Neque hoc Chriſto defuit, eſt enim τεχνίτης τῶν πάντων, Sap. 7. v. 21. qui omnia novit, Joh. 16. v. 30. Nunquam illi ſcientia, nunquam reſponſio defuit, ſicut in præſente Evangelio quæſtionem Legisperiti ita ſolvit, ut nihil in contrarium afferre poſſit, ſed reipſa expertus ſit, quod ſapientia hujus mundi ſtulta ſit coram eo, 1. Cor. 1. v. 20.

Nobis hinc *magna lætitia* ſuboritur. Quod enim Chriſtus tum temporis fecit, id quotidie adhuc facit, verbum ejus alligatum non eſt, 2. Tim. 2 v. 9. Eſt enim veritas ipſa, Joh. 17, v. 17. quæ tandem triumphat.

Idcirco nos quoque eo innitamur & in vita & doctrina, & nunquam confundemur, ſed omnibus perfectis ſtare poterimus, Epheſ. 6. v. 13. Eſt enim firmior ſermo Propheticus, cui bene facimus attendentes, 2. Pet. 1. v. 19.

II. *Tanquam Davidis filius.* Congregatis enim Phariſæis, interrogavit eos Jeſus; dicens: Quid vobis videtur de Chriſto? cujus filius eſt? Dicunt ei, David. Recte ſic reſponderunt, at non ſufficienter. Interea hinc colligere poſſumus, quod tum temporis minime in dubium vocatum fuerit, Meſſiam fore filium Davidis, quod Jeſu Nazareno hodie à Judæis malitioſe denegatur.

Phariſæi & Scribæ ei omnia exprobrabant, quæ in opprobrium, contemtum & refutationem ejus afferre poterant, dum eum Samaritanum eſſe, & dæmonium habere calumniabantur, Joh. 8. v. 49. dum voracem & vini potatorem, publicanorum & peccatorum amicum, Matth. 11. v. 19. fabrum Marc. 6. v. 3. ſeditioſum prohibentem tributa dari Cæſari, criminabantur, Luc. 23. v. 2. ſed quod filius Davidis non eſſet, nunquam ei objecerunt: quod ſi minimam dubitandi hac de re cauſam, vel ſuſpicionem ſaltem habuiſſent, non certe id reticuiſſent.

Digitized by Google

Præterea ex Evangelica Hiſtoria conſtat, quod à quolibet titulo hoc inſignitus fuerit. Duo cœci clamantes dixerunt: Miſerere noſtri fili David! Matth.9.v.18. idem fecit mulier Cananæa, Matth.15.v.22. Quinimo turbæ, quæ præcedebant & ſequebantur, clamabant dicentes: Hoſanna filio David, Matth.21.v.9.

Hoc probe obſervandum eſt: Meſſiam enim ex ſtirpe Davidis naſci oportuit, ſicut ei Deus promiſerat, 2.Sam.7.v.12. Inde etiam juſtum germen Davidis appellatur, Jer.23.v.12. & virga de radice Jeſſe egreſſura, Eſa.11.v.1.

Quia igitur exploratum nobis eſt, Chriſtum filium Davidis eſſe: hoc ipſo in fide noſtra confirmamur, nec alium Meſſiam præſtolari opus eſt, ſicut hodierni Judæi putant: ſed lætabundi dicere poſſumus: Invenimus Meſſiam, Joh.1,41.

Judæi vero in incredulitate ſua obdurati ſunt, & jam ultra mille ſexcentum annos fruſtra expectarunt: neque certi eſſe poſſunt, licet Meſſias veniret, quod tamen in æternum non fiet, quod vere ex ſemine Davidis natus ſit. In excidio enim poſtremo Hieroſolymorum, Genealogiæ partim combuſtæ partim diſcerptæ, vel alio modo diſtractæ ſunt, unde ex hodiernis Judæis nemo aſſeverare pro certo poteſt, ex quo ſtemmate natus ſit: ſiquidem in Hiſpania, Turcia, aliiſque in locis ubi in frequentia habitant, cum alienis uxoribus ſe commiſcent, quæ ſanguinis Judaici non ſunt, cum iiſdemque liberos ſuſcipiunt, quod hi ita continuant. Unde B. noſter Lutherus autumat, hodiernos Judæos eſſe colluviem leviſſimorum hominum, ex Saracenis, Tartaris, & aliis præſtigiatoribus conſtantem, quorum originem nemo ſciat, quamque ipſi ignorent. Hinc mirum non eſt adeo præfractos ipſos eſſe, ut Meſſiam recipere nolint, ſed veterem cantilenam canant: Nolumus, hunc regnare ſuper nos, Luc.19.v.14.

Interea maximo nobis eſt ſolatio, quod ejusmodi Meſſiam habeamus, qui è ſtemmate Davidis oriundus, & ſic verus homo, & frater noſter factus eſt. Non enim Angelos, ſed ſemen Abrahæ aſſumſit. Unde debuit per omnia fratribus aſſimilari, ut fieret miſericors &c. Heb.2.v.ult.

Quando quis in V.T. attenuatus, ſeipſum vendiderat, aut bona ſua oppignoraverat, à fratre, aut conſanguineo ſuo poterat redimi, redemtor ille vocatus eſt Joel, Levit. 25.v.47. Num.35.v.12.

Hoc optime Chriſto convenit, qui frater & conſanguineus noſter factus eſt, & hæreditatem cœleſtem, quam in Adamo perdideramus, ſanguine ſuo redemit, nobisque reſtituit, ut jam orantes dicere queamus: Benedictus Deus, & pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, 1.Petr.1.v.3.

Cum Simon captivum fratrem ſuum Jonathan redemturus eſſet, argenti talenta centum pendere tenebatur, i. e. coronatorum ſexaginta millia, 1.Mac.13,15. Sed nos multo pretioſius emti ſumus, non auro & argento, ſed &c. 1.Pet.1.18.

Ne itaque metuamus diabolum: quia enim Chriſtus nos ſanguine ſuo in populum ſibi peculiarem redemit, Tit.2.v.14. potenter quoque nos adverſus portas inferorum proteget, Matth.16,18. & nemo rapiet nos de manu ejus. Joh.10.v.28.

III. *Tanquam Davidis Dominus.* Non enim Chriſtus Phariſæorum reſponſo contentus eſt, ſed probat ex Pſalmo 110. quod etiam Dominus Davidis ſit, ajens: Quo-

Quomodo ergo David in ſpiritu eum vocat Dominum,&c.

His verbis Chriſtus non inficiatur, ſe filium Davidis eſſe: ſed probare vult, ſe plus quam hominem eſſe. Quia enim David ſe Dominum ſuum vocet, ſequi hinc expedite, quod non nudus homo: ſed θεάνθρωπος ſit, ſiquidem non moris ſit, ut pater filium ſuum, & quidem antequam natus ſit, Dominum ſuum appellitet.

Hinc iterum efficax ſolatium ad nos redundat. Quia enim Chriſtus non modo Davidis filius: ſed & Dominus, & ita in una perſona θεάνθρωπος eſt, de plenaria peccatorum noſtrorum expiatione dubitare non debemus. Sanguis, qui profuſus eſt, non nudi hominis eſt, ſed ſanguis filii Dei, 1. Joh. 1. v. 7. mors ejus non nudi hominis, ſed filii Dei mors eſt. 1. Cor. 2. v. 8. Act. 3. v. 14.

Hoc ita in conſilio S. S. Triados decretum eſt, ut pro magnitudine operis, quod Meſſias exantlare debebat, non merus homo & filius Davidis: ſed & filius Dei & Dominus Davidis foret. Quomodo alias giganti prædam eripere, Eſa. 49. v. 24. forti armato arma auferre, Luc. 11. v. 21. mortem in victoria abſorbere, Eſa. 25. verſ. 8. Diaboli opera diſſolvere, 1. Joh. 3. v. 8. & peccata expiare potuiſſet? Dan. 9. v. 24. Hinc Auguſtinus: *Divinitas ſine humanitate non eſt mediatrix, & humanitas ſine divinitate non eſt mediatrix: ſed inter divinitatem ſolam, & humanitatem ſolã, mediatrix eſt humana divinitas, & divina humanitas.* Nunc dicimus: Conſummatum eſt, Joh. 19. v. 30. Quis accuſabit adverſus electos Dei? Rom. 8. v. 33. ſeqq.

Hac conſolatione confiſi, poſſumus tranquille vivere, & beati mori.

Quod nobis omnibus ex gratia largiri dignetur, Pater noſter cœleſtis, per filium ſuum Jeſum Chriſtum, ſervatorem & Dominum noſtrum, Amen.

* * *

Dominica XIX. poſt Trinitatis.

Evangelium Matth. 9. v. 1.

EXORDIUM.

Cum Noah ultra annum in arcæ perſeveraſſet, & animadverteret, quod aquæ minuerentur in terra aperiens feneſtram arcæ, dimiſit *corvum*, qui, cum de cadaveribus ſe ſuſtentare potuit, non reverſus eſt Emiſit quoque *columbam* poſt eum, qui venit ad ſe ad veſperam, portans folium olivæ, decerptum in ore ſuo. Intellexit ergo Noa, quod ceſſaſſent aquæ ſuper terram, Gen. 8. v. 6. ſeqq.

Hæc myſtice applicanda veniunt.

Arca Noe *imago Eccleſiæ* eſt, ut ipſe Petrus expoſuit, & applicat, 1. Pet. 3. v. 20.

Quemadmodum igitur in illa cohabitarunt corvi & columbæ: Sic & in Eccleſia *boni & mali* permixti ſunt. *Corvus* vocem habet odioſam, ſemper clamans, Cras, cras: Sic multi ſeſe offerunt inter Chriſtianos, qui corvinam hanc vocem edunt

edunt , & licet ad pœnitentiam vocentur, cogitant: Sat temporis reliquum eſt, & ita pœnitentiam de die in diem protrahunt. Ideo ſubinde fit ut procraſtinantes producant tempus, & tandem plane excludantur, ad exemplum virginum fatuarum, Matth. 25.v.11.12.

Columba vero vocem habet garrientem, Eſa.38.v.14. & *imago* eſt *vere pœnitentium*, qui ſine intermiſſione orant ad Deum; modo: Domine non intres in judicium cum ſervo tuo, Pſal.143.v.2. modo: Domine, propitiaberis peccato meo: multum eſt enim, Pſal. 25.v.11. modo: Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, Pſal. 25. v.6. imprimis, quando vexatio advenit, quæ intelligere facit auditum, Eſa.28. v.19. Hoc Deo perplacet, ut ſuavi repercutienti Echo ille reſpondeat: Ah dilecte fili! dilecta filia! conturbata ſunt viſcera mea ſuper te, miſerans miſerebor tui, Jer.31.v.20.

Exemplum habemus in Paralytico præſentis Evangelii, qui etiam per crucem ad Chriſtum adductus eſt, & quia cor contritum & pœnitens attulit, reſpexit Dominus fidem ejus, non modo amice eumalloquens: Confide fili! ſed reſtituit quoque eundem, ut ſublato lecto ſuo, abierit in domum ſuam, quaſi nunquam morbo hoc laboraſſet.

Nos absque ulteriori præfamine ad ipſam Evangelii tractationem accedemus, pro inſtituti ratione delibaturi:

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*
II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

CUm Judæi ampliſſimam legationem, ex Sacerdotibus & Levitis conſtantem ad Johannem Baptiſtam mittere decreviſſent, nulla alia inſtructione dimittebant eos, quam ut quærerent: *Tu quis es?* Joh.1. v.19.

Licet igitur Pontifices Hieroſolymitani hoc ipſo aberraverint, quod Johannem Meſſiam eſſe putaverint, qui tamen in medio eorum ſtabat, quemque neſciebant: attamen hinc anſam capere poſſumus, quomodo quilibet ſe in examen vocare, & quærere debeat: *tu quis es?*

Hoc plurimum refert: *Multi multa ſciunt, & ſeipſos neſciunt, alios inſpiciunt, & ſeipſos deſerunt*, ait Bernhardus. Hoc vero iniquum eſt. Vosmetipſos tentate, ſi eſtis in fide, ipſi vos probate, mandat Apoſtolus, 2.Cor.13.v.5.

Notitiam noſtri diſcemus, ſi conſideraverimus:

1. *Dignam bajulorum commendationem*, qui paralytici rationem habuerunt, cumq; in lecto jacentem Chriſto obtulerunt. Matthæus vocat κλίνη, Lucas κλινίδιον, Marcus grabbatum. Fortaſſe feretrum vel ſimile quid fuit, in quo ægrotus in lecto ſuo recumbens, à quatuor viris ferri potuit.

Quia vero multa turba confluxerat, potiſſimum ex curioſitate, Chriſtum videndi, & novellas audiendi, qui vero tanta commiſeratione non movebantur, ut infirmo huic locum dediſſent, quo juxta deſiderium ſuum, ad Chriſtum pervenire potuiſſet: ſicut adhuc hodie quoque ejusmodi ſtipites inveniuntur, qui bono proximi ne latum quidem unguem cedunt, aut inſerviunt, quin potius impie obſiſtunt, ut alii in negotiis ſuis impediantur. Sicut Edomitæ Iſraelitis tranſitum per terram ſuam denegabant, licet illi via publica ingreſſuros, ſe, nec ad dextram

tram , nec ad ſiniſtram declinaturos eſſe promitterent. Num. 20. v. 17. 19.

Ita & hic accidit, cum bajulantes cum ægroto venirent , ecce! tanta multitudinis ſtipatio erat, ut non perrumpere , & ſcopum ſuum attingere poſſent. Ideoque per gradus in tectum aſcendunt , ſiquidem Judæorum ædes tecta complanata habebant , in quibus ſtare & ambulare potuerunt, ad modum altarium noſtratium. Propterea mandavit Deus Iſraelitis , ut cum ædificaverint domum novam , facerent peribolum tecti per circuitum: ne quis præceps rueret, Deut. 22. v. 8. Poſtquam igitur magno labore aſcenderunt , perfoſſo tecto funibus demittunt paralyticum ad pedes Chriſti. Ecce! exemplum fidei & amoris infucati, quod bajulatores hi in paralytico probarunt.

Hic parumper conſiſte, & proba te, mi Chriſtiane! utrum & ipſe tanto ſtudio & zelo, proximum tuum in miſeriis conſtitutum adjuveris?

Si verum fateri velis, te id non feciſſe, affirmabis. Ergo ex illorum numero te eſſe, vides, de quibus Chriſtus prædixit, quod amor in cordibus eorum frigeſcet , Matth. 24. v. 12.

Quis hodie alterius cauſa pedem quoquam effert, niſi merces ſequatur? Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt, Phil. 2. v. 21. benedicentes ſibi, ſi proximo incommodare poſſunt, quaſi rem probe geſſerint , Pſalm. 10. v. 3.

In V. T. Deus legem tulit, ſi quis bovem aut aſinum proximi ſui errare, aut ſub onere jacere videret, ut ſua re neglecta , eosdem reduceret & ſublevaret, Exod. 23. v. 4.

Sed hodie lex illa plane antiquata eſt. Quomodo dicit Cain? Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego? Gen. 4. v. 9. Sic Sacerdos & Levita præterierunt , cum hominem ſemi vivum, in via jacentem viderunt, Luc. 10. v. 81. Adhuc hodie nihil familiarius eſt, quam ut egeni ſtipem petentes repulſam patiantur his verbis: Ite in pace , Jac. 2. v. 16.

Quod ſi itaque hac in parte deliquiſti , deſine in poſterum , & diſce à bajulatoribus hiſce, quomodo neceſſitatibus ſanctorum ſubvenire , & Chriſtianam caritatem commendatam tibi habere debeas, in hoc cognoſcent omnes, quod diſcipulus Chriſti ſis, &c. Joh. 13, 35. Contra vero : qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi , & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo? 1 Joh. 3. v. 17. quærenti ſibi ipſe reſpondet: Qui non diligit fratrem ſuum , quem videt, Deum, quem non videt , quomodo poteſt diligere? 1. Joh. 4, 20.

II. *Tacitam Chriſti accuſationem.* Et ecce, quidam de Scribis dixerunt intra ſe hic blaſphemat. Iſti ſane homines merito nigri cenſendi ſunt, qui ſuppreſſis inſidiis ſuis commodæ occaſioni easdem reſervant , qua majori diſpendio proximo incommodare poſſunt. Hinc priſci ethnici dixerunt: μέμνησο ἀπιςεῖν. h. e. uti Siracides id explicat : Multi pacifici ſint tibi, Sir. 6, 6.

Hic velim examines te, utrum & ipſe ejusmodi ſimultatibus proximo inſidias ſtruxeris?

Ah dilecti! adhuc hodie verſipelles ejusmodi non pauci reperiuntur, qui adeo cordati non ſunt, ut in præſentia quempiam arguant: ſed in abſentia ſicut novacula acuta faciunt dolum , Pſal. 52. v. 4. & diffamant proximum , ut innocenter bonæ exiſtimationis naufragium ille faciat. Exemplo po-

Digitized by Google

teſt eſſe Abimelech quem ſycophanta Doëg adeo denigrabat apud Saulem, ut ſine omni excuſatione, cum octoginta quatuor viris morte traderetur, 1. Samuel. 22. v. 18.

Idcirco Rex Antigonus Deum quotidie rogavit, ut ſe contra amicos ſuos defenderet, & quæſitus, cur non potius oraret, ut ſe adverſus inimicos tueretur? reſpondit: Contra inimicos meos ipſe me munire poſſum: at contra falſorum amicorum inſidias vix me defendere potero, hic Dei patrocinio opus eſt, ut ſecurus ſim. Hinc Siracides: Multi ceciderunt in ore gladii &c. c. 28. v. 22.

Quicunque verus Chriſtianus eſſe vult, ille non magnopere miretur, ſi adhuc hodie audire cogatur: Hic blaſphemat. Quodcunque enim loquimur contra Miſſam, invocationem Sanctorum, cœlibatum Clericorum, contra nefandam idololatriam, quam cum conſecratis hoſtiis Adverſarii committunt, quas adorant, cultu divino afficiunt, & ſimilia: id omne à Pontificiis pro meris blaſphemiis habetur, cum tamen in tota ſacra ſcriptura de electitio hoc cultu, ne apicem quidem invenias. Propterea non magnopere id curare debemus, quia injuriam nobis inferunt. Potius conſcientia rectæ voluntatis nos ſuſtentare debet, juxta illud Chriſti: Beati eſtis, cum maledixerint vobis homines &c. Matth. 5. v. 11. 12.

Sed ſollicite curemus, ut vere tales nos gloriemur. Hodie proh dolor! nihil familiarius eſt, inter nos Chriſtianos, quam maledictiones, imprecationes, blaſphemiæ, apud ſummos & infimos, ut non incommode diceres, quemadmodum tempore Achab ſpiritus mendax egreſſus eſt, in ore omnium Prophetarum eosque decepit, ut Achabo ſuaderent contra Syros expeditionem ſuſcipiendam, 1. Reg. 22. v. 2. ſic etiam noſtra hac ætate diabolum blaſphemiis & maledictionibus refertum in mundum abiiſſe, qui homines ſeducat, ut ſanctiſſimum Dei nomen in vanum aſſumant, & Chriſti vulnera, paſſionem, ſanguinem & mortem blaſphement, quibus è rictu & regno diaboli erepti, ad vitam æternam regenerati ſunt, 1. Pet. 1. v. 23. Sicut Paulus in ſpecie de his poſtremis temporibus prædixit, quod multi βλάσφημοι in iis prodituri ſint, 2. Tim. 3. v. 1. 2.

Abſtineas hoc peccato, quo juſtiſſimum numen ad juſtam iram provocatur, nec inultum abire ſinet. Nec enim inſontem habebit Dominus eum, qui aſſumſerit nomen ſuum fruſtra, Exod. 2. verſ. 7. 1. Cor. 6. v. 10.

III. *Perverſam Scribarum argumentationem.* Dum enim Chriſtus paralytico huic peccata remittit, blaſphemiæ ideo illum arguunt. Argumentum eorum hoc eſt:

Peccata remittere eſt opus Dei, Exod. 34. v. 7. Mich. 7. v. 18. Pſal. 32. v. 1.

Hic remittit peccata, & adſcribit ſibi opus Dei.

Ergo, blaſphemus eſt, & blaſphemiæ pœnam luet.

Hic proba te, mi Chriſtiane! annon interdum Phariſæos imitatus, in corde tuo cogitaveris, quando Confeſſionarius tuus Abſolutionem tibi annunciavit: Hic blaſphemat, quis enim poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus? ut Marcus hæc verba addit, c. 2. v. 7. *Sive ex mero faſtu ſacra ſynaxi, ſine prævia confeſſione uſus ſis: aut ideo, quia te ſublimiorem æſtimas, quam ut erga miniſterium te ſubmitteres: aut hæreſi Weigeliana infectus, non*

cre-

credis, Eccleſiaſten peccata remittere poſſe. Sicuti multi, inter Politicos præſertim, inveniuntur, quibus hac in parte propria ſua diſpoſitione uti lubet.

Sed non abſque gravi peccato hoc eſt. Quamvis enim in genere loquendo, non abſolutæ neceſſitatis ſit, privatim peccata confiteri, ſub diſpendio ſalutis. Multa enim loca inveniuntur, in quibus Aug. Confeſſio viget, ubi ſaltem Confeſſionis formula generalis, Communicantibus prælegitur, quo ipſo abſolvuntur: quæ Eccleſiæ propterea non condemnari poſſunt: interim tamen iis in locis, ubi privata Confeſſio uſitata eſt, ceremonia hæc retineri debet, ut Articulus X. Aug. Conf. requirit, maxime propter ſcandalum, ne ſimpliciores anſam habeant cogitandi, quaſi ratione unius & alterius, qui ſingularitati & novitati ſtudet, tam facile diſpenſare poſſimus, velut in re parvi momenti. D. Balduinus bene hac de re ita ſcripſit: *Etſi peritiores in genere ſua libertate uti poſſent, propter ſcandalum tamen, quod facile inde fieri poſſet, jure ſuo uti non debent. Non enim ſemper quod licitum, ſed quid honeſtum ſit, videndum eſt.*

Pii Chriſtiani excellentiam divinæ gratiæ agnoſcunt, quam Deus abſolutioni impertivit: Licet enim magnum diſcrimen interſit, inter actionem Chriſti & noſtram. Ipſe enim Dominus eſt de cœlo, 1. Cor. 15. v. 47. nos vero miniſtri tantum ſumus, 1. Cor. 3. v. 5. tamen nullo modo Chriſtum, à verbo externo & miniſterio ſeparari patimur: ſed ſcimus & credimus firmiter, quod verbo & miniſterio ſuo præſens ſit, & mediante illo efficaciter, in & cum nobis agat. Extra verbum neque Chriſtum, neque Spiritum Sanctum habemus, ſed utrumque conjunctum eſt: ideo Evangelium vocatur potentia Dei, ad ſalutem omni credenti, Rom. 1. v. 16.

Chriſtus Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus non nuda putamina verbi reliquit, ſibi nucleum reſervans. Minime. Sed verbum illud vitæ, quod ex ejus ore auditum eſt, auditur quoque ex ore miniſtrorum ejus. Qui vos audit me audit, ait Servator, Luc. 10. v. 16. Pari modo ſe cum abſolutione res habet. Man ſol die Leute lehren/ ſchreibet Lutherus/ daß man Chriſto beichte/ und daß Chriſtus abſolvire / durch den Mund des Dieners. Dann des Dieners Mund iſt Chriſti Mund: Des Dieners Ohr iſt Chriſti Ohr / Chriſtus ſichet da beichten/ Chriſtus hörets/ Chriſti Wort ſeynds/ und nicht Menſchen Wort/ die der Beichtvatter ſeinen Beichtkindern zuſpricht. Hinc Chriſtus expreſſe ad diſcipulos ait: Quæcunque alligaveritis ſuper terram, &c. Matt. 18. v. 18. Quicunque itaque abſolutionem contemnit, Deum ipſum contemnit, qui poteſtatem hanc hominibus dedit, ſicut verba Evangelii non incommode cum Pauli verbis comparantur, 1. Theſſal. 4, 8.

De Secundo.

PRogredimur nunc ad *alteram partem*, χριϛογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti*, contemplaturi. Hic nobis conſiderandus proponitur:

I. *Tanquam Capernaiticus inhabitator.* Sic enim verba jacent ſub initium Evangelii: Et aſcendens Jeſus in naviculam, transfretavit, & venit in civitatem ſuam. Hæc erat Capernaum, ut Marcus expreſſe memorat, cap. 1. v. 1. & vocatur Chriſti ci-

vitas,non quaſi peculium ejus fuerit: Non enim Dominus habuit, ubi caput ſuum reclinaverit, Matth 8. v. 20. ſed,quia poſt decollationem Baptiſtæ potiſſimum ibi commoratus fuerat. *Bethlehem ipſum tulit, Nazareth educavit, ſed Capernaum fuit ipſi habitaculum*, ait Chryſoſtomus. Ibi quaſi civis fuit,ſicut etiam velut civis tributum & didrachmam ſuam ſolvit, Matth.17. v.ult. Præterea ibidem multas egregias conciones habuit, Matth.4.v.13.17. & miraculis ſuis adeo inclytam reddidit, ut quaſi ad cœlum exaltata fuerit, Matth. 11. v. 3. Hoc ipſo ſibi magnam autoritatem & multos amicos conciliaverat. Erat ibidem Centurio,cujus fidem adeo prædicat ut tantam in Iſrael ſe non inveniſſe,aſſereret, Matth. 8.v.10. Item Jairus princeps ſynagogæ,qui Chriſtum magno amore complectebatur, Marc.5.v.22. ſicut & Satrapa Regius, qui cum tota domo ſua credidit, Joh.4.v.53. Et præterea multi alii pii, qui ipſum cum gaudio exceperunt redeuntem, erant enim omnes expectantes eum, Luc.8. verſ. 40.

Sicut igitur Chriſtus tum temporis in Capernaum habitavit: ita adhuc hodie civitatem ſuam habet,ubique terrarum,ubi honor ejus habitat,h.e. verbum Dei pure prædicatur,& Sacramenta ad inſtitutionem Chriſti diſpenſantur: id fit in Eccleſia, quæ expreſſe ideo civitas Dei vocatur, Pſal. 46.v.5. quia ibi ignem& caminum ſuum habet, Eſa.31.v.ult. & peculiari gratiæ præſentia habitat. Hæc requies mea, Pſal.132.v.4.

Coram mundo non parvi æſtimatur, quando civitates præ aliis peculiare quicquam habent in rebus terrenis,utpote *Horologium artificioſum*,ut Argentoratum,aut *aquæ ductum*, ut Auguſta Vindelicorum, aut *artificioſa ædificia*,homines eruditos,bonas leges,& id genus alia: ſed id non ſufficit. Quando autem civitas reipſa χριστόπολις eſſe & dici debet, *primo*, juxta Chriſtum Jairos ibi eſſe oportet, h. e. ejusmodi præcones & Miniſtros,qui homines fideliter Chriſto adducant, tanquam ad verum Dominum,qui ſanguine ſuo eos emit, 1. Petr.1. v.19.

Secundo,Regii & Satrapæ,h.e.Magiſtratus politicus cum Chriſto, ejusque miniſtris conſentire debet, quo interceſſio eorum eo efficacior ſit, Marc. 7.v.4. Ubi enim Moſes & Aaron concordes ſunt, ibi bonum regimen eſt. Verbi miniſtri utuntur ſpirituali, Magiſtratus vero corporali gladio,hoc ipſo malum diſſipatur, Prov.20. v.8. h.e. peccatis graſſantibus obſiſtitur,ne per illa terra polluatur & contaminetur, Jer.3.v.1.

Tertio,Patres-& Matres-familias, cum tota domo ſua credere debent, & verbum ſuſcipere ex ore prædicantium, non ut verbum hominum,ſed ut vere eſt,verbum Dei, 1.Theſſ.2,13.

Ubi hæc tria conjuncta ſunt, Chriſtus civitatem ſuam habet,& inquit: Inhabitabo in illis, 2.Cor.6,16.

De Imperatore Auguſto ſcribit Plutarchus,quod Alexandria occupata, non potuerit adduci, ut ipſi damnum intulerit, idque propter fundatorem: ſed reliquerit ipſi privilegia ſarta tecta. Multo æquius nos cum Auguſtino dicere poſſumus: *O vere beata civitas, quæ Chriſti nominaris.* Ibi enim præclara privilegia offenduntur, quibus à fundatore ſuo ornata eſt, quorum præcipuum eſt, quod vere pœnitentibus remiſſio peccatorum fructuoſe

fructuoſè annunciatur, & cuilibet in individuo dicitur: Tibi, tibi remiſſa ſunt peccata tua.

Qui hoc corde credente ſuſcipit, theſaurum theſaurorum impetrat. Ubi enim remiſſio peccatorum, ibi & vita & ſalus eſt, Rom. 4. v. 7.

Hoc ſolatio ſuſtentes te, quando paralyſis peccatorum te angit, ut à plantâ pedis usq; ad verticem ægrotes, Eſa. 1. v. 6. & variæ malæ cogitationes de corde tuo exeunt, Matth. 15. v. 19. tu habitas in civitate Chriſti, ibi Chriſtus legatos & plenipotentiarios ſuos habet, qui plenariam poteſtatem habent peccata remittendi & retinendi, Joh. 20. v. 23. Quapropter recipe te in locum confeſſionis, quando conſcientia tua te angit, & effunde cor tuum coram Deo & miniſtro ejus, & vocem amabilem audies: Confide fili! Confide filia! remiſſa tibi ſunt peccata tua. Hoc pluris faciendum eſt, quàm omnia alia privilegia, quæ ab Imperatoribus & Regibus impetrari poſſunt. Ideo ex animo lætari debemus, quod Deus habitaculum ſuum inter nos fixit. Semitæ enim ejus ſtillant pinguedinem, Pſal 65, 12. & ubicunque habitat, illic mandavit benedictionem, & vitam uſque in ſeculum, Pſal. 133. v. ult.

II. *Tanquam cogitationum explorator.* Quidam de Scribis dicebant inter ſe: Hic blaſphemat. Et putabant id nemini innoteſcere. Sed ecce! Servator ſuſpicionem eorum in apricum profert, dicens: Quid cogitatis mala in cordibus veſtris. Hoc ipſo ſatis probavit, ſe Dominum & Deum illum eſſe, de quo ſcriptum eſt: Tu ſolus noſti corda filiorum hominum.

Notetur hoc piis Chriſtianis

1. *Ad conſolationem*, quando in tribulationibus & ærumnis verſantur. Dominus omnia novit, antequam fiunt, & demenſus eſt in numero, pondere & menſura, Sap. 11. v. 22. uſque ad tempus præfinitum, Dan. 11. v. 35. Quinimò ſi clancularia ſollicitudine laboramus, quam nullius in ſinum effundere audemus, novit id Dominus, & audit omnia ſuſpiria, quæ propterea ad eum mittimus, Domine, ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus, Pſal. 38. v. 10.

Cum Moſes cum Iſraëlitis ad mare rubrum inter ſacrum & ſaxum ſtaret, quamvis nullis verbis uteretur, ſed in corde duntaxat ſuſpiraret, audivit id Dominus, dicens: Quid clamas ad me? Exod. 14, 15.

Pari modo Annam, in corde tantùm ſuo loquentem, & labia moventem exaudivit, 1. Sam 1. v. 13.

Cum Jona in ventre cete anguſtiaretur in animâ ſuâ, & recordaretur Domini, oratio ejus venit ad templum Dei ſanctum, Jon. 2. v. 8.

Hoc in nobis fiduciam excitare debet, & quia ejusmodi Redemtorem habemus, qui oculorum acie non modo externam miſeriam: ſed & internas cordis anguſtias, quin & cogitationes devotas, & deſideria perſpicere valet, confidamus ipſi, in omnibus adverſitatibus, ipſe faciet, Pſal. 37. v. 5. Et quando impius dicit: non requiret, tu ipſi explica anguſtias tuas, dicens: Vides quoniam tu laborem & afflictionem &c. Pſ. 10. v. 13. ſic ipſe ſuccurret, & non æternùm dabit afflictionem juſto, Pſal. 55, 23.

2. *Ad dehortationem.* Ne malis cogitationibus indulgeamus, ſed cogitemus, quod Dominus exploratas ſibi eas habeat, & alloquatur nos: Quid cogitatis mala in cordibus veſtris. Intelligit enim cogitationes no-

Digitized by Google

ſtras de longè, Pſal. 139. v. 3. eaſq; aliquando congregabit, & in judicium afferet, Eſa. 66. v. 18. Ideo hîc ſedulâ cautione opus eſt. *Dæmonum eſt ſuggerere, noſtrum eſt, non conſentire*, ait Bernhardus. Et Auguſtinus: *Quicquid pudet dicere, pudeat & cogitare, quia Deus omnia novit.* Potius nominis Domini Dei noſtri recordemur, Pſal. 20. v. 8. dicentes cum Davide: Quando recordor ſuper ſtratum meum &c. Pſal. 63. v. 7. Recordemur vocationis noſtræ ſtudio, non pigri, Rom. 12. v. 11. Recordemur extremi judicii, ubi Dominus etiam cogitationes judicabit, Heb. 4. v. 12. 1. Cor. 13. v. 5. Summa: quicquid agis, reſpice finem, & nunquam peccabis, Sir. 7. v. ult.

III. *Tanquam præſentiſſimus opitulator.* Qui artem ſuam in hoc paralytico bifariam probavit.

1. *Per curam ſpiritualem.* Quia enim omnes morbi à peccatis derivantur, Sir. 38. v. 15. Dominus antè cauſam removere vult, & animam ejuſdem ſanare, ideò inquit: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

Medici corporales varia medicamenta adhibere coguntur, quando paralyſin curare volunt, & tamen

Interdum doctâ plus valet arte malum.

Sed Chriſtus iis non indiget: ſed cauſam morborum modò removet, peccata remittens, & ſuâ ſponte morbi ceſſant.

Pari modo nos quoque morbis preſſi, pœnitentiam agere, & peccatorum ſcaturiginem obſtruere debemus, ex qua omnia peccata & mors ipſa derivata eſt, Rom. 5. v. 12. Sir. 38. v. 9.

2. *Per curam naturalem.* Simulac enim Paralytico dixit: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Ille ſoſpes & ſanus ſurrexit, & abiit in domum ſuam.

En medicum miraculoſum & potentiſſimum! qui verbo tantum morbum profligat, quem nemo medicorum medicamentis precioſiſſimis ſanare potuiſſet.

Ne proinde deſperemus *in ſpiritualibus tentationibus*, quando conſcientia angit, & Diabolus nos oppugnat à dextris & ſiniſtris, 2. Cor. 6. v. 7. Hic Dominus ille eſt, qui auffert iniquitatem, & tranſit peccatum reliquiarum hæreditatis ſuæ, Mich. 7. v. 19. Si quis igitur peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum, juſtum, 1. Joh. 2. v. 1.

Ne quoque animum abjiciamus in affectione corporali, quando intraverunt aquæ usque ad animam, Pſal. 69. v. 2. in diluvio, Nahum. 1. v. 8. Hic Dominus eſt, qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quàm petimus aut intelligimus, Eph. 3. v. 20. nec patietur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, 1. Cor. 10. v. 13. Et quando nos ſatis excoxit in furno afflictionis, Eſa. 48. v. 10. ſalvos faciet in regnum ſuum cœleſte, 2. Tim. 4, 18. ubi nullum peccatum, afflictio nulla amplius erit, ſed abundantia gaudiorum, & delectationes, in æternum, Pſ. 16, ult. Largiatur id nobis Deus omnibus ex gratia per Jeſum Chriſtum,

Amen.

* * *

DO-

Dominica XX. poſt Trinitatis.

Evangelium. Matth. 22. v. 1. ---- 14.

EXORDIUM.

De Samſone memoratur, quod in Thamnatha de filiabus Philiſtiim ſibi *ſponſam* elegerit, quæ oculis ejus placuerit, & conſenſu Parentum ſuorum impetrato, deſcenderit cum illis & inſtituerit nuptias. Convivis autem nuptialibus propoſuit *problema*, additâ hac promiſſione, quod velit, ſi ſolverint intra ſeptem dies convivii, illis dare triginta ſindones, & totidem mutatorias veſtes: ſin autem non ſolverint, ſibi triginta ſindones, & totidem mutatorias veſtes dari volebat, Jud. 14. v. 1. & ſeqq.

Simſon typus Chriſti fuit, qui gigas geminæ ſubſtantiæ eſt, & leonem rugientem Diabolum vicit, Apoc. 5. v. 5. ejusq; opera diſſolvit, 1. Joh. 3. v. 8.

Quemadmodum igitur Simſon ſponſam ſibi elegit, è Philiſtiim, *populis maledictis*, & cum Parentum conſenſu nuptias celebravit: Sic etiam cœleſtis ille Samſon, ſive vir Solis, Chriſtus Jeſus, ſponſam ſibi quæſivit, nôn in cœlo inter Angelos, ſed in his terris, *inter homines peccato contaminatos*: quod non fortuitò ita factum eſt, ſed juxta decretum patris cœleſtis, quò opus humanæ redemtionis promoveretur. Commendat enim Deus caritatem ſuam erga nos, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, Rom. 5. v. 9. Tempore igitur illo adveniente, quod in SS. Trinitatis conſilio præfinitum fuit, comparuit ille, & cum ſponſâ ſuâ nuptias celebravit, ut jam ſponſus & maritus noſter, Eſa. 54. v. 5. nos verò ſponſa & adamata ejusdem vocemur in æternum, Eſa. 62. v. 4.

Ad has nuptias non pauci duntaxat invitati ſunt, velut ad nuptias Samſonis, ſed omnes omnino homines cujuscunque ſint generis, conditionis & ætatis. Dominus enim per ablegatos ſervos ſuos, invitatis annunciari jubet, omnia parata ſunt, venite ad nuptias. Sive ut apud Eſaiam verba jacent: Omnes ſitientes venite ad aquas, Eſa. 55. v. 1.

Problema nuptiale eſt prælecta parabola, de Rege, qui fecit nuptias filio ſuo, in quo nobis allegoricè non modò ingens gratia & φιλανθρωπία patris cœleſtis erga genus humanum, ſed & mundi ingratitudo & contemtus, ut & horrenda pœna, quæ ſucceſſit, delineatur & proponitur.

Nos hac vice ſcopo noſtro inſervientes, tractabimus ex hoc Evangelio

I. ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*

II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

Prælectum Evangelium propriè ad paſſionem Servatoris noſtri pertinet. Paulò enim ante paſſionem & mortem ſuam cum inimicis ſuis, Phariſæis & Scribis in acrem diſceptationem venit: & quia non inſcius erat, quod vitæ ſuæ inſidias ſtruerent, in aliquot parabolis illis oſtendebat, quantopere errarent, & quantâ aliquando

pœnâ

Pœnâ afficiendi eſſent. Ex his parabolis Prælectum Evangelium non poſtremum eſt, in quo Dei φιλανθρωπία & hominum ingratitudo ſibi opponuntur. Ita ut illud non incommodè exemplum vocari poſſit, dicti Siracidis: Tam citò iraſci poteſt Deus, quàm miſereri: & ira illius in peccatores non deſinit, Sir.5.v.7.

Non enim ſaltem nuptias inſtituit, ſed & ſervi emiſſi per totam civitatem circumire tenentur, & tandem ubi invitati venire nolunt, in vias quoque abire, & quocunq; invenerint, ad nuptias vocare jubentur.

Occaſionem *ſeipſum noſcendi* exhibet præſens Evangelium, ſi ſpectemus:

1. *Repugnantes*, qui ſpretis nuptiis abierunt, alius in villam ſuam, alius verò ad negotiationem ſuam, & ita venire noluerunt. Hi ſunt Epicurei, qui in diem viventes veluti pecora, illudunt peccatum, Prov.14,9. & ajunt: Nolumus. Jer.6.v.17. Paulus ſic deſcribit, quod terrena ſapiant, & Deum ventrem habeant, Phil.3.v.19.

Tales erant Ante-diluviani, Gen.7,17. Sodomitæ, 2.Petr.2.v.8. Auditores Eſaiæ, qui propterea queritur: Quis credit auditui noſtro? Eſa.42.v.20. item Jeremiæ, c. 44.v.17.

Id Chriſto ipſi contigit, cum Judæam pertranſivit, & Evangelium de regno Dei prædicavit: Quia enim Pontifices, Seniores & Scribæ verebantur, ne, ſi cum ipſo facerent, venirent Romani, & tollerent locum & gentem, Joh.11. v.48. Non ipſi modò Chriſtum perſequebantur, ſed & populum inſtigabant, ut clamaret: Crucifige, crucifige; ideò lamentabili voce eos alloquitur: Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas &c. Matth.23.v.37.

Hic examini te ſubjice, mi Chriſtiane! an non & ipſe in numero contemtorum fueris ſacras conciones & Sacramenta neglexeris, & terrena cœleſtibus prætuleris?

Hic nemo facilè eximere ſe poterit: Nihil enim in fece hac mundi vulgarius eſt, quàm quod domus Dei deſerta ſit, & unusquisque in ſuam domum feſtinet, Hag. 1. verſ. 10.

O quam multi ſunt, qui rarò templum adeunt, multò rarius ſacram ſynaxin. Hic non immeritò interroges, an ejusmodi homines etiam Chriſtiani vocandi ſint. Lutherus ſcribit: Wer das Sacrament nicht groß achtet / das iſt ein Zeichen / daß er keine Sünd / kein Fleiſch / kein Teuffel / kein Welt / kein Tod / kein Gefahr / kein Hölle hat / das iſt / er glaubet der keines / ob er wol biß über die Ohren darinn ſteckt / und iſt zwifältig deß Teuffels. Wiederum ſo darff er auch keiner Gnaden / Leben / Paradeiß / Himmelreich / Chriſtus / Gottes / noch einiges Guts / denn wo er glaubte / daß er ſo viel böſes hätte / und ſo viel guts bedörffte / ſo würde er das Sacrament nicht ſo laſſen / darinnen ſolchem Ubel geholffen / und ſo viel gutes gegeben wird. Hactenus Lutherus.

Hæc verba emphatica ſunt, quæ contemtores ſtudioſè obſervare debent, an hoc ipſo reſipiſcere velint à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur, ad ipſius voluntatem, 2.Tim.2.v.ult. Quali ejusmodi homines laude, pro concione funebri ornandi veniant, facilè patet, utpote, qui indigni ſunt, ut honeſtâ ſepulturâ afficiantur. Ad minimum Chriſtianus anniverſariè quater ſacrâ Euchariſtiâ uti debet, qui hoc non facit, ait Lutherus, metuendum eſt, ne ejusmodi homo Sacramentum contemnat, & Chriſtianus non ſit. Et alibi ſcri-

ſcribit: Du wilt ein Chriſt ſeyn und weiſt/ daß Chriſti Befehl iſt / das Sacrament offt zu gebrauchen/ aber du läſt es anſtehen ein gantz Jahr / drey Jahr/ wol länger! Wie reimt ſich das mit einem Chriſten? Du biſt kein Chriſt / ſondern ein Teuffel. Damit ſtellt man ſich faſt / als hielte man Gott für einen Narren / der unnöthige Stifftung verordnet / und nicht wuſte/ was er ſtifften ſolte. Iſt wunder/ daß die Sonne nicht längſt kohlſchwartz worden/ kein Laub und Graß gewachſen / kein Tropffen Waſſer noch Lufft in der Welt blieben / für ſolcher unmenſchlichen Undanckbarkeit Ex hoc apparet, quanto zelo hic divinus vir ejusmodi contemtum reprehenderit. Quis igitur hodie eundem probaret?

Sanè Servator noſter, qui omnia ſcit, Joh. 16. v. 32. & omnes greſſus hominum conſiderat, Prov. 5. v. 21. Ejusmodi contemtores quoque obſervat. Quicunq; igitur cœnam ejus contemnit, hunc viciſſim vilipendet, 1. Sam. 2, 30. ut non guſtaturus ſit cœnam ejus, Luc. 14. v. 24. Quia vocavi & renuiſtis &c. Prov. 1. v. 24. 27.

II. *Trucidantes*, qui ſervos Dei prehendunt, contumeliâ afficiunt, & occidunt. Hi ſunt Tyranni & perſecutores Evangelicæ veritatis, qui à Patre ſuo diabolo homicidia didicerunt, & quod aſtu perpetrare nequeunt, id violentiâ tentant Initium contumeliis faciunt, ſicut *Eſaias* de Auditoribus ſuis conqueritur, quod ſuper ſe os dilataverint, & linguam ejecerint, Eſa. 57. v. 4.

Idem evenit *Ezechieli*, cujus auditores, in canticum oris ſui vertebant ſermones ejus, Ezech. 33. v. 31. ſed non ſufficit hoc: Verum, ubi potentiâ præditi ſunt, in exilium mittunt, Amos 7, 12 13. aut alapas offerunt, ut Amazia Rex Juda Prophetæ obtulit, 2. Chron. 25. v. 16. tandem cædes ſequitur, ut viri Anathoth, Jeremiæ minitabantur: Non prophetabis in nomine Domini, & non morieris in manibus noſtris, Jer. 11. v. 21.

Id exemplo ſuo probat *Micha*, quem Rex Achab nullâ aliâ de causâ carceri incluſit, quam quia dixit: Ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum, 1. Reg 22. v. 7.

Eſaias ſerrâ ligneâ, anno ætatis ſuæ ſexageſimo quarto, Manaſſis juſſu diſſectus eſt.

Jeremiam miſerunt in lacum ubi fame mortuus eſſet, niſi ſtudio Abdemelech Æthiopis extractus fuiſſet, Jer. 38, . quamvis in Ægypto tandem juſſu Regis Apryis lapidibus ſublatus ſit

Johannes Baptiſta, ut & Apoſtoli Paulus & Jacobus major decollati, Bartholomæus vivus excoriatus, Petrus, Andreas & Philippus crucifixi, Thomas & Matthæus lanceâ perfoſſi ſunt. Alii Apoſtoli & Sancti Dei homines ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres, Heb. 11, 36. 38.

Eadem ſors adhuc hodiè fideles Præcones & Paſtores manet, quando homines ad nuptias invitant, & ajunt: Pro Chriſto legatione fungimur, 2. Cor. 5 v. 20. hinc variis contumeliis, odiis, inimicitiis, & perſecutionibus onerantur, maximè quia veritatem dicunt, quæ filiis hujus ſeculi inviſa eſt, & reverentius tractari cupiunt, ſicut Saul à Samuele petebat: Honora me coram populo, 1. Sam. 15. v. 30.

Hic proba te, mi Chriſtiane! annon & ipſe quandoq; adverſus Dei legatos inſurrexeris, & pro hac opera, quod te ad nuptias invitarunt, verbis & operibus non modò iiſdem infenſus, ſed & noxius fueris?

Si fateri verum velis, non negabis, quod

Digitized by Google

hâc in parte ſubinde peccaveris. Ne enim jam dicam de iis, qui vitæ Paſtorum inſidiantur, & dolore afficiuntur, ſi animum explere nequeant: plurimi ſanè hodie inveniuntur illorum, qui dentibus ſtrident, ut Stephani Auditores, Act. 7. v. 54. aut auſtero vultu intueantur, ut facilè videas, faciem non eſſe, ſicut heri & nudius tertius, Gen. 31. v. 5. aut paſſim ejusmodi hemiſtichia evomunt, quibus illi ſpernuntur, & in diſcrimen famæ adducuntur, id vocat ſcriptura, linguâ percutere, ut Jeremiæ contigit, Jer. 18. v. 18. Si verbi miniſter junior eſt, audire tenetur: Quis oſtendit nobis bona? Pſal. 4. v. 6. Sin Senior: ut repuераſcentem ipſi pueri ludibrio afficiunt, ut Eliſam, 2. Reg. 2. v. 25. Si indigena, parùm æſtimatur, quia nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua, Luc. 4. v. 24.

Si ſeverior, peccata juſto zelo taxat, quilibet injuriam meminiſſe vult, & vindictam meditatur, Sir. 10. v. 6.

Si humaniter cum quolibet converſatur, ecce, homo vorax & vini potator, amicus peccatorum habetur, Matth. 11. v. 19. Sic mundus totus in maligno eſt poſitus, 1. Joh. 5. v. 19. cui ſervi Dei ſemper invidioſi ſunt & ſudes in oculis.

Quodſi igitur & tu in horum numero hactenus fuiſti, memineris velim quantâ fidelitate & ſtudio ſalutem tuam procurent, & te quaſi parturiant, dum Chriſtus formetur in te, Gal. 4, 19. Ideo communicare debetis, qui catechizatur, Gal. 6. v. 6.

De Pericle Athenienſium Principe refert Laërtius, quod Anaxagoras Philoſophus ei in adminiſtrandâ repub. magno uſui fuerit. Verùm eundem deſiiſſe curam agere Anaxagoræ, ut fermè inediâ conſumtus fuerit. Tùm anxium accurriſſe Periclem, eiq; magnas promiſſiones feciſſe, quo ſanitatem recuperaret. Verùm Anaxagoram retectâ facie, moribundum nihil aliud reſpondiſſe, quàm hæc: O Pericles! quibus lucernâ opus eſt, infundunt oleum.

Idem de miniſtris verbi dicendum videtur. Vos enim eſtis lux mundi, ait Servator, Matth. 5, 14. quodſi verò lux extingui nequeat, oleum auditores infundere debent, h. e. pro beneficiis exhibitis gratiã referant oportet. Rogamus vos fratres, ut noveritis eos, qui laborãt inter vos. 1. Theſſ. 5, 12. Qui id non facit, ſed reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus, Prov. 17, 13.

III. *Simulantes.* De quibus Servator: Intravit autem Rex, ut videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem, non veſtitum veſte nuptiali. Hoc ipſo intelliguntur hypocritæ, & Pſeudo-Chriſtiani, ſed fides ſalvifica ipſis deeſt, quam ore prędicant, ex operibus verò oſtendere nolunt, Jac. 2, 18. Et hoc non rarum eſt in Eccleſia: quæ ideo comparatur roſæ inter ſpinas, Cant. 2. v. 2. tritico inter lolia, Matth. 13, 25. ovibus inter lupos, Matt. 10, 16. ſed qui Dei amicus eſſe vult, hypocriſin fugiat. Cor enim ille tuetur, 1. Sam. 16, 7. & ſcit quid in homine ſit, Joh. 2. v. ult.

Hic examina te mi Chriſtiane! utrum & ipſe veſte nuptiali veſtitus fueris, quoties nuptias agni acceſſiſti, h. e. cultui divino, confeſſioni, & ſacra cœna interfuiſti?

Multi enim ex merâ conſuetudine adveniunt, ut in Chriſtianorũ numero habeantur, reipſâ verò hypocritæ ſunt, quos alloqui poſſis, ut Chriſtus in Evangelio convivam: Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialẽ? Quamvis n. hominũ conſpectum fugiat ejusmodi hypocriſis: tamen Deus eandẽ perſpectã ſibi habet, cujus oculis omnia nuda ſunt, Heb. 4. v. ult. Sir. 39. 24.

Pro-

Propterea ante omnia operam demus, *ut veſtem nuptialem nobis acquiramus.* Homini inter alia veſtimentum quoq; neceſſarium eſt, Sir.40.v.31. Sed multò magis indigemus veſtitu ſpirituali, ſine quâ velut indigni hoſpites obmuteſcere cogimur, quando Rex intrabit, ut videat diſcumbentes, ſine fide enim impoſſibile eſt placere Deo, Hebr.11.v.6.

Veſtitus corporalis gaudium affert, ſicut videmus in Joſeph, cui pater ejus fecit tunicam polymitam, Gen.37.v.3.

Veſtis nuptialis multò magis. Hâc enim amictus, cum Eſaia dicere poteſt: Gaudens gaudebo in Domino, Eſ.61,10. Hoc gaudiũ nunquam tolletur ab eo, Joh.16 v.22.

Veſtitus corporalis tegit nuditatem & pudenda, ideò Deus Protoplaſtis fecit tunicas pelliceas, Gen.3,21. Sed veſtis nuptialis multò magis. Animam enim ornat, & nuditatẽ interiorem operit, Apoc.3,17. ut nemo nos propterea accuſare poſſit, Rom 8,33.

Veſtitus corporalis contra gelu & æſtum corpus munit, ideò Paulus ad Timotheum ſcribit, ut penulam afferat, 2.Tim.4.v.13. Veſtis nuptialis multò magis: hac enim munimur, ne caritas frigeſcat in cordibus noſtris, Matt.24,12. & neq; ira Dei, neq; æſtus tribulationis nos conſumere poſſit. Fide n. juſtificati pacem habemus, Rom.5,1.

Veſtitus corporalis in morte deponendus eſt: Nihil enim intulimus in hunc mundum, 1.Tim.6.v.7. Sed veſtem nuptialem veri Chriſtiani mundo efferunt, in eâq; comparent coram tribunali Chriſti, velut in capſulis aureis, quibus Regi ſuo placent, ut concupiſcat pulchritudinem eorum, Pſ.45, 14. In hâc veſte pueri brevi conſummantur, Sap,13. ſenes ut aquilæ renaſcuntur, Pſ. 103,5. In hoc amictu infirmi virtute inſtruuntur, 2.Cor.12,9 inopes diteſcunt, Pſ.4,8. & moribundi in pace decedunt, Luc.2,29. Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur à modo: Etiam, dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos, Apoc.14.v.13.

De Secundo

AGgrediemur nunc ad *alteram partem*, χριστογνωσιαν ſive *notitiam Chriſti* contemplaturi. Hic nobis contemplandus proponitur.

I. *Tanquam ſponſus noſter laudatiſſimus.* Simile enim factum eſt regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Hæc ſpiritualis deſponſatio eſt, inter Chriſtum & Eccleſiam, de quâ ipſe ait: Sponſabo te mihi in ſempiternum, Oſ.2,20. Et Paulus ad Corinthios ſcribit: Deſpondi vos uni viro, 2.Cor.11,1. Huc omnia illa N.T. dicta pertinent, in quibus Chriſtus ſponſus & Eccleſia ſponſa dicitur, Eſ.62,4. Matth.25.1. Joh.3. v.29. Apoc.19,7. c.21,2. & 22.v.17.

Hoc non abs re ſacramentum magnum eſt, uti Paulus appellitat, Eph.5,22.

Aliàs in Proverbio dicitur: Similis ſimili gaudet, quod & in conjugio contrahendo obſervari debet, juxta illud: Si quà voles aptè nubere, nube pari, Sir.13,19.

Sed in ſpirituali hac deſponſatione Chriſti & ſponſæ ejusdem contrarium planè reperitur. Sponſus eſt *Formoſiſſimus*, Pſ.45,3. ſed ſponſa deformis maximè eſt, plena vulnerum & livorum, Eſa.1.v.6 Sponſus eſt *potentiſſimus*, Matth.28.v.18. Eph.6.v.ult ideò vocatur heros, Pſ.45.v.4. ſed ſponſa eſt impotentiſſima, ut nihil ex ſeipſâ valeat, niſi remiſſæ manus, & ſoluta genua erigantur, Hebr.12.v.12.

Sponſus *ditiſſimus* eſt, quem pater ejus conſtituit hæredem univerſorum, Heb.1,2.

 Hagg.

Hagg. 2.v.9. Sed ſponſa eſt miſera & miſerabilis,& pauper & cœca & nuda, Apoc. 3.v.17. Non enim homo poteſt accipere quicquam, Joh.3.v.27.

Sponſus eſt *humaniſſimus*, in cujus labiis gratia diffuſa eſt, Pſal 45. v. 3. & loquitur meras roſas, & merum mel, Cant.5.v.13. At ſponſa improbiſſima eſt, cujus os plenum fraude, maledictione & dolo, ſub linguâ ejus labor & dolor, Pſal.10.v.7.

Sponſus tandem eſt *fideliſſimus*, nec mutatur, Mal 3.v.6. ſed permanet, Pſal.102.v.27.& cuſtodit veritatem in ſeculum, Pſal. 146. v. 6. Sed ſponſa eſt generatio mala & adultera, Matth. 12. v. 39. quæ ſicut fera in deſiderio animæ ſuæ anhelat, & cum multis fornicatur, Jer.2.v.24. c.3.v.1.

Spectate dilecti! nonne hi cœlo diſtant! Quodſi ſponſo volupe fuiſſet, facilè ſibi elegantiorem & nobiliorem ſponſam quærere & invenire potuiſſet in cœlo, inter Angelos & Archangelos: ſed amor eum conſtrinxit, ut ad patrem ſuum, velut Samſon dixerit: Hanc mihi accipe, quia placet oculis meis, Jud 14.v.3.

Hæc omnia noſtro bono facta ſunt. Quemadmodum enim ſponſa per vinculum conjugale cum ſponſo ſuo velut unum corpus fit, & venit in communionem nominis, honoris & bonorum ejus. Uxor ſiquidem coruſcat radiis mariti, velut Luna radiis ſolaribus A Chriſto enim denominamur Chriſtiani. Act.11.v.26. Et quia filius Dei eſt, nobis quoque poteſtatem dedit filios Dei fieri, qui credimus in nomine ejus, Joh.1. v.12. Quia Rex noſter & ſummus Sacerdos eſt, nos quoque Reges & ſacerdotes Patri ſuo fecit. Apoc.1.v.6. Quia juſtus eſt: nobis quoque de juſtitiâ ſuâ communicat, ut de plenitudine ejus accipiamus gratiam pro gratia, Joh.1,16. Quia mortem, peccatum & Diabolum ſuperavit, nos quoq; victoriâ hâc fruimur, & longè vincimus per eum Rom 8,37. Quia tandem Dominus eſt ſuper omnia, Hebr.1.v.2. nos quoq; Dei hæredes & ſibi cohæredes facit, Rom.8,17 Tandem nuptiæ & domiductio ſequetur, ubi Chriſtus omnem aquam tribulationum, quâ hîc copiosè potati ſumus, Pſ.80,6. mutabit in dulciſſimum vinum refrigerii, Joh.2.v.8. ut omnium miſeriarum obliti, gaviſuri & exaltaturi ſimus, in his, quæ creabit Dominus, Eſ.65,17.

II. *Tanquam curator nuptiarum fideliſſimus.* Etſi enim ſponſus eſt, cui Rex nuptias fecit, attamen & hoc nobis conſtat, quod opera Trinitatis ad extra ſint indiviſa. Ideo non repugnat, quò minus & ſponſus & curator nuptiarum ſit. Hoc poſtremum facit bifariam:

1. *Servorum emiſſione*, miſit enim ſervos ſuos. Per hos intelliguntur omnes fideles Paſtores, & Verbi miniſtri, ab exordio mundi, qui magno ſtudio & fervore homines ad nuptias has invitarunt: Sed plerumque illi contumeliis affecti ſunt: quod grande peccatum eſt, ut ſuprà memoravimus, ideoq; declinari debet.

Cum Haman à Regina Eſther ad epulas invitatus eſſet, magno id ſibi ducebat honori, Eſth. 5,12. Quantò magis nos ex animo lætemur, quod Rex Regum homunciones nos adeò dignatur, & per miniſtros ſuos ad nuptias filii ſui vocat. Beatus ille! qui ad vocationem hanc comparet, quo illi cum gaudio hoc faciant, & non gementes, Hebr.13.v.17.

Cum Abſolon indignationem Parentis ſui incurriſſet, Joabum ablegabat, qui illum patri ſuo conciliaret, antequam id fieret, vita ei acerba erat, 2 Sam.14,1.ſeqq.

Et nos quoq; per peccata Deû offendimus: ſed.

ſed nemo inter nos fuit, qui de reconciliatione cogitaret, quin potius theſaurizabamus nobis iram Dei in die iræ, continuatione peccatorum, Rom. 2. v. 5. Pſal. 12. v. 2. 3.

Nihilo minus gratiam impetravimus, à Deo: & ubi noſtri officii fuiſſet, ad Deum mittere, ejusque gratiam petere: ille ad nos mittit, & obſecrat nos, ut reconciliemur ſibi, 2. Cor. 5. v. 20. hæc gratia præveniens eſt, qua nos viſitavit oriens ex alto, Luc. 1. v. 78.

2. *Lauta inſtructione.* Omnia enim parata ſunt, ut poſſimus comedere absque argento, vinum & lac. Eſaiæ. 55. verſ. 1.

Parata eſt *dilectio Dei patris*, quæ tanta in epulis his cœleſtibus comparet, ut etiam proprio filio non pepercerit, ſed pro nobis omnibus tradiderit illum, Rom. 8. v. 32.

Parata eſt *ſatisfactio Filii*, qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo, Epheſ. 5. verſ. 2. & propitiatio factus pro peccatis noſtris, 1. Johan. 2. v 2.

Parata eſt *concio verbi divini*, ad pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, Luc. 24. verſ. 47. qua fides in cordibus hominum accenditur, Rom. 10. v. 17.

Paratus eſt *Baptiſmus*, quo renaſcimur, & ex filiis iræ, Epheſ. 2. v. 3. filii Dei & cohæredes Chriſti efficimur, Rom. 8. v. 17. ſine quo in regnum Dei venire non poſſumus, Joh. 3, 5.

Parata eſt *abſolutio*, ubi peccator reſipiſcens ſolatio ſe reficere, & omnium peccatorum remiſſionem impetrare poteſt, Joh. 29. v. 23.

Paratum eſt *ſalutare viaticum in ſacra cœna*, quo nos ultimo itineri ad cœleſtem patriam accingere poſſumus, nempe communio corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, 1. Cor. 10. v. 16.

Paratum denique eſt *pignus & arrhabo ſalutis noſtræ*, nempe Spiritus Sanctus, Epheſ. 1. verſ. 14. qui ſublevat infirmitatem noſtram, & teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei, Rom. 8. v. 16.

Quia igitur hic omnia parata ſunt, ut non deſtituamur omni bono, Pſal. 34. v. 11. Ideo dimitte mundum & concupiſcentiam ejus, 1. Joh. 2. v. 17. nec ſequimini principem ejus, Diabolum, quando vos invitat promiſſione divitiarum, gloriæ aut voluptatum hujus mundi, omnia enim illa tranſitoria ſunt, 1. Joh. 2. v. 17. & animam exſaturare non poſſunt. Potius, quia omnia parata eſſe audimus, & nos paremus, ut cum virginibus prudentibus intremus ad nuptias agni, Matth. 25. v. 10.

III. *Tanquam ultor contemtorum ſeveriſſimus* Duplex enim hic pœna exprimitur:

1. *Temporalis* rex enim iratus eſt, & miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum ſuccendit. Id Deus non modo in Judæis ita implevit, quorum civitatem Hieroſolymam in toto Oriente florentiſſimam, cum templo funditus delevit, eorumque regionem devaſtavit, Luc. 19. v. 44. Sed & in noſtra dilecta Patria, & alibi, quo ipſo probavit, ſe eſſe fortem zelotem, Exod. 20. v. 5.

2. *Æternalis*, quæ adumbratur in eo, qui caruit veſte nuptiali,

1. *Per manuum & pedum ligationem.* Sicuti enim malefici, catenis conſtringuntur: ſic & impii, in ſingulis membris catenis

nis igneis conſtringentur, & ſic exquiſitis doloribus afficientur.

2. *Per violentam exturbationem*, quæ deſcribitur:

1. *Ratione termini à quo*, qui eſt domus nuptialis: Mittite enim, ſive extrudite eum, inquit Rex, indignus eſt, qui epulo nuptiali fruatur. Sic damnati à facie Dei & ſanctorum Angelorum, omniumque beatorum abjicientur conſortio. Sicut igitur juxta Auguſtinum, *viſio Dei eſt tota vita æterna*. Sic juxta Chryſoſtomum: *Deum non videre ſuperat omnia gehennæ ſupplicia.*

2. *Ratione termini ad quem*, quæ erunt tenenebræ exteriores. Cum his h. l. infernus comparatur

1. *Ratione mœroris.* Quemadmodum enim lux lætitiam affert: ſic contra tenebræ triſtitiam & mœrorem. Tob. 5. v. 12. In inferno igitur nil niſi dolor & mœſtitudo erit. Ideo dicitur de impio: Non videbit lumen in æternum, Pſal. 49. v. 20.

2. *Ratione doloris.* Si quis tenebricoſo carceri incluſus eſt, in multo majori dolore verſatur, quam ſi lucis uſura fruatur: Exquiſitiſſimis igitur doloribus ſubjecti erunt damnati, quando in carcere tenebricoſo inferni non diem, non ſeptimanam, non menſem, aut annum ſed in æternum degent. Neque enim flamma infernalis illuminare poterit noctem illam horrendam, Sap. 17. v. 5. ſed quando mane veniet, & nox erit, Eſa. 21, 11.

3. *Ratione erroris.* Hinc dicimus: Nox nemini amica. Sicut legimus de Ægyptiis quod in triduanis illis tenebris, perſonæ triſtes illis apparuerint, quæ pavorem illis præſtiterunt, Sap. 17. v. 4. Multo magis id fiet in tenebris infernalibus, ubi diaboli in horribili larva damnatis horrorem incutient, ut montibus dicturi ſint: Cadite ſuper nos, Apoc. 6, 16.

3. *Per fletus & ſtridoris ſignificationem.* Fletum efficient, cum dolores exquiſitiſſimi, quibus excarnificabuntur, Eſa. 66. verſ. 14. tum conſideratio temporis gratiæ, quam malitioſe neglexerunt: quin & æternitatis, qua pœnitentia & fores gratiæ ipſis intercluſæ ſunt: Ex inferno enim nulla redemtio, Pſal. 49. v. 15.

Stridor vero dentium non modo veniet à male feriata conſcientia, quæ terrorem ipſis incutiet, Job. 15. verſ. 20. ſed & ab immenſo frigore, quo per vices velut in febricitantibus fieri amat, infeſtabuntur, hinc dicitur de damnatis, quod commanducaturi ſint linguas ſuas, præ dolore, Apocalypſ. 16. verſ. 10. Hoc probe meminerimus, quo in tempore gratiæ, vera veſte nuptiali, innocentiæ & juſtitiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti nos exornemus, ne obmuteſcamus, cum Dominus intrabit ad viſendum convivas, ſed digni inveniamur, ſtare coram filio hominis, Luc. 21. verſ. 36. Cui ſit laus & gloria in æternum, Amen.

* * *

Do-

Dominica XXI. poſt Trinitatis.

Evangelium Ioh. 4. v. 47. --- 54.

EXORDIUM.

CUm Deus juſtiſſimus primum mundum diluvio inundare & perdere vellet, rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt: Et facta eſt pluvia ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: Sic conſumta eſt omnis caro hominum pariter & animantium, quæ movebatur ſuper terram. Sed arcæ, & iis, qui cum Noah in arca erant, aquæ incommodare non poterant: verum quo plus multiplicatæ ſunt, eo plus elevarunt arcam in ſublime à terra, ut tandem quindecim cubitis altior eſſet aqua, ſuper montes excelſos, quos operuerat, Gen. 7. v. 11. ſeqq.

Hæc *jucunda crucis idea* eſt, qua Deus fideles ſuos in his terris afficere ſolet, ut illi in arca anguſtiarum degere cogantur, & à decumanis tribulationum fluctibus miris modis agantur. Sed non detrimento ipſis eſt: multo magis elevantur hoc ipſo à terra, omnibusque rebus terrenis, ut quæ retro ſunt obliviſcentes, ad ea quæ ſunt priora ſe extendant, ad deſtinatum ſcopum perſequentes, ad bravium ſupernæ vocationis Dei, in Chriſto Jeſu, Phil. 3. v. 14. Ideoque crucem abhorrere non debemus. *Miſeri ſunt, qui nunquam miſeri fuerunt*, inquit Seneca. *Caro percutitur, ut anima ſanetur*, ut Baſilius ait.

Hic uſus ægritudinis
Ut medicina corporis.
A tartaro præſervet.
Darum ſchickt GOtt die Trübſal her/
Daß unſer Fleiſch gezüchtigt werd/
Zur ewgen Freud erhalten.

Potiſſimum vero ad preces hoc ipſo incitamur: Domine, in anguſtia requiſierunt te: meditatio quando eos caſtigas. Eſa. 26. v. 16.

Exemplum hujus rei proponitur nobis in prælecto Evangelio, in Regio Satrapa, qui multa de Chriſto audierat: ſed integrum ei non fuit, ut Chriſtum acceſſerit, & informationem ab eodem hauſerit: dum cruce impellitur, ejusque filius febri ardente infeſtatur: tum ſurgit perfugiens ad eum, de quo audierat, quod morbos alias inſanabiles curare & profligare poſſit, tanquam Dominus magnus conſilio, & magnus operibus, Jer. 32. v. 19. Nec irrito ſane ſucceſſu: quodcunque enim deſideravit, impetravit quoque: nec modo magno gaudio delibutus: ſed & cum univerſa domo ſua, ad ſalutarem Chriſti agnitionem perductus eſt. Nos methodo noſtræ inſiſtentes, diſcemus ex hoc Evangelio:

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*
II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exo-

Exegeſis.

DE Jonathane legimus, quod cum paululum de melle guſtaſſet, illuminati ſint oculi ejus, 1.Sam.14.v.27. Contra Tobiæ ſenioris oculi diutius liniti ſunt de felle piſcis, donec pellicula egrederetur de oculis ejus Tob.11.v.13.

Hic myſterium quoddam ſubeſſe videtur. Deus enim pronus eſt, ad benefaciendum nobis, ideoque lætatur, Jer.32 v. 41. Quod ſi vero id non agnoſcamus, defatigatur miſereri, Jer.15.v 6. & facit opus ſuum alio modo, Eſa 28. v.21.h.e. varias immittit caſtigationes, & aperit iisdem oculos, ut videamus mirabilia in lege ejus, Pſal. 119.v.18.

Hac poſteriori ratione adduxit Regium in præſenti Evangelio, qui ſponte ſua accedere eum noluit

Ad *notitiam noſtri* pervenimus, ſi ſpectemus:

1. *Puerum febricitantem* Ardente enim febri ille decubuit, ut vocula πυρετὸς indicat, hujus vehementia adeo maceratus & conſumtus fuit, ut præſentiſſima mors ob oculos verſaretur: cum à patre relinqueretur, animam agebat, ut nulla humana ſpes ſupereſſe videretur, propterea dicit Regius ad Chriſtum: Domine, deſcende, priusquam moriatur filius meus.

Sicut igitur alias Medici ſcribunt, quod nullus morbus ſit frequentior febri, & quod vix ullus morbus obtingere poſſit, cui non adhæreſcat febris:

Hinc proba te, mi Chriſtiane! annon & ipſe ſpiritualiter febri labores, 1.Petr.4.v.12. *& frigus incredulitatis & caritatis concurrant, & vehementes paroxyſmos cauſentur?* Matth.24.v.12.

Utique ejusmodi febricitantes inter nos occurrunt, qui æque, ſi non periculoſius laborant ac Regii filius in prælecto Evangelio, potiſſimum propterea, quia id agnoſcere nolunt, ſed imaginantur ſibi ſe ſanos eſſe, & ita ſpernunt conſilium Dei adverſus ſemetipſos, Luc.7.v.30.

1 Nonnulli laborant *Febri erratica*, quæ nullum certum tempus obſervat, hi illi ſunt, qui odio & invidentia infecti, proximi felicitati invident. Sicut Palæſtini Iſaac invidebant, quia Deus centuplum ei benedixerat, Gen.26 v.15.

Vitium hoc maxime familiare eſt, ſed intervalla ſua habet & nunquam hominem magis infeſtat, quam quando videt, proximo bene eſſe: tum facies immutatur, cor palpitat, & omnis lætitia evaneſcit: Hinc priſci invidiam in forma macilentæ mulieris depinxerunt, cum hac inſcriptione:

In videndo conſumor.

Hæc gravis afflictio eſt, quam homo ſibi ipſi conciliat, dum ſorte ſua non contentus eſt, & tamen hoc ipſo nihil poteſt adipiſci, Jac.4.v.2. ſed potius ſalute æterna excidit, Gal.5.v.20.21.

Alii laborant

2. *Febri quotidiana.* Hi ſunt comeſſatores, & Bacchi fratres, qui cum divite epulone quotidie ſplendide epulantur, Luc.16. v.19. dicentes: Venite, ſumamus vinum, & impleamus ſicera: & erit ſicut hodie, ſic & cras, & multo amplius, Eſa.56.v. ult. Id adeo tritum hodie eſt, ut ſi quis alteri honorem exhibere velit, cratera eum excipiat evacuanda, aut ſanitatis pocula propinet, quibus ſanitas magis profligatur, quam confirmatur, juxta illud Ovveni:

Vera ſalus ſanis, nullam potare ſalutem,
Non eſt in pota vera ſalute ſalus.

Verum, ut experientia probat, ejuſmodi homines perdunt *rationem* Vinum enim & muſtum auferunt cor, Hoſ. 4. v. 11. Profligant *ſanitatem*. Cui væ? cui gemitus? cui rixæ? Prov. 23. v. 18. ſeqq. *Honorem & existimationem*. Luxurioſa enim res vinum, & facit irriſorem, Prov. 20. v 1. *Vitam*, propter crapulam enim multi obierunt, Sir. 37. v. ult. *Æternam ſalutem*, ebrioſi enim regnum Dei non hæreditabunt, 1. Cor. 6. v. 10.

3. *Febri tertiana*. Hi illi ſunt, qui ad tempus credunt, & per biduum aut triduum ſe devotos ſimulant: ſed non continuant. Verum præter opinionem paroxyſmo peccatorum rurſus infeſtantur, & in priſtina peccata prolabuntur. Hunc enim morem habet diabolus, ut ſi quem ſemel casſibus ſuis irretiverit, non dimittat, ſed ex uno peccato in aliud trahat, donec præcipitet in æſtum æternum, ubi ignis & ligna multa, Eſa. 30. v. ult.

Ideo principiis hic obſtandum eſt, ne diabolo in minimis morem geramus, ſed contra inſidias ejuſdem devota oratione nos muniamus, precantes cum Davide: Doce me facere voluntatem tuam, Pſal. 143. v. 10.

4. *Febri quartana*: Hæc maxime periculoſa & Medicorum ſcandalum eſt.

Hac depinguntur ſuperbi, quæ omnes fideles admonitiones ſusque deque habent, & in viis ſuis perſeverant, ponentes os ſuum in cœlo, Pſal. 73, 10.

Quemadmodum enim, qui quartana laborant, ſe convaluiſſe putant, quia tantum interſtitium habent: ſed in ſpe ſua decipiuntur quando denuo invaduntur: Sic & ſuperbi plerumque magna affectant, & putant, ſe turrim exſtructuros eſſe usque ad cœlum, Gen. 11. v. 4. ſed ſi digitulo attingat eos Deus, fateri coguntur cum Davide: Profecto univerſa vanitas, omnis homo vivens, Pſal. 39, 6.

5. *Febri continua*. Hæc avaritia eſt, quæ hominem adeo ſolicitat ut nec per noctem mente requieſcat, Eccl. 2. v. 23. Alia quidem peccata interdum ceſſant: at avaritia nunquam deſinit. Et quemadmodum febricitantes continua ſiti laborant, quæ non reſtingui poteſt, ſed, quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ: Pari modo cum avaris res ſeſe habet, ut ſatiari nequeant: ſed ſemper clamant, affer, affer, Prov. 30. v. 15.

6. *Febri hectica* nonnulli laborant. Hac intelligitur concupiſcentia, ut Paulo vocatur, 1. Theſſ. 4. v. 5. Quemadmodum enim Hectica oſſa exſiccat, & humorem naturalem conſumit, ut tandem homo ſpiritum ſuum emittere cogatur: Sic concupiſcentia prava, ſcortatio & adulterium, eſt velut ignis, usque ad perditionem devorans, Job. 31. v. 12. Sir. 19. v. 3.

Hic examines velim te, ad has ſex ſpecies ſpiritualium febrium, quas modo recenſuimus, & facile deprehendes, quod non omnino ab iis immunis ſis, ſed una vel altera labores.

Sicut igitur febris corporalis malus morbus eſt, & qui ea infectus eſt, quærit media, quibus ſanitatem recuperet: ſic periculum majus eſt in iis, qui ſpiritualibus febribus urgentur. Illa corpus tantum affligit: hæc vero animam & corpus in gehennam præcipitat, 2. Teſſ. 1. v. 8. Ideo multo magis de mediis cogitemus, quibus ex periculo inſtante liberemur. Optimum remedium eſt, ut ad Chriſtum nos recipiamus, qui febricitantem hunc morti vicinum vel verbulo reſtituit. Idem adhuc hodie corporaliter & ſpiritualiter præſtare poteſt, eſt enim

Dominus Deus ſanator noſter, Exod. 15. v. ult. qui omnes infirmitates noſtras ſanare valet, Pſal. 103. v. 3. Beati omnes, qui confidunt in eo, Pſal. 2. v. ult.

II. *Regulum fluctuantem.* Licet enim multa de Chriſto audierat, ideoque firmiori fide Chriſtum amplecti debuiſſet: attamen multum vacillat, & infirmitatem ſuam ſatis eo indicat, quod Chriſto non modo tempus præſcribit, quando venire debeat, nempe propediem, priusquam moreretur filius ſuus: quando mortuus eſſet, putabat, Dominum juvare amplius non poſſe: ſed & locum definit, unice flagitans, ut Dominus ſecum deſcendat Capernaum, ubi æger decumbebat: hac enim fide præditus non erat, ut credidiſſet, Dominum etiam in abſentia filium ſuum reſtituere poſſe, quod Centurio antehac crediderat, Matth. 8, 8.

Hac in parte Regius hic non parum deliquit. Deus enim non vult ſibi præſcribi modum & tempus juvandi, ideo in oratione Dominica precamur: Fiat voluntas tua. In benevola igitur voluntate ejus acquieſcendum, ipſe in tempore veniet, nec in æternum dabit afflictionem juſto Pſal. 55. v. 23.

Hic proba te, mi Chriſtiane! annon & ipſe quandoque cum Regio hoc in hoc peccaveris quod Deo tuo tempus & modum juvandi præſcripſeris?

Hoc ſæpe ita fit, præſertim quando diutius perſeverat afflictio, tum deſperabundi ingemiſcimus: Domine, usque quo, Pſ. 55.

Sed hic cauſæ conſiderandæ ſunt, ob quas Deus cum afflictionibus ita inſtet, & precationem noſtram ad placitum non exaudiat.

Sæpe fit, ut infans cum lacrymis cultrum à parentibus flagitet, quem tamen ut nocivum ei parentes non largiuntur: Sic nos quoque id ſæpe petimus, quod magis incommodo quam emolumento nobis foret: ideoque non inique ferre debemus, ſi non ſemper, prout petimus, exaudiamur. ipſe enim pater noſter eſt, & novit quibus indigeamus, Matth. 6. v. 32.

Moſes Deo gratiſſimus erat, nec tamen Palæſtinam ingredi ei licebat, ſicut in votis habebat, ſed in monte Nebo moriendum ei erat, Deut. 34. v. 5.

David vir erat ad cor Domini, nec tamen reconvaleſcentiam filii, quem cum Bathſeba genuerat, impetrare poterat, 2. Sam. 2. v. 16. 18.

Paulus quotidie orabat, ut angelus Satanæ, qui eum colaphizabat, diſcederet à ſe; Verum reſponſum ferebat: Sufficit tibi gratia mea, 2. Cor. 12. v. 9.

Hinc Auguſtinus ait: *Unum ex duobus indubitanter ſperare poſſumus, aut dabit, quod petimus, aut quod noverit, eſſe melius.*

Quando igitur oras, noli Deo præſcribere tempus & modum juvandi, velut Regius hic: ſed totum te ei relinque, veniens veniet, & non tardabit, Hab. 2, 3.

III. *Familiam obviantem.* Servi enim & famuli hujus Reguli, non modo Domino ſuo obviam procedunt, & nuncium afferunt: quod filius plene reſtitutus ſit: ſed & poſteaquam ab hero ſuo intellexerunt, quanta potentia Chriſtus polleat, & quam miraculoſe filium ſuum reſtituerit, omnes in eum credunt, juſtificantur & ſalvantur. Ideo inquit Evangeliſta: Credidit ipſe, & domus ejus tota.

Hoc egregium ſpeculum eſt, in quo, cum patres- & matres-familias: tum & ſervi & ancillæ, quid ſe deceat, conſpicere poſſunt. Heri & heræ quidem, ut famulitio bono exemplo præeant, in pietate & honeſtate:

ſtate: Unde pater-familias cum Sole, mater-familias cum Luna, liberi vero & ſervientes cum ſtellis conferuntur. Velut autem Sol ex hac cauſa tam coruſca luce à creatore ſuo ornatus eſt, ut Luna & ſtellæ ab eo lumen ſuum mutuentur, & ſic mundo utiliter ſerviant: Sic & patres-familias imprimis decebit, bonis exemplis familiæ prælucere, quo ſpeciem boni ab illis capere, & juſtitiam & judicium facere poſſint, Gē.18.

Famulitia vero ſervi & ancillæ propterea, quo fideles ſint in vocatione ſua, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, Eph.6.v.6.

Hic utraq; pars examen inſtituere, & ſe-ipſam probare poteſt, an officio ſuo ſatisfecerint, & nihil neglexerint eorum, quæ ad decorem & commodum œconomiæ requiruntur. non dubito, quin hac in parte defectus occurrant?

1. *Ex parte Dominorum.* Qui ita erga famulitia ſe gerere debent, quo illi anſam habeant, amore & obſequio eosdem proſequendi. Non lædas ſervum in veritate operantem, neque mercenarium, dantem animam ſuam, Sir.7.v.22. Sic Centurio Capernaitīcus fidelis ſervi ſui curam geſſit, & Chriſtum ipſum, ut eundem curaret, ſollicitavit, Matth.8,6. Hoc nomen eorum requirit. Propterea enim patres-familias vocantur, ut affectu vere paterno erga domeſticos ſeſe exhibeant: Sicut Naëman proculdubiò erga famulitium ſuum ſeſe geſſit, ideo dicunt ad ipſum, cum tergiverſaretur in Jordane ad mandatum Eliſæi lavare ſeſe. Pater, & ſi rem grandem tibi dixiſſet Propheta, certe facere debueras: quanto magis, quia nunc dixit tibi: Lavare, & mundaberis. 2. Reg.5.v.13.

Imprimis vero, quod diſciplinam attinet, nihil negligere, ſed ante omnia operam dare debent, ut veram pietatem cordibus implantent. Hoc caput rei eſt, Princeps enim, qui libenter audit verba mendacii, omnes miniſtros habet impios, Prov.29.v.12.

Sed quam parum id paſſim obſervetur, exempla proh dolor! teſtantur. Inveniuntur enim ejusmodi patres- & matres-familias, qui famulitio & toti adeo familiæ nil niſi ſcandala præbent, dum neglecto cultu divino & precibus, rixis & altercationibus, maledictis & imprecationibus rem familiarem turbant, & ſic malis exemplis iisdem præeunt. Quomodo hi conſiſtent, quando coram tribunali Chriſti de quolibet verbo otioſo rationem reddere debent? Matth. 12.v.36. Væ mundo ſcandalis! Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria de collo ejus, & demergatur in profundum maris. Matt.18. v.6.7.

2. *Ex parte famulorum.* Pro fidelitate enim & officiis, quæ Dominis & dominabus exhibere debeant, ſibi ipſis obſequuntur, objurgati, toti in fermento jacent, ut heros alloquio non dignentur, vel contradicunt, Tit.2.v.9. licet in culpa ſint, ut Hagar, Gen.16.v.4.5. Vel defraudent, ut Gehaſi, 2.Reg.5.v.22. vel calumniis eos onerant, ut Ziba, 2.Sam.16.v.30. vel plane diſcedunt, ubi maxime eorum opera indigent, ut Oneſimus, Philem.v.18. Hoc grave peccatum eſt. Ideo proba famulitia hæc & id generis alia cavere, & ſuper pauca fideles eſſe debent, quæ ipſis Dominus concredit, & conſtituentur aliquando ſuper multa, Matth.25.v.21. Quoniam unusquisque, quodcunque fecerit bonum, recipiet à Domino, ſive ſervus ſit, ſive liber. Epheſ. 6.v.7.

Digitized by Google

De Secundo.

TRanſibimus nunc ad *alteram partem,* χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti* meditaturi. Hic nobis contemplandus proponitur:

1. *Tanquam ſeverus objurgator.* Non enim ſtatim paratus morem gerit huic Regio, uti ille ſperaverat: ſed ante objurgat, ſine dubio propterea, quia hactenus parum de Chriſto ſollicitus fuerat, jam vero, ubi in acie quaſi novaculæ verſatur, putat, Servatorem ſibi, utpote Regio officiali continuo ambabus manibus auxilium ſuum oblaturum eſſe, ideo inquit: Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis. q. d. novi vos aulicos, qui rebus ſecundis parum Deum ejusque verbum curatis: rebus autem adverſis ſigna & prodigia expetitis, ſine quibus nullam fidem habetis.

O quot adhuc hodie inveniuntur, qui Chriſto, ejusque miniſtris nullam fidem habere volunt, quia ſigna & prodigia non vident. Si, inquiunt Deus de cœlo ſignum daret, ut verbi miniſtri ignem cœlo dejicerent, velut Elias, 2. Reg. 1. v. 10. aut palliis ſuis aquam percutiendo dividere poſſent, ut Eliſæus, 2. Reg. 2. v. 14. aut voces & pluvias de cœlo impetrarent, ſicut Samuel, 1. Sam. 12. v. 18. aut cœcos videntes, & claudos ambulantes facerent, ut Apoſtoli, ſic fidem illorum verba mererentur.

Quia vero id non fit, ſed in præconibus nihil videtur niſi miſeria & ſimplicitas, nec quicquam ex ore eorum auditur, niſi ſermo de cruce, 1. Cor. 1. v. 18. ideo quoque fides nulla, obedientia nulla ſequitur, ſed potius querela Eſaiæ locum habet: Quis credit auditui noſtro? Eſa. 53. v. 1.

Quin Epicurei dicere non verentur: ſi mortui reſurgerent, & pœnitentiam prædicarent, Luc. 16. v. 30. Si lapides clamarent, & pœnitentiam annunciarent, Luc. 19. v. 40. Si ſol obſcuraretur, & petræ ſcinderentur, Matth. 27. v. 52. ſi fulgur hunc vel illum circumfulgeret, & proſterneret, uti Saulum, Actor. 9. v. 3 id non inſuper habendum foret.

Hi omnes ſine fide ſunt, qui verbum & ſacramenta deſpiciunt, & interea ſignis & prodigiis inhiant, cum tamen unice ad verbum relegati ſimus, juxta illud: Ad legem & teſtimonium, Eſa. 8, 19. 20.

Cum his & ſimilibus incredulis & miracula affectantibus, Chriſtus æque non contentus eſt, ac non contentus fuit cum hoc regio. Quando pii præcones ad exemplum Chriſti, ejusmodi incredulos juſta reprehenſione notant, non propterea improbandi ſunt, ſed potius quæ muneris ſui ſunt, faciunt, nec metu abſterreri debent, ſunt enim Dei miniſtri, 1. Cor. 4. v. 1. & prædicare tenentur, quæ mandavit Deus, Jer. 1. verſ. 7.

Genuini Chriſtiani imitentur Regium hunc, dicentes cum Davide: Corripiet me juſtus in miſericordia, Pſal. 141. v. 5.

II. *Tanquam fidei augmentator.* Initio enim fides Regii hujus, valde infirma eſt, dum quidem fiducia alitur, Chriſtum filium ſuum curaturum eſſe: ſed quod abſens eum juvare, aut mortuum reſuſcitare poſſit, id minime credit, dum Chriſtus ipſum affatur: Vade, filius tuus vivit, quo ipſo fidem in corde ejus excitat, ut verbo huic credens, certam fiduciam habeat, ſe filium ſuum, domum reverſurum, ſoſpitem & ſanum inventurum eſſe.

Hac

Hâc ratione adhuc hodiè Chriſtus fidem in cordibus noſtris accendit. Neque enim immediatè, ut Enthuſiaſtæ ſomniant, cordibus noſtris infunditur, ſed ex verbo hauriri debet, quod ſtudioſè eum in finem audiendum eſt, ut dicamus cum Davide: Lucerna pedibus meis, verbum tuum: & lumen ſemitis meis, Pſal.119.v.105. Fides enim ex auditu eſt, Rom.10, 18.

Et quando fides hæc in nobis vacillare incipit, itidem nemo melius nobis ſubvenire poterit, quàm Servator noſter, de quo prædictum: quod calamum quaſſatum non contriturus, & linum fumigans non exſtincturus ſit, Eſa.42.v.3. Oremus modò cum Diſcipulis: Domine, adauge nobis fidem, Luc.17.v.15. & cum patre Lunatici: Domine, credo quidem, ſed tu ſuccurre incredulitati meæ, Marc.9.v.24. Si hoc fecerimus, dabit laſſo virtutem, & his, qui non habent fortitudinem robur multiplicabit, Eſa. 40.v.29. ut penetremus, & ad ſalutem cuſtodiamur, 1.Petr.1, 5.

Carolus Magnus, cum in gravem tentationem incidiſſet, dicebat: *Indignus ſum*, ſed mox colligens ſe, addebat: *ſed tu Deus indignos recipis.*

Sic & tu verbo Dei innitere, & nunquam confunderis, ſed in omnibus tentationibus palmam reportabis.

Quodſi Dæmon tibi has cogitationes ſuggerit: Quis ſcit, utrum Chriſtus etiam tecum ſit in cruce? Quis ſcit, utrum te adjuvaturus ſit? Quis ſcit, utrum te velit ſalvum? Et ita conſequenter. Tu crede verbo, quod Servator dixit: Ecce, vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi, Matth.28.v.ult. Item, ne timeas, quia ego tecum ſum, Eſa.41,10. Et iterum: Venite ad me omnes, qui laboratis, Matth. 11. v. 38. Hic nemo prorſus excluſus eſt, ſed qui laborat & oneratus eſt, ad Chriſtum venire, ejusq; refectione frui debet. Qui ita verbo adhæreſcit bene facit, eſt enim lucerna, lucens in loco caliginoſo, donec lucifer oriatur in cordibus noſtris, 2. Petr. 1. v. 19.

III. *Tanquam vitæ noſtræ conſervator.* Regii filius jam in agone decumbebat, ſed ſimulac Chriſtus dicebat: Filius tuus vivit, mors cedere cogitur, & ipſo illo momento reconvaleſcit, ex quo apparet, quod mortem & vitam in manu ſuâ habeat. Nemo enim noſtrûm ſibi vivit, Rom.14, 8.

Pharao perſuadebat ſibi, ſe Iſraëlitas ſuppreſſurum, nemine id ſibi prohibente, ideò omnes maſculos in flumen projicere mandabat: ſed quantò magis opprimebat eos, tantò magis multiplicabantur, Exod.1, 10.

Haman edictum Sanguinarium contra Judæos jam impetraverat, & ut omnes per totum Ahaſveri imperium, uno die trucidarentur, adornaverat: ſed Deus facilè inhibere poterat, cum enim executio inſtaret, epiſtolæ mittebantur per veredarios, qui per omnes provincias diſcurrentes, veteres literas novis nunciis prævenirent, Eſt. 8. v. 9. ſeqq.

Rex Hiskias ægrotabat uſque ad mortem, ſibiq; certiſſimam mortem inſtare audiebat: ſed Dominus hic ad preces ejus à morte revocabat, quindecim annos vitæ ejus adjiciens, Eſa.38, 6.

Jonas erat in ventre ceti, nec ulla ſpes vitæ ſupereſſe videbatur: ſed cum hic Dominus piſci mandaret, evomuit illum in aridam, Jon.2.v.4. ſeqq.

Hoc adhuc hodiè præſtare poteſt: manus enim ejus abbreviata non eſt, Eſ.50, 2. ſed ut nobis vitam naturalem in utero ma-

tris mirabiliter dedit, Hiob 10.v.10. ſic & omnibus vitam & inſpirationem dat, in ipſo enim vivimus, movemur & ſumus, Act.17. v.25.28. Imò poſtquam ſpiritum Domino noſtro reddidimus, & quoad corpus terræ mandati ſumus, nos die noviſſimo ad æternam vitam reſuſcitaturus eſt. Hæc enim voluntas Patris mei, qui miſit me, ut omnis, qui videt filium, &c. ait ipſe, Joh 6.v.40.

Hâc conſolatione fulciamus nos adverſus horribilem mortis intuitum, ne nimiùm conſternemur, ſed cum Jobo dicamus: Scio quòd Redemptor meus vivit, Job.19.v.26. Illic verâ vitâ perfruemur, Sir.48.v.12. quæ nunquàm finietur, ſed ab uno ſeculo in aliud continuabitur, in beatâ æternitate, & æternâ beatitudine quam nobis omnibus DEUS largiri dignetur, Amen.

***

Dominica XXII. poſt Trinitatis.

Evangelium Matth. 18. v. 23.---35.

EXORDIUM.

Cum piiſſimus ille Rex Joſia librum legis legi audiſſet, & ex eodem intellexiſſet, neque ſe, neque Patres ſuos verba illius libri ſervaſſe: tanto propterea dolore perculſus eſt, ut ſciderit veſtimenta ſua, 2.Reg.22.v.10.

Hic *triplicem librum* nobis in memoriam revocabimus:

1. Eſt *codex Scripturæ*, quem nobis Servator apprime commendavit, ut in eo ſtudioſe ſcrutemur, Joh.5.v.39. eſt enim teſtamentum Altiſſimi, Sir.24.v.32. ſcriptum non atramento: ſed Spiritu Dei vivi. 2.Cor. 3.v.3. de ſummis myſteriis, temporibus æternis tacitis, Rom.16.v.25. eo fine, ut vitam æternam habeamus, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Joh.20.v.ult.

2. *Liber conſcientiæ*, in quo omnia peccata ſcripta ſunt ſtylo ferreo, & acuto adamante exarata, Jer.17. v.1. qui hanc illibatam ſervat, & ſtudet ſine offendiculo conſcientiam habere ad Deum & ad homines ſemper, exemplo Pauli, Act.24.v.16. in bono cordis veſtigio lætari poteſt, Sir.17.v.13. Qui vero eam variis peccatis contaminavit, cauſam habet ex animo dolendi, & non ut Hiskias veſtimenta, ſed cor ſcindendi, & ad Dominum Deum ſuum convertendi, Joel.2.v.13.

3. *Liber culpæ*. Quem Deus omnibus hominibus proponit, ut in eo, velut in triplici indice videre queant 1. *Quid a Deo acceperint.* 2. *Quomodo eo uſi ſint, &* 3. *quam rigoroſa ratio quondam reddenda ſit.*

Primus concernit maxima Dei beneficia, quæ Deus nobis à ventre matris noſtræ fecit, ſecundum miſericordiam ſuam, Sir. 50.v.24. dum nobis non modo panem quotidianum largitur, Matth.6.v.10. & præſtat omnia abundanter ad fruendum, 1.Tim.6. v.17. ſed & imprimis omni benedictione ſpirituali in Chriſto nos benedicit, Eph.1,3. adeo copioſe & affatim, ut confiteri teneamur, eſſe nos minores cunctis miſerationibus, & veritate, quam implevit in nobis, Gen.32.v.10.

Secun-

Secundus, concernit adminiſtrationem bonorum & donorum, quomodo illa à nobis adminiſtrata ſint, nempe nimis profligate, ut ratione ſingulorum debeamus decem millia talenta, & ſi Deus voluerit contendere nobiſcum, non poſſimus ei reſpondere unum de mille, Job. 9. v. 3.

Tertius reſpicit rationem, quam Deus aliquando à ſervis ſuis repoſcet, ratione bonorum, quæ acceperunt, & ratione malorum, quæ commiſerunt, usque ad minimum verbum, quod locuti ſunt, Matth. 12, 36.

Quemadmodum igitur Joſia Rex, veſtimenta ſua ſcidit, quando verba legis ſibi prælegi audivit, quia neque ille, neque Patres ſui verba illius libri ſervaverant: Sic multo magis corda noſtra ſcindere debemus, quando cogitamus, nos adeo Deo obæratos eſſe, nec tamen ſolvendo eſſe: Sicuti pii Veteres prælecto Evangelio imprimis eo collinearunt.

Nos ſine ulteriori præloquio acceſſum ad illud faciemus, meditaturi:

I. ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J J.

Exegeſis.

AD hanc parabolam Servatori anſam præbuit Apoſtolus Petrus. Poſtquam enim audierat, quod fratrem in nos peccantem bis vel ter corripere debeamus, quo lucremus eundem: ſi vero audire nolit, eſſe debeat, ſicut ethnicus & publicanus: hinc aliquanto curioſior, quærit: quoties fratri in ſe peccanti dimittere debeat? an ſufficiat ſepties? putabat enim, ſi nimis facilem adverſario ſe præberet, illum lenitate ſua abuti poſſe. Sed reſpondet ſervator, non eſſe veri Chriſtiani usque ſepties ignoſcere, ſed requirere caritatem Chriſtianam, uſque ſeptuagies ſepties, h. e. quoties offendimur, veniam delicti dare, ad exemplum patris cœleſtis, in quem quotidie delinquimus, & tamen gratiam impetramus, quotiescunque eandem petimus, ira enim momentum in indignatione ejus, Pſal. 30. v. 6. Nunc recenſet parabolam, & ait: Aſſimilatum eſt regnum cœlorum homini regi: qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis.

Notitiam noſtri hinc diſcemus, ſi ſpectabimus:

1. *Regem creditorem.* Qui nemo alius eſt, quam Deus, Pater cœleſtis, Rex Regum, Dominus Dominantium, 1. Tim. 6. v. 15. cui omnes reges terreni homagia præſtant. Dan. 2. v. 21. Cœlum enim ſedes ejus, & terra ſcabellum pedum ejus. Eſa. 66. v. 1. Sicut igitur dives in omnes eſt, Rom. 10. v. 12. ſic etiam bona ſua habet, quæ inter homines diſtribuit, nempe animam rationalem, corpus bene diſpoſitum, & ſana membra, ut quilibet id grato animo agnoſcere & cum Davide dicere debeat: Laudo te, quod ſtupendo modo, & mirabiliter factus ſum, Pſ. 139, 14.

Sed præclara illa dona non ut decet, collocavimus, ſed potius iis abuſi ſumus, ore ad maledicendum & blaſphemias; auribus ad ſcurrilia; oculis ad vanitatem; manibus & pedibus, ad iniquitates Rom. 6. v. 13. ideo hic Deo debemus, decem millia talenta, & tamen ſolvendo non ſumus.

Dedit nobis filium ſuum unigenitum, cum eoque omnia nobis donavit, Rom. 8. v. 32. ut in eum credamus, & vitam æternam habeamus, Joh. 3, 17. Sed plurimi eum recipere nolunt, amantes hic plus χρύσον, quam Chriſtum, aurum quam Deum, frumentum quam cœlum; terrena enim ſapiunt, & ventrem

Digitized by Google

trem Deum ſibi conſtituerunt, Phil.3.v.19. proptcrea hic iterum decem millia talenta debemus, & tamen exire ære alieno non poſſumus.

Dedit nobis Spiritum Sanctum, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ, Eph.1. v. 14. & ſignat, quod Deus verax eſt, Joh.3.v.33. qui omnia fideliter præſtare velit, quæ nobis in verbo ſuo promiſit, tanquam Deus, qui mentiri non poſſit, Heb. 6, 18. ſicut & hac in parte adjuvat infirmitatem noſtram, & teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quod ſumus filii Dei, Rom.8.v.26.16. Sed ſæpiuscule fit, ut Spiritui Sancto reſiſtamus, Act.7. v.51. & libentius carni obſequamur, juxta pravam illam naturam, quam à Protoplaſtis hæreditario accepimus, quicquid enim ex carne natum, caro eſt, Joh.3.v.6. Hic iterum decem millia talenta debemus, quæ exſolvere non poſſumus.

Dedit nobis verbum ſuum cum ſacramentis, quod theſaurus eſt, ſuper millia auri & argenti æſtimandus, Pſal.119.v.72. Nam verbum Dei eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti, Rom.1,16. Sacramenta vero ſunt quaſi ſigilla, quæ Deus majoris certitudinis ergo appendit, Rom.4.v.11.

Verum, ô quam parum hoc à filiis ſeculi perpenditur! Quis credit auditui noſtro, queritur Eſaias, c.53,1. Semen verbi divini ex quarta parte perditur, & offendit ejuſmodi terram, ubi nec radicare nec fructum ferre poteſt, Luc. 8.v.12.13. Nec pauci indigne convivantes occurrunt, qui ſibimetipſis judicium comedunt & bibunt, 1. Cor. 11.verſ. 28. Hic viciſſim decem millia talenta debemus, quæ diſſolvere non poſſumus.

Quis omnia enarrabit, aut ratione comprehendet? Delicta quis intelliget? Pſalm. 19.

Hic inſpicias velim te, mi Chriſtiane! an & tu unquam in eas cogitationes deveneris, quod Deus rex tuus ſit, à quo hæc bona acceperis?

Nullus dubito, quin rariſſime factum ſit. Plurimi enim ſacrificant reti ſuo, & thymiama adolent ſagenæ ſuæ, Hab.1. v.16. ſicut Nebucadnezar dixit: Nonne hæc eſt Babylon magna, Dan.4.v.17.

Sed graviſſimum peccatum eſt, non enim poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cœlo, Joh.3,27. ideoque Deo ſoli gloriam dare, & cum Davide dicere debemus: Tua eſt Domine magnificentia, & potentia, & gloria, 1. Chron.29. verſ.11.

II. *Servum debitorem.* Cum enim cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei unus, qui debebat ei decem millia talenta: nec habebat, unde ſummam redderet.

Hoc conſiderari poteſt:

1. *In ſenſu literali.* Sine dubio hic ſervus cum uxore & liberis ſumtuoſe vixit, & non modo in victu opipare: ſed & in veſtitu adeo magnifice ſe geſſit, ut nemo ipſum æmulari facile potuerit. Forte & prædia ſibi ex facultatibus Domini comparavit, ſecus enim vix poſſibile foret, tam grandi illum debito Domino ſuo obſtrictum fuiſſe factum.

Hic ſe probent Præfecti, Quæſtores, & alii, qui à rationibus ſunt, ut & mercatores, qui ſæpe maximo ære alieno ſe obſtringunt, unde profuſis ſumptibus cum ſuis vivunt: deinde præter opinionem abs re pereunt, eosq; quibus obærati ſunt, ad incitas redigunt, annon ſervo huic ſimiles ſint?

Multi enim profligatæ conſcientiæ homines adhuc hodie ſunt, qui ſemper mutuo ſumentes, nunquam de ſolvendo cogitant,

tan-

tandem ubi res ad ſummum rediit, vacillare incipiunt, vel fidem fallentes abituriunt. Ubi creditores inter ſe partiri coguntur, quæ reliquerunt. Sed reipſa nihil aliud, quam ſpecies furti eſt, neque enim fures, neque rapaces regnum Dei hæreditabunt, 1.Cor.6,10.

Cum illis quidem, qui bonis ſuis ſpoliati, vel incendio ſua amittunt, merito commiſeratio habenda, eſt: attamen tam verbum Dei, quam jura Cæſaria, imprimis vero caritas Chriſtiana adſtringit eos, ſi ſuo tempore diteſcant, ut creditoribus ſuis ſatisfaciant, & ſolvant. *Ceſſio enim bonorum, nec naturalem nec civilem obligationem exſtinguit, ſed tenetur debitor ad pinguiorem fortunam reverſus, ſolvere, quoad poteſt.* Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, eadem & vos facite illis, Matth. 7, 12.

2. *In ſenſu ſpirituali.* Hic omnes obſtricti ſumus, ratione creationis, ut vernæ, ratione redemtionis, ut mancipia, ratione ſanctificationis ut mercenarii, ut Domino ter Opt. Max. ſerviamus in juſtitia & ſanctitate coram ipſo, Luc. 1, 75. Sed decem millia talenta ei debemus, nec ſumus ſolvendo.

1. *Quoad debita originalia*, quæ à parentibus noſtris contraximus, unde querela Davidis nobis ingeminanda: Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, Pſal. 51, 7. Quemadmodum enim pater, quando beneficium pro ſe & liberis ſuis accepit, ſi illud rurſus diſperdat, non modo ſibi ſed & filiis ſuis amittit: Sic quia Adam præclariſſimum divinæ imaginis feudum, cum juſtitia originali deperdidit, nos quoque eodem carere cogimur, hinc querela: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt, Ezech. 18, 2. Rom. 5, 12.

2. *Quoad debita actualia*, quibus Deum quotidie offendimus, tam voluntarie quam in voluntarie, omiſſione boni, & commiſſione mali, eorumque non exiguus numerus eſt: ſed excedunt capillos capitis, & arenam maris, ut intelligere delicta queamus, Pſal. 19. v. 13. *Conſideremus*, ait Auguſtinus, *peccata noſtra, & numeremus, quid facto, quid facto, quid verbo, quid oculo, quid aure, quid cogitatione peccaverimus, quid innumerabilibus motibus: neſcio, utrum dormiamus ſine talento.* Omnia enim cogitata, Gen. 8. verſ. 6. verba, Matth. 12, 36. & facta peccata peccatis contaminata ſunt, Rom. 7. v. 21.

Bonum opus eſt, quod jam congregati ſumus ad audiendum Dei verbum, eſt enim unicum neceſſarium, Luc. 10, 42. ſed quis gloriari poteſt, ſe debito zelo & fervore illud audire, ut Deus requirit. Plurimi ſiquidem auditores obliviosi ſunt, Jac. 1, 22. qui audiunt ſermones Dei, & tamen ſequuntur avaritiam ſuam Ezech. 33, 31. Sic bonum opus eſt, preces fundere & ad rupturam ſtare, Ezech. 22. v. 30. Quis vero debito zelo orat? Ideo impletur illud Jacobi: Petitis, & non accipitis, eo, quod male petatis, Jac. 4, 3. Summa: omnia, quæ facimus, peccatis inquinata ſunt, ideoque nihil mereri poſſumus, Luc. 17. v. 10.

Hic velim ſcruteris te, mi Chriſtiane! an hoc unquam recte tecum perpenderis, & non potius cum ſervo hoc obærato ſecuritati te tradideris, & parum de eo ſollicitus fueris?

Hic multi rei erunt, quos non cenſeas. Adeo enim invaluit ſecuritas, ut multi illudant peccatum, Prov. 14. v. 9. & malum manuum ſuarum dicant bonum, Mich. 7. verſ. 3. quin multi dicunt: Non videbit

Dominus, nec intelliget Deus Jacob, Pſalm. 94. v. 7. Sir. 5. v. 4.

Sed non impune abibunt ejusmodi Epicurei. Neque enim jocari licet cum peccatis: ſiquidem Deo non negliguntur: Verum ut omnes lacrymas noſtras numerat, & in utrem ſuum ponit, Pſal. 57, 10. ſic etiam omnes iniquitates noſtras numerat, profe-ret etiam minutiſſima, & retribuet unicuiq; retributionem in caput ſuum, Sir. 17. v. 19. Non enim Deus volens iniquitatem eſt, Pſ. 5. v. 5.

III. *Exactionis rigorem.* Egreſſus enim ſervus ille, invenit unum de conſervis ſuis, qui debebat ei centum denarios: & injecta in eum manu, obtorto collo trahebat, dicens: Redde quod debes, aut in ære, aut in corpore! Conſervus ejus procidens, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi q. d. totum nomen cum uſura ſolvam. Sed ille noluit: & abiit, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum.

Hic teipſum in examen voca, annon & ipſe quandoque debitores tuos nimis rigoroſe ad ſolvendum adſtrinxeris, & hoc modo damnũ eorum auxeris?

Hoc milites ſuperiori bello, in familiari uſu habuerunt, ubi exactores iniquiſſimi miſeris immiſſi, non citius receſſerunt, quam rigoroſo jure, vel injuria tributa expreſſerint.

Poſt pacem initam, Magiſtratus quoque paſſim militaribus hiſce exactionibus utuntur. Ubi moderamen merito obſervandum. *Boni enim paſtoris eſt, tondere pecus non deglubere,* ut Imperator Tiberius dixit.

Tributa, vectigal & cenſum, ſubditi quidem Magiſtratui debent, Rom. 13. v. 7. Sed ſi nimium exaggerentur, & frequententur, effatum Michææ locum habet: Audite principes Jacob, & duces domus Iſrael, Mich. 3. v. 1. 4. Hæc merito illi obſervare debent, qui in tributis exigendis, modum excedunt, & nimis rigoroſe ea extorquent, ut lenitati ſtudeant. Panis egentium vita pauperum eſt; qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt, Sir. 34. v 25.

De Secundo.

PErgemus nunc ad alteram partem, Χρι-ςοῦ γνῶσιν, ſive *notitiam* Domini noſtri Jeſu Chriſti contemplatur. Hic nobis commendatur:

I. *Tanquam Rex juſtiſſimus*, cui ſervi ſui factorem rationem reddere tenentur, ex quibus unum qui debebat decem millia talenta, cum non haberet, unde ſummam redderet, juſſit venundari, & uxorem ejus, & filios: & omnia, quæ habebat & reddi.

Hoc olim ita conſuetudinis fuit, ſi quis ſolvendo non fuit, ut creditoris mancipium factus fuerit, ut videmus in Ægyptiis, qui in annonæ caritate cum frumenta ære perſolvere non poſſet, Joſephum rogabant, ut emeret ſe in ſervitutem Regiam, Gen. 47. v. 17. quinimo ubi impoſſibilis fuit ſolutio uxor cum liberis in ſervitutem abrepta fuit, videre eſt ex 2. Reg. 4, 1.

Sic etiam Rex cum hoc ſervo ſtricto jure egit; quando eum juſſit venundari, & uxorem ejus, & filios: & omnia quæ habebat, & reddi. Quo ipſo nobis Chriſtus ideam proponere vult, ſeveriſſimæ juſtitiæ Dei, juxta quam ex rigore nobiſcum agere poſſit, ſi modo velit. Creaverat enim nos ad imaginem ſuam, tantaque ſanctitate & juſtitia ornaverat, ut legi juſtitiam, quam à nobis

bis requirit, præſtare potuiſſemus. Sed malitioſe à Deo declinavimus, & deperdita imagine divina, in eam miſeriam devenimus, ut jam omne frumentum cogitationum cordis tantummodo malum ſit, Gen. 6. v. 5. & volentibus facere bonum, malum adjacet, Rom. 7. v. 21.

Hinc Deus non plus requirit à nobis, quam conceſſit, quod juſtitiæ ejus maxime conſentaneum eſt, quæ homini nihil remittit: ſed omnia ad amuſſim exigit, & maledicit omnibus, qui non permanent in omnibus ſermonibus legis, Deut. 27. v. ult.

Potiſſimum vero propterea, ut Chriſtum reſpiciamus, qui ſe nobis vadem exhibuit, & quæ non rapuit exolvit, Pſ. 69. v. 5. Licet enim cœleſtis Pater & ipſe dives eſt in miſericordia ejus locum ante non habebat, quam juſtitiæ ejus ſatisfactum eſſet, & ſic ei reconciliaremur. Quod à Chriſto factum eſt, juxta illud: Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, Eſ. 53, 5

Quod obſervandum nobis

1. *In dehortationem*, ut cogitemus quanta peccata abominatio ſint in oculis Dei: ut ſi pater-familias delinquat, ſæpe uxor cum liberis, imo univerſa civitas id luere teneatur. Quodſi enim audire nolueris vocem Domini Dei tui, Deut. 28. v. 15. 19.

2. *In conſolationem*. Quod enim nos exolvere non potuimus, Chriſtus exolvit pro nobis, & vitam ſuam tradidit λύτρον ἀντὶ πολλῶν, Matth. 20, 28. Ideo vera fide ipſum apprehendentes identidem ad eundem ſuſpirare debemus: Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo: multum eſt enim, Pſal. 25. v. 11. Secundum miſerationum tuarum multitudinem dele iniquitatem meam, Pſal. 51. v. 3.

Quando hoc ita factum fuerit, Dominus juſtitiam ſuam moderabit gratia & miſericordia, projiciens poſt tergum omnia peccata noſtra, Eſa 38. v. 17. eorumque non amplius recordans, Eſa. 38. v. 34.

II. *Tanquam rex clementiſſimus.* Simulac enim ſervus procidens, oravit illum: Domine, patientiam habe in me: & omnia reddam tibi. Miſertus eſt Dominus ſervi illius, & dimiſit illum, & debitum remiſit ei.

Tria hic recenſentur, ex quibus miſericordia Dei clariſſime elucet, quorum

1. *Miſeratio.* Miſertus enim eſt Dominus ſervi illius. Hæc inexhauſta illa ſcaturigo eſt, ex qua remiſſio peccatorum, & in genere omne donum perfectum derivatur, Jac. 1. v. 17. Hinc Eccleſia:

Captus tenebar Satanæ,
In morte deperiram:
Torquebar usque crimine,
Natus Dei ſub iram:
Mergebar huc profundius
Ævum terebam nequius,
Obſeſſus à reatu.
Abhinc ab æterno meæ
Cladis Deus miſertus:
Et gratiæ memor ſuæ,
Me liberare certus:
Cor appulit mî patrium,
Perquam profecto ſerium,
Nec optimo pepercit.
Et filio dixit ſuo:
Heu rem ſtatus dolendi:
Corona tu cordi meo,
I, ſis ſalus egenti:
Hunc libera de crimine,
Mortem ferocem deſtrue.
Vitam reduc perennem.

Dem Teuffel ich gefangen lag/
Im Tod war ich verlohren:
Mein Sünd mich quälen Nacht und Tag/
Darin ich war gebohren:
Ich fiel auch immer tiefer drein/
Es war nichts guts am Leben mein/
Die Sünd hat mich beſeſſen.
Da jammerts Gott in Ewigkeit/
Mein Elend über die Maßen/
Er dacht an ſein Barmhertzigkeit/
Er wolt mir helfen laſſen:
Er wand zu mir ſein Vatter Hertz/
Es war bey ihm fürwar kein Schertz/
Er ließ ſein beſtes koſten.
Er ſprach zu ſeinem lieben Sohn/
Die Zeit iſt hie zu erbarmen:
Fahr hin/ meins Hertzens werthe Kron/
Und ſey das Heyl der Armen.
Und hilf ihn aus der Sünden Noth/
Erwürg für ſie den bittern Tod/
Und laß ſie mit dir leben.

Hæc mire commendatur in tota ſacra ſcriptura. Moſes clamat: Dominator Domine Deus miſericors, & clemens, patiens, & multæ miſerationis, ac verus, Exod. 34. v. 6. Pſalmi ejusmodi teſtimoniis redundant, Pſal. 25. v. 8. Pſal. 34. v. 9. Pſal. 145. v. 9. Prophetæ in omnibus ſuis ſcriptis prædicant, quod Deus ſe hominibus commendet, ut patrem, Jerem. 31. v. 9. ut matrem Eſa. 49. v. 15. idque eſſe à ſeculo nomen ejus, Eſa. 63, 16.

Hac de re teſtantur etiam omnes Evangeliſtæ & Apoſtoli. Nullus eſt bonus, niſi unus Deus, Matth. 19, 17. Multum miſericors eſt Dominus, & miſerator, Jac. 5. v. 11. Caritas ejus multa eſt, qua nos dilexit, Eph. 2. v. 4. Quinimo fidelis eſt, negare ſeipſum non poteſt. 2. Tim. 2. v. 13.

Quando igitur beatitudinem conſequi volumus, non volentium neque currentium eſt, ſed miſerentis Dei, Rom. 9, 16. Meritum congrui & condigni, plane indignum eſt, & perſtat effatum Pauli: Gratia ſalvati eſtis: non ex operibus, Eph. 2. v. 8. 9.

2. *Condonatio.* Ante ad ſolutionem eum adſtrinxit, juſſitque eum venundari, & uxorem ejus, & omnia, quæ habebat, & reddi. Quia vero ad pedes ejus procidens miſericordiam & patientiam ejus imploravit, dimiſit eum, & remiſit illi decem millia talenta, quæ ei debuit.

Pari affectu adhuc hodie eſt in omnes, qui vera ſe pœnitentia ad eum convertunt, quantus enim ipſe eſt, tanta eſt ejus miſericordia, Eccleſ. 2. v. ult. Mich. 7. v. 18.

Hoc unice propter Chriſtum fit. Juſtitiæ enim Dei ſine expiatione ſatisfieri non poterat. Illa vero hominibus impoſſibilis erat, non eſt enim, qui faciat bonum non eſt, usque ad unum, Pſal. 14. v. 3. ideo Chriſtus noſtri cauſa ſe legi ſubjecit, ut eos, qui ſub lege erant redimeret, Gal. 4. v. 4.

Noſtra igitur coram Deo juſtificatio nihil aliud eſt, quam benigna debitorum noſtrorum remiſſio, & imputatio juſtitiæ Jeſu Chriſti, qua peccata noſtra conteguntur, ut coram facie Dei nos non confundere poſſint. Hinc David: Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, Pſal. 32, 2. Rom. 8, 4. ſeqq. Col. 1. v. 14.

3. *Liberatio.* Alias moris eſt in hoc mundo, etiamſi malefico remiſſio delicti fiat, ut non plane impune dimittatur, ſed aut in corpore luat, quod in ære non habet, aut ſi mortem meritus eſt, aut in exilium pellatur, aut æterno carceri includatur.

Sed hic Rex in hoc quoque miſericordiam ſuam probat, quod ſervo huic animam debenti, non modo debitum: ſed & pœnam remit-

remittit. Hæc duplicia illa ſunt, quæ de manu Domini ſuſcepimus. Eſa. 40. v. 2.

Hoc ipſo igitur corruunt opera ſatisfactoria, quibus Pontificii peccata ſua expiare, & tam temporalem quam æternam pœnam effugere ſatagunt: Chriſtus enim omnia plene expiavit, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, Eſa. 53. v. 5. Interea morbi, afflictiones, & adverſitates piis Chriſtianis ſubeundæ ſunt in hoc mundo, quibus Deus eos ob reliquias peccatorum caſtigat: non tamen ut ſint ſatisfactio pro peccatis: ſed vel maxime, ne videantur ſibi innoxii, Jer. 30, 11. Hinc Auguſtinus: *Quod ante remiſſionem erat ſupplicium peccatorum, poſt eam fit exercitium juſtorum.* Quia Deum diligentibus omnia in bonum. Rom. 8. v. 28.

III. *Tanquam rex ſeveriſſimus.* Quia enim ſervus ille nequam, adeo ingratus fuit, ut gratiæ quam rex ei fecerat, non recordaretur, dum illi decem millia talenta donaverat: ſed erga conſervum ſuum adeo immitem ſe præbuit, ut, dum centum denarios ei debebat, manum ei injecerit, & obtorto collo traxerit, miſſo eo in carcerem, donec redderet debitum: ideo denuo vocavit illum Dominus ſuus, ingratitudinem & malitiam ipſi non modo ſevere exprobrans: ſed tradens quoque eum tortoribus, quoad usque redderet univerſum debitum.

Hoc ipſo confirmatur dictum Siracidis: Tam cito iraſci poteſt, quam miſereri, & ira illius in peccatores non deſinit. Sir. 5. v. 7.

Probat id:

1. *Rigoroſa citatio.* Vocavit enim illum Dominus ſuus. Hæc erat citatio iræ, quia enim per citationem gratiæ ad frugem redire noluit, contemnens divitias bonitatis & patientiæ ejus, Rom. 2, 4. Jam aliam citationem Rex inſtituit, ubi gratiæ nullus amplius locus eſt, ut ira Dei maneat ſuper ipſum, Joh. 3. v. ult.

2. *Ignominioſa compellatio.* Vocat enim eum δοῦλον πονηρὸν, quo nomine diabolus inſignitur, Eph. 6, 16.

Quicunque igitur infamiæ labem ſibi contrahere non vult in miſericordiam fugere, & è contrario caritatem erga proximum in omnibus dictis & factis exhibere debet, quod vel maxime à Chriſtiano requiritur. Si quis enim dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt, 1. Joh. 4. v. 19.

Multa ſane præclara epitheta piis Chriſtianis in ſcripturis applicantur: vocantur enim, benedicti à Domino, Pſal. 115. v. 15. Chriſti Domini, Pſal. 105. v. 15. Pupilla Dei, Zach. 2. v. 8. arbores juſtitiæ, Eſa. 61. v. 3. 2. Petr. 1. v. 19. Eph. 2, 19. 1. Cor. 6, 19. 1. Cor. 12, 21. Matth. 28, 10. Rom. 8, 16.

Verum per iracundiam & vindictæ cupiditatem, omnia hæc elogia amittuntur, & titulus ſervi nequam ſuccedit, quem Dominus tandem dividet, Luc. 12, 46. ideo per patientiam & manſuetudinem ſoliciti ſervemus unitatem ſpiritus, Eph. 4, 3. Pſ. 133, ult.

3. *Juſta condemnatio.* Dominus enim tradit illum tortoribus, quoad usque redderet univerſum debitum. Per hos tortores intelliguntur ſpiritus infernales, tanquam executores juſtitiæ divinæ, ſicut Lyra eos appellat.

Crudeles fuerunt tortores, qui mandato Antiochi ſeptem fratres adeo excarnificarunt, ut iisdem linguam amputarint, & cute capitis abſtracta, ſummas quoque manus & pedes eis præſciderint, tandemque adhuc ſpirantes admoto igne in ſartagine torruerint. 2. Macc. 7. v. 4. 5.

Sed nihili æſtimandum eſt, reſpectu tormentorum infernalium, ubi damnati non modo commanducabunt linguas ſuas præ dolore, Apocalypſ. 16. verſ. 10. Sed & ſine fine torquebuntur, Eſa. 66. verſ. ult. Id prohibeat à nobis, DEUS per Chriſtum, Amen.

Dominica XXIII. poſt Trinitatis.

Evangelium Matth. 22. v. 15....22.

EXORDIUM.

CUm Sichem filius Hemor adamaret Dinam, filiam Jacobi, locutus ille cum Jacobo, ut daret eam ſibi uxorem Quia vero jam tum vi oppreſſerat virginem, reſponderunt filii Jacob Sichem, & patri ejus in dolo, dicentes: Non poſſumus facere, quod petitis, nec dare ſororem noſtram homini incircumciſo, quod illicitum & nefarium eſt apud nos. Sed in hoc valebimus fœderari, ſi volueritis ſimiles eſſe noſtri, & circumcidatur in vobis, omnis maſculini ſexus. Tunc dabimus & accipiemus mutuo filias veſtras, ac noſtras, & habitabimus vobiscum, erimusque unus populus.

Placuit oblatio eorum Hemor & Sichem filii ejus, ut non modo ipſi: ſed & omnes, qui egrediebantur portam civitatis circumciderentur.

Die vero tertio, cum gravimmus eſſet vulnerum dolor, duo filii Jacob, Simeon & Levi fratres Dinæ arreptis gladiis, ingreſſi ſunt urbem confidenter, interfectisque omnibus maſculis, Hemor & Sichem pariter necaverunt. Gen. 34. v. 1. ſeqq.

Hæc *nefanda eſt perfidia*, quam filii Jacobi in Sichem ejusque ſubditis perfecerunt, ideoque in teſtamento Patris maledictione afficiuntur: Simeon & Levi fratres, vaſa violentiæ gladii eorum, Gen. 49. v. 5. 6.

Imprimis vero hac in parte nimis inique egerunt, quod Sichemitis promiſerunt, ſi circumciderentur, ſe illis aſſenſuros eſſe, cum tamen dolum machinarentur, & jam ſecum conſtituiſſent, quod in dolore impetum in eos facere, & omnes trucidare vellent: quod adhuc hodie nimis familiare eſt in mundo:

> Os nectar promit, mens aconita vomit.

O quam ſæpe Cain cum Habele fratre amice colloquitur, cujus tamen vitæ inſidiatur, Gen. 4, 8.

Quoties Joab cum Abnero clam pacifice loquitur, ut occaſio commodior ſit, ipſum è medio tollendi, 2. Sam. 3, 27.

Exempla plurima afferri poſſent, quorum vero compendium facturi, prælectum Evangelium duntaxat diſpiciemus, ubi de Phariſæis audimus, quomodo cum Herodianis conſilium inierint, de Chriſto dolis fallendo: exterius benevolentiam ſimularunt dicentes: Magiſter ſcimus, quia verax es &c. Sed quæſtio propoſita ita comparata erat, ut nullatenus dubitarent, quin ſervatorem caſſibus ſuis implicaturi eſſent, ut

vel

vel populi favorem amitteret, vel offenſionem Romani Imperatoris incurreret.

Nos ſine longiori præfamine ad ipſum Evangelium nos conferemus, tractaturi ex eodem:

I. ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J.J.

Exegeſis.

Amarulentus quærit malum: angelus autem crudelis mittetur contra eum, Prov. 17, 11. Sancti enim Angeli ſunt Dei legati, qui mandato ejus protectioni piorum, & vindictæ impiorum inſerviunt, velut potentes virtute, facientes verbum illius, Pſal. 103, 20.

Hoc proverbium in ſpecie impletum eſt, in inimicis Chriſti, Scribis & Phariſæi, qui verbis ei blandiebantur, ſed cogitatio cordis in felle amaritudinis erat, Act. 8. v. 29. ambiguis quæſtionibus ei retia tendentes, quomodo caperent eum, Pſal. 10, 9. Verum Angelus magni conſilii Jeſus Chriſtus, Eſa. 9, 6. ita inſidias eorum diſturbavit, ut cum iggominia recedere coacti fuerint. Exemplum hujus rei habemus in prælecto Evangelio, ubi Phariſæi Chriſto periculoſam quæſtionem propoſuerunt, qua illum illaqueare voluerunt. Verum Chriſtus ita iisdem reſpondit, ut operam luſerint, & infecta re diſceſſerint.

Notitiam noſtri hinc diſcemus, ſi ſpectaverimus:

1. *Hypocriticam compellationem.* Inquiunt enim: Scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum. Hæc omnia in rei veritate ita ſe habebant, erat enim Magiſter, & quidem eruditæ linguæ, Eſa. 50. v. 4. imo magiſter ad ſalvandum, Eſa. 63, 1. Joh. 13. v. 13.

Deinde erat quoque verax, teſtis fidelis, Apoc. 1. v. 5. cui impoſſibile eſt mentiri, Heb. 6. v. 18. Joh 18. v. 37.

Tertio non reſpicit perſonam hominum, eſt enim omnium Dominus, Act. 10. v. 36. de quo Eſaias: Non ſecundum viſionem oculorum judicabit, c. 11. v. 3. 4. Sed Phariſæi ipſi hoc ipſo palpum obtrudere volebant, in animo multo aliter ſentientes, ideo Chryſoſtomus ait: *Magiſtrum vocabant, cujus eſſe nolebant diſcipuli*: Verum impoſtorem credebant, qui ſubverteret gentem, & à lege Moſaica ſeduceret, quo poſtea eum accuſarunt titulo coram Pilato, Luc. 23. verſ. 2.

Hic examina te, mi Chriſtiane, annon & ipſe ejusmodi adulator fueris, qui in præſentia paſtorem tuum ratione fervoris ſui landaveris, quod peccata debito zelo reprehendat, à tergo vero & in corde, ipſum odio & invidia proſecutus fueris occaſionem captans, te ulciſcendi.

Hoc hodie non adeo rarum eſt, ſiquidem hypocriſis, fraus & blanditiæ in arte habentur. Imprimis vero verbi miniſtri melle circumlita pocula ſæpius deprehendunt: Quia enim mundi perverſitatem & flagitia, quibus totus immerſus eſt, reprehendere tenentur, nihil aliud, niſi *odium pro labore* ipſis expectandum, ad exemplum omnium Prophetarum qui fuerunt ante eos, Matth. 5. v. 12. At plerique tales videri nolunt: ſed phaleratis ſuis dictis ducunt eos, dum occaſione ulciſcendi potiantur, ubi virulentiam ſuam evomunt. Hoc mundi ingenium eſt, ut ipſe Chriſtus docet. Joh. 15. v. 19.

Ve-

Verum utut ejuſmodi homines, mirifice ſibi lenociniis hujuſmodi placeant, tamen verum manet, quod Cicero jam olim de ipſis dixit; *Totius injuſtitiæ nulla capitalior eſt, quam eorum, qui cum maxime fallunt, id tamen agunt, ut viri boni eſſe videantur.* Quando vocem ſuam gratioſam faciunt, ſeptem abominationes ſunt in corde illorum, Prov. *26. v.25.*

Noſtrum proinde eſt, ſtudioſe providere nobis, ne exitio nobis ſint. Multi pacifici tibi ſint, & conſiliarius ſit tibi unus de mille, Sir. *6. v.6.* Si dicunt, mi frater, tu cogites es ater: ſi dicunt Domine, intellige, nomine: ſi dicunt Amice, intellige, inimice! Multæ enim ſunt inſidiæ doloſi, Sir. 11, 31.

De his verum eſt illud Auguſtini: *Difficile vitatur, qui in labiis bona portat, & in corde mala occultat.* Ideo Deum invocare debemus, ut nos ab inſidiis eorum cuſtodiat.

A Joabi alloquio,
Ab Abſalonis convivio,
Ab Iſchariotis ave,
A Diatii ſalve.
Ab Herodis redite
A Gallorum venite,
Libera nos Domine.

II. *Captioſam tentationem.* Capere enim volebat eum in ſermone, ideo ejuſmodi quæſtionem ei proponebant, de qua tum temporis multum diſputabant inter Judæos, an liceat cenſum dare Cæſari an non?

Hic ſycophantæ hi cogitabant, ſi Chriſtus affirmativam ſtatueret, quod cenſum Cæſari dare debeant, hoc ipſo eundem contra libertatem populi locuturum, adeoque odium illius, qui invite cenſum Cæſari dabat, incurſurum eſſe: Sin autem negativam: Herodiani aderant, qui hoc ipſum Herodi renunciare, cumque ſeditionis reum accuſare potuiſſent.

Hi erant laquei, quos Chriſto capiendo explicaverant: ſicut auſpices retia ſua habent, quæ quandoque operiunt, ne volucres abſterreantur, ſed libentius advolent, dum vero cibis projectis frui volunt, ex improviſo capiuntur, ſicut vox παγιδεύειν in Græco indicat: ita & Chriſtum quæſtione hac ineſcare voluerunt, ut confidenter veritatem profiteretur, quo eum illaquearent in ſermone ſuo.

Hic proba te, mi Chriſtiane! utrum & ipſe verbis fuco oblitis & ad gratiam comparatis, proximo inſidias ſtruxeris, ut eum in ſermonibus captum in periculum adduceres?

Hoc itidem nihil novi eſt. Julianus Apoſtata interrogavit Chriſtianos, utrum omnia pro vero haberent, quæ Chriſtus dixerit. Reſpondentibus, quod merito: bona eorũ confiſcavit, prætendens, ſe ipſos expeditiores reddere ad regnum cœlorum capiendum, quia Servator dixerit: Beati pauperes Matth. 5, 3.

Adhuc hodie nihil familiarius eſt, quam quod alter alterius ſermonem eliciat, & ubi quid captavit, quod in rem ſuam eſſe videtur, eo defert, ubi proximo nocumento futurum, arbitratur.

Hic diaboli mos eſt: cum enim ille Protoplaſtos noſtros ſeducturus eſſet, anſam quærebat cum Eva colloquendi: verba factum ſequebatur, ut de fructu vetito decerperet, & comederet, Gen. 3. v. 7. Sic adhuc hodie hominem nihil facilius in periculum adducere poteſt, quam lingua. Manus & pedes, oculi & aures haud difficulter gubernantur, linguam autem nullus hominum domare poteſt, incoerbile malum, plena veneno

neno mortifero, Jac.3.v.8. Quia enim quot capita tot ſenſus, ideo vix aliquis invenietur, qui omnibus ad placitum loqui poſſit: quinimo, ſi quis in tota vita ſua inculpabilis foret, facile tamen per linguam labi poterit, hinc Jacobus iterum: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir, Jac.3.v.2.

Optimum Jobum diabolus invaſerat in liberis, pecoribus, ædibus, imo & in corpore: & omnia ejus membra adeo deformarat, ut à capite ad calcem nihil ſani reliquum eſſet, præter linguam, hanc propterea illæſam reliquerat, ut inter tantos dolores verbis peccaret, & ex impatientia Domino malediceret, quia in tota ejus vita nihil mali invenire poterat. Nec omnino id eum fefellit: Quandoque enim talia effundebat, quorum poſtea pœnitentia ducebatur, Job.42.v.3.

Hoc adhuc hodie ita machinatur: & quando alias hominem non facile per opera & facta ad lapſum ſeducere poteſt, inſidiatur linguæ, ut adverſus Deum aut proximum ſeſe exerat: quodſi non ſuccedit, tamen per homines malos etiam benedicta depravare poteſt, ut innocentes in diſcrimen adducat. Quale exemplum habemus in Doeg, qui Sacerdotem Abimelech apud Saulem ita calumniatus eſt, ut cum octoginta tribus ſacerdotibus occiſus fuerit, 1.Sam.22.v.8.9.

Ideo ſumma hic cautione opus eſt, nam mors & vita in manibus linguæ, Prov.18, 21. Sir.23.v.7. c.28. v.28.29.30.

III. *Nervoſam explicationem.* Primo enim Chriſtus fraudulentias eorum manifeſtat, dicens: Quid me tentatis hypocritæ? Cognovit enim nequitiam eorum, velut cordium ſcrutator, qui omnia ſciebat, quæ eſſent in homine, Joh.2.v.ult. Deinde oſtenſum ſibi vult nūmiſma cenſus, quo oblato, quærit: Cujus eſt imago hæc & ſuperſcriptio? non quaſi ignoraret: ſed ut ipſos proprio, ut dicimus, gladio jugulare poſſet. Expedite illi reſpondebant: Cæſaris. Tunc Chriſtus ait illis: Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. q. d. Quodſi Romanus Imperator monetam cudit in regione veſtra: pro Domino quoq; veſtro eundem agnoſcite, cui cenſum jure debeatis. Nec obſtat, quo minus ita Dei populus eſſe, eique debitum cultum præſtare poſſitis, ſiquidem ex Imperatoris conceſſione hæc habetis. Interea & ſuam obedientiam, cui & obſtricti eſtis, à vobis requirit: ſiquidem ipſi videtis, quod juſto Dei judicio ſub poteſtatem Romanorum redacti eſtis. Hoc ejusmodi erat reſponſum, quod nunquam expectaſſent; ideo audientes mirati ſunt & relicto illo, abierunt.

Hic teipſum proba, mi Chriſtiane! an reſponſum Servatoris tui & ipſe obſervaveris, & tam Deo, quæ Dei ſunt, & Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, fideliter reddideris?

Numiſma cenſus, quod Judæi Chriſto monſtrarunt, ejusmodi inſcriptionem habuit. Ex uno latere, impreſſa erat imago Tiberii Cæſaris, tum Imperium tenentis, cum hac inſcriptione: *Tiberius Cæſar, divi Auguſti filius Auguſtus.* Ex altero latere, imago victoriæ, videlicet mulier, galeam in capite gerens, dextera haſtam, ſiniſtra ramum palmæ ferens, cum hoc titulo: *Pontifici Max.*

Erat itaque numiſma honoris, ratione Cæſareæ imaginis, quam ſubditi ſemper in honore habere debent. Sed & numiſma victoriæ erat, ratione cujus ſubditi ſibi in memoriam revocare debebant præclara illa beneficia, quæ Imperatori accepta ferrent.

Digitized by Google

Ita enim glorioſe vicerat, ut ubique præſertim in Judæa pax floreret. Præterea & religionem intactam relinquebat, ut illam ſine impedimento ſub imperio Romanorum exercere poſſent.

Quodſi igitur debitum noſtrum erga magiſtratum, imprimis vero erga Deum declarare velimus, requiritur à nobis.

1. *Geminus honoris denarius.* Et quidem quod magiſtratum attinet, ut debito eundẽ honore afficiamus, ſunt enim Patres patriæ, Gen. 41. v. 43. Sicut igitur filius obſtrictus eſt, patrem ſuum honorare, Mal. 1, 6. Sic & magiſtratui honorem convenientem debemus, juxta illud Petri: Deum timete, Regem honorate, 1. Petr. 2, 17.

Deo vero tribuamus denarium honoris, verbum ejus diligendo, & ſuper millia argenti & auri æſtimando, Pſal. 119. v. 72. indeſinenter orando, 1. Theſſ. 5, 16. temperanter juſte & pie vivendo, Tit. 2. v. 12. tribulationem patiendo, Rom. 12, 12. & ita imagini ejus nos confirmando, Rom. 8. v. 29. ita enim glorificamus Deum in corpore noſtro, ad exemplum Chriſti, 1. Cor. 6, 20.

2. *Geminus victoriæ denarius.* Tiberius Judæis pacem pepererat, ideo merito illi dederunt denarium victoriæ & pacis, juxta inſtructionem Chriſti: Date Cæſari, quæ ſunt Cæſaris. Idem & nobis dictum eſt: quia enim ſub tutela illorum quietam vitam agere, 1. Tim. 2, 2. & in pace ingredi & egredi poſſumus, Zach. 8. v. 21. noſtrũ quoque erit, ut de terrenis facultatibus noſtris ei largiamur quo victoria & pax porro continuetur, juxta illud: cui tributum, tributum, Rom. 13, 7. exemplo parentum Chriſti, Luc. 2. v. 4. & Chriſti ipſius, Matth. 17. v. ult. Dignus enim eſt operarius mercede ſua, Luc. 10, 7. Hunc victoriæ denarium Deo quoque debemus, propter Chriſtum, qui pax noſtra eſt, Eph. 2. v. 14. Juſtificati enim fide pacem habemus, Rom. 5, 1. ideoque confidenter clamare poſſumus: Abba pater, Rom. 8. v. 15. Victoriam ille obtinuit, quando cum adverſariis ſuis diſputavit, in diebus carnis ſuæ, ut præſens Evangelium probat. Palmam quoque reportavit in glorioſa reſurrectione ſua, poſtquam hoſtes ſpirituales debellavit, & vinctos ſuos emiſit de puteo, in quo non eſt aqua, Zach 9. v. 11. Col. 2. v. 15. Palma quoq; potitus eſt in triumphante ad cœlos aſcenſione, ubi

> Belliger ad cœlos ampla trophæa tulit,

ut Fortunatus ſcribit. Dum ſedit ad dexteram Majeſtatis Dei, Hebr. 1. v. 4. ſuper omnes cœlos, Eſa. 4. v. 10. ita ut magna virtute nobiſcum ſit, omnibus diebus usque ad conſummationem ſeculi, Mat. 28, 20. Mar. 16. v. 19.

Ideo victoriæ hunc denarium Domino debemus cùm debitæ gratitudinis ergo pro pleniſſima redemtione: tum etiam memoriæ ergo, ut porro nos ſibi commendatos habeat.

De Secundo.

TRanſibimus nunc ad *alteram partem*, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti*, contemplaturi. Hic nobis conſiderandus proponitur:

I. *Tanquam ingenuus concionator*, quem adverſarii ejus præclara quoque laude ornant:

1. *Propter ſcientiæ ſoliditatem*, vocant enim eum magiſtrum, qui alios cum fructu docere valeat. Quod à nobis eo pluris fieri debet, quia ab inimicis ejus dictum eſt, imprimis

primis quando dicta illa ſcripturæ inſpicimus, quæ tantam illi ſapientiam aſſignant, quæ omnium angelorum & hominum ſapientiam longo intervallo excedit, in ipſo enim omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſauri abſconditi ſunt, Col.2.v.3. Quinimo requieſcit ſuper eum, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & timoris Domini, Eſa.11,2.

2. *Propter doctrinæ veritatem.* Scimus enim, inquiunt, quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Hæc reapſe ita ſe habent. Non enim inventus eſt dolus in ore ejus, 1.Pet.2. verſ.22. Ideo ipſe inquit ad Judæos: Quis veſtrum arguet me de peccato? Joh.8. v.45.

3. *Propter animoſitatem.* Non enim, ajunt, reſpicis perſonam hominum. Hoc ipſi ita experti fuerant. Subinde enim ipſos propter peccata objurgaverat, & væ ingeminaverat, Matth.23.v.13.& ſeqq. Ita dixit ad Regium: Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis, Joh.4,48. & ad Pilatum, ſuperbientem cum potentia ſua: Non haberes poteſtatem adverſus me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper, Joh.19.v.11.

In his virtutibus Chriſtus omnibus Concionatoribus exemplo ſuo præivit, qui propterea eum imitari debent. Sit ergo concionator:

1. *Didaſcalus*, qui in Prophetis vacavit, Sir.31.v.1. juxta illud: Antequam loquaris diſce, Sir. 18. v. 19. Sic de Esdra dicitur, quod fuerit ſcriba velox in lege Dei, Esdr. 7,6. & Apollo commendatur, quod fuerit vir eloquens, potens in Scripturis, Act.18. v. 24. Hinc Paulus requirit ab Eccleſiæ miniſtro, ut potens ſit exhortari in doctrina, Tit.1,9.

2. *Veriloquus.*

1. *In verbis.* Etſi enim omnes homines veritati ſtudere, & mendacia vitare debent, quæ opprobrium nequam ſunt in homine, Sir.20,26. tamen concionatores imprimis veritati operam dare debent, ut rationem fidei habeant, Rom.12. v.6. tam in doctrina, quam in reliquis actionibus ſuis, & præcipue in opere elenchtico. Labium enim veritatis firmum erit in perpetuum, Prov.12. v.19.

2. *In factis*, ut exemplo Auditoribus ſuis præeat, & dicere poſſit: Hæc eſt via, ambulate in ea, Eſa.30,21.

3. *Magnanimus.* Officium enim Dei eſt, qui eſt Dominus meſſis, Matth.13. v. 4. & conducit fideles operarios in vineam ſuam, Matth.20,1. Sicut igitur Deus perſonarum acceptor non eſt, Act.10,34. ſic neque concionator perſonam reſpicere debet: ſed cuilibet iniquitatem ſuam annunciare, alias Deus ſanguinem peccatoris à manu ejus requiret, Ezech. 3.v. 18. Hoc ſi fecerit, Deus incrementum dabit labori ſuo, ut ſeipſum ſalvum faciat, & eos, qui ſe audiunt, 1.Tim. 4.v.16.

II *Tanquam Conſiliorum diſſipator.* Hic Phariſæos in bivio quaſi ſtare audimus, nec dubitant illi, quin Chriſtus alterutra via incedere cogatur, ut aut Romani Imperatoris offenſionem incurrat, aut plebis favorem amittat: Sed Chriſtus viam novit, quam ipſi ignorant, & ita conſilia eorum diſturbat, ut ſuis ipſius verbis irretiantur & capiantur.

Hinc gaudio exulta, mi Chriſtiane! Habes enim Deum & Servatorem omniſcium, quem non præterit omnis cogitatus, & non abſcondit ſe ab eo ullus ſermo, Sir.42. v.20.

Digitized by Google

Quintus Metellus, nobilis ille Eques copias ſuas ex uno monte in alium deducebat, hoc quidam familiarium admiratus, quæſivit ex illo: quid animi haberet? Sed ille reſpondit: Si ſcirem, veſtem meam noſſe conſilia mea, ſtatim exurerem & comburerē. Similem in modum hæretici & Tyranni arcana ſua non cuivis manifeſtant: ſed technas & inſidias ſuas, quas in cordis abyſſo abſconditas habent, adeo occultare non poſſunt, ut Chriſtum fugiant, utpote qui habet oculos Majeſtatis, quibus profundum abyſſi, & hominum corda intuetur in abſconditas partes. Sir. 23. v. 28.

Habes quoque Servatorem ſapientiſſimum, qui diſſipat cogitationes aſtutorum, ne poſſint implere manus eorum, quod cœperant, Job 5. verſ. 13. quin ſæpe in foveam, quam aliis fecerant, ipſos præcipitat, ut exempla probant.

Pharao Iſraelitas ſe ſuffocaturum putabat: ſed ipſe cum omnibus ſuis fluctibus involutus eſt, nec unus quidem ſuperfuit ex eis, Exod. 14, 28.

Haman lignum paraverat Mardochæo, habens altitudinis quinquaginta cubitos, ſed ipſe ſuſpenſus eſt in eo. Eſther. 7. v. 9. 10.

Principes Perſarum effecerunt, ut Daniel in lacum leonum abjiceretur: ſed ipſe indemnis evaſit, illi vero in lacum leonum miſſi ſunt, ubi continuo à famelicis leonibus arrepti, & oſſa eorum quoque comminuta ſunt, Dan. 6, 24.

Hinc Siracides: Qui in altum mittet lapidem, ſuper caput ejus cadet, Sir. 27. v. 28. 29. 30.

III. *Tanquam Magiſtratus politici commendator.* In prælecto Evangelio verba facit pro Imperatore Romano, qui gentilis, Chriſtianæ religioni addictus non erat. Non enim eſt poteſtas, niſi à Deo; quæ autem ſunt poteſtates à Deo ordinatæ ſunt. Roman. 13. verſ. 1. Ideo Dii illi appellantur, Pſalm. 82. verſ. 6. ratione maximæ poteſtatis, qua pollent non vero à ſeipſo: ſed à Deo, qui ipſos conſtituit, Dan. 2. v. 21. & aliquando interrogabit opera illorum, & cogitationes ſcrutabitur, Sap. 6, 4.

In hoc ſtatu vixit *Patriarcha Abraham*, qui Princeps & Dux fuit, qui cum quinque Regibus in aciem deſcendit, eoſque profligavit, Gen. 14, 14.

Sicut & *Joſephus*, Gen. 41, 41. & *Moſes*, Exod. 34. & ſeqq.

Hoc in ſtatu quoque fuit *David*, qui vir ad cor Dei erat, 1. Sam. 16. v. 13 ut & filius *Salomo*, cui Dominus bis apparuit, 1. Chr. 29. v. 5. Similiter *Hiskias*, *Joſias*, *Joſaphat*, aliique plures.

Hoc in ſtatu vixit *Joſeph ab Arimathia*, qui Senator erat Hieroſolymitanus, & ſimul diſcipulus Jeſu, expectans regnum Dei, Matth. 27, 57. Luc. 23, 51.

Quis fuit *Centurio Capernaiticus*, cujus fidem Servator adeo extollit? Matth. 8. verſ. 10. Quis *Cornelius Cæſareæ*, Act. 10. verſ. 1. *Sergius* in civitate Papho, Act. 13. verſ. 6. *Publius* in Inſula Melita, Actor. 28. verſ. 7. Nonne in Magiſtratu conſtituti, ſimul quoque Eccleſiæ vera membra fuerunt? Eſt itaque *ſtatus politicus ſtatus ſanctus*, in quo ſalva conſcientia Deo ſervire & placere potes. Per me reges

ges regnant,& legum conditores juſta decernunt, Prov.8,15.

Sed & *ſtatus omnino neceſſarius eſt*, quem Deus ordinavit ad tutelam bonorum,& vindictam male agentium, Rom. 13 verſ. 4. Eo Chriſtus reſpicit cum vocula, ἀπόδοτε, Reddite Cæſari, quæ ab eo accepiſtis, & indicat, quod ſine patrocinio Magiſtratus nihil conſervare poſſimus. Ubi enim non eſt conſilium, populus corruet: ſalus autem,ubi multi ſunt Conſiliarii, Pro. 11.v.14.

Quid grex eſt ſine paſtore? Quid navis ſine nauclero? quid corpus ſine anima? quid hortus ſine ſepe? quid urbs ſine mœnibus? Nonne oves paſtore deſtituti in devia aberrant? Nonne navis colliditur aut ſubmergitur, gubernatore carens? Nonne corpus interit, quando anima exſpirat? Nonne hortus ſubvertitur, & vaſtatur, quando ſine ſepimento eſt? Nonne civitas ſine munimento facile occupatur? Sic ſi Magiſtratus non eſſent, tanto confuſio foret, ut nemo ad momentum ſecuritate frui poſſet, Daß niemand ohne Pickelhauben würde ſicher zum Fenſter hinauß gucken dörfen / ut Lutherus loquitur. Liberi inſurgerent contra parentes: Auditores adverſus Concionatores: Subditi contra Magiſtratum, vicinus adverſus vicinum, panem tuum cum tremore comederes, & aquam tuam cum tremore & mœrore biberes, Ezech.12, 18. Homines errarent quaſi reptile, non habens principem, Habac. 1,14.& ſicut oves absque paſtore, Num.27. v.17.

Debito igitur honore, officiis debitis proſequamur Magiſtratum, propter Deum, 1. Petr.2. v.13. Qui Deum timent, rector illorum in honore, Sir.10.v.24. Filii vero belial ſunt,qui magiſtratui detrahunt, eumque deſpiciunt,uti appellantur, 1. Sam. 10.v. ult.

Chriſtus Servator noſter vult, ut demus Deo,quæ Dei ſunt,quod à nobis fit, quando Cæſari & Magiſtratui noſtro damus, quod illis debemus, nimirum amorem, honorem, obedientiam, ſubjectionem, cenſum, vectigal, tributum, & id genus alia, ſunt enim Dei miniſtri, Rom. 13. v. 4.& miniſtri regni illius, Sap. 6. v. 5. & quodcunque ipſis exhibemus ſive bonum ſive malum, id Deus ſibi factum reputabit: Ideo inquit ad Samuelem: Non te abjecerunt, ſed me, 1. Sam.8. v. 7. Contra vero David manum ſuam contra Saulem extendere noluit, propterea Deus ei benedixir, ut in regno ſucceſſerit eidem, ut Saul ipſe prædixerat, 1.Sam.24.v.20.21.

Adjuvet nos Deus, ut hæc omnia ita obſervemus, ad ipſius gloriam, & noſtrum emolumentum, per Chriſtum Dominum & Servatorem noſtrũ, Amen.

Digitized by Google

Dominica XXIV. poſt Trinitatis.

Evangelium Matth. 9. v. 18.---26.

EXORDIUM.

PLantavit Deus Op. Max. in ipſo mundi exordio *Paradiſum voluptatis*, in Eden ab oriente, in quo poſuit hominem, ut operaretur & cuſtodiret illum. In hoc horto inter alia fuit *lignum vitæ*, cujus fructus hominem in continua ſanitate conſervaſſet, à morbis & morte præſervaſſet, & æternæ vitæ certum feciſſet, niſi à Deo declinaſſet, & in peccata prolapſus fuiſſet. Gen. 2. v. 8. ſeqq.

Hæc *allegorice* explicabimus.

Hortus Eden imago eſt Eccleſiæ, quæ etiam hortus, & quidem hortus concluſus dicitur, Cant. 4. v. 12. in eo variæ arbores aromaticæ Chriſtianorum virtutum & arbores juſtitiæ inveniuntur, Eſa. 61. v. 3. quæ fructum ſuum dant in tempore ſuo, Pſal. 1, 3. *In medio vero horti conſiſtit arbor vitæ*, qui eſt Dominus & ſervator noſter Jeſus Chriſtus. Hic eſt:

1. *Arbor altiſſima*, qui proceritate ſua ad cœlum, imo ſuper omnes cœlos pertingit, Eph 4. v. 10. eſt enim filius altiſſimi, Luc. 1. v. 31. Rex Regum & Dominus dominantium, Apoc. 19. v. 16. imo Deus ſuper omnia benedictus in ſecula, Rom. 9. v. 5.

2. *Arbor umbroſiſſima*, quæ ramos ſuos late explicat, ut ſub umbra ejus ſecure ſperare poſſimus, Pſalm. 57, 2. ne per diem ſol nos urat, neque Luna per noctem, Pſ. 121, 6. Pſ. 36. v. 9.

3 *Arbor fertiliſſima*, quæ adfert fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem gentium, Apoc. 22, 2. *Per hos fructus duodecim indicantur, plurima illa beneficia*, quæ nobis Chriſtus ſanguine & morte ſua peperit, quæ adeo recentia adhuc ſunt, ut ea ſingulis menſibus, imo ſingulis diebus, horis & momentis ad ſalutem noſtram utiliter adhibere poſſimus, Jeſus Chriſtus enim heri & hodie, idemque etiam in ſecula, Heb. 13. v. 8. folia hujus arboris, ſunt libri Canonici, & ſcripta Prophetarum & Apoſtolorum, quæ non voluntate humana: ſed φερόμενοι ὑπὸ τȣ ἁγίȣ πνεύματος locuti ſunt, 2. Petr. 1. v. 19. & Eccleſiæ ejusmodi theſaurum reliquerunt, qui ſuper millia argenti & auri æſtimandus, Pſalm. 119. verſ. 72. ſunt enim λόγοι ὑγιαίνοντες, 1. Tim. 6, 3. imo verba vitæ æternæ, Joh. 6, 68.

Hoc clare patuit, cum Chriſtus in carne ſua in his terris ambulavit, ubi omnis generis infirmi, mœſti & tentati ſub hac arbore umbraculum quæſiverunt, & per ejus fructus & folia, ad ſpiritualem & corporalem ſanctitatem pervenerunt: cujus in prælecto Evangelio, *duo luculenta exempla habemus*, alterum in principe Synagogæ Jairo, alterum in muliere hæmorrhouſa. Uterque quæſivit umbram ſub Chriſto, arbore vitæ: uterque etiam, quod quæſivit invenit, & petitionem ſuam impetravit.

Nos ad ipſam Evangelii tractationẽ progrediemur, tractaturi ex eodem:

I. *Ἀνθρωπολογίαν* ſive *notitiam noſtri.*
II. *χριστογνωσίαν*, ſive *notitiam Chriſti.*

J.J.

Exegeſis.

DE Imperatore Auguſto legimus, quod magna Poeſeos voluptate captus, ideoque cum præſtantiſſimis Poetis, Virgilio & Horatio familiariter converſatus fuerit. Aliquando medius inter ipſos ſedebat, & quia Virgilius ut Melancholicus, identidem ingemiſcebat: Horatius vero lippos oculos habebat, ideo joco Cæſar dicebat:

Hic lacrymas inter ſedet, & ſuſpiria Cæſar.

Sed cœleſtis Auguſtus, Servator noſter pientiſſimus non jocatus eſt: verum, ut ſemper infirmis & mœſtis hominibus cinctus fuit: ita imprimis in prælecto Evangelio audimus, quod *à fronte princeps Synagogæ Jairus* ab ipſo petit, quia defuncta ſit filia ſua, ut veniat, & imponat manum ſuam ſuper eam: non enim dubitare ſe, ſi hoc impetraverit, fore, ut in vitam revocetur. *A tergo* vero *acceſſit mulier hæmorrhouſa*, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus. Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantum veſtimentum ejus, ſalva ero. Ita vere tunc ſtetit *inter ſuſpiria & lacrymas*, ut Aaron inter mortuos & viventes, cum reconciliaret Deo populum, Num.16,48.

Occaſionem *notitiam noſtri* diſcendi, præbet nobis hodiernum Evangelium ſi ſpectemus:

1. *Jairi petitum.* Hinc Evangeliſta ait: Ecce princeps unus acceſſit, & adoravit eum dicens: Domine, filia mea modo defuncta eſt; ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet.

Jairus vir erat authoritate valens, *ἀρχὼν τῆς συναγωγῆς*, ut Lucas loquitur, c.8.v.40. Hic unicam habebat filiam, annorum duodecim, & ut ex omnibus circumſtantiis apparet, optimæ ſpei: hæc ægrotabat, adeo, ut nulla ſpes ſupereſſe videretur, in extremis enim erat, ut Marcus innuit, c.5.v.23 jamjam moritura, Luc.8,42. Hæc miſeria ſtimulabat parentem ſolicitum, ut opem quæreret apud Chriſtum, de quo ſæpius audierat, quod non modo morbos inſanabiles curare: ſed & à morte redimere poſſit, idque non ſemel probaverit. Dum vero in via eſt, nuncium affertur, ne ultra magiſtrum vexaret, mortuam enim eſſe filiam ſuam. Hoc ipſo non abſterretur, ſed certa fiducia alitur, ſi modo Chriſtus manum ſuam ipſi impoſuerit, fore ut ipſa reviviſcat, præcipue quia ipſe Chriſtus eum ſolatur, & dixit: Noli timere, crede tantum, & ſalva erit, Luc.8, 49.ſeqq.

Apparet hinc:

I. *Crucis uſura.* Chriſtus jam diu commoratus fuerat in Capernaum: verum Jairus non magni eum fecit, donec à cruce infeſtatur, tum auxilium quærit apud eum, qui operatur ſalutem in medio terræ, Pſal. 74.v.12.

Hic examina te, mi Chriſtiane! utrum & ipſe via huic inſiſtens, tempore neceſſitatis apud Chriſtum unice opem & ſolatium quæſiveris?

Inveniuntur, qui in rebus adverſis, non recta ad Chriſtum, ſed ad ſanctos demortuos pergunt, ut in Papatu fieri videmus, h.e. derelinquere fontem aquæ vitæ, & fodere ſibi ciſternas; ciſternas diſſipatas,

tas,quæ continere non valent aquas, Jer.2. v.13.

Alii ad magos & incantatrices ſeſe conferunt,ut Saul, 1. Sam. 28,7. aut Diabolum conſulunt,ut Ahaſia,2.Reg.1,2.

Sed hoc grande peccatum eſt. Ad Chriſtum vero confugiendum, ejusque auxilium patienter expectandum eſt, ipſe vulnerat enim & medetur,Job.5,18.

2. *Parentum cura.* Jairus filiam ſuam non negligit,ſed curam ejus agit,& omni ſtudio in id incumbit,quomodo medium inveniat,quo illa in vita conſervetur. Hoc inſita στοργὴ ita requirit, cujus vi pater filiorum ſuorum miſeretur, Pſalm.103.v. 13. & mater filii uteri ſui obliviſci non poteſt, Eſa. 49.v.15.

Hic probate,mi Chriſtiane! an & ipſe liberorum tuorum curam ita geſſeris, & eorum temporalem & ſpiritualem ſalutem promotum iveris?

Occurrunt enim ejusmodi profligati parentes,qui non aliter ac pecora liberos ſuos æſtimant, imo majorem rationem boum quam liberorum habent: hinc videmus ipſos non usque adeo ſolicitos eſſe, quando ægrotant,ſed relinquunt eos ſine auxilio,ut ſæpe diſpereant: quin & in educatione adeo negligentes ſunt,ut neque domi ad preces eos compellant,neque in ſcholam ad erudiendum mittant: ſed ſinunt eosdem in flagitiis adoleſcere,donec à carnifice caſtigentur,aut anima & corpore in infernum deveniant.

Hæc plus quam *barbarica immanitas & inhumanitas* eſt, ut Lutherus cenſet in explicatione Geneſeos. Ejusmodi enim farinæ homines deteriores beſtiis ſunt, quæ pullos ſuos curant,defendunt,alunt,quin & dracones porrigunt mammas catulis ſuis, & lactant eos,Thren.4,3. O quam graviſſima ratio his reddenda erit,ſi quis enim ſuorum & maxime domeſticorum curam non habet: fidem negavit,1.Tim.5,8.

3. *Recte precantium figura*: Jairus adorat Chriſtum,& plane confidit,modo velit Dominus,poſſe eum defunctam filiam vitæ reſtituere.

Hic in examen tecum deſcende, utrum & ipſe hoc modo preces tuas fuderis?

Ejusmodi devotio hodie plane frigeſcit. Multi enim plane non orant: multi ſine fiducia orant. Imprimis quando media non apparent,quomodo è tribulatione liberari poſſimus,ſicut eques Samaritanus ex diffidentia dicebat: Si Dominus etiam fecerit cataractas in cœlo? 2.Reg.7,2.

Hæc etiam cauſa eſt,quod petentes non exaudimur, eò quod male petimus, Jac. 4,3. Oculi enim Dei reſpiciunt fidem, Jer. 5,3. & quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt. Rom.14.v.ult.

II. *Hæmorrhouſæ flagellum*, ut Marcus morbum ejus exprimit, c.5,34. Sicut enim cibaria, & virga, & onus aſino debentur, Sir 35. v.25. Sic & nos præter plurima & ampliſſima beneficia, quibus nos Deus affatim cumulat,virga & onere noſtro indigemus; ne extollamur,ſed in via pietatis pergamus: *Mala enim,quæ nos premunt, ad Deum ire compellunt*,Gregorio dicente,ut cum Iſraelitis dicamus: Venite,& revertamur ad Dominum,Oſe.6,1.

De hæmorrhouſa dicitur, quod à compluribus medicis multa perpeſſa, in medicos omnem ſuam ſubſtantiam erogaverit, nec ab ullo potuerit curari, Luc. 8,43.hoc ſane grave flagellum fuit!.

Hic velim inſpicias te,mi Chriſtiane! annon & ipſe ejusmodi flagello labores: non dubito,

Digitized by Google

bito quin id ſentias, ſi non corporaliter, certe tamen ſpiritualiter?

Quis quæſo ſine afflictione eſt? multa flagella impio, ait David, Pſal. 32. v. 10. ſed pii ſane non excluſi ſunt, flagellat enim omnem filium, quem recipit Deus, Heb. 12, 6. Hoc nemini mirum videri debet. Nonne Chriſtus ipſe in prætor Pilati innocenter flagellatus eſt, quid de nobis dicemus? *Si non exivit ſine flagello, qui ſine peccato venit quomodò flagellis digni non erunt, qui in peccatis vivunt?* inquit Gregorius. Si in viridi ligno hoc factum eſt, quid in arido fiet? Luc. 23, 31.

Imprimis vero confitendum nobis eſt, quod omnes ſanguinis reatu laboremus, ſicut ſcriptura ſæpe vocat. Vide Eſa. 1, 15. cap. 4. v. 4. 59. v. 3. Oſe. 4, 2. partim *ratione abominationis* quia Judæi abhorruerunt à ſanguine, Levit. 17, 10. partim *ratione animadverſionis*, quia mortem merentur, & juxta legem Moſaicam ſanguine vindicari debent, juxta illud: Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, Deut. 19. v. ult.

Hic non incommoda comparatio inſtitui poteſt inter peccata, & ſanguinis fluxum quo hæc mulier laboravit:

1. *Ratione impuritatis.* Quemadmodum enim mulier fluxum ſanguinis patiens immunda erat, ut ſeptem diebus ſeparanda fuerit, & omnis qui tetigerit eam pariter immundus erat, usque ad veſperum, Levit. 15. v. 19. 20. ſic & nos omnes ſumus natura, velut menſtruata, Thren. 1. v. 8. juſtitia noſtra eſt, ſicut pannus menſtruatæ, Eſa. 64. verſ. 6. Cogitationes, verba, & facta quaſi putredo, Job. 13. v. ult. Hoc peccatum efficit, quod adeo nos infecit, ut in carne noſtra non habitet bonum, & volentibus facere bonum, malum adjaceat, Rom. 7. v. 21.

2. *Ratione debilitatis.* Quemadmodum enim hæmorrhouſa ferme plane enervata erat, ob ſanguinis fluxum, in quo anima eſt, Levit. 17. v. 11. Sic & nos adeo debiles & infirmi ſumus à natura, ut à nobis ipſis, tanquam ex nobis ipſis non idonei ſimus ad cogitandum quicquam, nedum ad faciendum, 2. Cor. 3. v. 5. Peccata enim nos & Deum noſtrum dividunt, Eſa. 59. v. 2. in quo ſolo vivimus, movemur & ſumus, Act. 17. v. 28.

3. *Ratione perpetuitatis.* Quemadmodum enim hæmorrhouſa inquieta fuit, & ſemper auxilium quæſivit, quod tamen non invenit: ſic & impii quaſi mare fervens ſunt, quod quieſcere non poteſt, Eſa. 57. v. 20. quærunt quidē auxilium: ſed loco inconveniente, & quia alium ſequuntur, multiplicarunt moleſtos labores ſuos, Pſal. 16, 4.

4. *Ratione incommoditatis.* Sanguinis fluxus, quo Deus fœmineum ſexum affecit, natura bonus eſt, & habet commoda ſua: quando vero Deus punire vult, id quoque homini noxium eſt, quod ipſe ordinavit, ut exemplum muliérculæ hujus probat. Sic Deus homini ſæpe egregia dona concedit, ſed abutitur homo iis, ut ſibi in flagellum cedant. Sic Tertullus abuſus eſt eloquentia, Act. 24, 1. Achitophel conſiliis ſuis, 2. Sam. 16. v. 23. c. 17. v. 1. ſeqq. Dives epulo opibus, Luc. 16. v. 19. ſic nihil eſt, quod impiis non flagellum, ob abuſum fieri poſſit. Sirac. 40. v. 31.

5. *Ratione diuturnitatis.* Veluti enim hæmorrhouſa hæc malo hoc non hebdomada, menſem aut annum: ſed duodecim

Digitized by Google

annos laboravit: ſic & peccatum nobis ſemper adhæret, Hebr. 12. v. 1. & habitat in carne noſtra, quamdiu vivimus, ut inde cauſa ſit querendi: Scio, quod in me, hoc eſt, in carne mea, non habitat bonum, Rom. 7. v. 18.

Hanc miſeriam noſtram agnoſcere, & cum hæmorrhouſa hac Chriſtum vera fide accedere debemus, ipſe eſt medicus probatiſſimus, *qui fingit plaſmata, antequam faciat vulnera*, ut Evagrius dixit. Sanguis ejus melius loquitur, quam Abel, Heb. 12, 24. ſi cum vera fide apprehenderimus, in omnibus calamitatibus animoſi eſſe poſſumus, angelus percutiens certo tranſibit, & nullum nobis damnum inferet, Exod. 12, 23.

III. *Chriſti ludibrium.* Cum veniret enim Jeſus in domum Principis, omnia ad funus curandum inſtructa erant. Funus in feretro poſitum, tibicines parati adſtabant, & populus in funus proditurus, frequens aderat. Sed id Chriſtum non abſterret. Potius humaniter alloquitur populum, ut redeant, non enim mortuam eſſe puellam, ſed dormire. Propterea irridebant eum, quaſi ex imprudentia hoc Chriſtus dixerit, non reputantes quod reſpectu Chriſti revera dormiret, nec mortua eſſet.

Hic ſcruteris velim te, annon & ipſe nonnunquam Chriſtum irriſeris, & verbum ejus pro ludo duntaxat habueris?

Hoc non adeo infrequens eſt, ſed potius verum eſt illud Chriſti: Juſtificata eſt ſapientia ab omnibus filiis ſuis, Luc. 7, 35.

Quilibet ejusmodi mortuorum tibicines in domo cordis ſui habet, qui in operibus mortuis delectantur, & nihil magis optant, quam ut caro palmam obtineat, & ſpiritus ſupprimatur, quod etiam ſæpe obtinent, omne enim figmentum cogitationum cordis pravum eſt, Gen. 6, 5. & facile ineſcatur per concupiſcentiam carnis, per concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ, 1. Joh. 2, 16. Ut perficiat, quod hic delectat, in æternum vero cruciat. Concupiſcentia enim parit peccatum, Jac. 1, 15.

Ejusmodi mortuorum tibicen *ratio* quoque *occæcata* eſt, quæ myſteriis divinis non ſe accommodare poteſt: ſed ubique vacillat & titubat. In primo *Artic. de Creatione*: quomodo aliquid ex nihilo fieri poteſt? In ſecundo *Articulo de Redemtione*? Quomodo Deus poteſt eſſe θεὸν ἄνθρωπον? In *Articulo de Sanctificatione*, quomodo aqua hominem regenerare & à peccatis mundare poteſt? Quomodo Chriſtus in cœna corpus & ſanguinem ſuum exhibere poteſt! & id genus alia. Animalis enim homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2, 14.

Huc quoque *Epicurei* pertinent, qui quæ Scriptura de vita æterna, de reſurrectione carnis, de extremo judicio, & inferno docet, pro meris nugis & inanibus terriculamentis habent.

Potiſſimum vero referendi huc ſunt hæretici, de quibus Petrus ait, quod ſcripturas detorquecant, 2. Pet. 3. v. 16. Quod Chriſto ipſi aliquoties obtigit. Cum enim Jeſus diceret: Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt Judæi: Quadraginta & ſex annis &c. Joh. 2, 20. Luc. 22. v. 24. Joh. 8, 56. 57.

Idem adhuc hodie ſubinde ita fit, & quamvis verbi miniſtri & Concionatores, quod officii ſui eſt, faciant, & hominibus clare inculcent, quid credere aut reprobare debeant, tamen ſurdis narratur fabula, & in præconcepta opinione ſua tenaciter perſeverant. Hi mortuorum tibicines merito cenſendi ſunt, qui omnia ſusque deque habent,

bent,& peſſundant, quod præcones ædificarunt,& plantarunt,ideo expellendi ſunt, ſi Chriſtus virtutem ſuã, iis exercere debeat. quicunque enim honorificaverit me, glorificabo eum, 1.Sam.2,30.

De Secundo.

TRanſibimus nunc ad *alteram partem*, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti* contemplaturi. Hic nobis meditandus proponitur:

I. *Tanquam promtus auxiliator.* Vix enim Jairus ſermonem ſuum finierat, & ſurgens Jeſus ſequebatur eum,& diſcipuli ejus.

Si ſervator cum hoc principe Synagogæ expoſtulare voluiſſet,ſat cauſæ habuiſſet,ſine dubio enim inter illos fuit, qui Chriſto ratione novæ doctrinæ infenſi fuerunt.Idcoque & jam auxilium ſuum ipſi denegare potuiſſet.Sed eo neglectoChriſtus eum ſecutus eſt,quo ipſi ſuccurreret: lætatur enim ad benefaciendum nobis, Jer.32, 41.

Hactenus *hic ſynagogæ princeps Chriſtum parum curarat*: jam vero ubi cruce affligitur,à Chriſto opem petit,id non denegat ei Chriſtus,licet hactenus pœnitentiam ſuam procraſtinaſſet.

Sic ſi & tu *pœnitentiam differens*, diaboli laqueis irretitus es,in quibus te ad iniquitatem duxit, quo minus ad pœnitentiam pervenire potueris, *vi perrumpe*,& revertere ad Chriſtum,qui & illos non vult rejicere, qui circa horam undecimam in vineam veniunt, Matth.20.v.6. Sat cito ſi ſat bene: ſed cavendum,ne tempus pœnitentiæ perdamus; non enim eſt opus virium humanarum, ſed Dei,ideo Deo ad pœnitentiam nos vocanti non reſiſtere debemus, Sir. 18,22.

Princeps Synagogæ adhuc infirmus in fide erat, licet enim crederet, Chriſtum filiam ſuam in vitam revocare poſſe: tamen præſentiam Chriſti,ejusque manus impoſitionem requiſivit, non tamen propterea à Chriſto rejectus eſt.

Sic noli deſperare, mi Chriſtiane! *quamvis fides tua tempore neceſſitatis imbecillior* ſit. Habes enim ejusmodi Servatorem qui calamum quaſſatum non conteret,& linum fumigans non extinguet, Eſa.42.v.3. Ideo David ait: ſi benedictus ceciderit, non projicietur, quia Dominus ſuſtentat manum ſuam. Pſal.37.v 24. Modo aſſidue oremus: Domine adauge nobis fidem, Luc. 17,5 Marc.9.v.24.

Princeps Synagogæ, in eam anguſtiam devenerat, in qua nemo ei opitulari poterat, filia enim ejus defuncta erat, verum apud Chriſtum auxilium invenit.

Nos quoque ad eum fugiamus, quando in magnas anguſtias incidimus, & ignoramus quid agere debeamus, ſicut Joſaphat, 2.Chron.20. v.12. eſt enim mutatio dexteræ ejus, Pſ.77,11. & ſi nusquam auxilium apparet, tamen prope timentes ſalus ejus, Pſal.85.v.10.

Auxilium ejus eſt *omnipotentiſſimum.* Homines ſæpe libenter in malis ſuccurrerent: ſed non poſſunt,ut conſtat ex 2.Reg. 6,27. Sed Dei manus abbreviata non eſt, ut non poſſit redimere,Eſa.50.v.2. Non enim impoſſibile apud eum ullum verbum, Luc.1,37.

Auxilium ejus eſt *præſentisſimum.* Cives Hieroſolymitani in Ægyptum ablegarunt opem adverſus Babylonios petitum: ſed melius multo feciſſent,ſi Dei opem imploraſſent,qui non modo valida dextera ex Ægypto eos liberaverat,ſed & gentes ante ipſos expulerat, & in Palæſtinam introduxerat,

Prope enim eſt Dominus, omnibus invocantibus eum, Pſal.145. v.18.

Auxilium ejus eſt *validiſſimum*. Simſon maxilla aſini interfecit mille viros,& apprehendit ambas portæ fores,cum poſtibus ſuis & vectibus, impoſitasque humeris ſuis portavit ad verticem montis, qui reſpicit Hebron,Jud.15.v. 15.c.16. v.3. Hoc factum Heroicum fuit. Sed quando Deus noſter cum auxilio ſuo venit,ecce,gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi pulviſculus ſtateræ reputatæ ſunt,Eſa. 40.v.15. mutatio dextræ ejus, &c.Pſal.77,11. facit potentiam in brachio ſuo,Luc.1.v.51. uno verbo omnes hoſtes ſuos profligare poteſt,Johann. 18. verſ. 6.

Auxilium ejus eſt *miraculoſiſſimum*. Quando in tantas calamitates incidimus,ut neſciamus cum Joſaphat quid agere debeamus, 2.Chron. 20. verſ.12. aut ſcindimus veſtimenta præ ægritudine ut Hiskias, Eſa. 37.v.1. Si modo vera animi devotione Deum invocamus,cum miraculoſo ſuo auxilio accelerat, ut homines annuncient opus ejus,Pſal.64,10.

Auxilium ejus eſt *ſolatio pleniſſimum*. Hoc enim in more habet, ut tum demum ſuccurrat,quando hominum auxilium deſperatum eſt, uti videmus in tribus viris in ardente fornace, Dan.3, 19. In civibus Bethulienſibus,Jud.14,9.ſeqq. in hæmorrhouſa in Evangelio aliisque pluribus. Hoc ideo facit, ut auxilium ejus eo gratius ſit, juxta illud: *Deſiderata diu dulcius obtinentur, cito autem data vileſcunt*, ut Auguſtinus ait. Ne igitur alios opitulatores quæramus: ſed Deo unice confidamus, Magnus enim eſt,& magnum nomen ejus,in fortitudine, Jer.10,6.

II *Tanquam blandus Conſolator*. Hoc probavit in mœſto parente, quem amice alloquitur: Ne metuas;& domum ingreſſus,ubi omnia ad funus inſtructa videt,ait: Quid ploratis? puella non mortua eſt: ſed dormit. Idem probavit in hæmorrhouſa, quæ plena timoris erat,quod Chriſtum tetigerat: ſed humaniter illam affatur, inquiens: Confide filia! fides tua ſalvam te fecit.

Hæc verba ſunt ſolatio pleniſſima, quæ non immerito cum Petro verba vitæ vocamus, Joh.6.v.68.

Obſervandum hoc

1. *Contra crucis longitudinem*. Muliercula hæc ſanguinis fluxum annos duodecim paſſa fuerat; ſic adhuc hodie inveniuntur, qui cum Davide conqueruntur,usque quo, Pſal.6,1. Verum ut Chriſtus eam filiam ſuam appellat: ita & ipſi ſe filios Dei eſſe meminerint. Quos enim diligit Dominus caſtigat,Heb.12.v.6.7.

2. *Contra cordis anxietudinem*. Princeps Synagogæ triſti nuncio percellebatur: obviabant enim ei dicentes: Filia tua mortua eſt,quid ultra vexas Magiſtrum? Sed Chriſtus ſolatur ipſum: Noli timere: tantummodo crede.

O quam ſæpe fit,ut & nos per triſte nuncium conſternemur,ut omnia deplorata eſſe cenſeamus. Verum tum recordemur, manum Dei non abbreviatam eſſe, Eſa.59. v.2. Eſa.41.v.10,11.

3. *Contra mortis amaritudinem*, quam Chriſtus ſomno comparat, inquiens: Puella non mortua eſt: ſed dormit.

Quando homo veſperi cubitum it, ſpem habet, quod mane rurſus evigilaturus & reſurrecturus ſit. Sed ſpes decollat interdum. Multi enim ſoſpites & ſani dormitum ſe contulerunt,qui mane mortui reperti ſunt, ut Siſſera, Jud.4.v.21. Isboſeth,1. Sam.4. v.6.

v 6. Holofernes, aliique plures. Sed qui in morte obdormit, de reſurrectione certiſſimus eſſe poteſt. Venit enim hora, in qua omnes &c. Joh. 5. v. 28. 29.

Quemadmodum vero non quilibet ſomnus placidus & jucundus eſt, imprimis quando cor plenum curarum, & cibo potuque gravatum eſt: ſic mors impiorum non placidus ſomnus, ſed potius initium & introitus ad mortem æternam. Gravant enim corda crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ, Luc. 21. v. 34. terrenis inquietantur, Phil. 3, 19. & ex hac vita ſecum auferunt rodentem vermem conſcientiæ, Eſa. 66. v. ult. Apoc. 14. v. 11.

Ideo quilibet operam navare debet, ut ſi aliquando placide obdormire velit, & quieſcere, ut mundo & omnibus terrenis concupiſcentiis valedicat, & unice quærat, quæ ſurſum ſunt, ubi Chriſtus eſt. Col. 3, 1. Mundus enim tranſit, & concupiſcentia ejus, 1. Joh. 2. v. 17.

III. *Tanquam mortuorum reſuſcitator.* Hoc opere ipſo demonſtrat, dum tenens manum puellæ ait illi: Talitha Kumi, quod eſt: puella, tibi dico, ſurge. Et confeſtim ſurrexit puella, & ambulabat. Ne vero quis exiſtimaret præſtigias eſſe, juſſit illi dare ad manducandum: quod clarum indicium eſt, animam cum corpore redunitam eſſe.

Hic nobis *præludium & idea generalis reſurrectionis*, quæ die noviſſimo futura eſt, ob oculos ponitur.

Sicut enim ſervator irriſores hos expellit: ſic & aliquando illos illuſores expulſurus eſt, qui dicunt: Ubi eſt promiſſio, aut adventus ejus? 2. Pet. 3. v. 4. Foris enim ſunt canes & venefici & impudici & homicidæ &c. Apoc. 22. v. 15.

Deinde, ſicut hic Chriſtus puellam manu prehendit! Ita & in die ultimo manum ſuam extendet, tumulos noſtros aperiet, & educet nos è ſepulchris noſtris, Ezech. 37, 12.

Tertio, Quemadmodum hic Chriſtus filiam parentibus reſtituit, ita & die noviſſimo liberos parentibus, & parentes liberis, ut & conjuges conjugibus reſtituet, qui propterea dies reſtitutionis omnium appellatur, Act. 3, 21.

Interea fidem noſtram fulciamus verbo promiſſionis ejus, quia enim dixit: Vivent mortui tui Eſa. 26. v. 19. certo certius id implebit. Non enim homo eſt, qui mentiatur, Num. 23. v. 20. Neque virtus aut facultas ei deeſt, vocat enim ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, Rom. 4. v. 17. *Nemo tam facile excitat dormientem è ſomno, quam Chriſtus mortuos excitabit è ſepulchro*, ut Auguſt. ait, hac fiducia freti dicere poſſumus: Scio, quod redemtor meus vivit, Job. 19. v. 17.

Hoc fulcior ſolamine,
Moleſta in ægritudine,
Scio die quod ultimo
Cum gaudio
Sim ſuſcitandus ex humo.
Rerum parentis dextera
Mortis retundet ſpicula.
Servabit oſſa corporis
Ut ſingulis
Conveſtiar membranulis.
Bonum Deum cum jubilo
Videbo, nullus ambigo.
In ſempiterna gloria,
Quæ mi data,
Sit laus ei per ſecula.

Digitized by Google

Das iſt mein Troſt zu aller Zeit/
In allem Creutz und Traurigkeit/
Ich weiß daß ich am Jüngſten Tag
Ohn alle Klag
Werd aufferſtehn aus meinem Grab.
Mein lieber frommr getreuer Gott/
All mein Gebein bewahren thut/
Da wird nicht eins vom Leibe mein/
Sey groß oder klein
Umkommen noch verlohren ſeyn.
Mein lieben Gott von Angeſicht:
Werd ich anſchaun dran zweiffl ich nicht/
In ewger Freud und Seligkeit/
Die mir bereit/
Ihm ſey Lob Preiß in Ewigkeit/
Amen.

* * *

Dominica XXV. poſt Trinitatis.

Evangelium, Matth. 24. v. 15. - 28.

EXORDIUM.

OStendit olim Deus Ezechieli in viſione *varias abominationes domus Iſrael.* Adduxit enim eum Hieroſolymam in templum, ibi vidit ab Aquilone portæ altaris idolum *zeli patri-familias*, in ipſo introitu. Ulterius ingreſſus, vidit omnem ſimilitudinem *reptilium & animalium abominationem*, & univerſa idola domus Iſrael, coram quibus ſteterunt ſeptuaginta viri de ſenioribus domus Iſrael, *thuribulum* habentes in manu ſua, eoque ſacrificantes. Vidit quoque mulieres ſedentes, *plangentes Adonidem*, Ezech. 8. v. 3. ſeqq.

Hæc mira viſio eſt, in qua nobis conſideranda proponitur:

1. *Idea profanationis templi externi.* Per idolum enim, quod in zelum patris-familias, Dei nempe trinunius, qui habitaculum in templo, 1. Reg. 8, 30. & quaſi ignem & caminum habuit, Eſa. 31, 9. erectum fuerat, Biblia Weimarienſia intelligunt, *idolum Baal*, cui Manaſſes aras erexerat, 2. Reg. 21. 3. c. 23, 32. id abominatio erat patri-familias, qui juxta ſe Deos alienos ferre nequit, Exod. 20. v. 3. Ideo inquit Elias? Usque quo claudicatis in duas partes? 1. Reg. 18, 21.

Quod vero Propheta, cum ulterius ingreſſus eſt, *omnem ſimilitudinem reptilium & animalium* vidit, eo indicatum eſt, quod non uno modo idololatriam commiſerint: verum ſicut gentiles varia idola habuerunt, quæ divino cultu affecerunt; Ægyptii Apim, in forma vituli, Exod. 32. v. 4. Qui erant de Sepharvaim, Adramelech & Anamelech, in im agine pavonis & muli, 2. Reg. 17. v. 31. Viri de Emath, Aſima in ſimulacro hirci, ibid. v. 30. Moabitæ Baal-Peor, Num. 23. Palæſtini Dagon in forma fœminæ marinæ, 1. Sam. 5. v. 2. & id genus alia: Ita in omnibus fere gentiles æmulati ſunt, & hoc modo mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum & ſerpentium, Rom. 1. v. 23.

Imprimis mentio hic fit *mulierum plangentium Adonidem*, qui Veneris rivalis fuit, in cujus honorem gentiles anniverſarie feſta

ſta luctuoſa inſtituerunt, quæ à muneribus Judaicis quoque celebrata ſunt, quo ipſo Deum valde commoverunt, & occaſionem præbuerunt, ut excidium urbis maturaverit, ut ex ſeq. 9. cap. patet.

2. *Idea profanationis templi interni.* Nam in hoc quoque variæ inveniuntur abominationes zeli patri-familias, qui Deus Spiritus Sanctus eſt, & templum ſuum merito in cordibus hominum habere debet, 1. Cor. 3, 16. ne reptilia nociva & animalia venenata in iisdem inveniantur, qualia ſunt ſerpentes, & genimina viperarum, Matth. 3, 7. ſed omnis generis præclaræ virtutes, quæ enarrantur, Gal. 5, 22. *Hoc fit, quando non adinſtar mulierum iſtarum Adonidem plangimus:* ſed ſuper peccata noſtra flemus, Luc. 23, 23. & ſuper omnes abominationes, quæ paſſim patrantur, Ezech. 9. v. 6. Simul quoque odoramenta orationum offerimus Deo in odorem ſuavitatis. Apoc. 5, 8. cum Davide ſuſpirantes: Domine non intres in judicium cum ſervo tuo. Doce me facere voluntatem tuam, Pſal. 143. v. 2. 10.

De utraque abominatione concionatur Chriſtus in prælecto Evangelio: non enim Judæi templum externum duntaxat prophanaverant per falſam doctrinam: ſed tantis quoque peccatis ſe adſtrinxerant, ut ipſe Joſephus ſcribere non dubitet: *Puto, ſi Romani contra noxios venire tardaſſent, aut hiatu terræ devorandam fuiſſe civitatem, aut diluvio perituram, aut fulminum ac Sodomæ incendia paſſuram.*

Nos abſque ulteriori prælоquio ad ipſam Evangelii tractationem nos conferemus, meditaturi:

I. ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

QUemadmodum ignis egreſſus à Domino devoravit eos, qui cultum ejus alieni ignis oblatione prophanaverant, non attento eo, quod filii Aaronis, & è ſtirpe ſacerdotali eſſent, Levit. 10, 2. Ita & Dominus Sabaoth, fortis ille zelotes, in juſta ira ſua Judæos propter incredulitatem fregit, & excidit, ut non amplius peculium ejus ſint. Hoc vero nobis exemplum factum eſt, ut inde bonitatem & ſeveritatem ejus agnoſcamus. In iis quidem, qui ceciderunt, ſeveritatem: bonitatem autem in nobis, ſi permanſerimus in bonitate: alioquin & nos excidemur, Rom. 11. v. 22.

In præſente Evangelio Servator Judæis interitum annunciavit, & abominabilem deſolationem, quæ ad conſummationem & finem perſeverabit, Dan. 9. v. ult. & ſimul applicavit ad diem noviſſimum, qui inſtar fulguris irrupturus, mundoque finem impoſiturus eſt.

Notitiam noſtri hinc diſcimus, ſi ſpectaverimus:

I *Variam abominationem*, de qua Chriſtus ait: Cum ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt, à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto &c.

Quid per abominationem deſolationis intelligatur, non melius replicare poſſumus quam ſi ipſum Danielem inſpiciamus, ubi in fonte verba ita ſonant: Ceſſabit hoſtia & ſacrificium *per alam abominationum deſolantem*, Dan. 9. v. 27. *Per alam* autem *abominationum* intelligitur exercitus Romanorum,

rum, quem in certas alas ſive cohortes diſtribuerunt, ſicut adhuc hodie copiæ militares ad dextram & ſiniſtram alam ordinantur. Quod vero Propheta eum vocat *alam abominationum*, id ideo facit, quia populi ethnici erant, qui Judaicam Religionem exoſi, proptereà accedebant, ut Hieroſolymam cum templo, imo totam regionem funditus & everterent & vaſtarent. Unde S. Lucas verba ita παραφράζει: Cum videritis circumdari ab exercitu Hieruſalem, tunc ſcitote, quia appropinquavit deſolatio ejus, Luc. 21, 20.

Sed & certum eſt, Chriſtum ſimul reſpexiſſe abominationes doctrinæ & vitæ, quæ apud Judæos invaluerant. Templum Hieroſolymitanum potiſſimum eum in finem exſtructum erat, ut pura doctrina & religio in eo exerceretur: Verum Phariſæi & Scribæ in ſpeluncam latronum illud commutaverant, Matth. 21. v. 13. & propter traditiones ſuas mandata Dei irrita fecerant, Mat. 15, 6. ideo Chriſtus cavere nos jubet à fermento Phariſæorum, Mat. 16, 6. expreſſe dicens: niſi abundaverit juſtitia noſtra plus, nos non poſſe introire regnum cœlorum, Matth. 5, 20.

Hoc non contenti, varias quoque abominationes patrarunt, eisque deſolationem ſibi attraxerunt, quod ipſis Chriſtus dilucide exprobravit his verbis: Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis Prophetas. Mat. 23.

Hic velim inſpicias te & probes, utrum in deſolatione miſerabili, dilectæ noſtræ Germaniæ peccatorum tuorum abominationem in mentem tibi revocaveris, quibus non parum eam promoviſti?

Si hoc quilibet feciſſet, nullum eſt dubium quin grande illud malum vel plane averti, vel citius finiri potuerit. Quia vero id non fecimus, ſed potius ligna ad ignem comportavimus deſolatio adeo invaluit, ut terra, quæ quaſi hortus voluptatis ante erat, ſolitudo deſerta facta fuerit, Joel. 2, 3. Nam uti ſementem feceris, ita & metes: ubi abominatio, ibi deſolatio. Non enim eſt veritas, non eſt miſericordia, Oſe. 4. v. 1. 2. 3.

Imprimis vero hoc ita accidere ſolet, *quando abominatio ſtat in loco ſancto*, h. eſt, quando illi, qui verbum Dei purum & ſincerum habent, & quid rectum & juſtum ſit, norunt, malitioſe eidem repugnant, velut delicti inceſſabiles, 2. Pet. 2. v. 14. & peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicant, Eſa. 3. v 9.

Genuini Chriſtiani declinent vias perditionis & iniquitatis, in quibus filii hujus ſeculi ambulant, Sap. 5, 7. nec minus vias Sion ſedulo frequentent, ne deſolatæ ſint, Thren. 1. v. 3. Sed dirigant pedes ſuos in viam pacis, Luc. 1. v. 79. temperanter juſte & pie viventes, Tit. 2. v. 12. Quo Dominus cauſam habeat, ſciſſuras murorum, quæ per belli tempeſtatem ruptæ ſunt, & hiſcent adhuc, reædificandi, Amos. 9. v. 11. & fracturas terræ ſanandi, quæ ita commota eſt, Pſal. 60. v. 4. Ipſe enim ait: Repente loquar &c. Jer. 18. v. 7. 8.

II. *Scripturæ commendationem*, qui legit, ait Servator, intelligat. Etſi autem hoc principaliter de Daniele intelligendum eſt, quem nominetenus exprimit: non tamen reliqui Bibliorum libri excluſi ſunt. Omnis enim ſcriptura θεόπνευϛος & utilis eſt, 1. Tim. 3, 16. 17. Joh. 5. v. 39. 2. Pet. 1. v. 19.

Hic examina te, mi Chriſtiane! utrum, ut officium tuum requirit, ſcripturam ſacram ſedulo legeris & meditatus fueris?

Hoc apprime neceſſarium eſt. Quæcunque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, Rom. 15. v. 4. *Impium* ergo *eſt,*

Digitized by Google

eſt,ſi non legamus nos, quod ſcriptum eſt propter nos, ut Auguſtinus ait. Tales enim conſilium Dei ſpernunt adverſus ſeipſos, Luc. 7.verſ.30. & faciunt, ut verbum ſibi fiat odor mortis in mortem, 2. Corinth. 2. v.16.

In Papatu Laici,inter quos & Imperatores & Reges referuntur, à lectione ſacræ Scripturæ arcentur: Verum deteſtanda tyrannis hæc eſt,quæ non ferenda foret, verbum enim Dei ex ſe lux eſt,illuminans oculos, Pſal. 19.v.9.non autem ſub modio ponenda eſt,ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus,quæ in domo ſunt, Matth.5, 5.

Hoc Dei mandatum eſt in genere: Verba hæc,quæ ego præcipio tibi, Deut.6.v.7.8. Deinde quod Reges in ſpecie attinet, illis mandat Deus, ut ſemper ſecum habeant librum legis, legantque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, Deut.17, 18. Ne vero quis exiſtimet,ſolos Reges hoc concernere, c.31. v.11.hæc verba leguntur: Convenientibus cunctis ex Iſrael,ut appareant in conſpectu Dei tui &c.

Idipſum Judæi in familiari uſu habuerunt,qui ſacras literas in ſynagogis ſuis per omne ſabbathum legerunt, Act.15.v.21.

Nobis hoc exemplum imitandum eſt. Beatus eim cujus voluptas in lege Domini, Pſal.1.v.2.3.Chryſoſtomus frequenter monet ad diligentem ſcripturæ lectionem,hinc ait: *Audite obſecro,ſeculares omnes,comparate vobis Biblia,animarum pharmaca, ſi nihil aliud vultis,vel novum teſtamentum acquirite.* Et iterum: *Audite,quicunque eſtis mundani, & uxori praeſtis & liberis, quomodo vobis Apoſtolus mandet legere ſcripturas, & non leviter, nec temere: ſed magno ſtudio & diligentia.*

Ad has audiendas & meditandas graviſſimæ cauſæ nos ſtimulare debent, eſt enim Scriptura ſacra

1. *Cæleſte armamentarium*, ex quo mille clypei pendent,omnis armatura fortium, Cant.4.v.4. Nos vero ſpirituales milites ſumus,ſub vexillo Chriſti militantes. Job. 7.v.1. In hoc armamentario, reperimus loricam juſtitiæ,ſcutum fidei,galeam ſalutis & gladium ſpiritus, quibus reſiſtere in die malo, & omnibus perfectis ſtare poſſumus, Eph.6 v.13.14.15.

2. *Cæleſte promtuarium*, quod plenum eſt, educens de frumento in frumentum, Pſal.144.13.Hic menſam paratam habemus, Pſal. 23. v.5. in eaque aſſaturam ejus agni, qui occiſus eſt ab origine mundi, Apoc.13. v.8.panem vitæ, Joh. 6. v. 51. & vinum defecatum, Eſa.25.v.6.quibus anima noſtra reficitur, Pſal. 119. v. 9.

3. *Cæleſte pharmacopolium*,omni neceſſitate inſtructum. Nos omnes graviter laboramus,à planta pedis usq; ad verticem non eſt in nobis integrum quiddam, Eſa.1.v.6. Sed hic invenimus,primo, *medicamenta evacuantia*,quibus peccatis obſiſtitur & corda purificantur, quod fit per quotidianam pœnitentiam. Deus enim bonæ ſpei fecit filios ſuos, deditque locum in peccatis pœnitentiæ, Sap.12,19.

Secundo, *medicamenta confortantia*, nempe *oleum lætitiæ*, quod eſt Spiritus ſanctus, Pſal.45.v.8.qui ſublevat infirmitatem noſtram, Rom.8.v.26. unde expreſſe Paracletus dicitur, Joh. 6 v.7. Deinde, *aquam perlarum* beatifici Evangelii, quod margaritis bonis comparatur, Matth.13.v.45. Porro *manum Chriſti*, quæ tempore neceſſitatis optima virtute pollet, Mutatio enim dexteræ Excelſi, Pſal. 77. v.11. Sed & à noſtra parte, manus fidei requiritur, qua Chriſtum ap-

Digitized by Google

apprehendere tenemur, dicentes: Trahe me poſt te, Cant. 1. v. 3. Sic ille nos ad ſe trahet, nobisque gloriam dabit, quam ipſi pater dedit, Joh. 17, 24.

Tertio, *medicamenta præſervantia*, quæ ſunt floſculi

1. *Gratia Dei*, in qua unice confidere debemus. Gratia enim Dei ſumus, quod ſumus, 1. Cor. 15. v. 10.

2. *Primula veris*: hæc oratio eſt, qua cœlum recludere poſſumus, Jac. 5, 17. Mal. 3, 10.

3. *Semper vivum* Hæc ſpes eſt, quæ non confundit, Rom. 5. verſ. 4. Et ut verbo dicam, panacea immortalitatis, Sap. 16. v. 12.

Quis igitur non ſcripturas ſedulo evolveret? Quis ab Evangelicæ veritatis hoſtibus ſe ab iis prohibere pateretur?

Cum Palæſtini Patriarchæ Iſaac fontes obſtruxiſſent, non modo eosdem refodi: ſed & alios fodi curavit, de quibus illi altercari non poterant, Gen. 26, 18. ſeqq.

Nos fontes habemus Iſraelis, qui in verbo Dei fluunt, Pſal. 46, 1. Quando igitur infernales Palæſtini adventuriunt, ad obſtruẽdum illos, ut ad pacem nobis amaritudo amara, Eſa. 38, 17. neutiquam repelli nos patiamur, ſed renovemus, quos diabolus obſtruxit, cum Eccleſia identidem orantes:

Te corde quæſo ſupplice,
Ne ſemen aufer verbi.

Ich bitt O HErr aus Hertzen Grund/
Du wollſt nicht von mir nehmen &c.

III. *Aquilarum congregationem*: Ubicunque enim fuerit cadaver, illic congregabuntur & aquilæ. Hæc proverbialis locutio eſt, quam Servator ex c. 39. v. 33. Hiobi deſumſit, ubi hæc verba leguntur: Ubicunque cadaver fuerit, ſtatim aquila adeſt. Hoc Chriſtus ſibi & fidelibus ſuis applicat, q. d. nos ex voto conveniemus, & ubi ego ſum, ibi quoque fideles mei erunt, ſicut cadaver & aquila ſolent conjungi.

Hic non immerito vero mireris, cur Chriſtus cadaveri comparet ſe, ſiquidem cadaver corpus eſt exanime, prætereaque fœdum & horrendum, unde & Judæis prohibitum illud tangere, Levit. 11, 21. ſeqq. Facit id:

1. *Reſpectu ſui*, ſeu ratione mortis ſuæ, nõ quidem ut corruptioni, cui cæteri homines ſubjecti ſunt, Hiob. 17, 14. Gen. 3, 19. ſe adſtringat, hanc enim Chriſtus non vidit, Pſal. 16, 10. Joh 10. v. 18. Sed ut vere ſe moriturum innuat. *Cadaver* enim *dicitur à cadendo*, ſiquidem quando anima è corpore abiit, corpus conſiſtere nequit, ſed omnes vires collabaſcunt: ſic Chriſtus in ligno crucis vere mortuus & ſepultus eſt, Joh. 19, 28. *Quod ſolatio noſtro inſervit.* Per mortem enim ſuam mortis imperium abolevit, Heb. 2. v. 15. Die quoque noviſſimo, corpora noſtra ut cadaver putrefacta reſuſcitabit, & corpori ſuo glorioſo ſimilia reddet, Phil. 3. v. ult.

2. *Reſpectu mundi*, qui ipſum tempore paſſionis deſpexit; velut cadaver abominari ſolemus &c. Eſa. 53, 8.

3. *Reſpectu noſtri.* Sicuti enim aquilæ cadaveris fœtorem de longe ſentiunt, & ad comedendum feſtinant, Hab. 2, 8. ſic & pii Chriſtiani non patiuntur ſe à ſervatore ſuo ſeparari: ſed delectantur in loco eo eſſe, ubi de paſſione & morte ejus prædicatur, & ubi ſub pane & vino benedictis corpus ejus in cibum, & ſanguis ejus in potum diſtribuitur, 1. Cor. 11, 24. 25.

Hic probate, mi Chriſtiane! an & ipſe natura & ingenio aquilino præditus, debito zelo,

Digitized by Google

zelo nec minori lætitia Chriſto te aſſocies, ſicut aquilæ cadaver deſiderant!

Hoc debitum noſtrum omnino requirit.

Aquila in Germanica lingua à nobilitate (Adler vom Adel) denominatur, quia volucris nobili genere eſt, unde etiam à Poetis Jovis ales dicitur, quem reliquis avibus Regem præfecerit.

Sic de Chriſtianis dici poteſt, quod *flos generis humani* ſint, quia eos Chriſtus elegit de mundo, Joh. 15. v. 19. Hinc Petrus: Vos eſtis genus electum, 1. Ep. c. 2. verſ. 9.

Sicut igitur Chriſtus egregiis privilegiis nos ornavit, tanquam Reges & Sacerdotes, Apoc. 1. v. 6. Ita aquilam imitari debemus in iis quæ Chriſtianiſmo noſtro conveniunt.

1. *Ratione habitationis.* Aquila non in terra nidificat: ſed elevatur, & in arduis ponit nidum ſuum Job. 39, 30. Sic veri Chriſtiani, quæ ſuper terram ſunt, deſpicientes, quærunt quæ ſurſum ſunt, ubi Chriſtus eſt, Col. 3. v. 1. Phil. 3. v. 21.

2. *Ratione viſionis.* Aquila acie oculorum pollens, irretortis oculis ſolem inſpicit: ſic & veri Chriſtiani unice Chriſtum intuentur, qui ſol eſt juſtitiæ, Mal. 4. v. 2.

3. *Ratione odoris.* Aquila eminus cadaveris odorem percipiens advolat, Job. 9. v. 26. Sic & pii Chriſtiani Servatorem ſuum quærant oportet, ubi inveniri poteſt, nimirum in Eccleſia, ubi eſt memoria nominis ejus, Exod. 20, 24. Jer. 29, 14. Matth. 11, 28.

4. *Ratione renovationis.* Aquila ſeipſum decalvat, & deplumat, ut novæ pennæ ſuccreſcant, Mich. 1. v. 15. & ita renovatur juventus ejus, Pſalm. 103. verſ. 5. Sic veri Chriſtiani deponunt veterem hominem, & renovantur ſpiritu mentis ſuæ, Eph. 4. 22. Sic nova creatura fiunt, 2. Cor. 5. verſ. 21. 2. Cor. 5, 17. 1. Pet. 1, 14.

5. *Ratione pullorum curationis.* Aquila ſuper pullos volitat, & expandit alas ſuas, Deut 32, 11. potatque eos ſanguine, Job. 39, 33. Sic pii parentes liberis ſuis bonis exemplis præeunt, & cavent, ut quid videant, & audiant, quo ſcandalizentur, Matth. 18, 6. educant eos in diſciplina & admonitione Domini, Eph. 6, 4. adducunt eos ad ſacram cœnam, ut cibentur & potentur corpore & ſanguine Jeſu Chriſti, Joh. 6, 51.

Videte dilecti! eò collineat Chriſtus, quando ſemet cadaveri, & fideles ſuos aquilis comparat. Idcirco operam dare debemus, ut hæc omnia fideliter faciamus, ſic aliquando aſcendemus velut aquilæ, Eſa. 40. v. ult. è peregrinatione in patriam cœleſtem Phil. 3, 20. è lacrymarum valle in ſinum Abrahæ, Luc. 16, 22. ubi abundantia gaudiorum. Pſal. 16. v. ult.

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alteram partem*, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti*, contemplaturi. Hic nobis meditandus proponitur:

I. *Tanquam electorum confirmator.* Hic ipſe indicat, Pſeudo-prophetas ſub mundi finem in tanta frequentia adventuros, ut dicturi ſint: Alius, hic eſt Chriſtus: Alius, illic erit; alius in deſerto, in penetralibus eſt, nec tamen electos ſuos ſeducturos eſſe.

Per electos non ſimpliciter omnes credentes intelliguntur, inter illos enim multi ſunt, qui ad tempus tantum credunt, Luc. 8, 13. ſed illi qui usque ad finem perſeverant, Matth. 10. v. 32. Hæc enim gratia ab æterno aliter non facta eſt, niſi κατὰ πρόγνωσιν θεοῦ πατρὸς, 1. Petr. 1. v. 2. vi hujus prævisionis cre-

dentes ad vitam æternam prædeſtinavit,incredulos vero reprobavit. Hinc Paulus ait, electionem factam eſſe in Chriſto, ante jacta fundamenta mundi, Eph. 1, 1.

Univerſum genus humanum immerſum fuit peccatis, & conſequenter morti & condemnationi æternæ, id diabolus effecerat, Sap. 2, 24. Quodſi igitur Deus juxta rigorem juſtitiæ nobiſcũ agere voluiſſet, non inique egiſſet, ſi nos in perditione reliquiſſet. Sed gratia ejus prævaluit. Sic enim dilexit mundum &c. Joh. 3, 16. Hic nemo plane excluſus eſt. Vivo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, Ezech 33, 11. Chriſtus quoque quod potuit, præſtitit, & pro omnibus mortuus eſt, 2. Cor. 5, 15. etiam pro impiis, 2. Pet. 2, 1. quin quotidie emiſſis ſervis ſuis clamat: omnes ſitientes, venite ad aquas, Eſ. 55. v. 1.

Quodſi igitur omnes homines Chriſtum vera fide amplecterentur, & ita dilectionis Dei, quæ ſola eſt in Dilecto, Eph. 1. v. 6. ejusque ſanctiſſimi meriti, quod pro peccatis totius mundi præſtitit, 1. Joh. 2, 2. participes evaderent, omnes Deo grati & accepti eſſent, ideo clamat: Reſpicite ad me, & ſalvi eritis omnes fines terræ, Eſa. 45, 22.

Quia vero ab æterno prævidit Deus, quod multi id facere nolint; ſed potius declinaturi ſint in vias ſuas curvas, Pſal. 125. v. ult. Deum petram oblivioni tradentes, Deut. 32. v. 18. imo plene rejicientes, uti Judæi, Luc. 19, 14. invitum ſane eum cum paucis contentum eſſe oportuit, & ex innumero mundi numero eos excerpſit, quos in filium ſuum credituros, & in fide ad finem perſeveraturos eſſe, prævidit, quo Paulus collineat, dicens: Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri, &c. Rom. 8. v. 29.

Ejusmodi electos conſervat Deus, ne deficiat fides eorum, Luc. 22. v. 32. & licet cadant, ut Aaron, Exod. 32, 4. David, 2. Sam. 11. v. 4. Petrus, Matth. 26. v. 70. tamen reſurgunt, & virtute Dei cuſtodiuntur ad ſalutem. 1. Pet. 1. v. 5.

Ita proceſſit ab origine mundi & adhuc hodie non aliter procedit, dum in Cimmeriis illis tenebris Pontificiis multi adhuc electi inveniuntur, quorum genua non incurvata ſunt, ante Baal, 1. Reg. 19, 18. Potiſſimum *tot millia infantum*, qui aqua in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, juxta Chriſti inſtitutionem conſperſi, hoc ipſo à peccatis mundati & abluti ſunt, ideo Chriſtus illos maximos in regno cœlorum pronunciat, Matth. 18. v. 4. *Huc ſimpliciores quoque pertinent*, qui decalogo, ſymbolo Apoſtolico, oratione Dominica, Baptiſmo & cœna Domini innitentes, hoc modo fidem ſuam ſuſtentant, de his Salomo: Qui ſimpliciter ambulat, confidenter ambulat, Prov. 10. v. 9.

Pertinent huc multa millia eorum, qui in conſpectum non incurrunt. Filia enim Regis exterius nigra, Cant. 1, 5. ſed omnis gloria ejus ab intus eſt, Pſal. 45, 14. Id Deo abſconditum non eſt. Firmum enim fundamentum Dei ſtat, quo Deus novit ſuos, 2. Tim. 2. v. 19. Die noviſſimo manifeſtabit eoſdem, & à dextris ſuis ſiſtet, Matth. 25, 34. ut quilibet videat, quid interſit, inter juſtum & impium, Mal. 3. v. ult.

II. *Tanquam tribulationis abbreviator.* Propterea ait: Niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro: ſed propter Electos breviabuntur dies illi.

Hoc *de obſidione Hieroſolymitana* literaliter intelligendum eſt. q. d. Chriſtus: Niſi Deus inter Judæos electos ſuos haberet, nul-

nullus homo in arctiſſimâ illâ obſidione ſervaretur, ſed omnes bello, fame, & peſtilentiâ pereundi eſſent. Verùm propter electos, quos Deus inter illos eſſe prævidit, obſidio illa citius deſinet, quàm aliàs deſineret, ut multi ita in vitâ conſerventur, & ab interitu præſerventur. Sæpè enim Deus beneficiorum piorum & impios conſortes facit, uti in Sodomitis videre eſt, qui ad interceſſionem Abrahæ non perditi fuiſſent, modò decem juſti in civitate fuiſſent, Gen. 18. v. 32.

Ita, *quod abbreviationem dierum attinet*, illa quoque obſidionem reſpicit, quæ intra quinque menſes ad finem perducta fuit. Quarto enim Aprilis die, Titus, Imperatoris Veſpaſiani filius obſidionem cœpit. Octavo verò Septembris, urbem occupavit: ubi ex adverſo Nebucadnezar biennium ferè in obſidione & occupatione ejusdem conſumpſerat. 2. Reg. 25. v. 1. ſeqq. Jer. 52. v. 4. ſeqq. Ideò dixit Titus, ubi munitiſſimam urbem poſt expugnationem ſpectavit: *Deo adjuvante pugnavimus, qui detraxit Judæos ab iſtis munitionibus.* Nam quæ hominum manus, aut quæ machinæ ad illam valerent?

Hoc ideò factum, ut Chriſtus hîc ait, ne omnes perirent, ſed aliqui in vitâ conſervarentur. Deus enim noſter omnia creavit, in numero, pondere, & menſura, Sap. 11, 22. ſicut igitur unumquodq; numeravit, ponderavit, & demenſus eſt, ita manebit, nec quisquam addere vel detrahere quicquam poterit. Fidelis eſt enim, non patiens quenquam tentari ſupra id quod poteſt, 1. Cor. 10. verſ. 13.

Pharao Iſraëlitas penitus exſtirpatos voluit: verùm Deus abbreviatis ærumnæ diebus, eduxit eos validâ manu ex ſervitute, ipſe verò in mari rubro ſuffocatus eſt, Exod. 1. & ſeqq.

Sic *Antiochum* contra Judæos immaniter ſævientem, vermibus corroſum è medio ſuſtulit, 2. Macc. 9. v. 9.

Idem adhuc dies miſeriarum noſtrarum abbreviabit, & à tyrannide impiorum liberabit, quodſi non citius, certè tamed ie n oviſſimo faciet: Juſtum enim eſt apud Deum reddere iis, qui affligunt nos afflictionem, 2. Theſſ. 1. v. 6. 7.

III. *Tanquam adventus ſui deſignator.* Deſcribit enim eum ſub imagine fulguris, inquiens: Sicut fulgur exit ab oriente, & apparet uſque in occidentem, ita & adventus &c.

Fulgur ex improviſo prorumpit, & in momento evaneſcit: Sic & Servator ſubitò in conſummatione ſeculi irrupturus eſt, quando ſecuritas hominum maxima erit, ad eundem modum, quo Sodomitæ pluviâ ſulphureâ obruti ſunt, Gen. 19. v. 24. 25. Eſa. 66. verſ. 15.

Quando fulgur apparet, tonitru ſequi ſolet, quando verò fulgur prærupturum ſit, id nobis non conſtat. Ita exploratū eſt, quod Chriſtus ad judicium venturus ſit, de die autem illa, vel hora, nemo ſcit, Marc. 13, 32. hoc pater poſuit in ſua poteſtate, Act. 1, 7. ut ſingulis momentis parati ſimus, ſimiles ſervis expectantibus Dominum ſuum, Luc. 12. v. 37.

Hoc ſæpè quidem pro concione inculcatur, ſed plurima pars in ſecuritate degit, & æſtimat, quaſi mera fulgura ex pelvi, ut meritò querela Eſaiæ locum habeat: Quis credit auditui noſtro? Eſa. 53. v. 1. Verùm ut fulgur ſubitò eluceſcit: ſimiliter & ille veniet, qui præfractos peccatores pœnâ afficiet; Quodſi igitur hoc momento ingrueret

ret Dominus, quod facilè fieri poſſet, quid reſponſurus eſſes ei, cui reſpondere non poteris unum de mille. Job. 9. v. 3.

Diluvium factum eſt quadraginta diebus, tamdiu enim multiplicatæ ſunt aquæ, dum quindecim cubitis altior fuerit aqua, ſuper montes, quos operuerat, interea multi potuerunt pœnitentiam agere, & gratiam implorare, Gen. 7, 7. ſed dies extremus veniet ut fulgur, in momēto ad tribunal Chriſti vocaberis, ſi dixerit malus ſervus in corde ſuo: moram facit Dominus meus venire, &c. Matt. 24, 48. ſeqq.

Hæc memento mi Chriſtiane! noli ſuperbè de te ſentire, ſed time, Rom. 11. v. 20. *Quodſi fulgur exhorreſcimus, & hoc ipſo ad devotionem & preces impellimur*, ut Deus ab incendio & fulminis læſione nos cuſtodire velit: Quantò magis memoria adventus Domini timorem filialem in nobis excitare, nosq; ad preces inflammare debet.

Sicuti *enim fulgur lumine ſuo per noctem omnia lucida reddit*; quæ tenebræ operuerant: ſic & dies noviſſimus illuminabit abſcondita tenebrarum, 1. Cor. 4, 5. imò tam rigoroſa ratio requiretur, ut juſtus vix ſalvetur, impius ergo & peccator ubi parebūt? 1. Pet. 4, 18. Ideo cauſam habemus quoq; ut cum metu & tremore ſalutem noſtram operemur, Eph. 2, 12. Beatus enim, qui ſemper eſt pavidus, Prov. 28, 14.

Attamen deſperare non debemus, ſed meminiſſe, *quod judex frater noſter ſit*: ideo non omnia ad amuſſim exiget, nec ex rigore nobiſcum aget: ſed ut Joſephus fratribus ſuis culpam remiſit, & terram Geſſen tradidit, in quâ in abundantia vixerunt, Gen. 47, 6. & lux eis fuit, cùm horribiles tenebræ univerſam Ægyptum operuiſſent, Exod. 10. verſ. 22.

Sic & cœleſtis Joſephus nos gratioſè velut fratres ſuos recipiet, & in regionem vivorum introducet, Pſ. 118, 9. ubi dabit nobis petitiones cordis noſtri, Pſ. 37, 4. nempè vitam & abundantiam, Joh. 10, 10. ibi non occidet ſol, & luna non minuetur, Eſa. 60, 20. Dominus enim ſol & clypeus erit, daturus gratiam & gloriam, ut non priventur bonis, qui ambularunt in innocentia, Pſalm. 84. verſ. 12.

Id quod nobis Deus ex gratia largiri dignetur, propter Chriſtum, Amen.

Dominica XXVI. poſt Trinitatis.

Evangelium Matth. 25. v. 31....46.

EXORDIUM.

INter alia *præclara elogia*, quæ Servatori noſtro in ſacris literis aſſignantur, non poſtremum eſt, quod appellatur El Gibbor, *Deus fortis*, Eſa 9. v. 6. item, *Vir pugnator*, Exod. 15. v. 3. nec non *fortis heros in prælio*, Pſal. 24. v. 8.

Non autem uno modo nobis ſe repræſentat: ſed modò accingitur gladio ſuo ſuper femur ſuum, Pſal. 45. v. 4. modò de ore ejus gladius exit, Apoc. 1, 16. modò manu tenet, & acuit ad perdendum, Pſ. 7, 13.

Hæc idea eſt, in qua videmus, quo *Deus*

in

Digitized by Google

in puniendo proceſſu uti ſolet. In hoc mundo, dum fores gratiæ adhuc patent, *gladio ſuo ſuper femur accingitur*, & potentiam ſuam oſtendit, per varia ſigna, in terris, mari, aëre, & alibi, ut cum timeamus, peccatis valedicamus, & ita iræ ejus obviemus, Luc. 21. verſ. 36.

Si nihil illis efficit, *gladium ore tenet*, & per miniſtros ſuos mundum impœnitentem objurgat, & pœnas annunciat, utrum reſipiſcere velint à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad illius voluntatem, 2. Tim. 2. v. ult.

Si verò hoc ipſo ad frugem non perducuntur, *gladium manu prehendit*, eoque proſternit, donec furor ejus adſcendat, ut nulla ſit curatio, 2. Paral. 36. v. 16. id fiet die noviſſimo, ubi in igne judicabit, & in gladio ſuo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti à Domino, Eſa. 66. verſ. 16.

Jam boni & mali invicem permixti ſunt, Dominus enim ſinit zizania creſcere, uſque ad meſſem, Matth. 13. v. 30. Hinc fit, ut roſa Eccleſiæ non modò ab ethnicis ſpinetis compungatur, & ſupprimatur: ſed & in medio Chriſti ovili ſeſe offerant fœtentes hædi, qui puſillo ejus gregi vim inferunt, & animas juſtas iniquis ſuis operibus cruciant, 2. Petr. 2. v. 8. ut conqueri opus habeant: Heu mihi! eò quòd peregrinus ſim cum Meſech, & habitem, cum tabernaculis Cedar, Pſal. 120. v. 5. Sed die noviſſimo hic heros gladio percutiet, hoſteſq; diſſipabit; reliquos verò, qui eum timent & amant, introducet in cœleſtem Hieroſolymam, ubi requiem animarum invenient, Matth. 11. verſ. 29. & omnium malorum refrigerium ſentient, Luc. 16. verſ. 25.

Hoc nobis plenius & clarius delineatur in præſente Evangelio, ad cujus enodationem ſine ulteriori præloquio nos conferemus meditaturi ex eodem:

I. Ανθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri*.
II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti*.

I.

Exegeſis.

O *Utinam providerent noviſſima!* vovet vir Dei Moſes, Deut. 32. v. 29. eoque reſpicit *primò mortem*, qui ultimus eſt inimicus, 1. Cor. 15. v. 26. *Deinde extremum judicium*, ſtatutum enim eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium, Hebr. 9. v. 27. 2. Cor. 5. v. 10. *Tertio, ſententiam deciſivam*, quæ ſuper juſtos & injuſtos feretur: illi in vitam æternam, hi verò in æternam condemnationem ablegabuntur, ubi fumus tormentorum eorum adſcendet in ſecula ſeculorum, Apoc. 14. v. 11.

Nos *quoq; tria hæc noviſſima ſemper recordari debemus*, qui enim hoc facit, in æternum non peccabit, Sir. 7. v. ult.

De duobus poſtremis, nempe de extremo judicio, & ſententia deciſiva, quæ ſuper juſtos & impios feretur, audimus in prælecto Evangelio, ex quo notitiam noſtri diſcimus, ſi ſpectemus:

I. *Univerſalem congregationem.* Cum enim venerit filius hominis, in majeſtate ſuâ, & omnes ſancti angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ: & congregabuntur omnes gentes. Hoc ſolenne Concilium erit.

In hoc mundo ſæpe concilia quoque & comitia inſtituta ſunt, ubi magnus populi confluxus fuit.

Cum Iſraëlitæ Ægypto egrederentur, uno

die ſexcenta ferè millia peditum virorum, abſque parvulis & mulieribus convenerunt, Exod. 12. v. 37.

Rex Salomo congregavit majores natu Iſraël, & cunctos principes tribuum, & familiarum de filiis Iſraël in Jeruſalem, 2. Chron. 5. v. 2. 3.

Rex Auguſtus univerſum orbem deſcribi juſſit, Luc. 2. v. 1.

In Comitiis Auguſtanis anno 1530. celebratis ultra ſedecim hominum millia comparuerunt.

In Concilio Niceno ſub Imperatore Conſtantino M. A. C. 325. celebrato, trecenti & octodecim Epiſcopi: In Conſtantinopolitano, A.C. 381. ſub Theodoſio Majore, centum quinquaginta: In Epheſino ſub Theodoſio juniore, A.C. 431. ducenti & nonaginta: in Chalcedonenſi ſub Imperatore Marciano A.C. 451. ſexcenti & triginta Epiſcopi convenerunt.

Sed ab exordio mundi, nullum ejusmodi concilium celebratum fuit, nec celebrabitur, quale die noviſſimo congregabitur, quando Dominus noſter Jeſus Chriſtus congregationem inſtituet, 2. Theſſ. 2. v. 1. ibi enim magni & puſilli ſtabunt in conſpectu ejus, Apoc. 20. v. 12. omnes linguæ, Eſa. 40. v. 6. omnis caro, Eſa. 66. v. 24. omnes gentes, Joël. 3. v. 2. qui ab initio mundi vixerunt, jam vivunt, & porrò victuri ſunt, hi omnes producentur, mare enim dabit mortuos ſuos, & infernus dabit mortuos ſuos, & judicabuntur ſinguli, ſecundum opera ipſorum, Apoc. 20. v. 13.

Hic proba te, mi Chriſtiane! utrum ſtudioſè tibi in memoriam revocaveris, quod coram tribunali Chriſti ſiſtendus ſis?

Si quis in terrenum judicium citatur, ſedulò ille meditatur, quid dicturus, & quâ excuſatione uſurus ſit. Meticuloſa enim res eſt ira ad judicem. Cur igitur non metuimus extremum judicium, quod adeo rigoroſum erit, ut juſtus vix ſalvetur; impius & peccator ubi ergò parebunt? 1. Petr. 4. verſ. 18.

A terreno judice abſcondere nos poſſumus, ſicut Elias in deſerto ſe occultavit, cum ei Jeſabel mortem interminata eſſet, 1. Reg. 19. v. 4.

Sed id hic fieri nequit: Judex enim Dominus eſt omnipræſens, Jer. 23. v. 24. velox quoque pedibus ſuis non ſalvabitur, & aſcenſor equi non ſalvabit animam ſuam, Amos. 2. v. 15. Omnes diaboli, omnes impii, omnes tyranni è latibulis ſuis prodire cogentur. Omnes populi in Aſia, omnes gentes in Africa, omnes gentes In Americâ, omnes homines in Europâ, nullo prorſus excepto, omnes Prophetæ, omnes Sacerdotes, omnes Apoſtoli, Pontifices, Cardinales, Epiſcopi, Prælati, Profeſſores & præceptores ibi comparebunt, rationem reddituri, de ſanguine ſibi concreditorum, quem Chriſtus de manu ipſorum requiret. Ezech. 3. verſ. 17.

Similiter, omnes Magiſtratus, Imperatores, Reges, Principes, Comites, Nobiles, omnes Officiales, Satrapæ, Præfecti, Curiales; omnes ſubditi, cives & ruſtici, viri & fœminæ, juvenes & virgines; magni & parvi, pueri & ſenes, fideles & infideles, juſti & impii: horum unusquisque pro ſe rationem reddet Deo, Rom. 14. v. 13.

Perpendite hoc, vos ſcortatores & adulteri, Deus enim judicabit vos, Hebr. 13. v. 4. Perpendite vos epulones & ebrioſi, dilatavit enim infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque ullo termino, & deſcendent fortes ejus, & divites & læti in eum,

Digitized by Google

eum, Eſa. 5. v. 14. Perpendite, qui proximum odio & invidia proſequimini! qui enim fratri ſuo iraſcitur, reus erit judicio, Matth. 5. v. 22. Perpendite vos immiſericordes! Judicium enim ſine miſericordiâ illi, qui non fecerit miſericordiam, Jac. 2. v. 13. Perpendite omnes, qui in peccatis contra conſcientiam vivitis! Neque enim fornicarii, neque idolis ſervientes &c. 1. Cor. 6 v. 10.

II. *Ovicularum & hœdorum ſeparationem.* Separabit enim eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis.

In hoc mundo omnes promiſcuè degunt. Abel & Cain in unâ domo cohabitant, Gen. 4. v. 1 Eſau & Jacob in uno utero concluſi ſunt, Gen. 25. v. 24. Pius Lazarus & impius epulo eandem urbem incolunt, Luc. 16, 19. 20. Faſtuoſus Phariſæus & humilis publicanus unum templum adſcendunt, Luc. 8, 10. Petrus & Judas uni menſæ accumbunt, Luc. 22, 21. Hinc Eccleſia comparatur ſagenæ, ex omni genere piſcium congreganti, Matth. 13, 47.

Sed die noviſſimo, Dominus ventilabro permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum ſuum: paleas autem comburet igne inextinguibili, Matth. 3, 12. ibi apparebit, quid ſit inter juſtum & injuſtum, Pſal. 3. v. ult.

Hic quilibet probet ſe, an ovicularum vel hœdorum naturâ præditus ſit?

Chriſtus Servator noſter paſſim in ſcripturâ Paſtori confertur, Eſa. 40. verſ. 11. Ezech. 34. v. 11. 16. Ideoque hac ſimilitudine in novo Teſtamento utitur, imprimis Joh. 10. v. 11. & in prælecto Evangelio, ubi judicii proceſſum delineat. Procul dubio reſpicit hiſtoriam Jacobi, Gen. 30. verſ. 35.

Præcipuè verò hoc ipſo tempus indicare voluit, quo hæc fieri debeant.

Paſtor terrenus per diem oves & hœdos indiſcriminatim paſcit. Sed veſpero ingruente, quando gregem domum reducit, hœdos ab ovibus ſegregat.

Pari modo jam oves & hœdi, h. e. boni & mali, juſti & injuſti promiſcuè vivunt: ſed quando dies noviſſimus illuceſcet, illi ſeparabuntur. Oves enim Chriſtus in ovile vitæ æternæ perducet, Joh. 10. v. 28. hœdi verò ex eo exterminabuntur, & partem ſuam invenient in ſtagno ardente ſulphure & igne, Apoc. 21. v. 8.

Cæterum varii reperiuntur hœdi.

1. *In choro*: hi ſunt falſi Apoſtoli, qui non acquieſcunt ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei, quí eſt ſecundum pietatem doctrinæ, 1. Tim. 6. v. 3. ſed ambulant ἀτάκτως, 2. Theſſ. 3. v. 11. & per dulces ſermones & aſſentationes ſeducunt corda innocentium, Rom. 16. v. 18. hi horto Eccleſiæ valdè exitioſi ſunt, Pſal 11. v. 3.

2. *In Foro.* Deus Magiſtratum ideò ordinavit, ut populum ſibi ſubjectum præcedant, quaſi hœdi ante gregem, Jer. 50. v. 8. Quando verò in cornibus ſuis confidunt, h. e. in potentiâ ſuâ, & paſtores ſuos cornibus petunt, & malè fœtent, ratione peccatorum commiſſorum, ut David, 2. Sam. 14. v. 14. locum habebit illud Salomonis: Potentes potenter tormenta patientur, Sap. 6. v. 7.

3. *In toro.* Petrus vult, ut viri cohabitent uxoribus ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impertientes honorem, 1. Petr. 3. v. 7. quando verò contrarium fit, in hœdos degenerant.

Sic etiam inter Auditores hœdi petulci occurrunt, qui quando opibus pingueſcunt

cornibus paſtores ſuos impetunt, ut Amaziam, 2. Chron. 25. v. 16. Quin & reliquis ovibus graves ſunt, iisque cibum præripiunt, & impiè agendo ſeſe fatigant, Jerem. 9. verſ. 5.

Quodſi itaque in numero ejusmodi hœdorum fuiſti, ad frugem redi, dum dicitur hodie, Hebr. 3. v. 15. Etſi enim inter oves & hœdos corporales nulla Metamorphoſis ſexûs locum habet: aliter tamen comparatum eſt cum his ovibus & hœdis, de quibus Chriſtus hîc loquitur, ſi quis enim in Chriſto, nova eſt creatura, 2. Cor. 5, 17. Ideo precibus Deum ſolicita, ut hœdi naturam auferat à te, & oviculæ ingenium tibi largiatur: Cor mundum crea in me Deus, Pſal. 51. v. 12. 14. Sic faciet ille quod promiſit, Ezech. 37. v. 26. Non enim homo eſt, qui mentiatur, Num. 23. v. 19. 20.

III. *Operum miſericordiæ enumerationem.* Sic enim Chriſtus: Eſurivi, & dediſtis mihi manducare. Sitivi, & dediſtis mihi bibere, &c.

Pontificii ex hoc textu operum merita probare ſatagunt. Sed ſi textum rectè inſpiciamus, contrarium planè ex eo eluceſcit.

Quinam enim ſunt illi, quos Chriſtus hîc prædicat, quod ſe cibaverint, potaverint, collegerint, operuerint, viſitaverint? In præcedentibus vocat eos, *benedictos patris ſui.* Naturâ omnes ſub maledictione ſumus, Deut. 27. v ult. Sed Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, ut in gentes benedictio Abrahæ fieret in Chriſto, Gal. 3. v. 13.

Deinde advertenda eſt vox *κληρονομήσατε, hæreditariò accipite.* Hæc iterum operum merita infringit. Vita enim æterna hæreditas eſt, non ergò operibus noſtris mereri eam poſſumus, ſicut videmus, quod liberi hæreditatem non merentur, ſed ex gratiâ à parentibus ratione filiationis accipiant. Ideò immotum perſtat effatum Pauli: Juſtificantur gratis per gratiam Dei, per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, Rom. 3. verſ. 24. Epheſ. 2. verſ. 8. 9.

Tertiò Chriſtus expreſsè ait: Regnum quod hæreditariò accipere debeant, eſſe *ipſis paratum à conſtitutione mundi*, ſive ante jacta fundamenta mundi, ut Paulus ait, Epheſ. 1. v. 4. Tum vero nondum in rerum natura fuerunt, quomodo igitur bonum opus facere, eoque quicquam mereri potuerunt? Ideoque non cauſaliter intelligendum eſt, quaſi Chriſtus propterea illis ſalutem aſſignet, quia eſurientes cibarunt, ſitientes potarunt, nudos operierunt, & ſimilia miſericordiæ opera in membris Chriſti fecerunt: ſed hoc ipſo publicè conteſtatum ivit, quod fides eorum non mortua fuerit: verum per opera charitatis tam conſpicuè oculis illuxerit, ut liquidò appareat, tales eſſe, quales ſe profeſſi ſunt, nempe veros Chriſtianos, qui non modò ore dixerunt Domine, Domine: ſed voluntatem patris ſui, qui in cœlis eſt, fecerint, Matth. 7. verſ. 21.

Hic quilibet in examen ſe vocet, utrum & ipſe operibus hisce caritatis & miſericordiæ vocationem ſuam ornare ſtuduerit?

Multi ſanè pauperes ſeſe offerunt, qui ope noſtrâ indigent. Quidam ſunt *eſurientes*, illis cibum ſubminiſtrare debemus, ut Hiob fecit, Job. 31. v 16. 17.

Nonnulli *ſitientes* ſunt, hos potu reficiamus, ut Rebecca, Gen. 24. v. 24.

Alii *in exilio* vivere coguntur, illos hoſpituo

ſpitio excipiamus, ad exemplum Abrahami, & Lothi, Gen.18.v.2.c.19.v.1.

Alii *nudi* ſunt, nec nuditatem ſuam tegere valent, Apoc.3.v.17. illos veſtiamus. Qui enim habet duas tunicas, det non habenti, Luc.3.v.11.

Nonnulli *infirmi* ſunt, illos viſitemus, neceſſitatibus ſanctorum communicantes, Rom.12.v.13.exemplo Samaritani, Luc. 10.v.34.

Alii *innocenter incarcerati* ſunt, velut Baptiſta, Matth.14.v.3. his pro virili ſubvenire debemus, ut è carcere dimittantur, exemplo Ebedmelech, Jer.38.v.9.13.

Qui hoc modo debitum ſuum obſervavit, & opera caritatis ex ſincero corde proximo exhibuit, huic aliquando laus erit à Deo, 1.Cor.4.v.5. Quando opera miſericordiæ prædicaturus eſt die noviſſimo. Bonum igitur facientes, non defatigemur, tempore enim ſuo metemus non delaſſati, Gal.6.v.9.10. Pſal.41.v.1.ſeqq.

De Secundo.

TRanſibimus nunc ad *alteram partem*, Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti* meditaturi. Hic nobis commendatur:

I. *Tanquam univerſalis judicii adminiſtrator.* Hoc Evangeliſta indicat hisce verbis: Cum autem venerit filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes ſancti Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem &c.

Ex quo apparet, quod licet poteſtas extremi judicii exercendi, tanquam opus divinitatis ad extra, omnibus tribus perſonis in eſſentia divina communis ſit, quæ non modò ejusdem eſſentiæ, ſed & ejusdem poteſtatis & gloriæ ſunt, ut ſymbolum Athanaſianum præclarè docet: attamen actus ipſe, quantum viſibilem proceſſum attinet, homines congregandi, congregatos ſeparandi, ſeparatos loco ſuo ſiſtendi, ſententiam deciſivam efferendi, & ita judicium exequendi, in conſilio SS.Triados, ſecundæ perſonæ, quæ incarnata eſt, ut viſibiliter illud exerceri poſſit, demandatus ſit, nempe Servatori noſtro Jeſu Chriſto, Joh. 5. v. 22. 27. Id quod etiam in ſymbolo Apoſtolico dilucidè confitemur.

Hoc ſolatio plenum eſt.

Si enim in hoc mundo coram judicio ſiſtendi, ſcientes, quòd judex nobis faveat, lætitia efferimur, & ſententiam ſperamus mitiorem. Sic multò magis gaudeamus, quòd futurus univerſalis mundi judex frater & amicus noſter ſit, qui ſanguinem ſuum profudit, ut nos redimeret ſibi populum peculiarem, Tit.2.v.14. Quomodo igitur in extremo die cor ſuum fraternum à nobis averteret, & eos condemnaret, quos ſanguine ſuo tam carè redemit? Potius cum fiducia thronum gratiæ ejus adire poſſumus, ut miſericordiam conſequamur, Heb. 4.verſ. ult.

Quemadmodum igitur univerſæ tribus Iſraël, ad David in Hebron venerunt, dicentes: Ecce, os os tuum, & caro tua ſumus, quo ipſo gratiam ejus aucuparunt, ut fœdus cum ipſis pepigerit, 2.Sam.5.v.1.

Pari modo nos ad Chriſtum dicere debemus: Ecce caro tua & ſanguis tuus ſumus, tu frater noſter es, *ne quæſo more Judicis, quid egerim, quid dixerim, quid cogitaverim, pondera: ſed peccata mea omnia cruore tuo dele*, ut Bernhardus loquitur. Sic non ſtricto jure nobiſcum aget, ſed gra-

tia ejus prævalebit, noſq; à promerita damnatione immunes, in cœleſtem gloriam introducet, ubi ſemper cum Domino erimus, 1. Theſſ. 4. v. 17.

Impii verò qui jam peccatis ſuis filium Dei crucifigunt, Hebr. 6. v. 6. de adventu ejus non lætabuntur, dividet enim dolores furoris ſui, Job. 21. v. 17. pluetque ſuper eos laqueos, ignem & ſulphur, & ſpiritum procellarum, Pſal. 11. v. 6.

Propterea maturè & in tempore ad pœnitentiam redeamus: *qui enim hîc non ſuſcipit tempus pœnitentiæ, poſt mortem non inveniet locum indulgentiæ*, quanquam cum lacrymis inquiſiverit eam, ut Eſau, Hebr. 12. v. 17.

II. *Tanquam operum miſericordiæ æſtimator*. Hic audimus ipſum dicentem de iis, qui eſurientes cibarunt, ſitientes potarunt, nudos operierunt &c. quod ſibi id omne factum ſit.

Hoc inde eſt, *quia ipſe eſt caput eccleſiæ ſuæ*, Epheſ. 5. v. 23. Quodcunque itaque ſive mali ſive boni membris ſuis accidit, id ſtatim ſentit: ſicut & caput percipit, quando unum vel alterum corporis membrum, dolore vel gaudio afficitur. Hinc ait ad Saulum: Saul, Saul quid me perſequeris? cum ille Chriſtianos perſequeretur.

De S. Martino refertur, quod, poſtquam mendicum, intenſo frigore malè veſtitum, pallio, enſe per medium diſſecto, operuerat: Chriſtus pallio illo contectus, ſequente nocte ipſi aparuerit, hancque ejus beneficentiã angelis adſiſtentibus prædicaverit.

An hoc ita factum ſit, nec ne, loco ſuo relinquemus: hoc tamen certiſſimum eſt, quod mutuò det Domino, qui miſeretur pauperis, qui retributionem ſuam reddet ei, Prov. 19. v. 17.

O quàm bene igitur collocatum eſt, quod de facultatibus noſtris inopibus largimur! Quando putamus, nos *Lazarum aliquem cibare*: ecce! Chriſto ipſi alimentum largimur, qui pro eo nobis dabit edere manna abſconditum, Act. 2. v. 17. & panem in regno Dei manducare, Luc. 14. v. 15.

Quando opinamur, nos *potare vulgarem hominem*, Chriſto ipſi potum largimur, ſicut mulier Samaritana ipſum quoque ignorans potavit, Joh. 4. v. 8. & ipſo viciſſim ad vivos fontes aquarum nos deducet, Apoc. 7. v. ult. & torrente voluptatis potabit, Pſ. 37. v. 9.

Quando arbitramur, nos *Exulantem miſerum in ædes noſtras introducere*: tum Chriſtum ipſum excipimus, ſicut de S. Patriarchis dicitur, quod inſcientes angelos hoſpitio receperint, Hebr. 13. v. 2. Et ipſe nos in æterna tabernacula, Luc. 16. v. 9. & in domos pacis introducet, Eſa. 32. v. 18 ubi dicemus: Domino, hic bonum eſt habitare, Matth. 17. v. 4.

Quando exiſtimamus, nos *nudum operire*, ecce! Chriſtum ipſum veſtimus, & ipſe pro pannis quibus ipſum contegimus, ſtolam innocentiæ nobis dabit, Apoc. 7. v. 14. & capiti noſtro immarceſcibilem coronam imponet, 1. Petr 5. v. 4.

Videte dilecti! Sic non tam pauperibus proſumus, cum iisdem benefacimus, quam nobis ipſis. Sic beatius eſt dare, quàm accipere; Act. 20. v. 35. Terrena enim & tranſitoria erogamus, & recipimus cœleſtia & æterna, Matth. 6. v. 20.

Nos communicamus egenis *micas beneficentiæ*, & recipimus *lautitias cœleſtis abundantiæ*, Eſa. 55. v. 2.

Nos damus de iis, quæ in morte relinquere cogimur, Pſal. 49. v. 18. & recupe-

mus

mus veras opes, Prov.8,18. quas nobis Chriſtus per abitum ad Patrem acquiſivit, Joh. 14,3.

Nonne hæc præclara permutatio? Propterea ex animo vero & ſincero, neceſſitatibus ſanctorum communicate, Rom. 12,13. Et Chriſtus veſtri quoque memor, minimum calicem aquæ frigidæ non ſine mercede relinquet, Matth.10,42.

III. *Tanquam ultima ſententia declarator.* Primo enim dicet his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti patris mei, hæreditario accipite, paratum vobis regnum, à conſtitutione mundi. Deinde & his, qui à ſiniſtris erunt, dicet: Diſcedite à me maledicti, in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus. Et continuo ſententia hæc executioni dabitur: Ibunt enim impii in ſupplicium æternum; juſti autem in vitam æternam.

Sicut hoc terrificum impiis: ſic contra piis voluptuoſum eſt. Recte ergo David: Poſtremum homini pio pax, Pſal.37,37.

In hac vita nemo afflictior eſt Chriſtiano, undique enim oppugnatur, & vita ejus perpetua militia eſt, Job.1. v.7. modo Deus mutatur ipſi in crudelem, Job.30,21 ſive torrentes Belial conturbant eum, Pſal.18.v.5. modo infeſtatur ab impio mundo, qui totus in maligno poſitus eſt. 1.Joh.5,19. cogiturque ejus eſſe purgamentum & peripſema, 1.Cor.4,13.

Sed in fine videbitur cujus toni! eventus enim tandem felix & beatus eſt. Ubi hic Tyranni ingeminarunt: Abite, Abite: Servator contra alloquetur nos: Venite! diſponam vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, Luc.22,29. Ubi nos antea velut hæreticos maledictos pronunciatos diris devoverunt: Chriſtus contra Benedictos nos aſſeret, & velut benedictos in regionem viventium introducet, ubi ambulabimus coram Domino in terra viventium, Pſalm. 116,9.

Hoſtes vero noſtri, qui nos hic anguſtiarunt, preſſerunt & perſecuti ſunt, mercedem male-factorum recipient, & ex oculis noſtris abiturire cogentur, in ignem æternum. Hoc magnum erit opprobrium, quo illi afficientur, Dan.12,2.

Quando maleficus ultimo ſupplicio afficiendus eſt, non tam de morte conqueritur, quam de opprobrio, quod ſubire cogitur, quando ſic per urbem in celebritate populi ad locum ſupplicii trahitur.

Sic & damnatis magna ignominia erit, quando Jeſum cum multis millibus Angelorum, & Electorum conſpicient, à quorum facie ipſi abire cogentur in ignem æternum nunquam inde reverſuri. Spiritus vero maligni ludificabunt eos dicturi: Venite, venite, vos maledicti! jamne tandem experimini, quid peccatis veſtris commeriti eſtis? Præcones veſtri viam cœli vobis monſtrarunt, illis obtemperare noluiſtis, jam nobiſcum ite, nos aliam viam vobis oſtendemus. Noluiſtis ire in ædem Domini: jam nobiſcum ite in domum infernalem. Noluiſtis ſacra cœna uti, nos aliam menſam parabimus vobis, ſulphure, pice & igne inſtructam. Apagite, nullus hic vobis locus relictus eſt. Sic in ignem æternum præcipitabuntur, in caminum ignis, ubi erit fletus & ſtridor dentium, Matth.13,42.

Horrendum igitur illud judicium ſemper auribus tuis intonet, ne venias in locum hunc tormentorum, Luc.16,28. Si quæris, quid faciendum: Audi, dicam; *Damnati hic audire coguntur: Ite.* Tu igitur in tempore gratiæ vocem Chriſti audi, quando cla-

mat: *Venite*, & utere mediis illis ſalutariter, quæ ſaluti tuæ deſtinavit. Aliter nullam ſperare poteris ſalutem. Qui enim hæc media ſpernit, contemnit conſilium Dei adverſus ſeipſum, Luc. 7. verſ. 30.

Damnati vocantur maledicti. Quodſi hoc nomine cõpellari nolis, vera fide Chriſtum apprehende, qui factus pro nobis maledictum, ut in nos benedictio fieret, Gal. 3. v. 13. 14.

Damnati ire coguntur in ignem æternum: Si id experiri nolis, metue ignem iræ divinæ, quæ ſuccenſa ardet, usque ad inferni infima, Deut. 32, 22.

Damnati diabolo & angelis ejus aſſociantur: Tu ſi nolis in conſortium horum devenire, fuge ſodalitia prava, & ſervi Servatori tuo in juſtitia. Luc. 1. verſ. 74. 75.

Hoc qui facit, certus eſt, quod in judicium damnatorum non venturus: ſed cum benedictis Domini vitam æternam ingreſſurus ſit. *O ſanctum! ô beatum ingreſſum!* ubi à diabolis, & impiis ſeparati, in perpetuum vivemus, apud Dominum, erit is merces noſtra, ibi accipiemus regnum decoris. Sap. 5. v. 17.

O Chriſte, fac me ſtare,
A dexteris, ſpectare
In claritate te:
Fac me, piosque cunctos
Tecum tenere cœlos,
Me, ſum paratus, ſuſcipe!

O Chriſte laß mich ſtehen/
Zur Rechten dich zu ſehen/
In deiner Herrlichkeit:
Laß mich ſamt allen Frommen
Zu dir mein Heyland kommen /
HErr nim mich auf/ ich bin bereit.
Amen.

In Die

In Die FeſtoProtomartyris Stephani.

Evangelium, Matth. 32. v. 34.-39.

EXORDIUM.

SPiritualis ſponſa, cœleſtem ſponſum ſuum commendatura, ita eum alloquitur: *Dilectus meus candidus & rubicundus, eminet inter decem millia*, Cant 5,20.

His verbis pulchritudinem ejus delineat. Quando enim hominem formoſum deſcribimus, dicere ſolemus, eſt inſtar lactis & ſanguinis. Sicut de Nazaræis dicitur: Candidiores nive, nitidiores lacte, rubibicundiores coralliis, & ſapphiro pulchriores, Thren.4.v.7. Reſpicit hoc ipſo haud dubie vaticinium Jacobi, qui Meſſiam pari modo ita deſcribit, quod rubicundiores ſint oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores. Gen.49.v.12.

Potiſſimum vero *candidus & rubicundus eſt, ratione paſſionis & ſanguinis profuſionis*. Candidus color ſignificat innocentiam ejus, non enim fecit peccatum, nec inventus eſt dolus in ore ejus. 1. Petr. 2. v. 22. & tamen pati & mori eum oportuit propter nos, ut indumentum ejus rubrum factum, ſicut calcantium in torculari, Eſa. 63,2. Hinc Eſaias: Vere languores noſtros ipſe tulit. c.53.v.4.5. Hoc modo quoque intelligendum eſt, quod in prætorio Pilato non modo purpura: ſed & in aula Herodis veſte alba indutus fuit, Luc.22,11.

Sicut igitur alias ſponſa & ſponſus unicolore habitu ſe amicire amant: ſic & noſtrum erit hac in parte cœleſti ſponſo noſtro conformes fieri, ut non tantum temperanter, juſte & pie vivamus, Tit.2. verſ. 12. ſed & ejus gratia patiamur, quod nobis in hac miſeriarum valle obvenire poteſt. Nam:

> Per varios caſus, per multa pericula rerum
> Tendimus in cœlum.

Chriſtus ſponſus ſanguinum eſt, Exod. 4. verſ. 26. Quicunque ejus amore frui vult, non iniquum reputet, ſi & ipſe quandoq; ad ſanguinem usq; repugnare teneatur, Hebr. 12. verſ. 4. Ego enim diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, ait ipſe. Luc. 22,29. Atqui pater ejus ita diſpoſuit ei regnum, ut per paſſionem & mortem eum intrare oportuerit, Luc. 24. v. 26. ideo nos non melior fortuna manebit, quin potius per multas tribulationes oportebit nos intrare in regnum cœlorum, Act. 14. v. 22.

Eo procul dubio pii Veteres collinearunt, quando prælectum Evangelium feriis II. Nativitatis in Eccleſia explicandum ordinarunt, quo pii Chriſtiani primo quaſi intuitu conſpicere poſſint, quale Servator noſter regnum habeat, nimirum regnum crucis, in quo nemo coronabitur, niſi legitime certaverit, 2. Tim. 2, 5. *Heri Jeſulus recens natus erat candidus*, ubi claritas Domini paſtores Bethlehemiticos circumfulſit, & exercitus cœleſtes certatim cecinerũt: Glo-

Gloria in Excelſis Deo. *Hodie rubicundus eſt ratione perſecutionis,* quam non modo ipſe multifariam ſuſtinuit: ſed & ab exordio mundi, omnes qui ad eum pertinent, experti ſunt, adhuc experiuntur, & porro experientur. Regula enim univerſalis eſt: Omnes qui pie vivere volunt, in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur, 2. Tim. 3, 12.

Nos ſine ulteriori præloquio ad Evangelium ipſum nos conferemus, tractaturi ex eodem:

I *Ἀνθρωπολογίαν* ſive *notitiam noſtri.*
II. *χριστογνωσίαν*, ſive *notitiam Chriſti.*

J.J.

Exegeſis.

S*Tephanus ſignificat coronam,* ſic nomen & omen habet. Coronatus ſiquidem erat, præclaris donis à Deo. Sicuti enim Act. 6. v. 8. ſeqq. deſcribitur, fuit plenus fide, h. e. non modo Chriſtum cognovit ratione perſonæ & officii, fiduciamque ſuam in eo unice collocavit: ſed & donis miraculoſis inſtructus, propterea à populo celebratus fuit. Hoc male habuit Antiſtites Hieroſolymitanos, ideoque ſtudioſos quoſdam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Cilicia & Aſia inſtigarunt, ut diſputarent cum Stephano: at non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, quo loquebatur.

Sic dignus fuiſſet Stephanus, ut aurea corona redimitus, & in ſummo honore habitus fuiſſet: Verum primus fuit, qui ob Evangelicam veritatem in Eccleſia N. T. interfectus eſt, ideo Hieronymus eum *primitias Martyrum* & Auguſtinus *primicerium*, qui aliis viam ſtraverit, & facem prætulerit, appellitant.

Hoc ipſo ex parte impletum eſt, quod Servator noſter optimus de cruce, tribulatione & perſecutione fidelium ſuorum, præcipue vero verbi miniſtrorum prædixit, in prælecto Evangelio inquiens: Ecce, ego mitto ad vos Prophetas & Sapientes, & Scribas: & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex [illegible] eis flagellabitis in Synagogis veſtris, & perſequimini de civitate in civitatem.

Notitiam noſtri hic diſcemus, ſi ſpectaverimus:

1. *Chriſti amorem*, quem hoc ipſo erga nos demonſtrat, dum legatos ſuos, qui pro eo legatione funguntur, tanquam Deo exhortante per eos, 2. Cor. 5, 20. ad nos ablegat. Ecce, ego mitto, inquit, ad eundem modum ſicut apud Jeremiam dixerat: Dabo vobis paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina, c. 3. v. 15.

Hic velim probes te, mi Chriſtiane! [illegible] hoc unquam grata mente agnoveris, Deoq[illegible] tuo gratias debitas egeris?

Non dubium eſt, quin aliqui pii occurrant, qui quod officii ſui eſt, obſervant. Sed & multi inveniuntur, qui non putant, illos legatos Dei eſſe, & à Chriſto mitti, juxta illud: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit, Luc. 10, 16. alias promptius iisdem obſequerentur, & verba eorum exciperent, non ut verbum hominum: ſed ut vere eſt verbum Dei, 1. Theſſ. 2, 13.

Quia vero hoc ipſum à plurimis non fit, facile cõſtat, quod illi miniſtros verbi, ejusdemque præcones non pro legatis Dei æſtiment. Plurimi enim dicunt: manda, remanda, Eſa. 28, 10. nec judicantem Spiritum S. ferre volunt, Gen. 6, 3. hinc illi queri coguntur: Quis credit auditui noſtro? E[illegible]. 53, 1.

Quando peccata & flagitia debito [illegible] xantur: quando ad ſobriam, piam & ju[illegible]

vi-

vitam admonentur, præfracte dicere amant: Quis oſtendit nobis bona? Pſal. 4, 7. Quod ſi vero crederent, præcones verbi Dei legatos eſſe, & quæ loquuntur, quaſi ſermones Dei loqui, 1 Petr. 4, 11. non modo auditores ſed & factores verbi forent, Jac. 1, 22. conſiderantes, quod verbum quod auditur, non vero factis demonſtratur, cò gravius damnet Luc. 12, 47. & ejusmodi homines judicaturũ ſit die noviſſimo, Joh. 12, 48.

Genuini Chriſtiani fidelitatem Servatoris, quam hoc ipſo Eccleſiæ exhibet, grato animo agnoſcere, & videre debent, ne in vacuum gratiam Dei receperint, 2. Cor. 6, 1. Alias non dicet Chriſtus: Ego mitto: ſed ego aufero judicem, & Prophetam & ſenem, Eſa. 3, 2. Amos. 8, 11. Ut queri teneamur: ſigna noſtra non vidimus, jam non eſt amplius Propheta, Pſ. 74, 9. væ nobis, quia peccavimus, Thren. 5, 16. Nolite errare: Deus non irridetur, Gal. 6. v. 6. 7. 8.

II *Judæorum furorem*. Ex illis ait Servator, occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini de civitate in civitatem.

Hæc nefanda ingratitudo eſt, quam legati Chriſti & verbi præcones à mundo impio expectandam habent. Imprimis notatu dignum eſt, quod Servator non per gradationẽ à minoribus afflictionib. ad majores aſcendit: ſed a majoribus incipit, & meminit,

1. *Trucidationis*, quod nonnullos occident & crucifigent, h. e. per omnis generis ignominioſa & inaudita tormenta è medio ſublaturi ſint, cujus in Stephano initium fecerunt. Act. 7, 59.

2. *Flagellationis*, in ſynagogis ſuis, qua Apoſtoli affecti ſunt, Act. 5, 40.

3. *Relegationis*, quod eos perſecuturi ſint de civitate in civitatem: ſicut Johannes Evangeliſta anno ætatis 85. juſſu Imperatoris Domitiani, ex urbe Epheſina in Pathmum relegatus eſt, Apoc. 1, 9.

Hanc methodum diabolus ſemper ſervavit. Nonne ſub perſecutionibus Imperatorum gentilium, ſanguis Chriſtianorum, qui variis modis impie trucidati ſunt, copioſiſſime effuſus eſt? Quia vero Tyranni tandem deprehendebant, hoc ipſo ſe parum efficere, ſanguinem vero profuſum, Eccleſiam tantum fœcundare:

Nam velut in ſylvis decifa repullulat arbor
Et multi ex una veniunt radice nepotes:
Sic quoque ſurgebant uno de funere centum.

Ut Prudentius hac de re ſcribit. Tandem occiſionis pertæſi, flagellarunt eosdem, & ad lapidicinas, & alios Herculeos & ignominioſos labores adhibuerunt, donec tandem in proſcriptione, & relegatione in exilium, deſierunt.

Eadem fabula à B. Lutheri temporibus, in regno Pontificio acta eſt. Teſtis eſt Gallia, teſtis eſt Belgium, teſtis eſt Britannia, in quibus inſtinctu Pontificis multa millia vere fidelium innocenter trucidati ſunt. Poſtquam vero meretrix Babylonica ebria facta eſt, de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine martyrum Jeſu, Apoc. 17, 6. chordas remiſſius intenderunt, donec cò res rediit, ut quidem orthodoxi non occidantur, ſed ſolum vertere & in exilium ire jubeantur, ſæpe ante occaſum ſolis, vel aliud ſpatium præſcriptum, relictis ut plurimum omnibus ſubſtantiis, & quod miſerandum eſt, cariſſimis pignoribus atque liberis. Hæc nihil aliud, quam mors lenta, quæ paulatim hominem & quotidie quaſi morti trahit, 1. Cor. 15, 22.

ubi interim cum Elia ſuſpirare tenetur: Sufficit nunc, Domine, tolle animam, 1. Reg. 19. v. 4.

Hic examina te, mi Chriſtiane! utrum & ipſe animo ejuſmodi maligno & ſanguinario in verbi præcones quandoque affectus fueris?

Equidem tantam tyrannidem, qua Judæi legatos Dei proſequuti ſunt, non eſt, quod hodie illi ab Auditoribus ſuis pertimeſcant. Sed *ſpiritualiter adhuc hodie fit,* dum inveniuntur, qui paſtores ſuos odio habent, ut Achab Micham, 1. Reg. 22. v. 7. tales coram Deo homicidæ ſunt, 1. Joh. 3. v. 15. ſive calumniis eosdem onerant, iis in locis, ubi animadvertunt, id ipſis exitio fore, ſicut Doeg Abimelechum ita ſugillavit apud Saulem, ut morte multatus fuerit, 1. Sam. 22. v. 9. id ſcriptura lingua percutere vocat, Jer. 18. v. 19. ſive crucifigunt ipſos, de die in diem animam juſtam iniquis operibus cruciantes, 2. Pet. 2. v. 8. ſive imminuunt menſuram, & augent ſiclum, & ſupponunt ſtateras doloſas, Amos. 8. v. 5. h. e. novas excogitant uſuras & vectigalia, quibus res annonaria difficilior redditur, & verbi miniſtri cum Præceptoribus ſcholarum iisdem implicantur, ut bonam ſalarii ſui partem in curiam deferre teneantur. Id in lingua Romana, *flagellare annonam* vocant: Et ſi rem recte expendas, grave ſane flagellum eſt, quod multis lacrymas exprimit, Sir. 35. v. 25.

Sed & non adeo rarum eſt, ut illi, ſi nimis liberaliter flagitia reprehendant, plane ab officio removeantur, & in exilium mittantur, ſicut Amaſias ad Amos dixit: Heus tu videns, abi, fuge in terram Juda: & comede ibi panem, & prophetabis ibi, Amos 7. v. 12.

Verum ut olim David contumeliam ſervorum ſuorum graviter vindicavit, 2. Sam 10. v. 4. Sic & Deus ſervorum & legatorum ſuorum opprobria ſeveriſſime vindicaturus eſt, quibus ipſe læſus & injuria affectus eſt.

III. *Innocui ſanguinis valorem.* Id facietis, inquit Chriſtus, occidendo, crucifigendo, flagellando, & perſequendo: ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſu per terram, à ſanguine Abel juſti, usque ad ſanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare.

Hæc *verba horrenda* ſunt.

Judæi tempore Chriſti, neque Abelem, neque Zachariam filium Barachiæ occiderant: ſed dudum ante factum fuerat. Et tamen, quia veſtigiis majorum ſuorum inſiſtebant, & Prophetas Dei perſequebantur, hoc ipſo eos non modo reatum ſanguinis ſe effuſi, ſed & quod à majoribus ſuis olim profuſum erat, incurrere, Servator aſſeverat. Viſitat enim Deus iniquitatem patrum in tertiam & quartam generationem, Exod. 20, 5. Hoc non excluſive intelligendum eſt, quaſi pœna in tertia & quarta generatione deſinere debeat: Sed ut Chryſoſtomus monet, *ideo fit mentio tertiæ & quartæ generationis, quia usque ad tertiam & quartam progeniem eorum, quorum imitantur vitam, filii parentum poſſunt videre.* Quando vero nepotes porro veſtigiis parentum inſiſtunt, & non modo turpitudinem eorum adæquant: ſed & nequiores evadunt, dum menſuram impleverint, ut Judæi fecerunt, pœna quoque eosdem comitatur, & vindictam exercet in eos, qui peccatorum rei facti ſunt. Deus enim odit peccata odio æterno, eaque vindicat, ubicunque offendit, ſive in parentibus, ſive liberis, ſine perſonarum reſpectu, Pſ. 5, 5.

Hæc

Hic inſpicias velim te & probes, an fortasſis & ipſe in juventute quid intriveris, quod liberis tuis jam exedendum eſt?

Nemo hic ſe facile purgitare & dicere poterit: Purus ſum à peccato, Prov 20. v.9. Sanguinem quidem innocentem non puto, quenquam effudiſſe: interim tamen *coram Dei oculis, non ſine reatu ſanguinis ſumus,* ſed cum Davide dicere tenemur; Libera me de ſanguinibus Deus, Pſ.51,16. nec dubito, quin adſint, qui proximum falſo detulerint, ut illum in magnum malum, vel etiam in vitæ diſcrimen adductus ſit, ſicut Judas cum Chriſto ita egit, Matth.26.15.

Quot eorum ſunt, qui peccarunt ut Onan, Gen. 39,9. ſive fœtum in utero læſerunt, Exod.21,22. aut dormientes oppreſſerunt infantes, 1.Reg.3.20. aut proximum fame interire ſiverunt, cum tamen juvare eundem potuiſſent? Hi omnes ſanguinis rei facti ſunt. Qui enim fratrem ſuum viderit neceſſe habere & clauſerit viſcera ſua ab eo, homicida eſt, 1.Joh.3,17.

Qui igitur ſe reum hic deprehendit, cauſam habet cum Davide Deo ſupplicandi: Domine delicta juventutis meæ, & rebellionem meam, ne memineris, Pſal.25,7.8.

Niſi hoc fiat, Deus peccata parentum in liberis viſitat, ut illi conqueri cogantur: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt, Jer.31,29. Ideo apprime cavendum eſt, ne loco benedictionis maledictio filiis relinquatur, quod fit, ſi audire nolimus vocem Domini Dei noſtri, hinc illæ lacrymæ! Deut.28.v.15. & ſeqq.

De Secundo.

Pergemus nunc ad *alteram partem*, χριστοῦ γνῶσιν, ſive *notitiam Chriſti*, contemplaturi. Hic nobis meditandus proponitur:

I. *Tanquam miniſterii fundator.* Ecce, enim, inquit, ego mitto ad vos, Prophetas, & Sapientes & Scribas. Hoc in ſpecie de Apoſtolis intelligendum eſt, ut Luc.11.v.49. explicatur. In genere vero de omnibus fidelibus verbi præconibus dictum eſt, usque ad diem noviſſimum, qui ordinaria vocatione gaudent, & à Chriſto mittendi ſunt, ſi officio ſuo cum fructu præeſſe debeant. Ideo enim in cœlos aſcendit, ut Eccleſiæ porro præeſſet, & quosdam quidem daret Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem paſtores: usque ad diem extremum, Eph.4,11.

Vocat autem verbi præcones, quos miſſurus eſt

1. *Prophetas*, non hoc ſenſu, quod tanquam Prophetæ V.T. futura prædicere debeant, hi enim usque ad Johannem modo prophetarunt, Matth.11,13. ſed ideo vocat eos Prophetas, quia ſermoni prophetico inſiſtunt, 2.Pet.1,19. & nihil extra dicunt, quam ea, quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe, & Moſes, Act. 26, 22. quo prophetia eorum ſit, ſecundum rationem fidei, Rom.12.v.6. Quamvis multa quoq; prædixerint, ut Paulus de Antichriſto, 2.Theſſ.2,3. De illuſoribus, qui ante diem noviſſimum prodibunt, 2.Pet.3,3. & in ſpecie, de conditione Eccleſiæ, ſicut Johannes in Apocalypſi, quæ partim impleta ſunt, partim vero ſuo tempore implebuntur, quæ pater poſuit in poteſtate ſua, Act.1,7.

2. *Sapientes*, qui verbum veritatis recte ſecare poſſunt, 2.Tim.2,15. & ſciunt, quando canticum Moſi & canticum agni cantare debeant, Apoc. 15,3. ut de theſauro ſuo proferant vetera & nova, ſicut doctus paterfamilias, Matt. 13,52. quo pauperes evangelizentur, Mat.11,5. Impiis vero, qui rarius

de pœnitentia cogitent, lex acuatur, utrum reſipiſcere velint, à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur, ad ipſius voluntatem, 2. Tim. 2. v. ult.

3. *Scribas*, quia à puero ſacras literas didicerunt, ut Timotheus, 2. Tim. 3, 15. & juxta typum ſacerdotis ſummi Levitici judicium nempe Urim & Thumim in pectore gerunt Exod. 28, 30. Antequam enim loquaris, diſcendum eſt, Sir. 18, 19.

Unde a. præſtantes hi viri veniunt? à quo mittuntur? A nemine alio, niſi à Jeſulo recens nato:

Ni natus hic infantulus,
Fuiſſet orbis perditus,
Hæc eſt ſalus cunctorum.
Wär uns das Kindlein nicht gebohrn/
So wärn wir allzumahl verlohrn/
Das Heil iſt unſer aller.

Grato igitur animo inſigne hoc Dei donum recolamus, eique gratias agamus. Per illos enim regnum Dei dilatatur, auditorumque ſalus promovetur, ut ſeipſos ſalvos faciant, & eos, qui ſe audiunt, 1. Tim. 4. v. ult.

II. *Tanquam diſperſorum congregator*, propterea ait ad Judæos: Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.

Hæc congregatio deſcribitur nobis:

1. *Categorice*. Volui enim te, inquit congregare q. d. veni non exitium tuum, ſed ſalutem tuam quærere, tanquam miniſter circumciſionis, ad confirmandas promiſſiones patrum, Rom. 15, 9. ſed ut populus es, qui ſemper errat corde, Pſal. 95, 5. & graditur in via non bona, poſt cogitationes ſuas, Eſ. 65. v. 2. ita etiam gratiam meam abjeciſti, nec ſub alis meis congregari voluiſti: ideo, ex te perditio tua Iſrael, Oſe. 13. v. 9.

Idem adhuc hodie cœleſtis noſter Immanuel erga te, & me & unumquemque Chriſtianum facit, officium enim ejus eſt colligere. Hinc ipſe ait: Venit filius hominis quærere & ſalvum facere, quod perierat, Luc. 19. v. 10. Ezech. 34, 16.

Hoc multis modis præſtat.

Colligit enim nos 1. *Per miniſterii conſolationem*, Matth. 11, 28.

2. *Per Sacramentorum diſtributionem.* In baptiſmo enim tanquam ſurculi ſtirpi inſerimur, Rom. 11, 19. ut conſortes fiamus divinæ naturæ, 2. Pet. 1, 4. In S. cœna vero cum ipſo unimur ut nos in illo & ille in nobis maneat, Joh. 6, 56. ut neque mors, nec vita nos ab illo ſeparare poſſit, Roman. 8. v. 35.

3. *Per paternam caſtigationem*, Eſa. 26. v. 16.

4. *Per pœnitentiæ prædicationem*, Jer. 3. v. 12.

5 *Per beatam diſſolutionem*, Eſa. 57. verſ. 2. Collectio hæc maxime fiet die noviſſimo, Matth. 25, 32. Matth. 24. v. 31. Johann. 17. v. 24.

2. *Metaphorice*, ſub imagine gallinæ, quæ affectum ſuum declarat:

1. *Diligendo* Gallina enim propter pullos ſæpe famem & ſitim ſuſtinet, ne illi deficiant: præcipue vero in terra cum illis reſidet, donec volatu ſeſe ſurſum ferre poſſint. Sic & filius Dei noſtri cauſa formam ſervi induit, Phil. 2, 7. nobisque fratribus ſuis per omnia aſſimilatus eſt, excepto peccato, ut miſericors fieret, Heb. 2, 17. Eſurivit, & ſitivit. Matth. 21. v. 18. Joh. 4, 7. c. 19. v. 28. contriſtatus eſt, & lacrymavit, Matth. 26, 37. Luc. 19, 41. ut in infirmitate ejus firmiores reddemur, & omnia in eo poſſimus, Phil. 4. v. 13.

2. Gli-

2. *Colligendo.* Sic Chriſtus, poſtquam ex ore Satanæ per paſſionem ſuam nos liberavit, Eſa.53.v.8. itidem per miniſtros ſuos colligit nos clamans: State ſuper vias & videte, Jerem.6.v.16. hinc apparet, quod non delectatur in perditionibus noſtris, Tob.3.v.22. ſed vult omnes ſalvos fieri, 1.Tim.2.v.4.

3. *Nutriendo.* Quod ipſum Servator nobis præſtat, nutriens nos

1. *Cibo corporali*, quando annum coronat benignitate ſua, Pſal.65.v.12. & educit panem è terra, Pſal.104.v.14. ut veſcentes ſaturemur, Joel.2.v.26. Pſal.145.v.15.

2. *Cibo ſpirituali*, qui eſt verbum ejus, quo animæ noſtræ ſuſtentantur, Eſa.38. verſ.16.

3. *Cibo ſacramentali*, quando nos corpore & ſanguine ſuo in ſacra cœna reficit, de quibus ipſe ait: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, Joh.6,54.

Quemadmodum igitur pulli cibum, quem ipſis gallina granulatim præbet, cum deſiderio appetunt: ſic & nos cum animæ deſiderio Chriſtum accedere debemus, quando hunc ſpiritualem cibum in eccleſia diſtribuit, Luc.1.v.53.

4. *Contegendo*, ne frigore, æſtu, aut pluviis lædantur. Sic & Chriſtus fideles ſuos abſcondit in tabernaculo ſuo, & protegit in die malorum, Pſ.27.v.5. ne vehementer moveantur, Pſal.62.v.3. Pſ.36.v.8.

5. *Defendendo* contra accipitrem, canes, feles, idque cum diſcrimine vitæ; veſpera ingruente in nidum eosdem deducit, & alis ſuis fovet. Sic Chriſtus ſemetipſum pro nobis dedit, ut ſalvaret nos ab inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos, Luc.1.v.71. Quin adhuc hodie Salvator noſter in tempore tribulationis eſt, Jer.14.v.8. qui ſibi confidentes non ſinit tentari ſupra id, quod poſſunt, 1.Cor.10. verſ.13. Sed

In luctibus
Servat Deus,
Solatur ad menſuram:
Hæc ſit tua
Fiducia,
Te derelinquet nunquam.

Er hilfft auß Noth
Der fromme Gott/
Und tröſt die Welt mit maſſen:
Wer ſich nur veſt
Auff ihn verläſt/
Den wil er nicht verlaſſen.

Tandem veſperâ vitæ ingruente & illos in nidum deducet, corpus in ſepulchrum, ut in illo ſecurè quieſcat ad diem noviſſimum: animam verò in paradiſum, aut in cœleſtem Hieroſolymam, ubi nullum tanget illos tormentum, Sap.3.v.1.

III. *Tanquam ingratitudinis vindicator.* Pullus facilè percipit vocem gallinæ; ſic & æquum fuiſſet, ut Judæi Chriſto glocienti locum reliquiſſent: verùm fruſtrà invitavit eos, ideò Chriſtus ait: Noluiſtis, eoque ipſis pœnam inobedientiæ denunciat. Ecce, inquit, domus veſtra relinquetur vobis deſerta &c.

Gemina pœna his verbis exprimitur, quæ Judæos manere debeat.

1. *Corporalis & politica*, quâ deſolatio indigitatur. Deus enim in more habet, ut impium mittat contra impium, Eſ.1,2. Quia igitur Judæi omnem gratiam, quam ipſis non modo per Prophetas, ſed & per filium ſuum obtulerat, ſpernebant, & quaſi con-

culcabant: Romanos illis immiſit, in ſimilitudinem aquilæ volantis, qui ipſos variis modis afflixerunt, & tandem in totum terrarum orbem diſperſerunt, Deuteron. 28. verſ. 47.

Nec ſaltem pœna hæc inhabitatores tetigit, ſed & *regio ipſa miſerè devaſtata & deſolata eſt*, templo quoque magnificentiſſimo funditus deleto, ut lapis ſuper lapidem non manſerit, Luc. 19. v. 44. Et quamvis Julianus Apoſtata, vaticinia Chriſti, quem oderat, irrita facere magnopere conatus ſit: attamen fruſtra egit, non enim ſaltem terræ motu, inceptæ operæ disjectæ ſunt, ſed & igne cœlitus delapſo inſtrumenta conflagrarunt, ut Judæi fruſtraneum laborem ſe agere reluctante numine cœleſti agnoverint, conſilium ædificandi abjecerint, immotis manentibus Chriſti verbis, Luc. 21. verſ. 33.

Quodſi verò nos ſimilem cum Judæis pœnam ſubire nolimus, peccata ſimilia declinanda ſunt. Viam perditionis & iniquitatis vitemus, Sap. 5. v. 7. nempe luxuriæ diſſolutionem, 1. Petr. 4. v. 4. Contra verò viis juſtitiæ ſemper inſiſtentes oremus: Doce me facere voluntatem tuam, Pſ. 143, 10. Ad eremum enim producit omnem terram iniquitas, Sap. 6. v. 1. Job. 18. v. 21.

2. *Spiritualis ſeu Eccleſiaſtica.* Minitatur enim ipſis Dominus, quod faciem ſuam ab ipſis abſcondere velit, ut à modo eum videre non debeant. Hoc eſt, percuſſurum ſe illos amentiâ & cœcitate, & ſtupore mentis, Deut. 28. v. 28. ut nunquam ad ſcientiam veritatis pervenire debeant, 2. Tim. 3. v. 7. Hoc abunde in iis impletum eſt. Adeò enim occœcati ſunt, ut ſcriptura ipſis ſit & maneat, ſicut verba libri ſignati, Eſa. 29. v. 11. oculis ſuis non vident, auribus ſuis non audiunt, Eſa. 6. v. 10. tandem incident in puteum, in quo non eſt aqua, Zach. 9. v. 11. ſed ignis & ligna multa, Eſa. 30. v. ult. ut urantur & ſentiant uſque in æternum. Judith. 16. v. 21.

Perſpicimus hîc politiam aliquam tamdiu in flore eſſe, & omnimodâ benedictione redundare, quamdiu Prophetæ, ſapientes, & ſcribæ Chriſti cum illa habitant. Hoc enim modo ſemper ſunt, qui verâ pœnitentiâ ad Jeſulum recens natum colliguntur, qui *interponunt ſepem, & ſtant ad rupturam* pro terrâ, ne diſſipetur & deſoletur, Ezech. 22. v. 30. Quando verò Stephanus lapidatur, & alii honoratiores Hierarchiæ Eccleſiaſticæ & politicæ decedunt, indicium illi-pſum eſt, Deum gratiâ quoq; ſuâ abiturum eſſe, Væ autem eis, cum receſſero ab eis, inquit Dominus Oſ. 9. v. 12. Benedictio enim evaneſcit, & in *maledictione illi maledicti* ſunt, *hîc temporaliter*, ut omnia ſub manibus pereant, Mal. 3. v. 9. Et *ibi æternaliter*, quando eos Chriſtus, ut maledictos a ſe ablegabit, in ignem æternum, Matth. 25. 41. Oſculamini igitur filium, ne quando iraſcatur, & vos pereatis de via, Pſal. 2. v. 12.

Servator ô dulciſſime,
Qui natus es ex virgine,
Averte nobis orcum!
Amen.

O du ſüſſer JEſu Chriſt/
Daß du Menſch gebohren biſt/
Behüt uns für der Höllen/
Amen.

* * *

In

In die Feſto Johannis Evangeliſtæ.

Evangelium Joh. 21. v. 19. --- 24.

EXORDIUM

PAtriarcha Jacobus *duodecim filios* habuit, *ſuper omnes* autem *dilexit Joſeph*, eò quòd in ſenectute genuiſſet eum, fecitque ei *tunicam polymitam*, Geneſ. 37. v. 3.

Jacobus *typus Chriſti* fuit, is habuit *duodecim Apoſtolos*, qui quaſi ſpirituales filii erant, quos genuerat verbo veritatis, Jac. 1. v. 18. etſi igitur ſingulos ita amore foveret, ut filiolos eos appellet, Joh. 13. v. 32. & omni indigentiâ ipſis proſpiceret, ut ipſi fateantur, nihil ſibi defuiſſe, Luc. 22, 35. attamen Johannem ſuper omnes reliquos dilexit, ideò deſcribitur, quod in cœnâ ſuper pectus ejus recubuerit, tanquam diſcipulus, quem dilexit Jeſus.

Aliàs non latet nos, quò diſcipulus locum tenere debeat, nempe ſecus pedes ſui Præceptoris, Act. 22. v. 3. Quod verò hic diſcipulus ἐν κόλπῳ τοῦ Ἰησοῦ recubuerit, id ſignum fuit arcanæ converſationis, quæ inter utrumque fuit. Nam ut de Filio Dei ſcriptum eſt: Deum nemo vidit unquam, Unigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarravit, Joh. 1. v. 18. Ex quo conſequitur, quod filium Dei nihil latuerit, ſed omnia quæ pater novit, etiam revelaverit filio, Joh. 14. v. 10. Ita etiam priſci patres de Johanne ſcribunt, *quod ideò recubuerit in pectore Jeſu, ut hauriret fluenta ſapientiæ*, unde Petrus, cum deſideraret ſcire, quis proditor eſſet, Johannem rogavit, ut indagaret quis eſſet, non dubitans, quin Chriſtus id ei manifeſtaturus ſit, Joh. 13, 24.

Quemadmodum igitur amici libenter invicem conſociantur, ita pii veteres rectè fecerunt, quod memoriam Johannis Evangeliſtæ in tertium Nativitatis Chriſti diem, ordinarunt, nobis in exemplum, ut & nos in ordinem Johanniticum abeamus, veri Johannes, ſive gratioſi Dei evadamus, nec dubitemus, quin cœleſtis ſponſus noſter, nos in ſinum ſuum ſuſcepturus, & velut paſtor bonus & fidelis, in brachio ſuo congregaturus, & portaturus ſit, Eſ. 40, 11. ut in ſinu ejus requieſcamus, & maneamus in æternum, qui enim manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, 1. Joh. 4, 16.

Ad hoc ipsū anſa nobis ſubminiſtratur, in prælecto Evangelio, in quo Chriſtus cum Petro denuò quaſi paciſcitur. Poſtquam enim ille dixerat: Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te: ei oves & agnos ſuos denuò paſcendos concredidit, & commendavit.

Nos ſine ulteriori præambulo ad ipſum Evangelium nos conferemus, tractaturi ex eodem:

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

I. J.

Exegeſis.

NOn ſine cauſa Jeſulus recens natus vocatur *Deus abſconditus*, Eſ. 45, 15. id ſatis eluceſcit, non modò in ſummis ſanctiſſimæ ſuæ incarnationis myſteriis, ubi quidem tota plenitudo in ipſo σωματικῶς habitat, Col. 2. v. 9. cum tamen nihil in eo apparuerit, niſi ſervi forma, Phil. 2. v. 7. exceptis paucis radiis, quos in concionibus & miraculis ſuis de ſe ſparſit, ex quibus hoſtes ipſi colligere potuerunt, ſub ſervi illâ formâ majus quid deliteſcere. Propterea ait Nicodemus: Rabbi, ſcimus, quia à Deo veniſti ma-

magiſter, Joh.3.v.2. ſed oſtenditur quoq; in mirâ regni ejus gubernatione, ubi ducit per *anguſta ad anguſta*, Matth. 16, 24. per gloriam & ignominiam, per infamiam & bonam famam, 2. Cor.6,8. tandem tamen ita moderatur,ut Deum diligentibus omnia cooperentur in bonum, Rom.8,28.

Primo Nativitatis die jacuit infans in cunis faſciis involutis: & tamen angelus clamavit: Hodie vobis natus eſt Servator. Et univerſus chorus militiæ cœleſtis intonuit: Gloria in excelſis Deo.

Heri Stephanus Protomartyr factus eſt. Nam ut στέφανος coronam ſignificat: ſic à mundo martyrii coronam reportavit, ſed Chriſtus loco ejus aliam ipſi coronam impoſuit, nempe coronam vitæ, Apoc.2.v.10. Coronam juſtitiæ, 2.Cor.4,8. immarceſcibilem gloriæ coronam; 1.Petr.5,4.

Hodie Chriſtus Petro geneſin delineat, & prædicit eidē,quod crucifigendus ſit: mors illa ignominioſiſſima fuit,& tamē aſſeverat, quod eâ Deum clarificaturus ſit. Hæ meræ res abſconditæ ſunt,quas abſconditus Deus adeò abſconditè miſcet,ut rationi mirabile videatur & abſurdum,& tamen h.m.magnificat ſapientiam,Eſa.28.v.ult.

Ad notitiam noſtri vero perveniemus,ſi ſpectaverimus:

1. *Petri conteſtationem.* Quando enim Jeſus eum interrogat: Simon Jonæ, diligis me plus his? idque tertiò repetit, Simon Jona,amas me? reſpondet ille: Etiam Domine,tu ſcis,quia amo te.

Petrus graviter adverſus Dominum & Magiſtrum ſuum trinâ ſuâ abnegatione deliquerat: Attamen amicè eum Chriſtus hîc affatur,& revocat ei in memoriam promiſſionem, quâ, ſi omnes ſcandalizati in Chriſto fuerint,ſe nunquam ſcandalizatum iri,ſe adſtrinxerat. *Ideo enim terna dilectionis confeſſio ab ipſo petitur,ut terna negatio æquali confeſſionis numero compenſetur*, ut Cyrillus ait. Hoc facilè ſubodoratur Petrus: ideo Chriſto quærenti: Simon Jonæ,diligis me plus his? non reſpondet in Comparativo, ſed in Poſitivo: Etiam Domine,tu ſcis, quia amo te. Cùm vero Dominus tertiò interrogat: contriſtatus eſt, inhærens priſtinæ confeſſioni,& dicens: Domine, tu omnia noſti: tu ſcis,quia amo te.

Hoc permagni refert, qui enim non amat Dominum Jeſum, ſit Anathema, Maharam-motha, 1. Cor.16.v.22. Qui igitur genuinus Chriſtianus eſſe cupit, non aliam vim habet,quam amoris,hæc ſupereminens ſcientia eſt,Eph.3.v.19.

Hic vero amor non in lingua duntaxat, ſed & in corde eſſe debet. Sicut enim de dilectione proximi Johannes dicit,quod non modo fieri debeat verbo & linguâ,ſed opere & veritate, 1.Joh. 3.v. 18. ſic & hoc de dilectione Chriſti intelligatur oportet, qui cordium ſcrutator eſt, Act. 1, 24. & ſcit, quid in homine eſt, Joh.2.v.ult.

Quod ſi igitur nomen gerere velis, quod Chriſtum ex re & vero diligas, fieri id debet:

1. *Super omnia opera.* Accepit enim nomen, quod ſuper omne nomen eſt, Phil. 2, 9.11. *Diligendus* igitur *eſt ſuper omnes angelos*, multò melior enim Angelis effectus eſt, Heb.1,4.Dan.7,10. *Diligendus ſuper B. matrem virginem Mariam*, illa enim non redemit nos: Chriſtus vero factus eſt nobis ſapientia,& juſtitia, & ſanctificatio & redemtio,1.Cor.1,30. *Diligendus ſuper omnes ſanctos.* Sanctiſſimus enim eſt,Dan 9,24. *Diligendus ſuper parentes*, quoniam pater & mater derelinquunt nos, Dominus autem aſſumit nos, Pſal.27.v.10. *Diligendus ſuper omnes*

omnes divitias, quia ſummum bonum eſt, Pſ.73,15. *ſuper omnem ſapientiam*, ſtultam enim fecit ſapientiam hujus mundi, 1.Cor. 1.v.20. *ſuper omnem gloriam*, mundus enim tranſit, & concupiſcentia ejus, 1.Joh.2,17. Mecum autem ſunt, ait cœleſtis ſapientia, divitiæ & gloria, opes, fortitudo, & juſtitia, Prov.8.v.18. *ſuper omnes homines*, Omnes enim mendaces ſunt, Pſ.116,11. Pſal.62,10. Sed Chriſtus cuſtodit veritatem in ſeculum Pſal.146.v.6. & ſicut dilexit ſuos ab initio, ita ad finem diligit eos, Joh.13. v.1. ideò bonum eſt confidere in Domino, quàm in homine, Pſal.118.v.8.9.

2. *Juxta omnia requiſita*, qualia ſunt

1. *Dei verbum ſervare.* Si quis enim diligit me, ſermonem meum ſervabit, ait Servator, Joh.14.v.23 Jac.1.v.21. 1.Joh.5,3.

2. *Fratres amare.* Mandatum de dilectione Dei, quidem maximum & primum eſt in lege: attamen ſecundum ſimile eſt huic, Diliges proximum tuum ſicut teipſum, Matth.22.v.39. Sicut igitur Chriſtum ſuper omnia: ſic fratres in & ſub Chriſto diligere tenemur, 1.Joh.4.v.19.

3. *Crucem tolerare.* Inops enim, deſpectus & crucifixus Chriſtus, æque diligendus eſt, ac ſi in divina gloria & Majeſtate conſideratur, ſicut Moſes opprobrium Chriſti, majores divitias æſtimavit, theſauris Ægyptiorum, Hebr.11.v.26. *Chriſtianus enim crucianus*, per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, Act. 14. v. 22.

3. *Per omnia tempora*, ut nihil nos abſtrahat à dilectione Jeſu, ſed cum Jobo dicamus: Etiamſi Dominus occiderit me, tamen ſperabo in eo, Job.13.v.15. Matth.10. verſ. 22.

II. *Martyrii intimationem*, ſic enim Chriſtus ad Petrum: Amen, Amen, dico tibi, cum eſſes junior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas: cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet, quò tu non vis. Hoc autem dixit, ſignificans, quâ morte clarificaturus eſſet Deum. *In regionibus enim Orientalibus ſtolati incedere* ſolebant, quod quia peregrinantibus impedimento erat, ut commodè proficiſci non poſſent, zonis ſuccingebant ſe, ſicut Eliſa ad famulum Giezi ait: Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tuâ, & vade, 2.Reg.4.v.29. Confer; Luc. 12.v.35. c.17.v.8. Joh.13.v.4. Act.12.v.8. & paſſim.

Q.d. Chriſtus: jam pro lubitu tuo te cingere & ambulare potes, quorſum libet: ſed aliud veniet tempus, ubi ad ſummam ætatem perveniſti, tum alius cinget te, h.e. manibus poſt terga revinctis, ducet te eum in locum, quorſum caro & ſanguis invitò ſequentur. Hoc non ita intelligendum eſt, quaſi Petrus non ultroneè ſed coactè, pro veritate Evangelicâ mortem ſuſtinuiſſet: Sicut enim Hiſtoria Eccleſiaſtica teſtatur, lætabundus ad martyrium properavit, & oravit, ut capite inverſo cruci affigeretur, indignum enim ſe eſſe, qui capite erecto, ſicut Dominus & magiſter ſuus crucifigatur: ſed reſpicit his verbis Chriſtus, naturam corruptæ carnis noſtræ, quæ naturaliter mortem exhorreſcit, quod & ipſum Petro accidere potuit. Verùm per Spiritus ſancti gratiam ſuperavit, & vitam ſuam propter Chriſtum libenter profudit, ideoque invenit eam, Matth.10,39. vivitq; jam cum eo in æternum, 1.Theſſ.4.v.17.

Hic probes velim te, mi Chriſtiane! utrum & ipſe in omnibus voluntati Dei ſponte te ſubjeceris, ut officium tuum requirit?

Digitized by Google

In Oratione Dominicâ petimus: Domine fiat voluntas tua. Quodſi igitur idipſum petimus, non abſonum nobis videri debet, ſi juxta voluntatem Dei cruce & perſecutionibus affligamur: Sed confiteri potius æquum eſt: Omnia bene fecit, Marc. 7. verſ. ult.

Equidem omnes & ſinguli carnem & ſanguinem gerimus, & *mortem pertimeſcimus*, potiſſimum quando audimus, hoſtes & perſecutores veritatis adeo crudeliter homines tractare. Interim tamen per Dei gratiam & Spiritus ſancti adſiſtentiam, vincere poſſumus, quando intuemur, primò *Dei providentiam*, ſecundum quam omnia demenſa, ponderata & definita ſunt, in numero, pondere & menſura, Sap. 11. v.22. Deinde *Martyrii Reverentiam*. Clarificant enim Deum, ut Chriſtus hîc ait, eò quod non patiuntur, quaſi homicidæ, aut fures, aut malefici, ſed ut Chriſtiani, propter veritatem Evangelicam, 1.Petr.4,14. & Tertiò, *Præmii excellentiam*: Non enim condignæ ſunt paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, Rom. 8. v. 18. hoc reſpectu mortis metum facilè ſuperare, & cum Simeone dicere poſſumus: Nunc dimittis Domine, ſervum tuum in pace, Luc.2.v.29. In hoc mundo enim diu vivere, eſt diu torqueri. Quis igitur non deſiderium haberet diſſolvi, & eſſe cum Chriſto? Phil.1.v.23.

Optimum eſt, ut voluntati divinæ promtè nos ſubjiciamus: ipſe novit quomodo, quando & ubi mori debeamus. Quodſi ei placet, ut in lecto moriamur, dicamus: Domine, fiat voluntas tua! Quodſi libitum ei fuerit, ut in manus hoſtium deveniamus, & violentâ morte abripiamur: Itidem dicamus: Fiat voluntas tua. Quodſi voluerit, ut in peregrinatione vitam amittamus, rure pereamus, aut in aquis ſuffocemur, aut à feris diſcerpamur, aut à latronibus perimamur, iterum parati inquiamus: Fiat voluntas tua! Nemo enim noſtrûm ſibi vivit, & nemo ſibi moritur, Rom.14.v.7.

III. *Sequela commendationem*. Hic audimus, quod Chriſtus Petro dicit: Sequere me. Cui reſpicienti Johannem, & quærenti: Hic autem quid? reſpondet Chriſtus: Si eum volo manere, donec veniam: quid ad te? Tu me ſequere. Petrus opinabatur, Dominum ſe nimis iniquè tractaſſe, quod ſibi mortem adeò ignominioſam prædixerit: hinc invidiâ erga Johannem incitatus, eundem ſibi conſortem cupit, ideò quærit: Hic autem quid? q.d. Mihi ſupplicium ſat grave deſignas: verùm Johannem in delitiis ſinis, & in ſinu geris, nec ullo incommodo vis affici. Propterea objurgat eum Chriſtus, dicens: Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? liberum mihi eſſet, eum planè à mortalitate eximere, & ad ultimum meum adventum in vivis relinquere, id te non terrere nec movere debet. Tu modò me ſequere, & fac, quod tibi mandatum eſt, unuſquiſque ſuum onus portabit, Gal.6.v.5.

Hic examina te, mi Chriſtiane! utrum & ipſe obſequioſus ſectator Servatoris tui ſemper fueris?

Neque enim Petro ſaltem, ſed & cuilibet noſtrûm hoc dictum eſt, ut idem faciamus.

1. *Generatim*, quod Chriſtiani ſinum noſtrum concernit. Chriſtus enim factus nobis eſt & ſapientia, & juſtitia, & ſanctificatio & redemtio, 1.Cor.1.v.30. His omnibus naturâ

Digitized by Google

naturâ deſtituimur, ideo non melius facere poſſumus, quàm ſi ad Chriſtum nos convertamus, & cum Martha ſecus pedes ejus ſedeamus, Luc. 10. v.39 Ipſe quoque pater cœleſtis de cœlo clamat: Hic eſt filius meus dilectus, Matth.3.v.ult.

Quodſi igitur Chriſtum ſequemur, reperiemus apud illum, *ſapientiam*, Pſal.51,8. Hab.2.v.4. *Juſtitiam*, adduxit enim juſtitiam ſempiternam, Dan.9.v.24. quæ & nobis per fidem applicabitur, Rom. 4. v.5. *ſanctificationem*, reliquit enim nobis exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus, 1.Petr.2. v.24. & ſerviamus ei in juſtitiâ & ſanctitate coram ipſo, Luc.1.v.74.75. *Redemptionem*, copioſa enim apud eum redemptio, Pſal.130.v.7. Beati omnes, qui confidunt in illo, Pſal.2.v.ult.

Hæc ita generalis vocatio eſt, vi cujus quilibet eum ſequi tenetur, & non deſtituetur omni bono, Pſal.34. v.11.

2. *Speciatim*, hæc vocatio cujuslibet functionem concernit, ad quam fidelitas & prudentia requiritur, 2.Cor.4.v.2. Luc. 16. v. 8. Hic quilibet πολυπραγμοσύνην fugere, & negotium ſuum agere debet, 1.Theſſ. 4.v.11. & ita ambulare, ſicut Deus unumquemque vocavit, 1.Cor.7.v.17.

Conſideranda autem eſt

1. *Reſpectu ſubjecti recipientis.* Sic Chriſtus Petrum & Andream, ut & Johannem & Jacobum ad Apoſtolatum vocat, iiſque mandat, ut omnibus relictis Evangelium per univerſum orbem doceant, Matth. 4. v. 19. 21.

Hæc ſequela in ſpecie à verbi præconibus requiritur, ut exemplo Chriſti & Apoſtolorum, omnia, quæ ipſis in officio ſuo impedimento eſſe poſſunt, poſthabeant, & verbum Dei omni ſtudio prædicent. Licet enim inter Apoſtolos & verbi miniſtros hoc diſcrimen intercedat, quod illi in univerſum mundum ad Evangelium prædicandum abire, juſſi ſint, hi verò gregem & eccleſiam ſuam habeant, quæ illis demandata eſt, 1.Petr.5.v.2. Attamen res quædam occurrunt, in quibus adhuc hodie verbi miniſtri, Chriſtum & Apoſtolos ſequi debent.

1. *Quoad legitimam vocationem*, Joh.20. v.21. Rom.10.v.15. Hebr.5.v.9.

2. *Verbi divini prædicationem*, Joh. 7. v.16. 1.Tim.6.v.13. 1.Petr.4.v.11.

3. *Quoad intentionem*, non quærentes ſuam, ſed Dei gloriam, Joh.8,50. Joh.7,18.

4. *Politici regiminis declinationem*, Joh. 6.v.11. c.18.v.36. 1.Petr.5.v.4. 2.Cor.1,24. Luc.22.v.8.

5. *Impiæ doctrinæ & vitæ notationem*, Matth.13.v.62. Apoc.15.v.3.

6. *Scandali vitationem*, Joh.8.v.46. 2. Cor.6.v.3. Rom 2.v.22.

Pari modo Magiſtratus Politicus & Patres- & Matres-familiâs Chriſtum ſequantur oportet, & ita agant, ſicut ab ipſo in verbo ſuo docentur, eſt enim regula & norma in vita & doctrina, & qui illam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia, Gal.6.v.15.

2. *Reſpectu periculi adjacentis*, ſi opes & vitam propter confeſſionem Chriſti profundere debeamus. Ita Chriſtus vocavit divitem adoleſcentem, Matth.19.v.21. & Petrum, quando in præſente Evangelio ait: Sequere me, & hoc ipſo ſignificat, quâ morte clarificaturus ſit Deum.

Quando igitur ſpecialis ejusmodi vocatio, tempore tentationis nobis quoque obvenit, ut domum & opes, imò vitam ipſam relinquere debeamus, noſtrum

Digitized by Google

ſanè eſt, propter Chriſtum omnia relinquere, eidemque ſubſtantiam & vitam noſtram conſecrare. Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, &c. Luc.14.v.26. Hoc quidem carni & ſanguini grave admodum videtur, & tamen non aliter fieri debet. *Minus te amat Domine, qui aliquid tecum amat, quod propter te non amat*, ait Auguſtinus. Proinde quotidie precibus ſollicitemus Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut det nobis ſecundum divitias gloriæ ſuæ virtute corroborari per ſpiritum ejus in interiori homine, Eph.3,16. ſine ipſo enim nihil facere poſſumus, Joh.15,5.

De Secundo.

TRanſibimus nunc ad *alteram partem*, Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti* contemplaturi. Hic nobis commendatur in præſenti Evangelio:

I. *Tanquam verus paſtor.* Propterea ait hîc ad Petrum: Paſce agnos meos, & iterum: Paſce oves meas: Ita fideles & electos ſuos nominat, qui in eccleſiæ viſibili cœtu inveniuntur. Ipſe eſt ἀρχιποιμὴν, 1.Petr.2.v.25. cujus oves propriæ ſunt, Joh.10.v.11. Petrus verò Sub-Paſtor hîc vocatur, ut oves & agnos paſcere debeat, ſicut David oves patris ſui Iſai pavit, 1.Sam.16.v.11.

Hoc *paſtorali officio fungitur Servator*:

1. *Ratione præceſſionis.* Bonus paſtor antecedit oves ſuas, iisdemque viam monſtrat. Sic & Chriſtus, Pſal.32.v.8. Quin & ipſe eſt via, veritas & vita, via ne titubemus, veritas, ne erremus, & vita, ne occumbamus, Joh.14.v.16. Beatus, qui non declinat, neque ad dextram, neq; ad ſiniſtram, Eſa.30.v.21.

2. *Ratione paſtionis.* Bonus paſtor deducit oves in ſana paſcua: ſic & Chriſtus agnos & oves ſuas paſcit in montibus Iſraëlis, h.e. in verâ eccleſiâ, Ezech.34.v.13. Hic enim invenimus cibum immortalitatis, panem vitæ, Joh.6.v.48. verum fontem ſalvatorium, Eſa.12.v.3. ex quo haurimus aquam vitæ, Joh.4.v.14. Quin ipſe cibus & potus noſter fit, non modò ſpiritualiter in verbo per fidem: ſed & ſacramentaliter in cœnâ, quando corpore ſuo & ſanguine ſuo nos cibat & potat, ut neque vita, neq; mors ab ipſo nos ſeparari poſſit, Rom.8.v.30.

3. *Ratione defenſionis.* Bonus paſtor noctu pro oviculis excubat, & contra lupum irrupturum defendit: Sic non deſunt hæretici & tyranni, tanquam lupi rapaces, qui oviculis Chriſti inſidiantur, Joh.16.v.2. Sed qui cuſtodit Iſraël, non dormit, neque dormitat, Pſal.121.v.4. Hinc ſecuri dicere poſſumus cum Auguſt: *Non expaveſcimus lupum, quia bonum paſtorem invenimus*, Joh.10.v.28.

4. *Ratione requiſitionis.* Bonus paſtor oviculam errantem reducit ad gregem: Chriſtus ſimiliter. Quod perierat, requiram, ait ipſe Ezech.34.v.16. Ita requiſivit Matthæum, Zachæum, Petrum, Thomam, Mariam Magdalenam, aliosque plures, Matth.18.v.11.

5. *Ratione domi-ductionis.* Ingruente tempeſtate & veſperâ paſtor oviculas ſuas in caulam deducit. Sic & Chriſtus oviculas ſuas quieti tradit, quando magna tribulationis tempeſtas mundo, vel finis vitæ noſtræ ingruit, juxta illud, Eſa.26.v.20.

Ecce! ejusmodi fidelem paſtorem in Chriſto habemus. Sed videamus, ut & obſequentes ejus oviculæ & agni ſimus. *Agnus dicitur ab agnoſcendo, quod matrem ſuam agnoſcat,*

Digitized by Google

gnoſcat, ait Iſidorus. Sic & nos ſpiritualem Eccleſiæ matrem, & imprimis magnum ovium paſtorem Chriſtum, recte agnoſcere debemus, quis ſit ratione perſonæ & officii, in hac enim cognitione vita æterna conſiſtit, Joh. 17. 3.

Cæterum *manſuetudini* ſtudere debemus, quæ apprime in ovibus & agnis commendatur, Eſa. 53, 7. Rom. 12, 8. Matth. 5. v. 5. *Puritati*: agnus enim dicitur quaſi ἁγνὸς, h. e. caſtus purus. Hæc voluntas Dei ſanctificatio veſtra. 1. Theſſ. 4. v. 4. Αὐταρκείᾳ: Oves & agni paucis contenti ſunt. Sic magnus quæſtus eſt pietas cum animo, ſua ſorte contento, 1. Tim. 6. v. 8. Hoc ſi fecerimus, promiſſio Chriſti in nobis ſimiliter implebitur: Dabo illis vitam æternam, Joh. 10. v. 27. 28.

II. *Tanquam crucis dictator.* Apoſtolo Petro Chriſtus in Evangelio prædicit, quod usque in ſenectutem prædicare, & tum demum coronam Martyrii reportare debeat. Hæc prædictio non fefellit. Equidem Herodes in ipſo miniſterii principio ipſum carceri incluſit, hac intentione, ut eum capite plecteret. Quia vero terminus vitæ ejus nondum aderat, Deus per Angelum eum è carcere liberat, Act. 12. v. 3. 11. Cum vero vitæ metam attigiſſet, anno ætatis 72. Romæ ſub Imperatore Nerone crucifixus eſt.

Sic adhuc hodie tempora noſtra non in diaboli, vel hominum poteſtate, ſed in manibus Dei ſunt, Pſal. 31. v. 16. is unicuique terminum ſuum conſtituit, Job. 14. v. 5. & crucem quaſi demenſus eſt, quantum pati debeat, propter nomen ejus, Actor. 9. v. 16.

Quam mirabiliter Moſes inter magos Ægyptiacos, Aaron in peſtilentia, Daniel inter leones, ſocii ejus in ardente fornace, Jonas in alvo cete, alii aliis in calamitatibus providentia ejus conſervati ſunt?

Idem adhuc hodie præſtare poteſt. Hoſtes callida ſæpe conſilia ineunt, quomodo gentem Chriſticolam diſperdere velint, Pſal. 83, 5. Sed non ſtabit, & non erit iſtud, Eſa. 7. v. 8. c. 8, 10.

Sic *homines in Babel*, turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum, machinantes, confundendo linguas eorum, à propoſito abſterruit, Gen. 11, 3. 7. Sic conſilium *Achitophel* infatuavit, 2. Sam. 15. v. 31. & *Sennacherib* Regem Aſſyriæ per angelum proſtravit, 2. Reg. 19. v. 35.

Ita Deus quidem onus imponit nobis, ſed & ſalus noſtra eſt, Pſal. 68. v. 21. Sine afflictionibus quidem eſſe non poſſumus: verum hoc ſolatio fulcimur, quod Chriſtus eam pro lubitu ſuo gubernet, & definiverit, quantum nobis obvenire debeat. Hominum proinde furorem minus metuamus, qui præſcriptam metam excedere nequeunt. Nonne duo paſſeres aſſe veniunt? Matt. 10. v. 29.

III. *Tanquam corruptelarum vindicator.* Hic audimus, ſermonem exiiſſe inter fratres de Johanne, quaſi eum Chriſtus à morte immunem pronunciaſſet, eo, quod dixerat Petro: ſi eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Sed Johannes ipſe hunc errorem refellit dum indicat, quomodo Chriſtus dixerit, nempe non abſolute: ſed hypothetice: Si volo eum manere, donec veniam, quid ad te?

Hodie ſeductionis periculum magnum eſt, diabolus enim plurimos falſos Apoſtolos in mundum abligavit, qui in nequitia & aſtutia ad circumventionem erroris maxime excellentes, Eph. 4, 14. ſcripturas ad ſuam

Digitized by Google

& aliorum perditionem detorquent, 2. Pet. 3. v. 16.

Quando Chriſtus ait ad Petrum: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: Hinc ſermo exiit inter Pontificios, quaſi Chriſtus Petrum œcumenicum Pontificem, & caput Eccleſiæ conſtituerit. Sed præſtigiæ ſunt? non enim Chriſtus dicit: Tu es Petrus, & ſuper hunc Petrum &c: ſed tu es Petrus, & ſuper hanc petram (ſuper meipſum) ædificabo Eccleſiam meam, Matth. 16, 18.

Quando Servator in inſtitutione verborum cœna ait: Hoc facite in mei commemorationem, Matth 26, 27. Hinc iterum ſermo exiit inter Papiſtas, quaſi Chriſtus hoc ipſo ſacrificium Miſſæ inſtituerit, quod pro peccatis & pœnis vivorum pariter ac mortuorum, modo incruento ſacrificari velit, cum tamen Chriſtus non dixerit, ſacrificate, ſed edite, bibite, 1. Cor. 11, 25.

Sic quando Chriſtus ait: Edite, hoc eſt corpus meum; Bibite, hic eſt ſanguis meus ſermo exivit inter Reformatos, non hoc liberaliter, ſed figurate intelligendum eſſe, de ſignis corporis & ſanguinis Chriſti, ideoq; panem & vinum quidem ore edendum & bibendum: per fidem vero corpus & ſanguinem Domini accipienda eſſe. Verum Chriſtus non dixit: Edite panem, & credite corpus: nec bibite vinum & credite ſanguinem: Sed, hoc eſt corpus meum, & de vino: Hic eſt ſanguis meus. Unde Paulus ſic explicat: Calix benedictionis, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt, 1. Cor. 10. v. 6.

Nos literæ inſiſtentes caveamus, ne circumferamur omni vento doctrinæ, Eph. 4. v. 14. Habemus enim firmiorem ſermonem propheticum, 2. Pet. 1, 19.

Cum Eva à litera recederet, à diabolo ſeducebatur, Gen. 3. v. 16. 19. Idem accidit illis, qui adhuc hodie à litera recedunt, ut ex uno abſurdo in aliud incidant, 1. Timoth. 6. v. 4. Idque ex juſto Dei judicio, 2. Theſſ. 1. v. 11. 12. Oremus proinde cum Eccleſia;

Te corde quæſo ſupplice.
Ne tolle verbum vitæ
Tuum, meo de pectore.
Sic non queo perire
In crimine,
Nam gratiæ
Spes me tuæ fulcibit.
Hæc optima,
Fiducia,
Qua nemo deperibit.

Ich bitt O HErr aus Hertzen Grund/
Du wollſt nicht von mir nehmen
Dein heilges Wort aus meinem Mund/
So wird mich nicht beſchämen:
Mein Sünd und Schuld/
Denn in dein Huld/
Setz ich all mein Vertrauen:
Wer ſich nun veſt
Auf Gott verläſt/
Der wird den Himmel ſchauen.

Amen, in nomine Jeſu, Amen.

* * *

Do-

In Feſto Circumciſionis Chriſti.

Evangelium Luc. 2. v. 21. --- 22.

EXORDIUM.

Cum Noe, præco juſtitiæ tempore diluvii totum annum in arca perſeveraſſet & oculis ſuit vidiſſet, quomodo omnis caro, ſpiritu viventi prædita, in aquis ſuffocata periiſſet: ex animo lætatus eſt, cum Deus ipſum arca egredi juſſit. *Quo vero gratum ſuum animum declararet, ædificavit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocauſta ſuper altare.* Odoratusque eſt Dominus odorem ſuavitatis, & dixit ad cor ſuum: Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines: quia figmentum cordis humani malum eſt ab adoleſcentia ſua, Gen. 8. v. 16. & ſeqq.

Nos Dilecti! ex arca quaſi jam egredimur, in qua anno præterito ſub tutela Altiſſimi, ab omni incommodo ſarti tecti conſervati ſumus, & *ad conteſtationem gratitudinis noſtræ Deo noſtro exſtruimus:*

I. *Aram recordationis*, reminiſcentes maximæ beneficentiæ, quam Deus nobis præterito anno plurimis ſuis beneficiis exhibuit. Totus mundus bellis ardet: nos in pace habitavimus, unusquisque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua, 1. Reg 4, 25. Alibi locorum peſtilentia multa millia exſtinxit: nobis aer ſalubris fuit, ut neque peſtilentia, neque alii morbi contagioſi nobis negotium faceſſerint. Aliis in locis navicula Chriſti impugnata fuit: ſed apud nos inſtrumentum pacis adhuc in vigore ſuo perſiſtit, ut quotidie in templis noſtris conveniamus, & prædicemus, hoc ſalutare Deus poſuit nobis, Pſal. 12, 6.

Hæc & alia plura, quibus nunc non eſt narrandi locus, grato animo recordari debemus, memento horum Iſrael, Eſa. 44, 21. Quis ſapiens, & cuſtodiet hæc? & intelliget miſericordias Domini? Pſal. 107. v. ult.

2. *Aram gratiarum actionis*, ut Dominum celebremus, & benignitatem ejus prædicemus, quam nobis exhibuit: Miſericordia enim Domini, quod non conſumti ſumus, Thren. 3, 22. Sicut enim aquila ſuper pullos ſuos volat: ſic Dominus alas gratiæ ſuæ ſuper nos expandit, in omnibus tribus Hierarchiis, ut in vigore ſuo perſiſtant, & non deſtituamur omni bono, Pſal. 34, 11. Hoc utique gratiarum actionem meretur! Laudate & celebrate Dominum quantum poteſtis; nihilominus tamen ille longe eſt præſtantior, Sir. 43. v. 32. 33.

3. *Aram orationis*, & invocamus Dominum, qui nos per hunc annum, & omnes dies vitæ mirifice defendit, ut porro nos ſibi commendatos habere, & cum novo anno novam ſalutem & benedictionem largiri dignetur, *in Eccleſia*, ut ſermo ejus velociter currat Pſ. 147, 15. ne labor noſter inanis ſit in Domino, 1. Cor. 15, ult. novam ſalutem & benedictionem concedat *in curia*, ut miſericordia & veritas obvient ſibi: juſtitia & pax oſculentur ſe, Pſal. 85. v. 11. nec minus

nova

nova ſalute & benedictione nos ornet, in *ſtatu œconomico*, quo illi ſe recolligant, qui per diuturniorem belli tempeſtatem ad incitas ferme redacti ſunt. Quem enim hic Dominus ſalvum faciet, ille ſalvus erit, Jer. 17.v.14. & cui ille benedicit, benedictus erit, Num.22,6.

Hoc *triplex illud altare* eſt quod in exordio novi hujus anni, Domino ædificare debemus, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti: in quo hac vice, laborem quoque noſtrum Eccleſiaſticum ordimur, acceſſum facientes ad Evangelii tractationem, cujus ductu, pro inſtituti ratione meditabimur:

I. Ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J.J.

Exegeſis.

QUemadmodum alias Momi temerarii ſunt in judicando, ut cœleſtis ſapientia juſtificetur ab omnibus filiis ſuis, Luc.7,35. ſic etiam Circumciſio multis ridicula & abſona viſa fuit, ubi Iſraelitici mares præputium carnis ſuæ præcidi, & juſſu Dei corpus ſuum mutilari curarunt: ſed quam ardua res fuerit, Evangelium prælectum ſatis probat, in quo audimus, quod Servator ipſe legi huic ſe ſubjecerit, & octavo die à nativitate ſua circumciſus fuerit.

Ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri* hic diſcimus, quando intuemur:

I. *Jeſuli Circumciſionem.* Quia enim ex Judæis erat, quoad carnem, Joh.4,22. unde expreſſe, promiſſum ſemen Abrahæ vocatur, Gal.3,40. Circumciſionem quoque aſſumſit, in ſignum fœderis, quod Deus cum Abrahamo & ſemine ejus fecerat, Gen.17. v.10.

Si rem recte ponderemus, circumciſione Dominus non indiguiſſet. Erat enim ſanctiſſimus, Dan.9,24. Verum noſtri cauſa circumciſionem ſubiit, ut teſtaretur, ſe verum eſſe hominem & communicaſſe carni & ſanguini ſicut pueri, Heb.2,14. Ideoque in mundum veniſſe, ut noſtri cauſa legi ſatisfaceret, & maledictionem legis in ſe ſuſciperet, quam peccatis noſtris promeriti eramus. Quod enim impoſſibile erat legi, Deus filium ſuum in carnem mittens, de peccato damnavit peccatum in carne, Roman. 8. v.3.4.

Sicuti autem Judæi juxta corporalem carnis circumciſionem, recordari tenebantur ſpiritualis cordium circumciſionis, de qua, Jer. 4.v.4. Sic nos multo magis decebit, poſtquam corporalis circumciſio deſiit, ut imprimis *hoc die Circumciſionis Chriſti, ſpiritualem cordis circumciſionem* meditemur, juxta exemplum, quod reliquit nobis Chriſtus. Non enim qui in manifeſto, Judæus eſt, Rom.2.v.28.29.

Hic examines velim te, mi Chriſtiane! utrum hic quod officii tui eſt, ſedulo obſervaveris, & ſpirituali circumciſioni intentus fueris?

Hoc ipſa rei neceſſitas flagitat. Quemadmodum enim in V.T. nullus incircumciſus in populo Dei eſſe, aut veſci ex Phaſe Domini poterat, Exod.12,48. Sic odit Dominus:

1. *Incircumciſa pectora*, Act.7.v.51. Hinc Moſes: Circumcidite præputium cordis veſtri, & cervicem veſtram ne induretis amplius, Deut.10.v.16. Hi illi ſunt, qui pleni carnalibus deſideriis, 1. Pet.2,11. aut falſa doctrina faſcinati ſunt, ſicut Galatæ, c. 3.v.1.

2. *Incircumciſa labia*, de quibus Moſes conqueritur, Exod.6,12.

Hoc

Digitized by Google

Hoc de illis intelligendum eſt, qui nomen Dei, Chriſti ſanguinem, paſſionem, mortem & Sacramenta blaſphemant: Ut & de convitiatoribus & calumniatoribus, qui proximum contumeliis laceſſunt, & de eo detrectant, tanquam de malefactore, 1 Pet. 2,12. Hos Dominus odit, & deteſtatur, Prov. 6, v. 16. 19.

3. *Incircumciſa audiendi organa.* De his queritur Jeremias, c. 6, 10. & Stephanus, Act. 7, 51. Huc illi pertinent, qui verbum Dei ſuperficiarie audientes terrenas cogitationes in mente volvunt, quando in æde ſacra verbo Dei intenti eſſe debent, & cum Dema hoc ſeculum diligunt, 2. Tim. 4. v. 10. & ita naufragium ſalutis faciunt, 1. Tim. 1. v. 19. Aliorum membrorum eadem ratio eſt: ideo accurate proba te, & quando deprehendis, quod in veteri anno, incircumciſi cordis, labiorum, aurium, manuumq; & pedum incircum ciſorum miniſterio abuſus es, memineris velim, hodie diem circumciſionis eſſe *Cultro* itaque *legis* circumcidimini Domino h. e. quieſcite agere perverſe, & diſcite benefacere, Eſa. 1. v. 17. Sic Deus, cum novo hoc anno gratiam ſuam renovabit, & tandem in cœleſti Hieruſalem ad verum Jubilæum nos deducet, ubi cum viginti quatuor ſenioribus canticũ novum cantabimus, Apoc. 5, 9. In tanta gloria quam oculus non vidit, auris non audivit, 1. Cor. 2. v. 9.

II. *Temporis obſervationem.* Circumciſus enim eſt Servator, præciſe die octavo, ſicut Deus mandaverat Gen. 17, 12.

Hic probent ſe Chriſtiani parentes, utrum infantes ſuos vanæ oſtentationis & pompæ ergo, ultra juſtum tempus non baptizatos reliquerint?

In Eccleſia primitiva, quotannis bis duntaxat baptizare conſueverunt, nempe in paſchatos & pentecoſtes feſto, ex hac ratione, quia Petrus in prima pentecoſte, circiter tria millia animarum bapt zaverat, Act. 2. v. 41.

Alii infantes ante diem octavum, ſicut nec in V. Teſt. ante diem illum circumciſi ſunt, non baptizandos eſſe, autumarunt. Utrumque ſcripturæ repugnat. Periculum enim hic in mora eſt. Facile quippe fieri poteſt, ut infantulus morte abripiatur: quod ſi igitur ſine baptiſmo id fiat, parentibus ideo ratio reddenda erit. Hinc olim in peculiari concilio à 66 Epiſcopis ex verbo Dei decretum eſt, quod baptiſmus non ad diem octavum differri, ſed poſt ipſam navitatem, infanti impertiri debeat, ex hac cauſa, quod nulli hominum nato miſericordia Dei & gratia deneganda ſit. Atqui Baptiſmus medium illud eſt, quod Deus ad regenerationem ordinavit, hoc igitur qui aſpernatur, ſpernit conſilium Dei adverſus ſeipſum, Luc. 7. v. 30.

Parentes igitur hac in parte, quod ſui officii eſt, facere, & infantes ſuos quamprimum fieri poteſt, baptiſmo initiari curent, ſic bonum opus fecerunt, nec incommode ſaluti ſuorum conſuluerunt. Perſtat enim effatum Chriſti: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur, Marc. 16, 16.

III. *Nominis impoſitionem,* quod eſt nomen Jeſu: nomen ſuper omne nomen, in quo omne genu flectatur, Phil. 2, 9. Judæis enim uſitatum fuit, ut in Circumciſione infantes ſuos nominibus inſignirent, ſicut hiſtoria Baptiſtæ probat, Luc. 1, 59.

Quia igitur Baptiſmus in locum circumciſionis ſucceſſit, Col. 2, 11. laudabilis ſane mos eſt, quod in baptiſmo infantibus no-

Digitized by Google

mina imponuntur, quibus per omnem vitam fœderis commonefiunt, quod cum Deo inierunt, quod alias ſtipulatio bonæ conſcientiæ dicitur, 1.Pet.3,21.

Hic probent ſe Chriſtiani parentes, utrum infantibus ſuis Chriſtiana nomina impoſuerint, vel nominibus Patriarcharum & Apoſtolorum abuſi, iisdem canes & feles vel alia id generis bruta denominaverint?

Nomen dicitur quaſi novimen, ut per illud natura hominis & indoles innoteſcat.

Id patet in Abrahamo, cujus nomen Deus immutat, ut non amplius Abram, quod interpretatur, pater excelſus: ſed Abraham, h.e. pater populorum vocari debeat, Gen.17.v.5. Ad eundem modum dixit Deus ad Jacobum: Nequaquam Jacob deinceps appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael: quia luctatus es cum Deo, & cum hominibus, & prævaluiſti, Gen. 32. v.26.

Quandocunq; igitur nomina Sanctorum beſtiis, utpote canibus, felibus aliisque applicantur, hoc ipſum non modo in contumeliam Sanctorum: ſed Dei ipſius vergit, cujus gratia & miſericordia eſt in ſanctis ejus & inſpectio in electis ejus, Sap.3. 9.

Imprimis vero *Chriſtiani parentes* id operam dare debent, ut *infantibus ſuis, tanquam à Chriſtianis prognatis, & Chriſto inſertis, nomina quoque Chriſtiana imponant*, quorum occaſione ſalutariter admoneri, & bonis moribus inſtrui poſſint.

Qui nomen *Johannis* obtinet, hoc ipſo gratiæ recordari debet, qua ſe Deus in baptiſmo gratioſum reddidit, Tit.3.5.

Qui *Petrus* vocatur, hinc diſcere debet, quod in fide bene fundatus, & ut petra immobilis perſiſtere debeat, ne circumferatur omni vento doctrinæ, Eph. 4. v.14.

Et ut de fœmineo quoq; ſexu dicamus: Quæ *Mariæ* nomine inſignita eſt, ut veſtigiis B.Mariæ inſiſtat, ejusque pietatem, caſtitatem modeſtiam, aliasque virtutes imitetur, curare debet.

Cui *Catharinæ* nomen eſt, ut opere ipſo id oſtendat, & ab omni inquinamento carnis & ſpiritus munda ſit, 2.Cor.7,1.

Hæc & ſimilia nomina ſalutares admonitiones ſuppeditant, & à Deo digna reputantur, quæ in librum vitæ inſcribantur: & quando illi, qui iisdem ornati ſunt, vita ſua illis reſpondent, Deus aliis novis nominibus eos appellabit, quæ nemo ſciet, niſi qui acceperit, Apoc. 2. v.17. Ut non amplius Benoni, filii dolorum, ſed Benjamin, filii dextræ vocari debeant, & hæreditario accipere, paratum ſibi regnum à conſtitutione mundi, Matth.25,34.

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alteram partem*, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti*, meditaturi. Hic nobis contemplandus proponitur:

I. *Tanquam legis conſummator*. Propterea enim ille circumciſus eſt, ut hinc colligere debeamus, cum in finem ſe veniſſe in mundum, ut totam legem implere velit. Qui enim circũciditur, debitor eſt univerſæ legis faciendæ, Gal.5,3. Atqui Chriſtus circumcidi voluit, non neceſſitate adactus: ſed ultro, ratione noſtri, ideoque hoc ipſo obligavit ſe, noſtri loco legem implere, ut ipſe ait: Nolite putare, quoniam venerim ſolvere legem aut Prophetas Non veni ſolvere, ſed adimplere, Matth.5,17.

Hoc magno nobis ſolatio eſt. Propter peccata omnes maledictione onerabamur, juxta illud, Deut.27.v.ult. Quis non hic exhorre-

horreſceret? Nonne Cain adeo percuſſus eſt, à Deo maledictione oneratus, ut dixerit: Major eſt iniquitas mea, quam ut remittatur? Gen. 4. v. 13. Idem nobis evenire debuit. Verum Chriſtus interpoſuit ſe, & exſolvit, quæ non rapuit, Pſalm. 69. v. 5. Jam Pauli illud locum habet: Non ſub lege eſtis, ſed ſub gratia, Rom. 6, 14. Rom. 5. v. 18. Die noviſſimo nos Chriſtus à dextris ſuis ſiſtet, amice compellabit, dicens: Venite Benedicti Patris mei, hæreditario accipite, paratum vobis regnum à conſtitutione mundi, Matth. 25. v. 34.

Ecce! hoc Chriſtus nobis acquiſivit. Si ſoli nobis relicti fuiſſemus, æterna maledictio nos obruiſſet. Non enim erat, qui faceret bonum; non erat, usque ad unum, Rom. 3, 12. ideoque impoſſibile nobis erat legem implere: ſed potius jugum erat, quod neque nos neque patres noſtri portare poteramus, Act. 15. v. 12. Sed quia Chriſtus propter nos legi ſe ſubjecit, ideo à plenitudine ejus accipere poſſumus gratiam pro gratia, Joh 1, 16. Qui enim in eum credit, juſtus eſt, Rom. 10. v. 4.

II. *Tanquam futuræ redemtionis ſubarrhator.* Mercator candidus, ait Chryſoſtomus: quando nundinas accedit, ut ab aliis mercatoribus pretioſas merces coemat, primo illis arrham dat, poſtmodum, priusquam ex urbe decedat, totum debitum exſolvit.

Ad eundem modum Chriſtus genus humanum, quod ſub poteſtate tenebrarum captivum tenebatur, Col. 1, 13. tanquam ſpiritualis mercator, florenis ſuis aureo-ſanguineis redimere voluit, ideo patri ſuo cœleſti auctoramentum confert, nempe guttas ſanguineas, quas in circumciſione profudit: Alteram penſionem præſtitit in horto oliveti, ubi ſudorem ſanguineum emiſit, Luc. 22, 44. Et in prætorio Pilati, ubi flagellatus & ſpinis coronatus eſt, Joh. 19, 1. Donec tandem in ligno crucis ultimam penſionem perſolvit, & alta voce clamavit, Conſummatum eſt, Joh. 19, 30.

Nos hinc efficaci ſolatio perfundimur. Cum angelus percutiens in Ægypto omne primogenitum percuteret, ab homine usq; ad pecus, Iſraelitæ agnum paſchalem mactare, ejus ſanguinem in mundo vaſculo excipere, eoque utrumque poſtem in ſuperliminaribus domorum inungere tenebantur: hoc ipſo angelus percuſſor deterritus eſt, ne damnum iis intulerit, Exod. 12. v. 5. & ſeqq.

Nos etiam *Paſcha habemus, quod eſt Chriſtus* pro nobis immolatus, 1. Cor. 5, 7. quando itaque limen cordis noſtri in vera fide ſanguine ejus conſpergimus, angelum percuſſorem præterire oportet, juxta illud Damiani: *Terretur adverſarius veſter diabolus, cum videt Chriſti rubentia.* Nemo proinde in peccatis ſuis deſperare, ſed ad ſcaturigines Chriſti ſanguineas ſe recipere debet, cum Bernhardo dicens: *In cruore tuo lotum, me commendo tibi totum.* Et iterum: *Turbabor, ſed non perturbabor, quia vulnerum Chriſti recordabor.* Vel, ut Eccleſia canit:

Torquebor à probris meis,
Cor conſcium dolebo:
Aſt ſint arenæ quot maris,
Peſſum tamen nec ibo;
Mortis recordabor tuæ,
Et vulnerum cum ſanguine,
Securus hîc latebo.

Mein Sünd mich werden kräncken ſehr /
Mein Gwiſſen wird mich nagen /
Denn ihr ſind viel wie Sand am Meer /
Doch wil ich nicht verzagen.

Gedenck'n wil ich an deinen Tod/
HErr Jeſu/deine Wunden roth /
Die werden mich erhalten.

Vere enim dicit B. Hieronymus : *Sanguis Chriſti eſt clavis Paradiſi.* Qui hoc per fidem inſtructus eſt, is hic fortiter pugnare,& per mortem in vitam perrumpere poteſt , ſicut Stephanus cœlos apertos vidit , & per Chriſti majeſtatem in perſecutione ſua efficaciter confirmatus eſt , Actor. 7. verſ. 56.

III. *Tanquam anni Coronator* ,qui annum coronat benignitate ſua , ut David ait, Pſal. 65,12. Ideo nomen Jeſu, ſive dies Circumciſionis Chriſti principem locum tenet in Calendario, quia nomen hoc ſuaviſſimum in Circumciſione accepit , Luc. 2, 21. Ita quaſi coronam anno imponit :

1. *In Eccleſiaſticis*, quod attinet beneficia ſpiritualia, de quibus toto anno in Eccleſia prædicatur. *Primo loco ponitur ſanctiſſima ejus conceptio*: Deinde *ſalutifera ejus incarnatio & nativitas* ſequitur. Tertio, *Circumciſio*, cui noſtri cauſa ſe ſubjecit. Quarto, *Baptiſmus*, quo Jordanem,& omnes alias aquas ſanctificavit, ut nobis mediante verbo inſerviant, ad ſalutarem peccatorum ablutionem,& regenerationem in vitam æternam. Quinto, *prona ipſius obedientia* , qua patri obediens fuit usque ad mortem, mortem autem crucis, Phil. 2, 8. Sexto *Sepulturæ ejus*, qua lectum quaſi noſtrum fovit, ut ſepulchra non amplius ſint, *cadaverum ſtabula*: ſed *viventium dormitoria*, in quibus illi qui in Domino moriuntur, placide requieſcunt à laboribus ſuis, usque ad diem noviſſimum, Apoc. 14. v. 13. Septimo, *deſcenſus ejus ad inferos*, ubi captivam cepit captivitatem, Pſal. 68, 19. & exſpolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter palam , triumphans illos in ſeipſo, Col. 2, 15. Octavo, *glorioſa ejus reſurrectio* , qua deſtruxit mortem , illuminavit autem vitam & incorruptionem per Evangelium, 2. Tim. 1, 10. Nono *triumphans ejus aſcenſio*, qua nobis viam ſtravit,& manſionem paravit in domo Patris ſui, ut ubi ipſe eſt,& nos ſimus, & claritatem videamus, quam ipſi pater dedit, Joh. 17, 24. Decimo , *exaltatio ad dextram Dei Patris in cœlo*, ubi jam eſt,& interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 34.

Si hæc beneficia ſervatoris noſtri nobis ad animum revocamus, & devote conſideramus, uti q; elegantem coronam habemus, quæ per totum annum ſe extendit, ut ſit verus ἐνιαυτὸς , ſicut Græci annum exprimunt, ubi ſemper unum alterum excipit, & ubi ad finem pervenimus, denuo rurſus incipimus, ſicut in corona neque principium, neque finis apparet, hinc David : Ut ſcuto bonæ voluntatis coronaſti nos, Pſal. 5. v. ult.

2. *In Politicis*, quod corporalia bona concernit. Sicut enim lunam fecit in tempora: & ſol cognovit occaſum ſuum, Pſal. 104. v. 19. Sic etiam dona & bona ſua per totum annum ex ordine diſtribuit , iisque implet omne animal beneplacito , Pſal. 145. v. 16. Quod facile ex inductione patet ?

Sicut igitur corona ex variis floribus contexitur: Sic Deus annum, in duodecim menſes diſtributum , variis beneficiis, quæ ſingulis menſibus recentia ſunt, exornavit :

Terram coronavit bonis,
Ut frugibus ſit fertilis,
Montes rigat cum vallibus,
Gramen parando pecoribus :
Et terra panem ſuggerit,
Vinumque large ſuppetit,
Quantum cuique ſufficit.

Re-

Digitized by Google

Redundat unda piſcibus,
Sic conſulit defectibus,
Excluſa ut ova conſpicis
Pullis volucrum veſceris:
Sic eſculenta ſumimus,
Boum ſuûmq; carnibus,
Oveſq; largitur Deus.

Gott hat die Erde zugericht/
Läſts an Nahrung mangeln nicht/
Berg und Thal die macht er naß/
Daß dem Vieh auch wächſt ſein Graß:
Auß der Erden Wein und Brod/
Schaffet Gott und gibts uns ſatt/
Daß der Menſch ſein Leben hat.
Das Waſſer das muß geben Fiſch/
Die läſt Gott tragen zu Tiſch/
Eyer von Vögeln eingelegt/
Werden Junge darauß geheckt:
Müſſen der Menſchen Speiſe ſeyn/
Hirſche/Schafe/Rinder/Schwein/
Schaffet Gott/und gibts allein.

Nonne hæc præclara corona eſt, quâ Servator noſter annum coronat, dum non modò panem & vinum, & quæ ulterius vitæ corporali inſerviunt, è terra educit, Pſal. 104.v.15. ſed benedicit quoque nos omni benedictione ſpirituali, in cœleſtibus, Eph. 1,3. hæc duplicia illa ſunt, quæ de manu Domini ſuſcepimus, Eſa. 40.v.2.

Hæc poſtquam ita ad mentem mihi revocavi, nihil melius, ſalutarius nihil reperire potui, quod vobis *ſtrenæ loco* offerrē, quàm dulciſſimum nomen Jeſu, quod Servatori noſtro in circumciſione datum eſt, non ex parentum arbitrio, ſed mandato Dei, quod jam ante nativitatem per Archangelum Gabriel, & Joſepho & Mariæ indicatum erat, Matth. 1.v.21. Luc. 1.v.31.

De hoc nomine ait Ambroſius: *Omnia Jeſus nobis eſt.* Quod ſi igitur omnia eſt, pro ſtrenâ quoque nobis inſervire poterit. Optimum namque quod in corde meo habeo, eſt Nomen Jeſu.

Nomen Jeſu ſtrena veſtra ſit, vos Chriſtiani Magiſtratus! Dominus enim, qui hoc nomen gerit, eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium, Apoc. 19.v.16. cujus beneficio omnes Magnates terreni imperant, Prov. 8.v.15.16. Quod ſi igitur vita vobis acerba redditur, ut cum Moſe mortem ideò accerſatis, Num. 11.v.14. Solatium capite ex nomine Jeſu, hic inter alia vocatur conſiliarius, Eſa. 9.v.6. quod ſi igitur teſtimonia ejus conſiliarii veſtri erunt, Pſ. 119.v.24. ſalutare vobis conſilium non deerit, mirabile enim facit conſilium, & magnificat ſapientiam. Eſa. 28.v.ult.

Nomen Jeſu ſtrena veſtra ſit vos cives & ſubditi. Dominus enim, qui hoc nomine appellatur, etiam in Capernaum civis fuit, ideoq; pro ſe & Petro didrachmam ſolvit. Matth. 17.v.ult. Ita & vos date, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo, Matt. 22,21. Si tempora difficiliora ſunt, nolite deſperare, facilè ille media, quibus indigetis procurare poteſt, ſicut ſibi & Petro proſpexit, Matth. 17.v.ult. Dilectis enim ſuis dat in ſomnis, Pſal. 127.v. 3.

Nomen Jeſu ſtrena veſtra ſit vos dilectiſſimi Auditores! Hic enim Dominus habet clavem David, Apoc. 3.7. & aperire poteſt ſenſum, Luc. 24,45. & corda aperire, Act. 15,14. ut verbum ejus fructum ferat in patientia, Luc. 8,15. Quod ſi igitur in hoc nomine templum frequentatis, in hoc nomine oratis, in hoc cantatis, & conciones auditis, omnia vobis in ſalutē cedent, ſalvabit enim verbum hoc animas veſtras, Jac. 1.v.21.

Digitized by Google

Nomen Jeſu ſtrena veſtra ſit vos Chriſtiani parentes! Qui enim hoc nomen profitetur, vocatur pater æternitatis, Eſa.9.v.6. ideò educate liberos veſtros, in diſciplinâ & admonitione Domini, & vobis quoque pater erit, ſiquidem ex eo omnis paternitas, Eph.3. v. 15.

Nomen Jeſu ſtrena veſtra ſit vos filii! Qui enim hoc nomen fert, noſtri quoque cauſa puerulus factus, & parentibus ſuis ſubditus fuit, quod ſi idem feceritis, benedictio Domini ſequetur vos, & creſcetis ſapientiâ, ætate & gratiâ apud Deum & homines, Luc.2.v.51.52.

Nomen Jeſu ſtrena veſtra ſit, vos Mechanici! Qui enim hoc nomen obtinet, filius eſt fabri, quin & ipſe ob operam parenti putativo præſtitam faber appellatur, Marc. 6.v.3. quodcunque in vocatione veſtra facitis, cum Jeſu facite, ſic labores manuum veſtrarum manducabitis, beati eſtis, & bene vobis erit, Pſal.128.v.2.

Nomen Jeſu ſtrena veſtra ſit vos ſervi & ancillæ! Cui enim hoc nomen eſt, non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, Matth. 20. v. 28. & ſervus factus eſt, Eſa. 53. v. 11. Eſtote modò fideles ſuper pauca, quæ vobis demandavit, & conſtituet vos ſuper multa, Matth.25 v.21. 1.Cor.7.v.22.

Nomen Jeſu ſtrena veſtra ſit vos inopes & opulenti! Scimus enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, 2.Cor.8.v.9. Quodſi itaq; pauperie laboratis, reſpicite Dominum veſtrum, qui non habuit, ubi caput ſuum reclinaverit, Matth.8.v.20. Sin divites: rivuli veſtri in plateas deriventur, neceſſitatibus ſanctorum communicantes, Rom.12.v.18. 1.Tim.6.v.18. Mutuò enim dat Domino, qui miſeretur pauperis, Prov.19.v.17.

Nomen Ieſu ſtrena veſtra ſit, vos ægroti & valentes! Dominus enim, qui hoc nomen uſurpat, eſt dux vitæ, Act.3.v.14. & virtus ejus in infirmitate perficitur, 2.Cor.12,9.

Nomen Ieſu ſtrena veſtra ſit, vos tentati! Dominus enim, qui hoc nomine vocatur, tentatus eſt, ſicuti nos in omnibus, excepto peccato, in quo igitur paſſus eſt ipſe tentatus, potens eſt eis, qui tentantur, auxiliari, Hebr.2.v.ult.

Nomen Ieſu ſtrena veſtra ſit vos moribundi! Cui enim hoc nomen inditum, mortem quoque ſuſtinuit, eaque mortem fidelium dulcoravit, ut jam non amplius mors ſed placidus ſomnus ſit, Joh.11.v.11. qui in hoc nomine placidè obdormit, in pace abit, uti Simeon, Luc.2.v.29. & requieſcit in pace, Eſa.56.v.ult. Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur, Apoc.14.v.13.

Poſtremò, ſicuti hic recens natus, hodie circumciſus Virginis filius, delineatur ſicut lapis, in quo *ſeptem oculi* ſunt, Zach.3.v.9. Ita divinæ ejus providentiæ commendabimus, totum Chriſtianum orbem, & in ſpecie civitatem noſtram. *Uno oculo reſpicere velit eccleſiam noſtram*, & verbum ſuum conſervare, ut inveniamus illud, factum eſt enim nobis in gaudium & lætitiam cordis noſtri, Jer.15.v.16. *Secundo, curiam noſtram,* ut judicium & juſtitia vigeat, in laudem bonorum, & vindictam malorum, Rom. 13. v. 3. 4. *Tertio, ſcholam noſtram* & tam docentes quàm diſcentes ſpiritu ſuo ſancto inſtruere, quò utrinque quod rectum eſt fiat, & hoc modo cœlum locupletetur, Eſa.51. v.16. *Quarto oculo intueri velit commercia & opificia noſtra*, quo illa viciſſim incrementa capiant, noſq; re ipsâ comperiamus, quod Deus ait: Reddam vobis annos, quos comedit locuſta, Joel.2.v.25. *Quinto oculo reſpicere dignetur egenos noſtros*, usque panem

nem quotidianum largiri, ne deficiant in hac miſeriarum valle. Verè enim pauper ubique jacet, Prov. 19. v. 4. ſed Deus non eſt perſonarum acceptor, Act. 10. v. 25. *Sexto oculo contemplari dignetur civitatem noſtram*, eamque aliis gratiæ ſuæ obumbrare, donec veniamus in eam civitatem, ubi abundantia gaudiorum, Pſal. 16. v. ult. *Septimo oculo intentus eſſe velit in domeſticos fidei*, qui perſecutione urgentur, ut ſi exulatum abire cogantur, ſolatio ſuo eos reficere, & aliam manſionem ipſis procurare velit, juxta promiſſionem ſuam, Joh. 14, 2.

Hoc ita votum meum eſt, hæc ardens precatio! O pater omnium credentium exaudi me! O Chriſte, Servator mundi annue precationi meæ! O Spiritus ſancte, afflictorum conſolator! Verte omnia noſtra triſtia in gaudia: Da nobis in hoc novo anno, nova corda, quæ te venerentur; novas aures, quæ te audiant; novas linguas, quæ te celebrent; novos oculos, qui te reſpiciant; novas manus, quæ egenis diſtribuant, novos pedes, qui in mandatis tuis ambulent: Sic veritatem laudabimus, bonitatem prædicabimus, miſericordiam celebrabimus, nunc & in ſecula, Amen, Amen.

In die Feſto Epiphanias Domini.

Evangelium, Matth. 2. v. 1. -- 12.

EXORDIUM.

CUm Ezechias Rex ad mortem periculosè ægrotaſſet, & Deus ad libitum ejus *Solem decem lineis retrorſum reverti* feciſſet, ut ille hinc certior redderetur, quod reconvaleſceret, & ad quindecim annos vita ejus prorogari deberet: Rex Babylonis miſit legatos ſuos ad eum, ut *interrogarent de portento, quod acciderat ſuper terram*, 2. Chron. 32. v. 31.

Nos omnes, Dilecti! per triſtem Protoplaſtorum lapſum, in eam infirmitatem incideramus, ut à planta pedis uſque ad verticem, non eſſet in nobis integrum quiddam, Eſa. 1. v. 6. Verùm ex indebitâ caritate & miſericordiâ, æternus Dei filius, in medio ſe ſtitit, & tanquam Sol juſtitiæ, decem lineis retroceſſit, dum ærumnoſus hominis filius factus eſt, qui aliàs ab æterno magnus Deus, Tit. 2. v. 13. quem cœli cœlorum capere non poſſunt, 1. Reg. 8. v. 27.

Id Eccleſia hoc tempore prædicat, quando ita canit:

Qui clauditur nullo ambitu,
Matris quieſcit in ſinu:
Factus puellus parvulus,
Qui cuncta ſervat maximus.
Inops ſalutat orbitam,
Ut largiatur gratiam,
In arce ditet ætheris,
Æquans beatis Angelis.
Hæc cuncta nobis præſtitit,
Dilectio quò certa ſit:
Lætetur hinc Eccleſia,
Laudes canens in ſecula.

Den

Digitized by Google

Den aller Welt Kreiß nie beſchloß/
Der ligt in Marien Schoß/
Er iſt ein Kindlein worden klein/
Der alle Ding erhält allein.
Er iſt auff Erden kommen arm/
Daß er unſer ſich erbarm/
Und in dem Himmel machet reich/
Und ſeinen lieben Engeln gleich.
Das hat er alles uns gethan/
Sein groß Lieb zu zeigen an/
Deß freu ſich alle Chriſtenheit/
Und danck Jhm deß in Ewigkeit.

Hoc tale miraculum, quale ab exordio mundi non factum eſt: ideò non modò angeli deſiderant in illud proſpicere, 1. Petr. 1. v. 12. ſed Magi quoq; ex Oriente Hieroſolymam venerunt, quæſitum, quomodo nativitas illa comparata eſſet, quid ſtella nova portenderet, quam aliàs, tanquam Aſtronomiæ peritiſſimi, nunquam conſpexerant. Ubi eſt, ajunt, qui natus eſt, Rex Judæorum? Vidimus ejus ſtellam in Oriente: & venimus, adorare eum.

Nos rem ipſam accuratius expenſuri ad ipſam Evangelii tractationem conferemus, meditaturi ex eodem:

I Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J.J.

Exegeſis.

DE Jeſulo recens nato prædictum eſt, quod futurus ſit, *deſiderium omnium gentium*, Hagg. 2. v. 8.

Hoc eventus probavit in prælecto Evangelio, ubi Magi ex Oriente, ſtellâ excitati, Hieroſolymam acceſſerunt, non modò Jeſulum recens natum inquirentes: verùm ubi illum Bethlehemi invenerunt, apertis theſauris ſuis, illi etiam offerentes aurum, thus & myrrham, ſicut in Hiſtoriâ ipsâ indicatur.

In *notitia noſtra* hîc inſtruemur, quando conſiderabimus:

I. *Stellæ ortum*, ubi eſt, inquiunt Magi, qui natus eſt Rex Judæorum? Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.

Qualis hæc ſtella fuerit, non convenit inter Autores.

Nonnulli *Angelum* fuiſſe cenſuerunt, quem Deus ſub formâ ſtellæ Magis adjunxerit, ut illis viam monſtraret Bethlehemū, ubi recens natus Rex Judæorum, quem quærebant, inveniendus erat.

Alii *Spiritum ſanctum* fuiſſe autumant, qui ſe ita Magis in forma ſtellæ manifeſtaverit, ſicut poſtea ad Jordanem, cum Chriſtus baptizaretur, in forma columbæ, & in feſto Pentecoſtes lingvis igneis apparuit.

Chryſoſtomus in hac ſtellâ *formoſum puerulum*, cujus caput cruce inſignitum fuerit, depictum fuiſſe autumat, qui adeò coruſcaverit, ut ſine ſtupore ſpectari non potuerit.

Nos omnia hæc loco ſuo relinquentes, literæ inhæremus, ubi Evangeliſta perſpicuè *ſtellam fuiſſe* enunciat, & quidem *ſtellam ejus*, intellige recens nati Jeſuli, quæ incarnationem & nativitatem ejus gentilibus manifeſtare debuit, ut dudum ante Bileam prædixerat, Num. 24. v. 17.

Hæc Jacobi ſtella nemo alius eſt, quam Servator noſter pientiſſimus Jeſus Chriſtus: ideoque Deus cœleſtis pater nativitatem ejus per novam ſtellam ſignificare voluit, quo & ethnici ſcirent, eum jam natum eſſe, qui eſt ſtellarum Dominus, numerans multitudinem ſtellarum, & omnibus ejus nomina vocans, Pſal. 145. v. 6.

Ex

Ex ethnicis quidam in eâ opinione fuerunt, quemlibet hominem peculiarem ſuam ſtellam habere, à qua ſors ejus dependeat: ſicut adhuc hodie Aſtronomi ſive Aſtrologi quidam inveniuntur, qui ex poſitu Aſtrorum, hominis fata præſagire volunt.

Hæc examines velim te, mi Chriſtiane! utrum & ipſe curioſitate ejusmodi infatuatus, Aſtronomis, qui quotannis Prognoſticis ſuis ultra limites excurrunt, fidem adhibueris?

Hâc in parte ſubindè peccatur. Quando verbi Præcones homines ad pœnitentiam vocant, & ex ore Domini dicunt, nî reſipiſcant, fore, ut deſtruat, ut eradicet, & diſperdat Deus gentem & regnum, Jerem. 18. v. 7. tùm queri illi tenentur: Quis credit auditui noſtro? Eſa. 53. v. 1. ſive cum Davide: Quis agnoſcit iræ tuæ gravitatem? Pſal. 90. v. 11. Sed Aſtrologis illis facillimè fides adhibetur, qui tamen fundamento adeò lubrico innituntur, ut Deus ipſe illis illudat, Eſa. 47. v. 13. Moſes, qui hiſtoriam creationis conſignavit, & inter alia quoque cœli & ſtellarum mentionem facit, non videtur ire in eorum opinionem, Gen. 1. v. 14. Inſuper proprietas Dei eſt, futura præſcire & prædicare, quod ſibi homo arrogare non debet. Vide Eſa. 41. v. 21. Eſa. 44. v. 24.

Propterea *veri Chriſtiani magis Deum, quam aſtra reſpicere debent*, & cavere. ne ab ejusmodi vanis Aſtrologis palpum ſibi obtrudi ſinant.

Arioli ſanè in ſcripturâ in tenui pretio habentur, utpote quos Deus in populo ſuo eſſe noluit. Vir, ſive mulier, in quibus pythonicus vel divinationis fuerit ſpiritus, morte moriantur; lapidibus obruent eos, ſanguis eorum ſit ſuper illos, Quin & qui illis communicavit, ſimili pœnâ affectus fuit. Levit. 20. v. 6. 27.

II. *Magorum adventus.* Quamprimùm enim illi in regione ſuâ novam ſtellam conſpexerunt, itineri ſe accinxerunt, & longum iter expedierunt, nempe ducenta & triginta milliaria, ut nonnulli volunt, donec venerunt Hieroſolymam, ubi ſedes Regum fuit, nec dubitant, quin ibi Meſſiam quoque inventuri ſint. Verum enim verò nemo quicquam de eo novit, quin Herodes id audiens, turbatus eſt: & omnis Hieroſolyma cum illo.

Quinam hi Magi fuerint, & quomodo ad cognitionem hanc venerint, de eo in Evangelio nihil memoratur, niſi quod novam ſtellam viderint in Oriente, ex quâ, tanquam periti Aſtronomi, collegerunt, novi quid eandem portendere. Quia verò, poſtquam Hieroſolymam acceſſerunt, dicunt: Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum? Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente: & venimus adorare eum: hinc colligere facilè poſſumus, quod iisdem promiſſio de Meſſia quodammodo nota fuerit: ſiquidem eo tempore, cum Judæi in captivitatem Babylonicam abducerentur, in quâ ſeptuaginta annos degebant, inter alios Prophetas & Daniel prodiit, qui hanc doctrinam non modo oretenus tradidit, ſed & in ſcriptis reliquit, ut non dubitandum, quin ſcripta ejus in Academia, quæ Suſis fuit, aſſervata fuerint.

Huc acceſſit, quod *Rex Ægypti, Ptolomeus Philadelphus ſacra Biblia ex Hebræo in Græcum transferri curaverit*, quò & Ethnici ſcripturam legere, & ex ea ad ſalutem ſe informare poſſent, quale exemplum in Camerario Reginæ Candaces habemus, Act. 8. v. 26.

Mmm *Hæc*

Hæc & alia ejusmodi adjumento ipſis fuerunt, ut ex nova ſtella, *novum Judæorum regem natum eſſe*, colligere potuerint. Imprimis vero *Spiritum Sanctum ipſos intrinſeca revelatione, & illuminatione adjuvaſſe*, veroſimile eſt, alias vix fieri potuiſſet, ut ex ſolius ſtellæ aſpectu ad hanc cognitionem pervenerint.

Hic teipſum in examen voca, mi Chriſtiane! utrum & ipſe tanto ſtudio, recens natum Judæorum Regem inquiſiveris, & ſtellam verbi ejus ſequutus fueris?

Inveniuntur, qui *ſumtuoſas peregrinationes* ſuſcipiunt, eum in finem, ut regiones conſpiciant, & varios populorum mores, & quod in civitatibus rarum eſt obſervent: quod quidem adeo culpabile non eſt: qui enim in terram alienarum gentium pertranſivit, bona & mala in omnibus tentavit, Sir. 39. v. 5. Verum, *præcipua cura noſtra hæc eſſe debet, ut cum Magis ex Oriente Chriſtum inquiramus, eundemq; in Bethlehem quæramus*, h. e. in Eccleſia, ubi nobis ſtella verbi divini prælucet, & viam monſtrat, cui inſiſtere debemus, Pſal. 73. v. 25 26.

Nos natura ſedebamus in tenebris & umbra mortis, Matth. 4. v. 16. & omnes quaſi oves erravimus, unusquisque in viam ſuam declinavit, Eſa. 53, 16. Sed ex Dei indebito amore & miſericordia *nova ſtella* nobis refulſit, quæ eſt verbum ejus ſalvificum, *ſtella lucens*, eſt enim lucerna pedibus noſtris, & lumen ſemitis noſtris, Pſal. 119, 105. cui recte facimus attendentes, 2. Pet. 1. v. 19. *ſtella ducens* nos ad Chriſtum, ſcripturæ enim ſunt, quæ teſtimonium perhibent de eo, Joh. 5. v. 39. *ſtella docens*, quomodo recte credere, pie vivere, patienter ſuſtinere, & beati mori poſſimus. Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, Mich. 6, 8.

Cum Magis igitur prælucente ſtella hac *quæramus Chriſtum*:

1. *Deſideranter.* Magi longam migrationem fecerunt, nempe ducenta & triginta milliaria, nullisque ſumptibus pepercerunt, dum Jeſulum recens natum invenerint.

Nos tanto itinere emetiendo opus non habemus, ſed præ foribus in verbo & ſacramentis, quibus ſe involvit, cum invenire poſſumus. Ideo lætemur cum Davide, in domum Domini ire, Pſ. 122. v. 1. Exod. 20, 24.

2. *Conſtanter.* Magis Hieroſolymam aſcendentibus, & recens natum Judæorum regem indagantibus, nemo quicquam de eo ſcivit, ut facile hinc offendiculum capere & ex propoſito deturbari potuiſſent. Attamen recolligunt ſe, & ulterius pergunt, donec puerulum inveniant. Pari modo *nec nos in via fidei, devotionis & pœnitentiæ nos remorari patiamur*, ſed ſemper progrediamur, dum bravium apprehendamus, Phil. 3, 14. Qui enim perſeveraverit usque ad finem ſalvus erit, Matth. 10, 22.

3. *Exultanter.* Stella, quam Magi in Oriente viderant, aliquantiſper ex oculis eorum ſe ſubduxit: tandem vero apparuit iis rurſus, hinc gaviſi ſunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus; Ita & nos in Jeſulo recens nato, delectationem noſtram habeamus: Omnia enim nobis JESUS eſt:

Nî natus hic infantus,
Fuiſſet orbis perditus,
Eſt hæc ſalus cunctorum.

Wär uns das Kindlein nicht gebohrn/
So wärn wir allzumal verlohrn/
Das Heyl iſt unſer aller.

III *Herodis dolum.* Quamvis enim ille valde turbaretur per has novellas, quod novus Rex naſcendus foret: attamen dolum ſupprimens, congregatis omnibus principibus Sacerdotum, & Scribis populi, ſciſcitabatur ab eis, ubi Chriſtus naſceretur: Et certior hac de re factus, clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis. Tandem mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero: cum inveneritis, annunciate mihi · ut ego veniens, adorem eum:

Hac in parte Herodes imago eſt omnium hypocritarum, de quibus Regius Pſaltes ait: Blandiores ſunt ore ſuo, quam butyrum, Pſal.55.v.22.

Hic teipſum inſpice, annon & ipſe præſtigiis ejusmodi uſus, exterius ſanctitatem prætuleris, interius vero in corde, Chriſtum ejusq; membra odio habueris & perſecutus fueris?

Herodes Magis verbis oſtendebat, ſe adoraturum eſſe Jeſulum recens natum: at in corde gladium jam acuerat, & perimere illum cogitabat. O quot adhuc hodie inveniuntur illorum, tam in ſtatu eccleſiaſtico, quam Politico, qui *veſtigiis Herodis inſiſtentes*, flos Chriſtianorum videri volunt, interea tamen varias technas machinantur, adverſus Chriſtum, ejusque membra, & inique agendo ſeſe fatigant, Jer.9,5. Eo quoq; Chriſtus collineat, clamans: Væ vobis Scribæ, & Phariſæi &c. Matth.23.v.27. & ſeqq.

Ejusmodi *hypocriſis* non modo in *Papatu inter Religioſos* invaluit, qui exterius miram ſanctitatem oſtentant, cum tamen ſint & maneant inimici crucis Chriſti: Sed & inter *Magnates Politicos* occurrunt, quæ magnam devotionem promittunt, quaſi Chriſtum adorare velint: ſed ſub hoc prætextu, ferrum acuunt, & ubi Chriſtianum è medio tollere poſſunt, putant ſe gratum Deo præſtare cultum, Joh.16,2.

Hoc Dei juſtum judicium eſt, qui ejusmodi homines faſcinat, ut credant mendacio, qui ante veritati non crediderunt, 2. Theſſ.2,11. & malum manuum ſuarum dicant bonum, Mich.7,3 perinde ſicut Judæi noluerunt prætorium ingredi, ne pollurentur, ſed agnum paſchalem comedere poſſent: quibus tamen nulla religio fuit, innocentem Servatorem trucidare. Hinc Theophylactus: *O amentiam! occidentes hominem nefarie non arbitrantur ſe pollui, in prætorium vero intrantes, pollutionem metuunt.*

Veri Chriſtiani cane & angue pejus hypocriſin fugiant. *Quid prodeſt meretrici, ſi nomen habet caſtum? Ita nihil prodeſt peccatori, ſi ſervus Dei dicatur?* ait Chryſoſtomus.

Quid prodeſt Bileamo, quod Propheta fuerit, Num.24.v.1. Quid Sauli, quod cum Prophetis Domini prophetavit? 1.Sam.10. v.11. Quid Judam juvat, quod Apoſtolus, & diſcipulus Chriſti fuerit? Joh.18.v.2. Ita hypocritas parum juvabit quod exterius ut angeli lucis appareant, qui tamen interius multo deformiores ſunt diabolo, probat enim Dominus cor noſtrum & examinat, Pſal.17.v.3. Die noviſſimo hypocritas ejusmodi manifeſtos faciet, ſeparaturus oves ab hædis, Matth.25.v.31. ut videre poſſimus, quid ſit inter juſtum & impium, Mal.3. v. ult.

De Secundo.

PRogrediemur nunc ad *alteram partem*, Χριςογνωσίαν, ſive *notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti* contemplaturi. Hic nobis commendatur.

I. *Tanquam gentium illuminator.* Ante enim non erant ex hoc ovili, Joh.10.v.16. ſed alienati à Republicâ Iſraël, & hoſpites teſtamentorum promiſſionis, Eph.2.v.12. ſed ex indebitâ gratiâ & miſericordiâ Deus in Sion electum & pretioſum lapidem angularem poſuit, 1.Petr. 2.v.6. qui medium parietem maceriæ ſolvens, ex Judæis & ethnicis unum fecit, Eph.2.v.14. Hic recens natus Rex Judæorum eſt, qui propterea duobus inſignitus eſt nominibus, & vocatur Hebraicè Jeſus, h. e. Salvator, ut indicetur, eſſe Salvatorem Judæorum, ex quibus natus eſt quoad carnem, Rom 1.v.3. Græcè verò χριςὸς, h. e. unctus, ut oſtendatur, eſſe quoque eundem Servatorem Græcorum ſive ethnicorum. Parum eſt, ait Deus, ut ſis mihi ſervus, ad ſuſcitandas tribus Jacob, & deſolationes Iſraël convertendas, Eſa. 49.v. 6.

Cape hinc ſolatium, mi Chriſtiane! Niſi *gratioſa hæc ſtella orta fuiſſet*, in tenebris & umbrâ mortis manſiſſes, quin & in peccatis periiſſes. Verum Servator tuus à poteſtate tenebrarum te redemit, & idoneum fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine, Col.1. v.12. ut jam ſis civis ſanctorum, & domeſticus Dei, Eph.2.v.19. pertinens ad genus electum, regale ſacerdotium, gentem ſanctam, 1. Petr. 2. v. 9.

Quodſi igitur peccata tua te conturbant, quid turbaberis? Chriſtus propter peccatores in mundum venit, 1.Tim.1.v.15.

Quodſi anguſtiis immerſus es: conſtat tibi. Chriſtum te ad regnum ſuum vocaſſe, ut quidem communicare paſſionibus ejus debeas: ſed & in revelatione gloriæ ejus gaudio exultes, 1.Petr.4.v.13.

Quodſi vita cum morte tibi commutanda: hæc ſtella prælucere tibi poteſt per tenebroſam mortis vallem, in cœleſtem patriam. Nemo enim noſtrûm ſibi vivit, & nemo ſibi moritur, Rom.14.v.7.

Sed & opera danda eſt, ut *dignè vivamus vocatione noſtrâ*: Satis eſt enim nobis, quòd anteacto vitæ tempore, voluntatem gentium patraverimus, 1.Petr.4.v.2.

In janua Academiæ Athenienſis olim hæc inſcriptio exſtitit: *Arbor es, ô homo, ſi ſylveſtris time, ſi campeſtris fuge, ſi hortenſis gaude!* quo ipſo Præceptores diſcipulos ſuos inſtruere voluerunt, ut moribus ruſticanis valedicentes, virtutem & bonas artes imbiberent, & earum fructus in vita oſtenderent.

Nos antehac in Gentiliſmo itidem arbor ſylveſtris fuimus, ſed Dei gratia, in bonam olivam Chriſtum Jeſum inſerti ſumus, Rom.11. v. 24. ideò officii noſtri erit, meliores & utiliores fructus ferre, quàm antea tulimus, aliàs Dominus, quando die noviſſimo quæret, nec inveniet, maledictione nos perdet, ut ficum illam, Matt. 21. v. 19.

Ah, quomodo illi aliquando conſiſtent, qui jam in ethnicis peccatis ſe volutare pergunt, poſtquam eos Chriſtus vocavit de tenebris in admirabile lumen ſuum, 1.Petr. 2. v. 9. Sanè indigni ſunt Chriſtianorum nomine, & pœna eorum aliquando eò gravior erit, Luc.12.v.4.7.

II. *Tanquam promiſſus Salvator.* Etſi non ille ipſe, quem Deus Judæis mittendum

pra-

promiſerat,imprimis , quando apud Jeremiam dixit: Ecce,dies veniunt , dicit Dominus: & ſuſcitabo David germen juſtum. Jer.23.v.5.6. Hic Rex ex Bethlehem oriundus erat , ut Micha aliquot ante ſecula prædixerat,Mich.5,2.

Hoc ita impletum eſt in prælecto Evangelio. Ubi princeps Sacerdotum,& Scribæ populi,ab Herode conſulti , ubi Chriſtus naſceretur,dixerunt ei : In Bethlehem Judææ. Ibidem quoque magi eum inventum, muneribus ſuis honoraverunt.

Non vero arbitremur, quod propter Judæos tantum hoc nomen gerat , quia è genere eorum ortus eſt: ſed & ſpiritualium Iſraelitarum Rex & Salvator eſt. Non enim qui in manifeſto Judæus eſt: neque quæ in manifeſto , in carne , eſt circumciſio: ſed qui in abſcondito Judæus eſt,Rom. 2.v.28.

Hoc non ſine ſolatio eſt.

In hoc mundo , multæ tribulationes juſtorum,Pſal.34,20. Quilibet dicit: pone in terram corpus tuum,& in plateas tranſeuntibus,Eſa.51.v.ult. Grex enim puſillus ſumus, Luc.12.v.32.quibus identidem exprobratur: Ubi Deus eſt tuus? Pſal.42,4. Sed eſtote bono animo,Dilecti! Vita noſtra abſcondita eſt,cum Chriſto in Deo. Cum autem Chriſtus apparuerit,vita noſtra,tunc & nos apparebimus cum ipſo in gloria, Col.3. v.34 & Regem videbimus in decore ſuo, cum admiratione cordis noſtri,Eſa.33,17.

Interea *veneremur ipſum*, cum Paulo dicentes: Regi ſeculorum immortali, inviſibili, ſoli ſapienti Deo,honor & gloria,in ſecula ſeculorum, Amen,1.Tim.1,17.

Diligamus eum. Si quis enim non amat Dominum Jeſum noſtrum , ſit anathema Maharem-atha,1.Cor.16,22.

Vereamur eundem. Timor enim Domini expellit peccatum,Sir.1.v.26.27.

Imprimis vero elegans hoc Epitheton , quod Jeſulo applicatur,dum *Rex recens natus* dicitur,in nobis *novam obedientiam excitare debet*,ut ex reverentia erga eum , in novitate vitæ ambulemus,Rom.6.v.5.& novum hominem induamus , qui ſecundum Deum creatus eſt , in juſtitia & ſanctitate, Eph.4.v.24.ſimul quoque mandatum novum obſervantes, diligamus nos invicem , ſicut ille nos dilexit,Joh.13.v.34. Sic miſerationes ejus erunt diluculo novæ, Thren.3.v.23. & in cœleſti Hieruſalem omnia faciet nova, Apoc.21,5. ut non amplius ploremus aut lamentemur,ut in hoc mundo, Joh.16.v.20. Sed cum viginti quatuor ſenioribus canticum novum cantemus , Apoc.5.v.8. quæ vox erit exultationis & ſalutis in tabernaculis juſtorum,Pſal.118.v.15. Abſorpta eſt mors in victoriam,1.Cor.15.v.55.57.

III. *Tanquam ſomniorum dictator.* Hic audimus, quod magis in ſomnis mandaverit,ne redirent ad Herodem, quod & fecerunt. Per aliam namque viam reverſi ſunt in regionem ſuam.

Somniorum tria potiſſimum *ſunt genera.*

1. *Somnia naturalia*, quæ à cauſis naturalibus originem habent , quicquid enim interdiu meditaris, loqueris vel facis, id plerumque noctu ſeſe viciſſim offert, idque juxta complexionem hominis. Alia ſomnia enim melancholicis, alia Cholericis , alia Phlegmaticis,& alia Sanguinolentis ſeſe offerunt. Ejusmodi ſomniis non multum tribuendum eſt,Sir.34,1.2.

2 *Somnia diabolica*, per quæ homines ſeducit,aut ad idololatriam,aut ad alia nefaria peccata & flagitia. Sacerdotes gentilium exuviis mactatorum animalium ſeſe involven-

ventes corā altari proſtrati jacuerunt. Inter Judæos quoque Pſeudopro-phetæ erant qui ſomnia ſua, pro verbo Dei venditarunt, de quibus conqueritur Jeremias, c. 23, 25. ſimiliter & Judas Apoſtolus inſomniis de luſorum mentionem facit, v. 8. Quo Thomas Muntzerus referendus eſt, qui iisdem non parum tribuit, teſte Sleidano.

Verum per hujusmodi ſomnia non modo falſa doctrina introducitur, & confirmatur: ſed & id diabolus iisdem ſæpe efficit, ut peccatum originale victoriam obtineat adverſus hominem interiorem, quod ſine hoc medio efficere non potuiſſet, ut ſi quis in ſomnis blaſphemet, maledicat, occidat, ſcortetur, & alia nefanda agat, quæ non ſine peccato ſunt, ſi cum conſenſu & delectatione fiant. Corpus enim modo dormit, anima vero ſemper vigilat. & mediante phantaſia piis quoque ejusmodi ſomnia conciliat, reſpectu quorum cauſam habent, à Deo remiſſionem peccatorum petendi, Pſal. 32. v. 6.

3. *Somnia divina*, quæ olim familiaria valde fuerunt, utpote per quæ Deus Patriarchis & Prophetis ſe multifariam manifeſtavit, Gen 15. v. 12. c. 38, 12. Exod. 33, 11. Num. 12, 6. Et huc quoque referendum eſt, quod Evangeliſta de Magis in oriente dicit, quod accepto reſponſo in ſomnis à Deo inſtructi ſunt, ne redirent ad Herodem: ſed per aliam viam reverterentur in regionem ſuam.

Hodie *hujusmodi ſomniis non amplius fidendum eſt*, præſertim ſi illud quod ſignificant, manifeſte Deo verbo adverſetur. Poſtquam enim Deus in V. T. multifariam, multisque modis per ſomnia quoque & viſiones ſe manifeſtavit, in diebus his noviſſimis, locutus eſt nobis in filio, Heb. 1, 1. In hoc unice acquieſcere debemus, quem videlicet nobis cœleſtis Pater apprime commendat, Matth. 3. v. ult. c. 17, 5.

Hinc B. Lutherus in Comm. ſuper Geneſin, ſe pactum cum Deo iniiſſe ſcribit, ne per viſiones, ſomnia aut Angelos ſecum [illegible]gat: ſed omnino ſe in ſacra ſcriptura acquieſcere, utpote ex qua ſufficienter, ad hanc & futuram vitam inſtruatur.

Sic nos totos ad legem & teſtimonium componamus, Eſa. 8, 19. quod ſi enim [illegible] ſapientia dormitum eamus, non pave[illegible] à repentino terrore, & à devaſtatione [illegible]orum, Prov. 3, 24. ſin autem quandoque ſomniis Melancholicis infeſtemur, exemplo Abrahæ ſolari nos poterimus, quem ſ[illegible]ter horror magnus & tenebroſus inv[illegible], Gen. 15, 12. *Eventus Deo commendan[illegible] eſt*, cujus dextræ mutatio, Pſal. 77, 11. D[illegible] diligentibus omnia in bonum cooperab[illegible]tur, Rom. 8, 28. Tempore ſuo Domin[illegible] ſepulchrum, tanquam dormitorium noſtrum nos cubitum deducet, ubi nullis amplius ſomniis inquietabimur, ſed requ[illegible]mus ab omnibus laboribus noſtris, A[illegible] 14, 13. Die vero noviſſimo, quando tuba Archangeli reſonabit, læti revigilabimus ad cœleſte gaudium, 1. Cor. 2, 9. Tunc e[illegible] quaſi ſomniantes, quorum os replebitur [illegible]ſu, & lingua exultatione, Pſ. 126, 1. 2. F[illegible] per Chriſtum, Dominum & Servatorem noſtrum, Amen.

In die Feſto Converſionis Pauli.

Textus extat, Act. 9. v. 1. -- 22.

EXORDIUM.

CUm Balaam filius Beor, in via eſſet, ad placitum regis Balac Iſraelitis maledicturus, Angelus Domini evaginato gladio ei reſiſtebat, & ita labia ejus dirigebat, ut *loco maledictionis, benedictione* illos afficere teneretur, Num. 22. & 23.

Hanc hiſtoriam ad propoſitum noſtrum applicabimus.

Novi Chriſtiani in Damaſco erant *ſpiritualis Iſrael Dei*, Gal 6, 15 quos in peculium ſibi elegerat, 1. Pet. 2, 9, ut Palæſtinam cœleſtem occuparent, nempe regnum paratum a conſtitutione mundi, Matth. 25. v. 34.

Id *Infernali Balac* non arriſit: ideo Saulum ablegavit, ut non modo malediceret illis: ſed & quoscunque inveniſſet hujus viæ viros & mulieres prehenderet, & vinctos perduceret in Hieruſalem. Hoc tanto zelo egit, ut continuo cum nonnullis ſibi ſimilibus in viam ſe dederit, adeo *ſpirans minarum & cædis*, quaſi uno impetu omnes deglutire vellet.

Sed Dominus conſilium ejus ſanguinarium inhibuit. Sicut enim Angelus Domini Balaam ſtricto gladio reſtitit: Ita Chriſtus fideles ſuos reſpiciens, fulgure ipſum de cœlo proſtravit iter facientem, ut cor ejus hoc ipſo immutatum, & *loco maledictionis benedictionem* relinquere ille coactus fuerit. Hoc eſt, Chriſtianis Damaſcenis non modo vim non intulit: ſed & ipſe Chriſtianus factus, Jeſum Nazarenum, quem ante convitiatus & perſecutus fuerat, publice confeſſus eſt, tanto cum zelo & ſucceſſu, ut Judæos Damaſci habitantes, valide convicerit, & ex ſcriptura probarit, illum eſſe promiſſum mundi Meſſiam & Salvatorem, uti pluribus ex prælecto textu audiemus.

Nos ad illum ipſum ſine ulteriori praeloquio accedemus pro inſtituti ratione contemplaturi:

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

QUod Patriarcha Jacobus, de filio ſuo natu minimo Benjamin dixit, quod lupus rapax ſit, mane comeſſurus prædam, & veſpere diviſurus ſpolia, Gen. 49, 27. Id B. Lutherus in Commentario ſuper Geneſin explicat de Apoſtolo Paulo, qui è tribu Benjamin ortus fuit, ut ipſe confitetur, Rom. 11. verſ. 1. & *mane*, h. e. ſub initium oviculas Chriſti perſequutus eſt, diſperſit & trucidavit: *veſpere* vero, hoc eſt, poſt converſionem ſuam, diviſit ſpolia, & tam verbis, quam literis Evangelium de Chriſto crucifixo propagavit, & abundantius cæteris omnibus laboravit, 1. Corinth. 15. verſ. 10. ideo de adoleſcentulo Benjamin dicitur, quod regnet inter Reges exercituum, Pſal. 68. v. 28.

Ανθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri* docet nos:

1. *Sauli machinatio.* Odio enim acerbiſſimo ardebat in Chriſtianos, ideoque à Pontificibus Hieroſolymitanis *Inquiſitor* conſtitutus, Damaſcum profecturus erat, quæ civitas quadraginta milliaribus diſtabat Hieroſolymis, & procul dubio ibidem Eccleſia non contemnenda collecta fuit; hæc quia ſummis ſacerdotibus ſudes in oculis, ideo conſtituerunt, eam plane evertere: ſiquidem epiſtola ejus hoc argumento erat, ut ſi quos inveniſſet hujus vitæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Hieruſalem: Hoc animo quoque, cum comitibus nonnullis in viam ſe dedit, quamvis ignorans & in incredulitate, 1. Tim. 1 14, putabat enim, ſe hoc ipſo cultum Deo gratum præſtiturum eſſe, Joh. 16, 2. ſicut tum temporis doctrina de Chriſto crucifixo, Judæis ſcandalum: gentibus autem ſtultitia fuit, 1. Cor. 1. v. 23.

Hic examines velim te, utrum & ipſe ejusmodi perſecutor fueris, & animum tuum virulentum ullo modo erga proximum tuum oſtenderis, vel minimùm ejusmodi perſecutionis particeps evaſeris?

Equidem inter nos nemo talis videri volet. Si vero cenſuram exercebimus, Saulum plurimos fratres reliquiſſe deprehendemus qui ſpirant minas & cædes in diſcipulos Domini:

1. *Oblique.* Sicut enim diabolus ſerpens directus & tortuoſus eſt, Eſa. 27, 1. ſic & filios incredulitatis impellit, ut inimicitiam ſuam exerant:

I. *Per ſævitiam.* Quando violenter tollunt pelles pauperum deſuper eis, & carnem eorum deſuper oſſium eorum, Mich. 2, v. 2. Thren. 5. v. 8.

Exempla ſunt: Pharao Rex Ægypti, Ex. 1. v. 11. Rehabeam, 1. Reg. 2. v. 11.

Ejusmodi tyranni adhuc hodie occurrunt, qui alieni à miſericordia proverbium tritum verificant: *Homo homini lupus.* Abundat enim iniquitas, & frigeſcit cari[illegible] multorum, Matth. 24, 11.

2. *Per avaritiam*, quorum vox: Af[illegible], Affer, Prov. 30, 15. manus enim eorum porrectæ ſunt ad accipiendum, & ad dandum collectæ, Sir. 4. v. 36. Sicut de Sodomitis ſcriptum eſt, erat illis ſaturitas panis, & ab[illegible]dantia; ſed manum egeno & pauperi [illegible] porrigebant, Ezech. 16. v. 49. Hic loc[illegible] habet illud Auguſtini: *Si non paviſti, occidiſti.* Talis in ſcriptura homo ſanguinis vocatur, Sir. 34. v. 27.

3. *Per injuſtitiam*, quando aut per vim proximo ſuum eripiunt, agros & dom[illegible] quas concupierunt, Mich. 2. verſ. 2. ut viduæ præda illorum ſint, & pupillos diripiant, [illegible] 10, 2. ut Achab vineam Naboth, 1. Reg. [illegible] v. 7. aut variis technis & fraudulentis proximi bonis inſidiantur. Sicut enim cav[illegible] plena avibus: ſic domus eorum plenæ dolo Jer. 5, 27. ad hoc adhibent falſas ulnas m[illegible] ſuras & pondera, imminuentes menſuram & augentes ſiclum, & ſupponentes ſtatera[illegible] doloſas. Ut poſſideant in argento egenos, [illegible] pauperes pro calceamentis, Amos. 8, 5. [illegible]tinent huc *fœneratores*, qui ſub prætex[illegible] amicitiæ, nullum genus quæſtus, aut m[illegible] & evidentis, aut minimi & ſordidi pr[illegible] mittunt, & in deſideriis animæ ſuæ be[illegible] dicunt ſibi, Pſal. 10, 3. quaſi opus illud m[illegible]ricordiæ non ſine commiſeratione exan[illegible]rint.

2. *Directe.* Id præcipue fit per [illegible] Magog, qui uno fere tempore ſurre[illegible] & cædibus ſuis Eccleſiam Chri[illegible]

que-

quiétarunt, videlicet Anti-Chriſtus in occidente,& Mahometh in oriente: ille ſanctitatem præ ſe fert,& habet cornua ſimilia agni,& loquitur,ſicut Draco, Apoc.13. v.11. Hic vero palam nomen Chriſtianum impugnat & perſequitur, ut ſat cauſæ ſit nobis orandi:

Legem Deus ſerva tuam,
Retunde cædem Turcicam,
Papæque,gnatum qui Throno
Dejectum eunt Chriſtum ſuo.

Erhalt uns HErr bey deinem Wort/
Und ſteur des Pabſts und Türcken Mord/
Die JEſum Chriſtum deinen Sohn/
Stürtzen wollen von ſeinem Thron.

Utriusque vox eſt: Venite & diſperdamus eos,ne ſint gens,Pſal.83,5.

Quicunque in ſodalitio horum aliquo fuit,& hoc vel illo modo technis ſanguinariis ſe adſtrinxit,deſinat in poſterum. Viri enim ſanguinum, & doloſi non dimiabunt dies ſuos, Pſal.55. v.24. ſed viciſſim abſumentur à terrore,Pſal.73,19. quin & pars illorum erit in ſtagno,ardenti ſulphure & igne, quod eſt mors ſecunda, Apocal.21. v.8.

II. *Sauli immutatio.* Ex Saulo enim fit Paulus,& qui ante Chriſtum acerrime perſecutus erat, eundem poſtea magno ſtudio confitetur& prædicat. Quærit enim: *Domine quid vis ut faciam?* Duo in hac quæſtione continentur,quæ & nos bene obſervare debemus:

1. *Ut Deum cognoſcamus ratione eſſentiæ,* ſicut ſe in verbo ſuo revelavit. Tres enim ſunt,qui teſtimonium perhibent, 1.Joh.5. v.8. Hoc ſummum myſterium eſt, rationi nullatenus obvium: ideoque ratio nobis captivanda eſt in obſequium Chriſti, 2.Cor. 10.v.6. Quamvis enim jam neſciamus, ſciemus tamen poſtea, Joh.13,7. nempe in vita æterna, ubi evacuabitur quod ex parte eſt, & ſequetur perfectio, 1.Cor.13,9. Jer.31. v.34.

2. *Ut Deum cognoſcamus ratione benevolentiæ.* Propterea ait Saul: Quid vis, ut *faciam?* Hoc apprime neceſſarium eſt: Non enim omnes,qui dicunt Domine,intrabunt in regnum cœlorum, Matth.7.v.21.

Hæc vero voluntas Dei Patris,ut credamus in filium ejus,Joh. 6,40. hæc voluntas ejus,ut diligamus alterutrum, 1. Joh.3.v.23. Hæc quoque voluntas ejus ſanctificatio noſtra,ut abſtineamus nos à fornicatione, 1. Theſſ.4.v.5.

Summa: Quicquid in Decalogo præcepit,id *voluntas ejus immutabilis* eſt, quam ut ſervi morigeri implere tenemur. Hoc ſi fecerimus,viciſſim voluntas ejus eſt, ut nos cuſtodiat velut pupillam oculi, Pſal.17,8. in igne & aqua, & in omnibus adverſitatibus, Eſa.43,2. Quin & ex valle hac lacrymarum transferet nos in cœleſte palatium. Joh.6. v.40.

Hic inſpicias velim te, mi Chriſtiane! utrum & ipſe hoc modo pœnitentiam egeris, & interius immutatus ſis,quando à verbi praconibus admonitus es?

Hoc rarius fit. Plurimi quidem avertetunt ſe & prævaricati ſunt,convertuntur vero in arcum pravum, Pſal. 78,57. aut ut Achab, 1.Reg.21.v.29. aut qui rurſus ad ingenium redeant,velut canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti, 2. Pet.2.v.ult.

In Saulo reperitur

1. *Confeſſio culpæ.* Cum enim Chriſtus

ipſum alloqueretur: Saul, Saul, quid me perſequeris? Ipſe tremens ac ſtupens dixit: *Domine, quid vis me facere?* q.d. ignorans id feci, & grande peccatum commiſi, dum contra membra tua ita ſævii. Id & à nobis fieri debet. Si dixerimus enim, peccatum non habemus &c. 1.Joh. 1,8.

Idem fecerunt, *David*, 2. Sam. 12,13. *Filius perditus*, Luc. 15. v.17. *Publicanus*, Luc. 18. v.14.

Idem nos faciamus, ſi gratiam conſequi velimus: Qui enim abſcondit ſcelera ſua non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, miſericordiam conſequetur, Prov. 28. v.13.

2. *Spes veniæ.* Non enim deſperat in peccatis ſuis, ſed ſpe veniæ orat conſilium à Domino, quomodo conſcientiam ſuam tranquillare poſſit. Non inſcius, quod Deus miſericors, & clemens & patiens, & multæ miſerationis, Exod. 34,6.

Sic *neq; nos deſperemus in peccatis noſtris*: Ubi enim abundavit delictum, ſuperabundat & gratia, Rom. 5. v. ult.

Exempla probant, quod Dominus neminem, qui vera pœnitentia ad eum venit, foras ejiciat, Joh. 6,37.

Intuemini *Protoplaſtos*, Gen. 3,15. *Aaronem*, Exod. 32,23. ſeqq. *Petrum*, Matt. 26. v.75 aliosque plures. qui omnes nefandis peccatis polluti, veniam eorundem conſequuti ſunt.

Sicut igitur Deus cum illis: ſic & cum aliis aget, qui ſeria pœnitentia ad eum redibunt. Oſtendit namque Dominus in illis patientiam ſuam, ad informationem aliorum, 1. Timoth. 1. v.16. hæc enim judicia ejus fuerunt à ſeculo, Pſal. 119. v.52. non defecerunt miſerationes ejus, Thren. 3. v.23.

3. *Emendatio vitæ.* Non enim ſaltem abſtinet à perſecutione, qua Chriſtianos preſſerat: ſed & ipſe fit Chriſtianus, & prædicat in ſynagogis, quod Jeſus Nazarenus ſit filius Dei.

Sic & nos, quando peccato mortui ſumus, vivamus Deo in Chriſto Jeſu, Rom. 6. v.11. Luc. 1. v.74. Hæc enim nova obedientia neceſſario ſequi debet, alias hypocritica converſio eſt. Mundemus igitur nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, 2. Cor. 7. v.1. Sir 21. v.2. & non recordabitur Deus iniquitatum noſtrarum, Ez. 18. v.21.

III. *Sauli perſeveratio.* Simulac enim Ananias eum acceſſit, adeo per afflatum [illegible] confirmatus in fide eſt, ut continuo Baptiſmum ſuſceperit, electum Dei organon factus, qui Chriſti nomen longe lateque gentilibus annunciavit, donec tandem Martyrii coronam reportaverit, qua ipſe ſe ſolatur, quando ad Timotheum ſcribit: Bonum certamen certavi, 2. Tim. 4,7.

Hic perſcrutare te, mi Chriſtiane! an & ipſe ſimili conſtantia Chriſtum confeſſus fueris, vel in poſterum confiteri, in animum induxeris?

Periculoſa equidem jam tempora ſunt, ubi infernalis dæmon valde negotioſus est ad pacem Eccleſiæ turbandam, ut periculum fit, magnam perſecutionem ante finem mundi excitatum iri. Ideo eſt quod Dominum invocemus, ut confirmet nos ſpiritu ſpontaneo, Pſal. 51. v.14. qui nos perficiet, confortet, roboret, fundet, 1. Pet. 5, 10. ne deficiamus tempore tentationis, Luc. 8. v.13. ſed rapinam bonorum noſtrorum cum

cum gaudio ſucipiamus, Heb. 10,33. Qui enim perſeveraverit usque in finem, hic ſalvus erit, Matth. 24,13. Luc. 9,62.

Mævius Centurio Cæſaris Auguſti, cum captivus Antonio adductus, ab eodem interrogaretur; quomodo putaret, ſe cum illo velut hoſte ſuo, acturum eſſe, animoſe reſpondit: *Jugulari me jube, quia nec ſalutis beneficio, nec mortis ſupplicio adduci poſſum, ut Cæſaris miles eſſe deſinam, aut tuus fieri incipiam.*

Nos Chriſtiani itidem ſpirituales milites ſumus, qui ſub vexillo Chriſti adverſus diabolum & ejus ſatellites militamus. Ideoque ut Mævius hic Auguſto: ſic nos Chriſto usque ad mortem fideles ſimus, ſicut in Baptiſmo promiſimus, & dabit nobis coronam vitæ, Apoc. 2,10.

Iſraelitæ carnes Ægyptiacas reſpiciebant, cum jam in via eſſent, Palæſtinam occupaturi: ideo proſtravit eos Deus in deſerto, ut de ſexcentis millibus virorum, nemo niſi Joſua & Caleb ſuperfuerint. Sic Apoſtatarum non pauci inter nos occurrunt, qui ad tempus credunt, fluctuant, & circumferuntur omni vento doctrinæ, Eph. 4. v. 14. His juravit Deus, in ira ſua, ſi introibunt in requiem ſuam, Pſal. 95. v. ult.

Ideo dictum tibi puta: Tene quod habes, Apoc. 3. v. 1. Nam *inter omnes virtutes, ſola perſeverantia coronatur*, Bernhardus. Si autem avertit ſe juſtus a juſtitia ſua, in peccatis ſuis morietur, Ezech. 18. v. 24. Eccleſ. 1. v. 3. Ora igitur ſedulo cum Eccleſia:

Fac me metus non abſtrahat
  Veſana nec voluptas:
Fides nec unquam deſinat,
  Soli tibi poteſtas.

Laß mich kein Luſt noch Furcht von dir/
  In dieſer Welt abwenden /
Beſtändig ſeyn ans End gib mir/
  Du haſts allein in Händen.

Item. Te Chriſte, honoro gratiis,
  Me ſic quod informaveris,
    Per ſanctius verbum:
  Largire mî conſtantiam,
  Ut ne ſalute hac excidam.

Ich danck dir Chriſte Gottes Sohn /
Daß du mich ſolchs haſt erkennen lahn/
  Durch dein göttliches Wort:
Verleih mir auch Beſtändigkeit/
Zu meiner Seelen Seligkeit.

De Secundo.

TRanſibimus nunc *ad alteram partem*, *χριστογνωσίαν*, ſive *notitiam Chriſti*, contemplaturi. Hic nobis commendatur:

I. *Tanquam Eccleſiæ ſuæ propugnator.* Hic audimus, quod Saulum cædes & minas ſpirantem ad rationem revocat, & perſecutionem, qua adverſus Chriſtianos Damaſcenos ſævierat, ſibi ipſi adſcribat, ait enim: *Saul, Saul, quid me perſequeris? Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris: Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.*

Ex hoc apparet, quod omnis injuria, quæ veris Chriſtianis, ratione Evangelii infertur, in Chriſtum ipſum redundet. Eſt enim caput Eccleſiæ ſuæ, Eph. 1,22. Quemadmodum igitur caput dolore afficitur, quãdo membra patiuntur: ſic & anima Chriſti irritata eſt, ſuper miſeria Iſraelis, Jud. 10,16. qui enim fideles ſuos tangit, pupillam oculi tangit, Zach. 2,8. ideoque impunitos illos non dimittet, eſt enim Dominus omnipotens

non ſufficiunt, adhuc ſemel propter te paſſurus ſum.

Ita pientiſſimus Servator adhuc hodie affectus eſt, erga omnes reſipiſcentes peccatores, nec ullum, qui ad eum venit, ejiciet foràs, Joh.6. v.37. Attamen miſericordiâ ejus abuti non debemus: tam citò enim iraſci poteſt, quàm miſereri, Sir.5.v.7.

III. *Tanquã miniſterii legitimator*. Quod ſi Chriſto libitum fuiſſet, facilè Saulo dicere potuiſſet, quid facere deberet, ſiquidem dudum ante varias utiles inſtructiones inculcaverat, Matth.5.v.20. Ipſe quoque eum à peccatis abſolvere potuiſſet, ut Mariam Magdalenam, Luc.7.v.47. & paralyticum abſolverat, Matth.8.v.2.

Verùm quò *autoritatem miniſterio* conciliaret, ablegavit ipſum ad Ananiam, ipſe ei manum imponere, inſtruere, baptiſmo tingere, & in electum Dei organon eum initiare jubetur, ut portare poſſit nomen Chriſti coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël.

Nos hinc agnoſcamus *ſapientiam Dei noſtri*, qui ex ore infantium & lactentium perfecit ſibi robur, Pſal.8.v.3. Hoc Diabolum valdè urit, eſt enim *ſpiritus ſuperbus.* Sed puſillus David tenetur procerum Goliath ſuperare, 1.Sam.17.v.50. ut ſublimitas virtutis ſit Dei, & non ex nobis, 2.Cor.4,7. ſicut Gideon paucis ſuis, iiſque inermibus militibus univerſum Midianitarum exercitum profligavit, Jud.7.v.22.16.

Interim hoc ipſo obedientiam noſtram probare vult, utrum voluntatem ejus hac in re agnoſcere, & præconibus verbi fidelibus ſicut ſibi ipſi reverentiam & obedientiam præſtare velimus. Nullum eſt dubium, quin ſi Deus ipſe in ſuggeſtum adſcenderet & clamaret: Pœnitentiam agite! quilibet exhorreſceret, & ad pœnitentiam maturaret: Leo namque rugivit, quis non timebit? Amos.3.v.8.

Sed ita non eſſet cultus ſpontaneus, quem à nobis requirit, Pſal.110.v.3. Iccirco homines nobis præcones dat, & ſi illos audiamus, quaſi ſeipſum audiviſſemus, id reputabit, Luc.10.v.16. Beatus, qui in deſpecta ſpecie non ſcandalizatur, ſed ad exemplum Galatarum, eos recipit, ut Chriſtum ipſum, Gal.4.v.14. Qui enim vos recipit, me recipit, & qui me recipit, recipit illum, qui miſit me, ait ipſe, Matth.10.v.40.

Copioſa igitur merces manet eos, qui miniſterium reverenter habent, & audiunt, hoc ipſo enim gratum Chriſto, patri ejus cœleſti cultum præſtant, qui ipſos ſuſcepturus eſt in æterna tabernacula, Luc. 16. verſ. 9. & per eorum converſionem gaudium in cœlis coram angelis excitabit, Luc. 15. verſ. 10. Ubi nos ipſi prædicabimus, non verò pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, ut in hoc mundo, Luc. 24.v.47. ſed ſalutem Domini de die in diem, in æternum, Pſal.96.v.2.

Largiatur id nobis Deus ter ſanctus, per Jeſum Chriſtum, Dominum & Salvatorem noſtrum,

Amen.

* * *

In

In die Feſto Purificationis Mariæ.

Evangelium Luc. 2. v. 22. --- 23.

EXORDIUM.

CUm Regum Sapientiſſimus Salomo magnificentiſſimum templum conſummaſſet, *arcam fœderis & omnia vaſa ſanctuarii* inferri curavit, quæ hactenus in tabernaculo conſervata fuerant: & ecce! *nebula implevit domum* Domini, & non poterant ſacerdotes ſtare ad miniſtrandum, propter nebulam: impleverat enim gloria Domini domum Domini, 1. Reg. 8. v. 1. ſeqq.

Hæc magna templi Hieroſolymitani fuit gloria: verùm peccatis ſuis poſtea Iſraëlitæ effecerunt, ut Deus Hieroſolymam cum templo in poteſtatem Babyloniorum tradiderit, qui omnia funditus everterunt, & igne combuſſerunt, ut de priſtinâ magnificentiâ nuda rudera remanſerint. Et licet poſt captivitatem Babylonicam per Zorobabelem ejusq; aſſeclas aliud templum exſtructum fuerit: illud tamen priori adeò diſſimile fuit, ut plurimi, qui viderant templum prius, cum fundatum eſſet, & hoc templum in oculis eorum, fleverint voce magnâ, Eſr. 3. v. 12. Præcipuè verò tempore Chriſti adeò res ceciderat, ut pii ſufficientem cauſam haberent querendi: Signa noſtra non vidimus, jam non eſt amplius Propheta: & non eſt nobiscum, qui ſciat, quousq;, Pſal. 74. v. 9. Ideò ipſe venit, tanquam Dominus templi, Mal. 3. v. 1. facitq; gloriam domus iſtius noviſſimæ majorem, quàm primæ, Hag. 2. v. 10.

Poſt captivitatem Babylonicam non fit mentio in ſcripturis arcæ fœderis, non propterea, quaſi non adfuerit, ſicut Judæi probare volunt, ex cap. 2. libr. 2. Maccab. v. 5. ubi de Jeremiâ dicitur, quod eam in monte Nebo in ſpeluncam abdiderit, & oſtium obſtruxerit. Hoc potius *figmentum Thalmudicum* eſt. Jeremias enim in cuſtodiâ ſuâ manſit, usque ad diem, quo Hieroſolyma occupata fuit, quomodo igitur arcam fœderis è templo aufferre, eandemq; in monte Nebo occultare potuit? Hoc ſanè illi hoſtes non permiſiſſent, Jerem. 38. verſ. 28.

Præterea quoque expreſsè recenſetur, quod Cyrus Judæos è captivitate dimittens, non modò iisdem domum reverti, & urbem cum templo reparare conceſſerit: ſed & omnia vaſa templi, quæ Nabuchodonoſor de Jeruſalem tulerat, iisdem reſtituerit, Eſr. 1. v. 7. Verùm eam ob cauſam, illius mentio nulla fit, quia tempus N. T. propius accedebat, & Meſſiæ adventus inſtabat, qui per arcam fœderis præfiguratus fuit, ſicut audimus in prælecto Evangelio, ubi illum Maria mater ejus in templum defert, veluti vivum illud propitiatorium, quod nobis Deus pater propoſuit, Rom. 3. verſ. 25. ut cum fiducia adire, & miſericordiam conſequi, & gratiam invenire debeamus, in auxilium opportunum, Heb. 4. verſ. 16.

De Secundo.

PRogrediemur nunc ad *alteram partem*, Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Domini noſtri Ieſu Chriſti* contemplaturi. Hic nobis commendatur.

I. *Tanquam gentium illuminator.* Ante enim non erant ex hoc ovili, Joh.10.v.16. ſed alienati à Republicâ Iſraël, & hoſpites teſtamentorum promiſſionis, Eph.2.v.12. ſed ex indebitâ gratiâ & miſericordiâ Deus in Sion electum & pretioſum lapidem angularem poſuit, 1.Petr. 2.v.6. qui medium parietem maceriæ ſolvens, ex Judæis & ethnicis unum fecit, Eph.2.v.14. Hic recens natus Rex Judæorum eſt, qui propterea duobus inſignitus eſt nominibus, & vocatur Hebraicè Jeſus, h. e. Salvator, ut indicetur, eſſe Salvatorem Judæorum, ex quibus natus eſt quoad carnem, Rom 1.v.3. Græcè verò χριστὸς, h. e. unctus, ut oſtendatur, eſſe quoque eundem Servatorem Græcorum ſive ethnicorum. Parum eſt, ait Deus, ut ſis mihi ſervus, ad ſuſcitandas tribus Jacob, & deſolationes Iſraël convertendas, Eſa. 49.v. 6.

Cape hinc ſolatium, mi Chriſtiane! Niſi *gratioſa hæc ſtella orta fuiſſet*, in tenebris & umbrâ mortis manſiſſes, quin & in peccatis periiſſes. Verum Servator tuus à poteſtate tenebrarum te redemit, & idoneum fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine, Col.1. v.12. ut jam ſis civis ſanctorum, & domeſticus Dei, Eph.2.v.19. pertinens ad genus electum, regale ſacerdotium, gentem ſanctam, 1. Petr. 2. v. 9.

Quodſi igitur peccata tua te conturbant, quid turbaberis? Chriſtus propter peccatores in mundum venit, 1.Tim.1.v.15.

Quodſi anguſtiis immerſus es: conſtat tibi, Chriſtum te ad regnum ſuum vocaſſe, ut quidem communicare paſſionibus ejus debeas: ſed & in revelatione gloriæ ejus gaudio exultes, 1.Petr.4.v.13.

Quodſi vita cum morte tibi commutanda, hæc ſtella prælucere tibi poteſt per tenebroſam mortis vallem, in cœleſtem patriam. Nemo enim noſtrûm ſibi vivit, & nemo ſibi moritur, Rom.14.v.7.

Sed & opera danda eſt, ut *dignè vivamus vocatione noſtrâ*: Satis eſt enim nobis, quòd anteacto vitæ tempore, voluntatem gentium patraverimus, 1.Petr.4.v.2.

In janua Academiæ Athenienſis o... hæc inſcriptio exſtitit: *Arbor es, ò homo, ſi ſylveſtris time, ſi campeſtris fuge, ſi hortenſis gaude!* quo ipſo Præceptores diſcipulos ſuos inſtruere voluerunt, ut moribus ruſticanis valedicentes, virtutem & bonas artes imbiberent, & earum fructus in vita oſtenderent.

Nos antehac in Gentiliſmo itidem arbor ſylveſtris fuimus, ſed Dei gratia, in bonam olivam Chriſtum Jeſum inſerti ſumus, Rom. 11. v. 24. ideò officii noſtri erit, meliores & utiliores fructus ferre, quàm antea tulimus, aliàs Dominus, quando die noviſſimo quæret, nec inveniet, maledictione nos perdet, ut ficum illam, Matt. 21. v. 19.

Ah, quomodo illi aliquando conſiſtent, qui jam in ethnicis peccatis ſe volutare pergunt, poſtquam eos Chriſtus vocavit de tenebris in admirabile lumen ſuum, 1.Petr. 2. v. 9. Sanè indigni ſunt Chriſtianorum nomine, & pœna eorum aliquando eò gravior erit, Luc.12.v.47.

II. *Tanquam promiſſus Salvator.* Etſi n... ille ipſe, quem Deus Judæis mittendum

pro-

promiſerat, imprimis, quando apud Jeremiam dixit: Ecce, dies veniunt, dicit Dominus: & ſuſcitabo David germen juſtum. Jer.23.v.5.6. Hic Rex ex Bethlehem oriundus erat, ut Micha aliquot ante ſecula prædixerat, Mich.5,2.

Hoc ita impletum eſt in prælecto Evangelio. Ubi princeps Sacerdotum, & Scribæ populi, ab Herode conſulti, ubi Chriſtus naſceretur, dixerunt ei: In Bethlehem Judææ. Ibidem quoque magi eum inventum, muneribus ſuis honoraverunt.

Non vero arbitremur, quod propter Judæos tantum hoc nomen gerat, quia è gente eorum ortus eſt: ſed & ſpiritualium Iſraelitarum Rex & Salvator eſt. Non enim qui in manifeſto Judæus eſt: neque quæ in manifeſto, in carne, eſt circumciſio: ſed qui in abſcondito Judæus eſt, Rom. 2.v.28.

Hoc non ſine ſolatio eſt.

In hoc mundo, multæ tribulationes juſtorum, Pſal.34,20. Quilibet dicit: pone in terram corpus tuum, & in plateas tranſeuntibus, Eſa.51 v.ult. Grex enim puſillus ſumus, Luc.12.v.32. quibus identidem exprobratur: Ubi Deus eſt tuus? Pſal.42,4. Sed eſtote bono animo, Dilecti! Vita noſtra abſcondita eſt, cum Chriſto in Deo. Cum autem Chriſtus apparuerit, vita noſtra, tunc & nos apparebimus cum ipſo in gloria, Col.3. v.34. & Regem videbimus in decore ſuo, cum admiratione cordis noſtri, Eſa.33,17.

Interea *veneremur ipſum*, cum Paulo dicentes: Regi ſeculorum immortali, inviſibili ſoli ſapienti Deo, honor & gloria, in ſecula ſeculorum, Amen, 1.Tim.1,17.

Diligamus eum. Si quis enim non amat Dominum Jeſum noſtrum, ſit anathema Maharem-atha, 1.Cor.16,22.

Vereamur eundem. Timor enim Domini expellit peccatum, Sir.1.v.26.27.

Imprimis vero elegans hoc Epitheton, quod Jeſulo applicatur, dum *Rex recens natus* dicitur, in nobis *novam obedientiam excitare debet*, ut ex reverentia erga eum, in novitate vitæ ambulemus, Rom.6.v.5. & novum hominem induamus, qui ſecundum Deum creatus eſt, in juſtitia & ſanctitate, Eph.4.v.24. ſimul quoque mandatum novum obſervantes, diligamus nos invicem, ſicut ille nos dilexit, Joh.13.v.34. Sic miſerationes ejus erunt diluculo novæ, Thren.3.v. 23. & in cœleſti Hieruſalem omnia faciet nova, Apoc.21,5. ut non amplius ploremus aut lamentemur, ut in hoc mundo, Joh.16. v.20. Sed cum viginti quatuor ſenioribus canticum novum cantemus, Apoc.5.v.8. quæ vox erit exultationis & ſalutis in tabernaculis juſtorum, Pſal.118.v.15. Abſorpta eſt mors in victoriam, 1.Cor.15.v.55.57.

III. *Tanquam ſomniorum dictator.* Hic audimus, quod magis in ſomnis mandaverit, ne redirent ad Herodem, quod & fecerunt. Per aliam namque viam reverſi ſunt in regionem ſuam.

Somniorum tria potiſſimum *ſunt genera.*

1. *Somnia naturalia*, quæ à cauſis naturalibus originem habent, quicquid enim interdiu meditaris, loqueris vel facis, id plerumque noctu ſeſe viciſſim offert, idque juxta complexionem hominis. Alia ſomnia enim melancholicis, alia Cholericis, alia Phlegmaticis, & alia Sanguinolentis ſeſe offerunt. Ejusmodi ſomniis non multum tribuendum eſt, Sir.34,1.2.

2 *Somnia diabolica*, per quæ homines ſeducit, aut ad idololatriam, aut ad alia nefaria peccata & flagitia. Sacerdotes gentilium exuviis mactatorum animalium ſeſe invol-

ventes corā altari proſtrati jacuerunt. Inter Judæos quoque Pſeudopro-phetæ erant qui ſomnia ſua, pro verbo Dei venditarunt, de quibus conqueritur Jeremias, c. 23, 25. ſimiliter & Judas Apoſtolus inſomniis de luſorum mentionem facit, v. 8. Quo Thomas Muntzerus referendus eſt, qui iisdem non parum tribuit, teſte Sleidano.

Verum per hujusmodi ſomnia non modo falſa doctrina introducitur, & confirmatur: ſed & id diabolus iisdem ſæpe efficit, ut peccatum originale victoriam obtineat adverſus hominem interiorem, quod ſine hoc medio efficere non potuiſſet, ut ſi quis in ſomnis blaſphemet, maledicat, occidat, ſcortetur, & alia nefanda agat, quæ non ſine peccato ſunt, ſi cum conſenſu & delectatione fiant. Corpus enim modo dormit, anima vero ſemper vigilat, & mediante phantaſia piis quoque ejusmodi ſomnia conciliat, reſpectu quorum cauſam habent, à Deo remiſſionem peccatorum petendi, Pſal. 32. v. 6.

3. *Somnia divina*, quæ olim familiaria valde fuerunt, utpote per quæ Deus Patriarchis & Prophetis ſe multifariam manifeſtavit, Gen 25. v. 12. c. 38, 12. Exod. 33, 11. Num. 12, 6. Et huc quoque referendum eſt, quod Evangeliſta de Magis in oriente dicit, quod accepto reſponſo in ſomnis à Deo inſtructi ſunt, ne redirent ad Herodem: ſed per aliam viam reverterentur in regionem ſuam.

Hodie *hujusmodi ſomniis non amplius fidendum eſt*, præſertim ſi illud quod ſignificant, manifeſte Deo verbo adverſetur. Poſtquam enim Deus in V. T. multifariam, multisque modis per ſomnia quoque & viſiones ſe manifeſtavit, in diebus his noviſſimis, locutus eſt nobis in filio, Heb. 1, 1. In hoc unice acquieſcere debemus, quem videlicet nobis cœleſtis Pater apprime commendat, Matth. 3. v. ult. c. 17, 5.

Hinc B. Lutherus in Comm. ſuper Geneſin, ſe pactum cum Deo iniiſſe ſcribit, ne per viſiones, ſomnia aut Angelos ſecum ageat: ſed omnino ſe in ſacra ſcriptura acquieſcere, utpote ex qua ſufficienter, ad hanc, & futuram vitam inſtruatur.

Sic nos totos ad legem & teſtimonium componamus, Eſa. 8, 19. quodſi enim cum ſapientia dormitum eamus, non pavebimus à repentino terrore, & à devaſtatione impiorum, Prov. 3, 24. ſin autem quandoque ſomniis Melancholicis infeſtemur, exemplo Abrahæ ſolari nos poterimus, quem ſimiliter horror magnus & tenebroſus invaſit, Gen. 15, 12. *Eventus Deo commendandus eſt*, cujus dextræ mutatio, Pſal. 77, 11. Deum diligentibus omnia in bonum cooperabuntur, Rom. 8, 28. Tempore ſuo Dominus in ſepulchrum, tanquam dormitorium noſtrum nos cubitum deducet, ubi nullis amplius ſomniis inquietabimur, ſed requieſcemus ab omnibus laboribus noſtris, Apoc. 14, 13. Die vero noviſſimo, quando tuba Archangeli reſonabit, læti revigilabimus ad cœleſte gaudium, 1. Cor. 2, 9. Tunc erimus quaſi ſomniantes, quorum os replebitur riſu, & lingua exultatione, Pſ. 126, 1. 2. Fiat id per Chriſtum, Dominum & Servatorem noſtrum, Amen.

In

In die Feſto Converſionis Pauli.

Textus extat, Act. 9. v. 1. -- 22.

EXORDIUM.

CUm Balaam filius Beor, in via eſſet, ad placitum regis Balac Iſraelitis maledicturus, Angelus Domini evaginato gladio ei reſiſtebat, & ita labia ejus dirigebat, ut *loco maledictionis, benedictione* illos afficere teneretur, Num. 22. & 23.

Hanc hiſtoriam ad propoſitum noſtrum applicabimus.

Novi Chriſtiani in Damaſco erant *ſpiritualis Iſrael Dei*, Gal 6, 15 quos in peculium ſibi elegerat, 1. Pet. 2, 9, ut Palæſtinam cœleſtem occuparent, nempe regnum paratum a conſtitutione mundi, Matth. 25. v. 34.

Id *Infernali Balac* non arriſit: ideo Saulum ablegavit, ut non modo malediceret illis: ſed & quoscunque inveniſſet hujus viæ viros & mulieres prehenderet, & vinctos perduceret in Hieruſalem. Hoc tanto zelo egit, ut continuo cum nonnullis ſibi ſimilibus in viam ſe dederit, adeo *ſpirans minarum & cædis*, quaſi uno impetu omnes deglutire vellet.

Sed Dominus conſilium ejus ſanguinarium inhibuit. Sicut enim Angelus Domini Balaam ſtricto gladio reſtitit: Ita Chriſtus fideles ſuos reſpiciens, fulgure ipſum de cœlo proſtravit iter facientem, ut cor ejus hoc ipſo immutatum, & *loco maledictionis benedictionem* relinquere ille coactus fuerit. Hoc eſt, Chriſtianis Damaſcenis non modo vim non intulit: ſed & ipſe Chriſtianus factus, Jeſum Nazarenum, quem ante convitiatus & perſecutus fuerat, publice confeſſus eſt, tanto cum zelo & ſucceſſu, ut Judæos Damaſci habitantes, valide convicerit, & ex ſcriptura probarit, illum eſſe promiſſum mundi Meſſiam & Salvatorem, uti pluribus ex prælecto textu audiemus.

Nos ad illum ipſum ſine ulteriori præloquio accedemus, pro inſtituti ratione contemplaturi:

I Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*

II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

QUod Patriarcha Jacobus, de filio ſuo natu minimo Benjamin dixit, quod lupus rapax ſit, mane comeſſurus prædam, & veſpere diviſurus ſpolia, Gen. 49, 27. Id B. Lutherus in Commentario ſuper Geneſin explicat de Apoſtolo Paulo, qui è tribu Benjamin ortus fuit, ut ipſe confitetur, Rom. 11. verſ. 1. & *mane*, h. e. ſub initium oviculas Chriſti perſequutus eſt, diſperſit & trucidavit: *veſpere* vero, hoc eſt, poſt converſionem ſuam, diviſit ſpolia, & tam verbis, quam literis Evangelium de Chriſto crucifixo propagavit, & abundantius cæteris omnibus laboravit, 1. Corinth. 15. verſ. 10. ideo de adoleſcentulo Benjamin dicitur, quod regnet inter Reges exercituum, Pſal. 68. v. 28.

Ανθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri* docet nos:

1. *Sauli machinatio.* Odio enim acerbisſimo ardebat in Chriſtianos, ideoque à Pontificibus Hieroſolymitanis *Inquiſitor* conſtitutus, Damaſcum profecturus erat, quæ civitas quadraginta milliaribus diſtabat Hieroſolymis, & procul dubio ibidem Eccleſia non contemnenda collecta fuit; hæc quia ſummis ſacerdotibus ſudes in oculis, ideo conſtituerunt, eam plane evertere: ſiquidem epiſtola ejus hoc argumento erat, ut ſi quos inveniſſet hujus vitæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Hieruſalem: Hoc animo quoque, cum comitibus nonnullis in viam ſe dedit, quamvis ignorans & in incrudelitate, 1. Tim. 1 14,. putabat enim, ſe hoc ipſo cultum Deo gratum præſtiturum eſſe, Joh. 16, 2. ſicut tum temporis doctrina de Chriſto crucifixo, Judæis ſcandalum: gentibus autem ſtultitia fuit, 1. Cor. 1. v. 23.

Hic examines velim te, utrum & ipſe ejusmodi perſecutor fueris, & animum tuum virulentum ullo modo erga proximum tuum oſtenderis, vel minimùm ejusmodi perſecutionis particeps evaſeris?

Equidem inter nos nemo talis videri volet. Si vero cenſuram exercebimus, Saulum plurimos fratres reliquiſſe deprehendemus qui ſpirant minas & cædes in diſcipulos Domini:

1. *Oblique.* Sicut enim diabolus ſerpens directus & tortuoſus eſt, Eſa. 27, 1. ſic & filios incredulitatis impellit, ut inimicitiam ſuam exerant:

I. *Per ſævitiam.* Quando violenter tollunt pelles pauperum deſuper eis, & carnem eorum deſuper oſſium eorum, Mich. 2, v. 2. Thren. 5. v. 8.

Exempla ſunt: Pharao Rex Ægypti, Ex. 1. v. 11. Rehabeam, 1. Reg. 2. v. 11.

Ejusmodi tyranni adhuc hodie occurrunt, qui alieni à miſericordia proverbium tritum verificant: *Homo homini lupus.* Abundat enim iniquitas, & frigeſcit caritas multorum, Matth. 24. 11.

2. *Per avaritiam*, quorum vox: Affer, Affer, Prov. 30, 15. manus enim eorum porrectæ ſunt ad accipiendum, & ad dandum collectæ, Sir. 4. v. 36. Sicut de Sodomitis ſcriptum eſt, erat illis ſaturitas panis, & abundantia; ſed manum egeno & pauperi non porrigebant, Ezech. 16. v. 49. Hic locum habet illud Auguſtini: *Si non paviſti, occidiſti.* Talis in ſcriptura homo ſanguinis vocatur, Sir. 34. v. 27.

3. *Per injuſtitiam*, quando aut per vim proximo ſuum eripiunt, agros & domos, quas concupierunt, Mich. 2. verſ. 2. ut viduæ præda illorum ſint, & pupillos diripiant, Eſ. 10, 2. ut Achab vineam Naboth, 1. Reg. 21. v. 7. aut variis technis & fraudulentis proximi bonis inſidiantur. Sicut enim cavea plena avibus: ſic domus eorum plenæ dolo, Jer. 5, 27. ad hoc adhibent falſas ulnas menſuras & pondera, imminuentes menſuram, & augentes ſiclum, & ſupponentes ſtateras doloſas. Ut poſſideant in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, Amos. 8, 5. Pertinent huc *fœneratores*, qui ſub prætextu amicitiæ, nullum genus quæſtus, aut magni & evidentis, aut minimi & ſordidi prætermittunt, & in deſideriis animæ ſuæ benedicunt ſibi, Pſal. 10, 3. quaſi opus illud miſericordiæ non ſine commiſeratione exantlarint.

2. *Directe.* Id præcipue fit per Gog & Magog, qui uno fere tempore ſurrexerunt, & cædibus ſuis Eccleſiam Chriſti valde inquie-

quietarunt, videlicet Anti-Chriſtus in occidente, & Mahometh in oriente: ille ſanctitatem præ ſe fert, & habet cornua ſimilia agni, & loquitur, ſicut Draco, Apoc. 13. v. 11. hic vero palam nomen Chriſtianum impugnat & perſequitur, ut ſat cauſæ ſit nobis orandi:

Legem Deus ſerva tuam,
Retunde cædem Turcicam,
Papæque, gnatum qui Throno
Dejectum eunt Chriſtum ſuo.

Erhalt uns HErr bey deinem Wort/
Und ſteur des Pabſts und Türcken Mord/
Die Jeſum Chriſtum deinen Sohn/
Stürtzen wollen von ſeinem Thron.

Utriusque vox eſt: Venite & diſperdamus eos, ne ſint gens, Pſal. 83, 5.

Quicunque in ſodalitio horum aliquo fuit, & hoc vel illo modo technis ſanguinariis ſe adſtrinxit, deſinat in poſterum. Viri enim ſanguinum, & doloſi non dimiabunt dies ſuos, Pſal. 55. v. 24. ſed viciſſim abſumentur à terrore, Pſal. 73, 19. quin & pars illorum erit in ſtagno, ardenti ſulphure & igne, quod eſt mors ſecunda, Apocal. 21. v. 8.

II. *Sauli immutatio.* Ex Saulo enim fit Paulus, & qui ante Chriſtum acerrime perſecutus erat, eundem poſtea magno ſtudio confitetur & prædicat. Quærit enim: *Domine quid vis ut faciam?* Duo in hac quæſtione continentur, quæ & nos bene obſervare debemus:

1. *Ut Deum cognoſcamus ratione eſſentiæ,* ſicut ſe in verbo ſuo revelavit. Tres enim ſunt, qui teſtimonium perhibent, 1. Joh. 5. v. 8. Hoc ſummum myſterium eſt, rationi nullatenus obvium: ideoque ratio nobis captivanda eſt in obſequium Chriſti, 2. Cor. 10. v. 6. Quamvis enim jam neſciamus, ſciemus tamen poſtea, Joh. 13, 7. nempe in vita æterna, ubi evacuabitur quod ex parte eſt, & ſequetur perfectio, 1. Cor. 13, 9. Jer. 31. v. 34.

2. *Ut Deum cognoſcamus ratione benevolentiæ.* Propterea ait Saul: Quid vis, ut *faciam?* Hoc apprime neceſſarium eſt: Non enim omnes, qui dicunt Domine, intrabunt in regnum cœlorum, Matth. 7. v. 21.

Hæc vero voluntas Dei Patris, ut credamus in filium ejus, Joh. 6, 40. hæc voluntas ejus, ut diligamus alterutrum, 1. Joh. 3. v. 23. Hæc quoque voluntas ejus ſanctificatio noſtra, ut abſtineamus nos à fornicatione, 1. Theſſ. 4. v. 5.

Summa: Quicquid in Decalogo præcepit, id *voluntas ejus immutabilis* eſt, quam ut ſervi morigeri implere tenemur. Hoc ſi fecerimus, viciſſim voluntas ejus eſt, ut nos cuſtodiat velut pupillam oculi, Pſal. 17, 8. in igne & aqua, & in omnibus adverſitatibus, Eſa. 43, 2. Quin & ex valle hac lacrymarum transferet nos in cœleſte palatium. Joh. 6. v. 40.

Hic inſpicias velim te, mi Chriſtiane! utrum & ipſe hoc modo pœnitentiam egeris, & interius immutatus ſis, quando à verbi præconibus admonitus es?

Hoc rarius fit. Plurimi quidem avertrunt ſe & prævaricati ſunt, convertuntur vero in arcum pravum, Pſal. 78, 57. aut ut Achab, 1. Reg. 21. v. 29. aut qui rurſus ad ingenium redeant, velut canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti, 2. Pet. 2. v. ult.

In Saulo reperitur

1. *Confeſſio culpæ.* Cum enim Chriſtus

Non ipſum

ipſum alloqueretur: Saul, Saul, quid me perſequeris? Ipſe tremens ac ſtupens dixit: *Domine, quid vis me facere?* q.d. ignorans id feci, & grande peccatum commiſi, dum contra membra tua ita ſævii. Id & à nobis fieri debet. Si dixerimus enim, peccatum non habemus &c. 1. Joh. 1, 8.

Idem fecerunt, *David*, 2. Sam. 12, 13. *Filius perditus*, Luc. 15. v. 17. *Publicanus*, Luc. 18. v. 14.

Idem nos faciamus, ſi gratiam conſequi velimus: Qui enim abſcondit ſcelera ſua non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, miſericordiam conſequetur, Prov. 28. v. 13.

2. *Spes veniæ.* Non enim deſperat in peccatis ſuis, ſed ſpe veniæ orat conſilium à Domino, quomodo conſcientiam ſuam tranquillare poſſit. Non inſcius, quod Deus miſericors, & clemens & patiens, & multæ miſerationis, Exod. 34, 6.

Sic *neq; nos deſperemus in peccatis noſtris*: Ubi enim abundavit delictum, ſuperabundat & gratia, Rom. 5. v. ult.

Exempla probant, quod Dominus neminem, qui vera pœnitentia ad eum venit, foras ejiciat, Joh. 6, 37.

Intuemini *Protoplaſtos*, Gen. 3, 15. *Aaronem*, Exod. 32, 23. ſeqq. *Petrum*, Matt. 26. v. 75 aliosque plures, qui omnes nefandis peccatis polluti, veniam eorundem conſequuti ſunt.

Sicut igitur Deus cum illis: ſic & cum aliis aget, qui ſeria pœnitentia ad eum redibunt. Oſtendit namque Dominus in illis patientiam ſuam, ad informationem aliorum, 1. Timoth. 1. v. 16. hæc enim judicia ejus fuerunt à ſeculo, Pſal. 119. v. 52. non defecerunt miſerationes ejus, Thren. 3. v. 23.

3. *Emendatio vitæ.* Non enim ſaltem abſtinet à perſecutione, qua Chriſtianos preſſerat: ſed & ipſe fit Chriſtianus, & prædicat in ſynagogis, quod Jeſus Nazarenus ſit filius Dei.

Sic & nos, quando peccato mortui ſumus, vivamus Deo in Chriſto Jeſu, Rom. 6. v. 11. Luc. 1. v. 74. Hæc enim nova obedientia neceſſario ſequi debet, alias hypocritica converſio eſt. Mundemus igitur nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, 2. Cor. 7. v. 1. Sir. 21. v. 2. & non recordabitur Deus iniquitatum noſtrarum, Ez. 18. v. 21.

III. *Sauli perſeveratio.* Simulac enim Ananias eum acceſſit, adeo per afflatum ... confirmatus in fide eſt, ut continuo Baptiſmum ſuſceperit, electum Dei organon factus, qui Chriſti nomen longe lateque gentilibus annunciavit, donec tandem Martyrii coronam reportaverit, qua ipſe ſe ſolatur quando ad Timotheum ſcribit: Bonum certamen certavi, 2. Tim. 4, 7.

Hic perſcrutare te, mi Chriſtiane! an & ipſe ſimili conſtantia Chriſtum confeſſus fueris, vel in poſterum confiteri, in animum induxeris?

Periculoſa equidem jam tempora ſunt, ubi infernalis dæmon valde negotioſus eſt, ad pacem Eccleſiæ turbandam, ut periculum ſit, magnam perſecutionem ante finem mundi excitatum iri. Ideo eſt quod Dominum invocemus, ut confirmet nos ſpiritu ſpontaneo, Pſal. 51. v. 14. qui nos inſtauret, confortet, roboret, fundet, 1. Pet. 5, 11. ne deficiamus tempore tentationis Luc. 8. v. 13. ſed rapinam bonorum noſtro...

cum gaudio ſucipiamus, Heb. 10, 33. Qui enim perſeveraverit usque in finem, hic ſalvus erit, Matth. 24, 13. Luc. 9, 62.

Mævius Centurio Cæſaris Auguſti, cum captivus Antonio adductus, ab eodem interrogaretur; quomodo putaret, ſe cum illo velut hoſte ſuo, acturum eſſe, animoſe reſpondit: *Jugulari me jube, quia nec ſalutis beneficio, nec mortis ſupplicio adduci poſſum, ut aut Cæſaris miles eſſe deſinam, aut tuus fieri incipiam.*

Nos Chriſtiani itidem ſpirituales milites ſumus, qui ſub vexillo Chriſti adverſus diabolum & ejus ſatellites militamus. Ideoque ut Mævius hic Auguſto: ſic nos Chriſto usque ad mortem fideles ſimus, ſicut in Baptiſmo promiſimus, & dabit nobis coronam vitæ, Apoc. 2, 10.

Iſraelitæ carnes Ægyptiacas reſpiciebant, cum jam in via eſſent, Palæſtinam occupaturi: ideo proſtravit eos Deus in deſerto, ut de ſexcentis millibus virorum, nemo niſi Joſua & Caleb ſuperfuerint. Sic Apoſtatarum non pauci inter nos occurrunt, qui ad tempus credunt, fluctuant, & circumferuntur omni vento doctrinæ, Eph. 4. v. 14. His juravit Deus, in ira ſua, ſi introibunt in requiem ſuam, Pſal. 95. v. ult.

Ideo dictum tibi puta: Tene quod habes, Apoc. 3. v. 1. Nam *inter omnes virtutes, ſola perſeverantia coronatur*, Bernhardus. Si autem avertit ſe juſtus à juſtitia ſua, in peccatis ſuis morietur, Ezech. 18. v. 24 Eccleſ. 1. v. 3. Ora igitur ſedulo cum Eccleſia:

Fac me metus non abſtrahat
Veſana nec voluptas:
Fides nec unquam deſinat,
Soli tibi poteſtas.

Laß mich kein Luſt noch Furcht von dir/
In dieſer Welt abwenden /
Beſtändig ſeyn ans End gib mir/
Du haſts allein in Händen.

Item. Te Chriſte, honoro gratiis,
Me ſic quod informaveris,
Per ſanctius verbum:
Largire mî conſtantiam,
Ut ne ſalute hac excidam.

Ich danck dir Chriſte Gottes Sohn /
Daß du mich ſolchs haſt erkennen lahn/
Durch dein göttliches Wort:
Verleih mir auch Beſtändigkeit/
Zu meiner Seelen Seligkeit.

De Secundo.

TRanſibimus nunc *ad alteram partem*, *χριστογνωσίαν*, ſive *notitiam Chriſti*, contemplaturi. Hic nobis commendatur:

I. *Tanquam Eccleſiæ ſuæ propugnator.* Hic audimus, quod Saulum cædes & minas ſpirantem ad rationem revocat, & perſecutionem, qua adverſus Chriſtianos Damaſcenos ſævierat, ſibi ipſi adſcribat, ait enim: *Saul, Saul, quid me perſequeris? Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris: Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.*

Ex hoc apparet, quod omnis injuria, quæ veris Chriſtianis, ratione Evangelii infertur, in Chriſtum ipſum redundet. Eſt enim caput Eccleſiæ ſuæ, Eph. 1, 22. Quemadmodum igitur caput dolore afficitur, quãdo membra patiuntur: ſic & anima Chriſti irritata eſt, ſuper miſeria Iſraelis, Jud. 10, 16. qui enim fideles ſuos tangit, pupillam oculi tangit, Zach. 2, 8. ideoque impunitos illos non dimittet, eſt enim Dominus omnipotens

Nnn 2 Gen.

Gen.17,1. furor hominum eſt laus ejus, reliquiis furoris accinget ſe, Pſal.76.v.11.

Hoc exempla Pharaonis, Exod.14.v. 28. Hamani, Eſther.7.v.10. Nicanoris, 2. Mac. 14.& 15. cap. aliorumque abunde teſtantur.

Sic omnes tyrannos & Eccleſiæ hoſtes ille profligabit, ut cum fiducia dicere poſſimus: Claſſicum canite populi & vincimini, Eſa.8.v.9.10.

Saulus diplomata ferebat, quæ à Pontificibus & Antiſtitibus Hieroſolymitanis, adverſus diſcipulos Damaſcenos acceperat. Quis eum pro tali in via habuiſſet? Sed Chriſtus id optime vidit, & *ex ungue leonem agnovit*, ideo ait: Saul, Saul, quid me perſequeris?

Adhuc hodie ſubinde accidit, ut hic vel ille diplomata ejusmodi aſtute ſibi conciliet, non vero arbitrantur, easdem à Chriſto Dei & Mariæ filio, jam tum lecta eſſe: & ſicut Dominus eſt ſuper omnia, Act.10. v.36. ſic neque concedet, ut conſilia, quæ hoſtes veritatis adverſus Eccleſiam ſuam conceperunt, in actum deducantur. Diſſipat enim cogitationes aſtutorum, ne poſſint implere manus eorum, quod cœperant, Job.5,12.

Animas itaque veſtras in patientia cuſtodite, Dilecti! utut terra loco ſuo moveretur, & montes in medium mare præcipitarentur, Pſal.46.v.3. Habetis enim *potentiſſimum defenſorem*, Jeſum ipſum, qui non deſeret, neque derelinquet vos, Heb.13. v.5. Ipſe eſt paſtor, vos oviculæ: quî paſtor oves ſuas desereret? Johan. 10. v.12. Ipſe eſt ſponſus, vos ſponſa: quî ſponſus ſponſam negligeret? Oſe.2,19. Ipſe pater-familias eſt, vos domeſtici ejus: quomodo paterfamilias domeſticos ſuos non reſpiceret? Eph. 2,20. Hoc nunquam faciet, nec facere poterit. Sed ut noſtra afflictio ſua afflictio, & noſtra perſecutio ſua ipſius perſecutio eſt: ſic & ejus gloria noſtra quoque gloria erit. Fidelis enim ſermo: ſi commortui fuerimus, & convivemus: ſi ſuſtinemus, & conregnabimus. 2. Tim.2.v.11. Apoc.3.v.21.

II. *Tanquam peccatorum reformator.* Qui facile ex Saulo Paulum, ex inimico amicum, & ex perſecutore concionatorem facere poteſt. Hîc tribus præcipue mediis uſus eſt. Saulum minas & cædes ſpirantem convertit:

1. *Luce*, quæ ſubito de cœlo ſupra ſplendorem Solis eum circumfulſit, ut ipſe coram Agrippa fatetur, Act.26.v.13.

Hoc ipſo Chriſtus Saulo glorioſam ſuam majeſtatem manifeſtavit, qua licet quoad externum viſum occœcatus eſt: attamen interius illuminatur, & mutatur in virum alium, ut de Saule rege dicitur, 1. Sam 10. v. 6. ut à poteſtate tenebrarum liberatus, Luc. 2. v.54. in hac luce Chriſtum viderit, qui eſt vera lux, illuminans omnem hominem, venientem in hunc mundum, Joh.1.v.9.

Hæc beata erat Metamorphoſis. Nam in tenebris ſedenti tenue gaudium eſt, ut Tobias ait, Tob. 5,12. ſed major miſeria eſt, vera Dei cognitione deſtitutum eſſe, ſicut de gentilibus dicitur, quod ſederint in tenebris & umbra mortis, Luc.1,79.

Dum igitur Servator Paulum ex tenebris illis eripuit, & lumine ſuo colluſtravit *nobis quoque gratiæ Deo agendæ ſunt.* Ipſe enim Doctor gentium factus, 1.Tim.2, 7. I[illegible]

nan

nam Evangelii ſuper candelabrum poſuit, Matth. 5. v. 15. ut radios ſuos longe lateq; pergentes diſperſerit, & ab Hieruſalem per circuitum, uſque ad Illyricum repleverit Evangelium Chriſti, Rom. 15. v. 19. ut & nos per lucem Epiſtolarum ejus illuminati, lux facti ſimus in Domino, Eph. 5. v. 8. in quo lumine & nos aliquando ſperamus lumen æternum, Pſal. 36. v. 11. communionem habentes cum patre & filio, 1. Joh. 1. verſ. 6.

2. *Voce. Saul, Saul, quid perſequeris me?* Et quærenti, quis es Domine? reſpondet: Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris; Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Cumq; tremens & ſtupens diceret: Domine, quid vis me facere? Dominus reſpondit ei: Surge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid oporteat te facere.

Hoc verbo Sauli cor percutitur, ut à furore priſtino abſiſtens, ei, quem hactenus perſecutus fuerat, morem gerat.

Adhuc hodie verbum hoc internos ſonat, Verùm multi vim ejus impediunt, reſiſtentes ſpiritui ſancto, Act. 7. v. 54. & dicentes ex Jeremiæ c. 44. v. 16 Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te; Intereà tamen non planè deſperabimus de virtute Dei, nec dubitamus, quin quarta pars ſeminis Divini fructum latura ſit, juxta illud, Eſa. 55. verſ. 10. 11.

3 *Cruce.* Erat enim tribus diebus non videns, & non manducavit, nec bibit. Per hanc miſeriam Deus Saulem afflixit, ut eò ardentius oraverit, & per preces gratiam Dei imploraverit. Afflictio enim dat intellectum, Eſa. 58. v. 19.

Ita tribulatio adhuc hodie efficax ſtimulus eſt ad veram pietatem, nam qui paſſus eſt in carne, deſiit à peccatis, 1. Petr. 4. v. 1. quin & aſſiduus eſt in precibus, & ita rem ſuam inſtituit, quò poſt vitam hanc ſalutis compos evadat.

Nos efficax hinc ſolatium hauriamus, quod Deus perſecutorem hunc adeo gratioſè reſpexerit, & in collegium Apoſtolicum adoptaverit. Et miſerationum ejus nondum finis eſt, ſed ut tum affectus fuit, in peccatores: eodem modo adhuc hodie affectus eſt: non quoque perſonarum acceptor eſt: ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi, Act. 10. v. 35.

Quodſi igitur *peccatorum multitudo* te terret, memento, quod & Paulus blaſphemus, & perſecutor & contumelioſus fuerit, 1. Tim. 1. v. 13.

Si *peccatorum turpitudo* te terret, cogita quod Paulus Chriſtum ipſum perſequutus, manus ſuas ſanguine innocente contaminaverit, quid turpius excogitari poſſit? Si quis enim non amat Dominum Jeſum, ſit Anathema, Maranatha, 1. Cor. 16. v. 23.

Si *peccatorum magnitudo*, memineris quod Paulus primus peccatorum fuerit, 1. Tim. 1. v. 15.

Quodſi igitur Chriſtus Paulum non abjecit, ſed in gratiam recepit, nequet e ille abjiciet, quantus enim eſt ipſe, tanta eſt ejus miſericordia, Sir. 2. v. ult. *Ne deſperate veniam ſcelerum magnitudine, quia magna peccata, magna Deus delebit miſericordia*, ut Hieronymus præclare ait, Pſal. 51. v. 3.

Ignatius ſcribit, quod Chriſtus peccatori deſperabundo apparuerit, eique monſtratis vulneribus ſuis dixerit: eccur cogitationibus ejusmodi nefariis luctaris? Ecce hæc vulnera propter te paſſus ſum, quæ ſi

non ſufficiunt, adhuc ſemel propter te paſſurus ſum.

Ita pientiſſimus Servator adhuc hodie affectus eſt, erga omnes reſipiſcentes peccatores, nec ullum, qui ad eum venit, ejiciet foràs, Joh.6. v.37. Attamen miſericordiâ ejus abuti non debemus: tam citò enim iraſci poteſt, quàm miſereri, Sir.5.v.7.

III. *Tanquã miniſterii legitimator.* Quodſi Chriſto libitum fuiſſet, facilè Saulo dicere potuiſſet, quid facere deberet, ſiquidem dudum ante varias utiles inſtructiones inculcaverat, Matth.5.v.20. Ipſe quoque cum à peccatis abſolvere potuiſſet, ut Mariam Magdalenam, Luc.7.v.47. & paralyticum abſolverat, Matth.8.v.2.

Verùm quò *autoritatem miniſterio* conciliaret, ablegavit ipſum ad Ananiam, ipſe ei manum imponere, inſtruere, baptiſmo tingere, & in electum Dei organon eum initiare jubetur, ut portare poſſit nomen Chriſti, coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël.

Nos hinc agnoſcamus *ſapientiam Dei noſtri*, qui ex ore infantium & lactentium perfecit ſibi robur, Pſal.8.v.3. Hoc Diabolum valdè urit, eſt enim *ſpiritus ſuperbus.* Sed puſillus David tenetur procerum Goliath ſuperare, 1.Sam.17.v.50. ut ſublimitas virtutis ſit Dei, & non ex nobis, 2.Cor.4,7. ſicut Gideon paucis ſuis, iiſque inermibus militibus univerſum Midianitarum exercitum profligavit, Jud.7.v.22.16.

Interim hoc ipſo obedientiam noſtram probare vult, utrum voluntatem ejus hac in re agnoſcere, & præconibus verbi fidelibus ſicut ſibi ipſi reverentiam & obedientiam præſtare velimus. Nullum eſt dubium, quin ſi Deus ipſe in ſuggeſtum adſcenderet & clamaret: Pœnitentiam agite! quilibet exhorreſceret, & ad pœnitentiam maturaret: Leo namque rugivit, quis non timebit? Amos.3.v.8.

Sed ita non eſſet cultus ſpontaneus, quem à nobis requirit, Pſal.110.v.3. Iccirco homines nobis præcones dat, & ſi illos audierimus, quaſi ſeipſum audiviſſemus, id reputabit, Luc.10.v.16. Beatus, qui in deſpecta ſpecie non ſcandalizatur, ſed ad exemplum Galatarum, eos recipit, ut Chriſtum ipſum, Gal.4.v.14. Qui enim vos recipit, me recipit, & qui me recipit, recipit illum, qui miſit me, ait ipſe, Matth.10.v.40.

Copioſa igitur merces manet eos, qui miniſterium reverenter habent, & audiunt, hoc ipſo enim gratum Chriſto, patrique ejus cœleſti cultum præſtant, qui ipſos ſuſcepturus eſt in æterna tabernacula, Luc. 16. verſ. 9. & per eorum converſionem gaudium in cœlis coram angelis excitabunt, Luc. 15. verſ. 10. Ubi nos ipſi prædicabimus, non verò pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, ut in hoc mundo, Luc. 24.v.47. ſed ſalutem Domini de die in diem, in æternum, Pſal.96.v.2.

Largiatur id nobis Deus ter ſanctus, per
Jeſum Chriſtum, Dominum & Salvatorem noſtrum,
Amen.

* * *

I

In die Feſto Purificationis Mariæ.

Evangelium Luc. 2. v. 22. --- 23.

EXORDIUM.

CUm Regum Sapientiſſimus Salomo magnificentiſſimum templum conſummaſſet, *arcam fœderis & omnia vaſa ſanctuarii* inferri curavit, quæ hactenus in tabernaculo conſervata fuerant: & ecce! *nebula implevit domum* Domini, & non poterant ſacerdotes ſtare ad miniſtrandum, propter nebulam: impleverat enim gloria Domini domum Domini, 1. Reg. 8. v. 1. ſeqq.

Hæc magna templi Hieroſolymitani fuit gloria: verùm peccatis ſuis poſtea Iſraëlitæ effecerunt, ut Deus Hieroſolymam cum templo in poteſtatem Babyloniorum tradiderit, qui omnia funditus everterunt, & igne combuſſerunt, ut de priſtinâ magnificentiâ nuda rudera remanſerint. Et licet poſt captivitatem Babylonicam per Zorobabelem ejusq; aſſeclas aliud templum exſtructum fuerit: illud tamen priori adeò diſſimile fuit, ut plurimi, qui viderant templum prius, cum fundatum eſſet, & hoc templum in oculis eorum, fleverint voce magnâ, Eſr. 3. v. 12. Præcipuè verò tempore Chriſti adeò res ceciderat, ut pii ſufficientem cauſam haberent querendi: Signa noſtra non vidimus, jam non eſt amplius Propheta: & non eſt nobiscum, qui ſciat, quousq;, Pſal. 74. v. 9. Ideò ipſe venit, tanquam Dominus templi, Mal. 3. v. 1. facitq; gloriam domus iſtius noviſſimæ majorem, quàm primæ, Hag. 2. v. 10.

Poſt captivitatem Babylonicam non fit mentio in ſcripturis arcæ fœderis, non propterea, quaſi non adfuerit, ſicut Judæi probare volunt, ex cap. 2. libr. 2. Maccab. v. 5. ubi de Jeremiâ dicitur, quod eam in monte Nebo in ſpeluncam abdiderit, & oſtium obſtruxerit. Hoc potius *figmentum Thalmudicum* eſt. Jeremias enim in cuſtodiâ ſuâ manſit, uſque ad diem, quo Hieroſolyma occupata fuit, quomodo igitur arcam fœderis è templo aufferre, eandemq; in monte Nebo occultare potuit? Hoc ſanè illi hoſtes non permiſiſſent, Jerem. 38. verſ. 28.

Præterea quoque expreſsè recenſetur, quod Cyrus Judæos è captivitate dimittens, non modò iisdem domum reverti, & urbem cum templo reparare conceſſerit: ſed & omnia vaſa templi, quæ Nabuchodonoſor de Jeruſalem tulerat, iisdem reſtituerit, Eſr. 1. v. 7. Verùm eam ob cauſam, illius mentio nulla fit, quia tempus N. T. propius accedebat, & Meſſiæ adventus inſtabat, qui per arcam fœderis præfiguratus fuit, ſicut audimus in prælecto Evangelio, ubi illum Maria mater ejus in templum defert, veluti vivum illud propitiatorium, quod nobis Deus pater propoſuit, Rom. 3. verſ. 25. ut cum fiducia adire, & miſericordiam conſequi, & gratiam invenire debeamus, in auxilium opportunum, Heb. 4. verſ. 16.

In poſtremo templo nullum Urim & Thummim amplius erat, quod alias ſummus Sacerdos in pectore portabat, Exod. 28. v. 30. nec legislator ſincerus in Juda amplius erat, Gen. 49. v. 10. Herodes omnes è medio ſuſtulerat, ut ſaltem unicus ille Simeon ſupereſſet, qui expectabat conſolationem Iſrael, ut in Evangelio dicitur:

Ideo præſentatſe hic vera lux mundi, Joh. 1. v. 8. & Archiepiſcopus animarum noſtrarum, 1. Pet. 2. v. ult. & umbra per imaginem ipſam aboletur, Heb. 10. v. 1. Hoc majoris æſtimandum eſt, quam quod nebula impleverit domum Domini, tempore Salomonis, ut ſupra audivimus. Hic enim Deus ſe manifeſtat in carne, 1. Tim. 3. v. ult. ejusmodi Dominus, in quo tota plenitudo Divinitatis habitat σωματικῶς, Col. 2, 9.

Ideo hodiernam hanc B. Virginis Mariæ proceſſionem accuratius intuituri, pro inſtituti ratione meditabimur:

I. Ανθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. Χριϛογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

Tria, *quæ in admirationem veniunt*, *hodierno Die acciderunt.* *Primum eſt*, quod Servator noſter meritiſſimus, inſtar alius vulgaris infantis, ut immũdum ſe cenſeri, & ita ad templum deferri ſinit, qui tamen peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus, 1. Pet. 2, 22.

Alterum eſt, quod idem hic Servator Deo ſiſtitur & præſentatur, qui tamen ab æterno apud Deum erat, Joh. 1. v. 1. quem ab æterno ex eſſentia ſua genuerat, Pſalm. 2. v. 7.

Tertium eſt, quod pro ſe victimam fieri voluit, cum tamen ipſe veniſſet, ut ſacrificium propitiatorium fieret pro peccatis totius mundi, 1. Joh. 2. v. 2. Deo Patri in odorem ſuavitatis, Eph. 5. v. 2.

Hoc ipſum vero naturalis homo ratione ſua comprehendere nequit. Quod ſi vero verbum Dei conſulimus, oſtendit id nobis præclaram illam permutationem, quam Deus nobiscum agit, quando filium ſuum unigenitum pro nobis peccatum fecit; ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo, 2. Cor. 5. v. ult.

Ανθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri* hinc diſcemus, ſi ſpectabimus:

1. *Mariæ purificationem.* Poſtquam enim impleti ſunt dies purgationis illorum, ſecundum legem Moſi, tulerunt illum in Hieruſalem, ut ſiſterent eum Domino. Reſpicit his verbis caput 12. Levitici, ubi lex hæc de puerperis plenius deſcribitur.

Hic inſpiciant ſe mariti, utrum uxoribus ſuis tempore puerperii, neceſſariam quietem & refectionem conceſſerint?

Inveniuntur quandoque auſteri Cyclopes, qui inhumaniter uxores ſuas tractant, & abjecta omni earum cura, ad labores manuum relegant, vel alio quocunque modo moleſtiam illis creant. Interdum mulieres ipſæ ex ſupervacanea curioſitate & levitate puerperii tempus violant, & non ſine ſexusve fœminei proſtitutione, virium ac valetudinis ſuæ jacturam faciunt. Sed hoc contra quintum præceptum eſt, in quo non modo homicidium ipſum, ſed & occaſio homicidii prohibetur, Matth. 5. v. 21. ideoque ejusmodi homines graviſſimam aliquando rationem reddere tenentur, omnis enim homicida non habet vitam æternam in ſe manentem, 1. Joh. 3. v. 15.

2. Sa-

2. *Sacrificii præſentationem vel oblationem.* Venerunt enim in Hieruſalem, ut darent hoſtiam, ſecundum quod dictum eſt in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum, ut conſtat ex Levit. 12. v. 6.

Hic examinent ſe Chriſtianæ matronæ, an Deo ſuo ſemper debitum laudis ſacrificium obtulerint, quando fœtum feliciter depoſuerunt, & cum eodem ſoſpites & ſanæ prodire poſſunt?

Hoc ita ipſa rei æquitas requireret. Sed non paucæ inveniuntur, quæ hoc ipſum oblivioni tradunt. Nonnullis in locis laudabilis ille mos viget, ut puerperæ cum infantibus ſuis in templum ad aram pergant, exantlato puerperii tempore, ibiq; ab eccleſiæ miniſtro benedictione divinâ afficiantur. In ſpecie Chriſtianæ puerperæ id obſervent, ut primus earundem ingreſſus in templum fiat, & Deo ſpiritnale ſacrificium offerant, nempe vitulos labiorum ſuorum, Oſ. 14. v. 3. & *nomini ejus ſanctiſſimo gratias agant:*

1. *Pro partu felici.* Verè enim ibi dicitur: vana ſalus hominis eſt, Pſal. 60. v. 13. & niſi Deus optimum faceret, & daret laſſis virtutem, & his, qui non habent fortitudinem robur multiplicaret, Eſa. 40. v. 29. in momento res deſperata foret, præſertim quando venit uſque ad partum, & virtus non eſt pariendi, Eſa. 37. v 3.

Quid accidit *Racheli?* egreſſa eſt cum marito ſuo iter factura in Bethel. In viâ verò ob difficultatem partus periclitari cœpit. Vix verò puerulo enixo, anima ei præ dolore egreſſa eſt, Gen. 34. v. 16. ſeqq.

Similiter & *uxor Pinees* in partu occubuit, 1. Sam. 4. v. 19. Id adhuc hodie non rarò accidit, ut Imperatrices quoq; & Reginas hîc non exemtas invenias.

Iſabella Imperatoris Caroli V. Conjux in puerperio exſpiravit.

Maria Imperatoris Maximiliani Conjux cum Imperatore venatum equitans, equo decidit, hoc modo non ſaltem fœtum, ſed & vitam deperdidit, hoc ipſo Imperator in magnum mœrorem conjectus, quoties de illâ cogitavit, lacrymas emiſit.

Eodem modo *Maria Leopoldina Ferdinandi III. Conjux*, vitam amiſit.

In hac conſideratione Chriſtianæ Matronæ habent, quod Deo gratias agant, quod ſe indemnes è periculo liberaverit, & ſanâ prole exhilaraverit. *Nihil* enim *ita diſplicet Deo in filiis gratiæ, quemadmodum ingratitudo*, inquit Bernhardus. Sacrificans verò laudem honorabit me; & illic iter, quo oſtendam illi ſalutem Dei, Pſ 5 , ult.

2. Pro *cuſtodia fideli.* Olim *luctuoſi caſus acciderunt, tam à parte matris*, quæ ſæpè noctu extra lectum & hypocauſtum in alio loco, imo in puteo reperta eſt, ſicut in Promtuario Exemplorum talia exempla recenſentur: quàm *à parte infantum*, qui ſæpè ſubdititiis permutati ſunt, à quibus parentibus magnæ moleſtiæ creatæ. Quando enim homines verbi divini obliti, ſatanæ per ſuperſtitiones ſerviunt, permittit Deus ſatanæ, ut operari poſſit in filiis diffidentiæ, Eph. 2. v. 2.

Hodie rarius ejuſmodi exempla occurrunt. Quando enim honeſtæ mulieres manè & veſperi ſe & fœtum ſuum Deo per preces fideles commendant, à Diabolo ejusque ſatellitibus non eſt quod metuant. Habet enim Deus angelos infantum quoque, Matth. 18. v. 10. & licet Draco malum machinetur, Apoc 12. v. 4. nihil tamen effecturus eſt, Dominus enim, qui lætam puerperam illam fecit, ſuſtentabit quoque

 & tue-

Digitized by Google

& tuebitur illam, ut non moveatur,. Pſal. 62. v. 3. ideò denuo cauſam hinc habent ſacrificia laudis afferendi,. & quæcunque voverunt reddendi, ſalutem Domini, Jon. 2. v. 10. Pſal. 50. v 15.

III. *Simeonis parentationem.* Simulac enim Jeſulum recens natum in ulnas ſuas accepit, lætitia plenus mortem exoptat, dicens: Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace &c.

Hic probate mi Chriſtiane! utrum & ipſe mortalitatis tuæ memor, cum Simeone ad mortem te præparaveris, ut ſi Deus te avocare velit. dicere poſſis: Nunc dimittis ſervum tuum Domine?

Simeon reſponſum acceperat à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini. Poſtquam igitur ad gratioſum hoc tempus vivus pervenerat, mortem æquo animo expectat, dicens: Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace.

Nos ejusmodi promiſſionem non habemus: ſed quotidiè in manu Dei verſamur, neſcientes, quo tempore nos avocaturus ſit, Neſcit enim homo tempus ſuum, ſed ut piſces &c. Eccleſ. 9 v. 12.

Singulis proinde horis & momentis parati, dicamus: *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine in pace!* & ita vivamus, quaſi hæc ultima hora ſit, nam, ſi ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Eccl. 11, v. 3.

Divitι illi ruſtico non volupe erat mori: quia enim ager ejus uberes fructus attulerat, athleticè ſe victurum, opinabatur, alloquens animam ſuam: Anima, habes multa bona poſita, in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, lætare. Sed dixit ad eum Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cujus erunt? Luc. 12. v. 19. 20.

Sic adhuc hodie *pauci divites reperiuntur*, qui æquo animo ex hoc mundo diſcedunt, & cum Simeone dicunt: Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, in pace: Verum quando mortem recordantur, exhorreſcunt, ut compages renum eorum ſolvatur, & genua eorum ad ſe invicem collidantur, ut de Rege Belſazer dicitur, Dan. 5, 6.

Hoc *amor Mammonis* efficit, quem plus reſpiciunt, quàm hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem, conſervatam in cœlis, 1. Pet. 1, 4. ſed relinquere eum coguntur, & cum interierunt, non ſument omnia, neque deſcendet cum eis gloria eorum, Pſal. 49, 8. Quid igitur prodeſt illis ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid confert illis? Sap. 5. v. 8. Æternum & verum bonum hoc ipſo amiſerunt, quod in æternum nunquam recuperabunt: nam in inferno poſiti erunt, Pſ. 49, 5. ubi tantâ inopiâ urgebuntur, ut ne guttulâ aquæ potiri poſſint, quâ linguam ſuam refrigerare poſſint, Luc. 16, 24.

Veri Chriſtiani mortē non horrent, ſed ſingulis horis eā expectant, dicentes: Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, in pace.

Rem tradidi meam Deo;
Pendo ejus ex arbitrio.
Vivamne vitam, ſi lubet,
Prout lubet,
Ejus voluntas perplacet.
Vitam traho in moleſtiis,
Veſcorq; pane in lacrymis,
Si vult Deus non abnuo.
In pace eo
Mori mihi ſit in lucro.

3 Φ

Ich hab mein Sach Gott heimgeſtellt/
Er machs mit mir wies ihm gefällt/
Sol ich allhier noch länger lebn/
Nicht widerſtrebn/
Seinm Willen thu ich mich ergebn.
Ich hab hie wenig guter Tag/
Mein täglich Brod iſt Müh und Klag/
Wenn mein Gott wil ſo wil ich mit
Hinfahrn in Fried/
Sterbn iſt mein Gwinn und ſchad
mir nicht.

De glorioſo *Imperatore Ferdinando I.* memoratur, quod Pragâ Francofurtum iter faciens, cum ſatellites quidam in itinere occumberent, dixerit: Videmus, quod & mors nobiſcum proficiſcatur, ideò opus erit, ut quilibet ſe ad mortem præparet.

Idipſum nos quoq; obſervemus, quò mortem ſemper in memoriâ habentes, ad eam nos componamus. Verè enim Auguſtinus: *Serò parantur media, cum morti imminent pericula.* Exemplo ſint fatuæ virgines, quæ tum demum ibant oleum emturæ, cum veniret ſponſus: ideò excluſi è domo nuptiali, funeſtam vocem audire tenebantur, non novi vos, Matth. 25, 12.

De Secundo.

PRogrediemur nunc ad *alteram partem*, Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti* pertractaturi. Hic nobis meditandus proponitur:

I. *Tanquam verus primogenitus*, ad quem lex de primogenitura, & omnes Leviticæ Ceremoniæ collinearunt. Quia enim Dominus ordinaverat, ut omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocaretur: B. quoq; Maria in templum accedit, ut ſiſteret filium ſuum primogenitum Domino, & offerret hoſtiam, quam Moſes præceperat.

Primogeniti in V. T. magnam prærogativam habuerunt, fuerunt priores in donis, & majores in imperio, h. e. ex illis ſummi Sacerdotes & Reges eligebantur, Gen. 49. v. 3. habuerunt duplex hæreditatis jus, & duplicia auferebant, ubi reliquos unâ parte contentos eſſe oportuit, Deuter. 21. verſ. 17.

Dum igitur Chriſtus tanquam primogenitus a patre ſuo, juxta divinam naturam, Joh. 1. v. 18. & primogenitus à matre, ſecundum humanam naturam, Luc. 2. v. 2. hic ſecundum legem præſentatur, hoc ipſo confirmare voluit: *primò, quòd Rex noſter ſit*, à quo præſidium auxilium, & ſolatium in omnibus adverſis expectare debeamus, Eſ. 33. v. 22. *Deinde, quod ſit ſummus noſter Pontifex*, qui non per ſanguinem hircorum & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiverit ſemel in ſancta, æternâ redemtione inventâ, Hebr. 9 v. 12. *Tertiò, quod cœlum duplici jure obtineat*, primò tanquam hæres, quatenus filius Dei eſt: deinde tanquam meritum, quatenus illud paſſione & morte ſuâ acquiſivit. Priori modo ſibi retinet: poſteriori nobis communicat, tanquam cohæredibus, ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur, Rom. 8. v. 17.

Nos igitur genus electum, Regale ſacerdotium, gens ſancta, & populus acquiſitionis ſumus, 1. Petr. 2. v. 9. hoc Chriſto referamus oportet, à cujus gratia accepimus gratiam pro gratia, Joh. 1. verſ. 16. *Quia enim ille Chriſtus vocatur, nos quoq; e hanc denominationem ab ipſo habemus, quod Chriſtiani appellemur*, Act. 11. v. 76.

Quia Rex eſt, & nos quoque Reges fecit, Apoc. 1. v. 9. propterea olim accipiemus regnum decoris & diadema ſpeciei, de manu ejus, Sap. 5. v. 17. Et quia *ſummus Sacerdos eſt, nobis quoque licentiam hanc dedit, ut quotidie coram Deo comparere*, ſuffitum fragrantem precum incendere, & hoſtiam laudis Deo, h. e. fructum labiorum offerre poſſimus, Hebr. 13. v. 15. *Quia cœlum duplici jure tenet, nos quoque hoc frui debemus*, ut hæredes & cohæredes ejus ſimus, Rom. 8. v. 17.

Gaudio hinc exultemus, dilecti! *Omnia nobis Jeſus eſt*, ſi illum habemus, omnia habemus. Factus enim nobis eſt à patre ſuo, & ſapientia, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemtio, 1. Cor. 1. v. 30. Qui credit in eum, juſtus eſt, Rom. 10. v. 4.

II. *Tanquam Salvator œcumenicus*. Viderunt enim, inquit Simeon, oculi mei, ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum. Nemo hic excluſus eſt, niſi qui ſemetipſum excludit incredulitate ſuâ, & Chriſtum quaſi repudiat, dicens cum Judæis: Nolumus hunc regnare ſuper nos, Luc. 29. v. 24. *Si quis non credit in Chriſtum, generali beneficio ipſe ſe fraudat, ut ſi quis clauſis feneſtris ſolis radios excludat*, ait Auguſtinus. Hinc apparet, quod Chriſtus quidem ſit Servator omnium hominum, maximè verò fidelium, 1. Tim. 4. v. 10.

Univerſum genus humanum immerſum fuit peccatis, & conſequenter morti, & æternæ damnationi, id Satanas effecerat, Sap. 2. v. 24. Quodſi itaque Deus ex rigore juſtitiæ nobiſcum agere voluiſſet, non iniquè nobiſcum egiſſet, ſi nos ita in perditione reliquiſſet: ſed gratia ejus prævaluit, Sic enim dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, Johan. 3. verſ. 16.

Hic *gratiſſimum Deo foret*, ſi omnes homines Salvatorem mundi verâ fide amplecterentur, ejusque ſanctiſſimi meriti, quod pro peccatis totius mundi præſtitit, participes evaderent, propterea ipſe vocat: Reſpicite ad me, & ſalvi eritis omnes fines terræ, Eſa. 45. v. 22.

Quia verò id non fit, ſed plurimi decedunt in vias ſuas curvas, Pſal. 125. v. ult. petram ſalutis ſuæ oblivioni tradunt, Deut. 32. v. 18. imo planè abjiciunt, ut Judæi, Luc. 19. v. 44. Et peccatis ſuis denuo crucifigunt, Hebr. 6. v. 6. & ita conſilium Dei ſpernunt contra ſeipſos, Luc. 7. v. 30. Hinc eſt, ut dicatur: Multi ſunt vocati, pauci verò electi, Matth. 22. v. 14.

Simeon igitur nobis imitandus eſt, ſi Servator hic noſter eſſe debeat, ejusq; merito nos juſtificari & ſalvari velimus. Ait enim ipſe: Oculi mei viderunt ſalutare tuum. Id à nobis quoque fieri debet. Equidem oculis corporeis ipſum hodie intueri non poſſumus, dum die noviſſimo in formâ viſibili rediturus eſt, ſicut in cœlum ivit, Act. 1. v. 11. attamen oculis fidei ipſum ſpectare debemus, veluti de Abrahamo dicitur, quod diem Meſſiæ viderit aliquot retrò ſeculis, priusquam ille in carne manifeſtatus eſt, Joh. 8. v. 56. Si hoc fecerimus, *non eſt, quod metuamus peccatum*, huic enim Jeſu teſtimonium perhibent omnes Prophetæ, remiſſionem peccatorum accipere, per nomen ejus, omnes, qui credunt in eum, Act. 10. v. 43.

Non eſt quod timeamus maledictionem legis. Hic Servator enim maledictio pro nobis factus eſt, ut nos à maledictione legis redimeret, Gal. 3. v. 13.

Non

Digitized by Google

Non eſt, quod vereamur iram Dei. Non enim nos poſuit Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis, 1. Theſſ. 5, 19.

Non eſt, quod pertimeſcamus mortem & diabolum. Per mortem enim ſuam deſtruxit eum, qui habebat mortis imperium, id eſt diabolum, & liberavit eos, qui timore mortis, per totam vitam obnoxii erant ſervituti, Heb. 2. v. 15.

Nec eſt, quod exhorreſcamus æternam condemnationem. Nihil enim condemnationis eſt his, qui in Chriſto Jeſu ſunt, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum, Rom. 8. v. 1.

III. *Tanquam mortis dulcorator ſuaviſſimus.* Hic audimus, Simeonem ex ſingulari mortis appetitu, quamprimum Jeſulum recens natum in ulnas accepit, lætabundũ dixiſſe: Nunc dimittis, Domine, ſervum tuũ in pace: q. d. ego paratus ſum, vivere mihi Chriſtus eſt, & mori lucrum, Phil. 1. v. 21.

Quodſi igitur & tu cum Simeone in pace dimitti velis, & tu Jeſulum recens natum in ulnas tuas accipias oportet:

1. *Spiritualiter*, ut in ſanctiſſimo ejus merito fiduciam ponamus, & firmiter credamus, quod ſit Jeſus & Salvator noſter, Mat. 1. v. 21. unus ille mediator inter Deum & homines, 1. Tim. 2. v. 5. Qui enim credit in filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus eſt filio, non videbit vitam, Joh. 3, ult.

2. *Sacramentaliter*, ubi nobis ſub benedicto pane, corpus ſuum edendum, & ſub benedicto vino ſanguinem ſuum bibendum exhibet, in pleniſſimam certitudinem, ut remiſſionem peccatorum habere, & cum eo in æternum vivere debeamus, Joh. 6, 51.

Artemiſia Regina Cariæ, maritum ſuum Regem Mauſolum tanto amore complexa eſt: ut non modo magnifico Epitaphio eum honoraverit, quod poſtea inter ſeptem mundi miracula relatum eſt: ſed & cineribus, quos de ejus combuſto corpore collegit, cibum & potum ſuum quotidie miſcuerit, ne unquam memoria ejus ſibi excideret.

Sed in ſacra cœna non cinere: verum vero corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti cibamur, hoc ipſo memoriam fecit mirabilium ſuorum, Pſal. 111. v. 4. & quando hoc cibo fruimur, hanc utilitatem exinde habemus, quod ille in nobis, & nos in illo manſuri ſimus, Joh. 6. v. 56. Quis igitur animum abjiceret aut deſperaret? Quin potius in omnibus adverſitatibus pleni fiducia eſſe, & dicere poterimus: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8. v. 34.

Hoc igitur animo tuo infixum eſto, mi Chriſtiane! ut & ipſe Jeſum tuum in ulnas recipias, per veram & ſalvificam fidem, & omnia tibi cooperabuntur in bonum, Rom. 8. v. 28. Et ſi hora mortis inſtabit fiducialiter cum Bernhardo dicere poteris: *Inter brachia Salvatoris mei, & vivere & mori cupio.* Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur, 14. v. 15.

Hoc præclarum ſolatium eſt, cujus intuitu beate mori, placide quieſcere, & ſuo tempore lætabundi reſurgere, & in vitam æternam introire valebimus. Adjuvet ad hoc conſequendum Deus gratia ſua nos omnes, per & propter Chriſtum, Dominum & Servatorem noſtrum, Amen.

* * *

In die feſto Matthiæ Apoſtoli.

Evangelium, Matth. 11. v. 25. -- 30.

EXORDIUM.

DE præpotente Rege Ahaſvero refertur, quod nemini, non vocato interius atrium Regis intrare licuerit, quin ſtatim juxta ſtatutum interfectus fuerit; niſi forte rex auream virgam ad eum tetenderit, pro ſigno clementiæ, Eſther, 4 v. 11.

Nos quoque Regem habemus, & quidem multo potentiorem Ahaſvero: cœlum enim ſedes ejus, terra autem ſcabellum pedum ſuorum, Eſa. 66. v. 1. *Sed adeo inhumanus non eſt erga ſubditos ſuos*: verum nihil magis optat, quam ut omnes accederent, & beneficiorum ſuorum participes evaderent, quos proinde porrectis manibus expectat. Eſt enim verum φιλόψυχος, Sap. 12. v. 1. Et ſicut in mundum venit quærere & ſalvum facere, quod perierat, Luc. 19, 20. ita etiam in eo ſummam voluptatem capit, quando plurimos ad ſe venire videt, & gratiam accipere, quam in verbo & ſacramentis repoſuit, ideo ait: qui venit ad me, non ejiciam foras; Joh. 6, 37.

Exemplum habemus in prælecto Evangelio, ubi omnes laborantes & oneratos ad ſe vocat, clementer promittens, ſed refecturum illo eſſe: Et quamvis non omnes accedant, ſed plurimi ex ſapientibus hujus ſeculi benevolam hanc ejus invitationem ſusque deque habeant, & libentius ad domum convivii eant, Eccleſ. 7. v. 3. aut ad negotiationem ſuam, Matth. 22. v. 5. attamen gratias agit patri ſuo cœleſti pro parvulis, i. e. ſimplicibus, quod illos illuminatos, ad agnitionem veritatis pervenire voluerit. *Unus enim juſtus majoris æſtimatur in oculis Dei, quam mille impii* quod exemplo Sodomæ & Gomorrhæ patet, quibus Deus pepercisſet, ſi modo decem ibi juſti inventi fuiſſent, Gen. 18. v. 34.

Hoc Evangelium pii Veteres, in diem Matthiæ explicaudum in Eccleſia ordinarunt, qui loco Judæ, ſorte ad Apoſtolatum electus eſt, ut conſtat ex Act. 1, 23. Aliis in locis mentionem ejus non factam legimus, plurimi eum in Judæa juſſu ſummi Pontificis interfectum autumant. Hoc certiſſimum eſt, quod morte & ſanguine ſuo, ad exemplum reliquorum Apoſtolorum, Evangelicam veritatem conformaverit, & quaſi obſignaverit, juxta Chriſti prædictionem, Joh. 16, 12.

Nos ſine ulteriori ambage ad ipſam Evangelii tractationem nos conferemus, enodaturi:

I. Ανθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. Χριστολογίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

PAtriarcha Abrahamus, filium ſuum Iſaacum in honorem Dei, in Moria monte

re ſacrificaturus, *aſinum ad radicem montis reliquit*, Gen. 22, 5.

Nobis idem faciendum eſt, ut *aſinum cæcæ rationis*, aſinum *ignorantiæ*, aſinum *propriæ gloriæ & ſapientiæ*, inferius ad radicem montis relinquamus, ſi Domino ſacrificium gratum & acceptum offerre velimus. Non enim multi ſapientes ſecundum carnem &c. 1. Cor. 1, 26.

Eo collineat Chriſtus cum gratiarum actione ſua in prælecto Evangelio, inquiens: Confiteor tibi, pater, Domine cœli & terræ: quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus; & revelaſti ea parvulis. Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te &c.

Notetur hic ad ανθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri*, perdiſcendam:

I. *Sapientum hujus mundi reprobatio*, ſic enim ait Servator: Confiteor tibi, pater, Domine cœli & terræ: quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus &c.

Hoc non *abſolute & ſimpliciter* intelligendum eſt, quaſi Deus quibusdam media ſalutis invidiſſet, ne per Evangelium illuminarentur, converterentur, & ſalvarentur: id enim de Deo ne quidem ſomniari debet, qui in verbo multoties conteſtatus eſt, nolle ſe mortem peccatoris: ſed potius velle, ut omnes ſalvi fierent, & ad cognitionem veritatis pervenirent 1. Tim. 2, 4. Verum ideo ſapientibus & prudentibus hujus mundi, regni ſui myſteria abſcondidit, quia præ majoris ſapientiæ imaginatione cœleſtem ſapientiam juſtificare volunt, Luc. 7, 35. Quia enim in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes, 1. Cor. 1. v. 21. Hic cauſa exprimitur, cur ſapientes & prudentes hujus mundi à Deo reprobati ſint, quæ *non eſt voluntas Dei alias omnes cauſas antegrediens*; ſed quia ſe nimis ſapientes æſtimant, & myſteria divina ratione ſua metiri volunt, hinc faciunt, ut nihil intelligant, dimiſſi à Deo ſecundum deſideria cordis &c. Pſal. 81, 13.

Hic examen tecum inſtitue, mi Chriſtiane! utrum & ipſe hac in parte deliqueris, quod verbum & voluntatem Dei ad rationis ſtateram appendere, curioſe rimari, vel alio modo, inſigni hoc Dei dono abuti præſumſeris?

Equidem ſapientia & prudentia ſimpliciter non improbanda eſt

1 *In Choro*, quod ſcripturam attinet, ut ſciamus, quomodo ſpiritualia ſpiritualiter dijudicanda ſint, 1. Corinth. 2, 13. & verbum veritatis recte ſecari debeat, 2. Timoth. 2. v. 15.

2. *In Foro*, ubi enim non eſt conſilium, populus corruet, ſalus autem, ubi multi ſunt conſiliarii, Prov 11. v. 14. ſic David prædicatur, quod prudentius ſe geſſerit, quam omnes ſervi Saul, 1. Sam. 18. v. ult. Pari modo Nebucadnezar in Daniele ejusque ſociis invenit decuplum ſapientiæ & intellectus, ſuper cunctos ariolos & magos, qui erant in univerſo regno ejus, Dan. 1. v. 10. Hinc etiam in maxima reipub. pœna habetur, quando Deus conſiliarios, & ſapientes de fabris, & peritos Oratores auffert, & dat pueros principes, & infantes, qui dominantur, Eſa. 3. v. 2. 3.

3. *In Toro.* Sapiens enim mulier ædificat domum, Prov. 14. verſ. 1. Et ſapiens Abi-

Digitized by Google

Abigail ſæpe magnum malum à domo aliqua avertere poteſt, 1. Sam. 25, 23.

Sic ſane ſapientia & prudentia inſigne Dei donum eſt, & laudem quoque meretur. Quodſi vero inani ſapientia inflatus, verbum & voluntatem Dei contemnas & repudies, quia rationi tuæ non conſentit, id ſane in vituperio ponendum eſt. Hoc enim Deus ferre nequit: ſed omnes qui taliter ſapientia ſua abutuntur, ſtulti efficiuntur, Rom. 1. v. 22.

Plato ab omnibus doctis, ob artem & eruditionem in pretio habetur, ut ab iisdem *Divinus* appelletur: Verum cùm Myſteria divina, quæ in ſacris habentur, ratione ſua metiretur, ſtultus factus eſt, ut dixerit: Moſes multa dicit, pauca probat.

Adhuc hodie multi occurrunt in omnibus Hierarchiis, qui ad rationem ſuam, velut ad Lydium lapidem myſteria divina examinare ſatagunt, & ita ſalutis ſuæ naufragium faciunt, 1. Tim. 1. v. 19. Beati enim, qui non vident, & credunt, Joh. 20, 29.

Nos curioſitatem ejusmodi vitemus, in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, 2. Cor. 10. v. 5. ſi genuini ejus diſcipuli eſſe velimus, reſpectu ejus enim locum habet, illud αὐτὸς ἔφα, ideoque non fallet, ſed erit Etiam & Amen, 2. Cor. 1, 20.

Quando liberi à parentibus ſuis promiſſionem habent, eidem inniruntur, nec dubitant, quin promiſſa ſint daturi: Ita Deus in parvulis delectatur, qui ſicut modo geniti infantes lacti ſalvifici Evangelii inhærent, 1. Pet. 2. v. 2. & quod in hoc mundo comprehendere nequeunt, id differunt in alteram vitam, ubi revelata facie gloriam Domini tanquam in ſpeculo recipient, 2. Cor. 5. v. 7. Hi parvuli maximi ſunt in regno cœlorum, Matth. 18, 1. Ex ore eorundem perfecit ſibi robur, quo omnes inimici ejus deſtruentur, Pſal. 8. v. 3.

II. *Status noſtri delineationem.* Qui ob oculos nobis ponitur:

1. *Sub imagine laborantium.* In Græco eſt κοπιῶντες, quod eſt, moleſto labore defatigati, ſicut Ægyptii ad amaritudinem perducebant vitam Iſraelitarum operibus duris luti & lateris, omnique famulatu in agro, Exod. 1. v. 14. Sic & in *captivitate Babylonica* queri tenebantur, ſuper cervices noſtras urgemur, laſſis non datur requies, Thren. 5. v. 5. Idem accidit *Chriſtianis, in tribus prioribus ſeculis,* qui partim in lapidicinis operas facere, partim immanes montes perfodere, & alios moleſtos labores exantlare tenebantur, ut Hiſtoria Eccleſiaſtica teſtatur.

Sicut igitur hæc magna miſeria eſt, ſi ita ſupra vires & quidem ſine mercede laborare cogaris: ita Chriſtus hoc ipſo totius generis humani miſeriam delineare volunt, in quam per triſtem Protoplaſtorum lapſum incidimus, homo quippe naſcitur ad laborem ſicut avis ad volatum, Hiob. 5. v. 7. & hoc tolerabile adhuc foret, ſi maledictio non acceſſiſſet, Gen. 3, 17. & multæ ærumnæ, quibus propter peccata ſubjecti ſumus, quarum variationes & exercitus ſæpe contra nos ſunt, Job. 10, 17. ut non immerito Eccleſia canat:

Hic ſcena amaritudinum,
Angoris & diſcriminum,
Dies breves hic ducimus,
In luctibus,
In lucta idem perpendimus;

Et

Es iſt allhie ein Jammerthal
Angſt/Noth/und Trübſal überall/
Des Bleibens iſt ein kleine Zeit/
Voll Mühſeligkeit/
Und wers bedenckt/iſt immer im Streit/

Dum enim homo vivet, dolebit, & anima illius in ipſo lugebit, Hiob. 14. v. 22. Nec finis miſeriarum eſt, dum beate in Domino moriatur, usque in diem ſepulturæ in matrem omnium, Sir. 40, 1.

2. *Sub imagine bajulantium.* Hoc *ſpiritualiter* in omnibus hominibus locum habet, ut onerati ſint, ſicut Chriſtus hic loquitur, & tanto onere premantur, quo in abyſſum infernalem deprimerentur, niſi in tempore gratiæ per ſalutaria media eo ſe expedirent. *Quale vero hoc onus?* Nihil aliud quam *peccatum*, in quo concepti & nati ſumus, Pſal. 51. v. 7. Et quia hunc malorum fomitem in mundum offerimus, facile ſcintillula de concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ ſe inſinuare poteſt, 1. Joh. 2. v. 16. ut nocentiſſimum incendium ſuboriatur, usque ad perditionem devorans Hiob. 31, 12. Jac. 1, 15.

Quando igitur homo viginta, triginta, quadraginta, quinquaginta vel plures annos in vivis fuit, & vitam ſuam ad normam decalogi examinabit, magnam peccatorum & flagitiorum colluviem ille cumulabit, quæ velut grave onus animam ejus augent, ut cauſam habeat cum Davide conquerendi: Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me, Pſal. 38. v. 5.

Hic inſpicias velim te, mi Chriſtiane! annon & ipſe in numero horum laborantium, & oneratorum ſis?

Inveniuntur homines, qui magnam illam peccatorum molem non ſentiunt, qua cor eorum oneratum eſt: ſed malum manuum ſuarum dicunt bonum, Mich. 7, 3. ſive autumant, ſi à gravioribus peccatis mortalibus abſtineant, & legi externam obedientiam præſterit, omnia eſſe in vado. Verum, *minuta etiam peccata ſi negligantur, occidunt:* Quinimo: *Nullum peccatum adeo veniale eſt, quin fiat, ſi placet, criminale,* ut Auguſtinus ait.

Navis æque ſubmergi poteſt, ſi rimulæ non obſtruantur, quam ſi aquæ per hiatus illabantur.

Si mercator parvas expenſas & acceptas in rationes non refert, æque perire poteſt, quam ſi magnas negligat.

Non Deus tam parvitatem peccatorum, quam obedientiam mandatorum reſpicit. Putasne quod ob pomi eſum tantopere iraſcatur? Gen. 3, 6. 14. Aut ligni collectionem in ſabbatho, tanti æſtimet? Num. 15. v. 32. aut Beth-ſamitas tanta pœna affecerit, quod fœderis arcam vidiſſent, 1. Sam. 6, 13. Aut Ozam, quod bona intentione manum ad eam extenderit? 2. Sam. 6. v. 6. Obedientiam ille requiſivit, quam in minutioribus hiſce æque ac in majoribus præſtitam vult. Idcirco peccata non extenuare debemus, ſiquidem & nullum extenuandum eſt: ſed quaſi à facie colubri fugiamus ea, Sir. 21, 2. Vere B. Lutherus: *Vere peccatum tam magnum eſt, quam magnus eſt, qui peccato offenditur, eum autem cœlum & terra capere non poſſunt.*

Hoc perpendentes, quando nos ad hoc vel illud peccatum diabolus ſeducere ſatagit, eidem obſequi minus debemus, ſed ſemper exitum reſpiciamus, cum Demoſthene dicente: *Tanti pœnitere non emo. Memen-*

taneum eſt, quod delectat, æternum, quod cruciat. Vermis enim damnatorum non moritur, & ignis eorum non exſtinguetur, & erunt abominatio omni carni, Eſa. 66. v. ult.

III. *Blanda Chriſti invitatio*, quæ *triplice fine* fit. Vocat enim ad ſe omnes laborantes & oneratos:

1. *Ad refocillandum* Si quis infirmus eſt, & accipit amicum, qui curam ſui agit, hoc in beneficii loco reputare debet, quale exemplum recenſetur, 1. Sam. 30, 11.

Pari modo nos Chriſtus reficit, qui alias anima laboramus, in verbo & ſacramentis, ut incedamus in fortitudine Domini, Pſal. 71. v. 16. ne deficiamus in tribulationibus, Eph. 3, 13. ſed bonam militemus militiam, 1. Tim. 6. v. 12. ſcientes, quod Deum diligentibus omnia in bonum cooperentur, Rom. 8, 28.

Hic probate, mi Chriſtiane! utrum hanc refectionem ex animo deſideraveris, aut forte alibi quæſiveris?

Quando filii hujus ſeculi ſe refecturi ſunt, abeunt in popinam, ubi genio indulgent, vinoque & epulis ſe replent, hæc eorum recreatio eſt, poſtridie vero ægrotant crumenam & caput, juxta adagium: Allzeit naſchen/macht leere Taſchen. Quin corpus atque animam gravant, ut ad omnia munia inhabiles fiant, Luc. 21, 34. Propterea commercium eorum fugientes, apud Chriſtum divertamur, qui non habentes argentum reficit, & ſine ulla commutatione largitur vinum & lac, ut vili comedentes in pinguitudine delectare poſſimus, Eſa. 55. verſ. 1. 2.

2. *Ad portandum.* Dicit enim, tollite jugum meum ſuper vos. *Per hoc jugum non ligneum jugum intelligitur*, quo jumenta junguntur, ſicut accipitur, Job. 39, 13. Nunquid alligabis Monocerotem ad arandum, loro tuo? Neque *peccatorum jugum*, de quo Siracides: Beatus eſt, qui tectus eſt à lingua nequam, cap. 28. v. 23. & Palus: Nolite jugum ducere cum infidelibus, 2. Cor. 6, 14. Sed:

1. *Jugum doctrinæ*, ſive jugum novi teſtamenti, ubi quidem lex & Evangelium promiſcue prædicantur: ſed fidelibus lex non amplius jugum ſervile eſt, Act. 15, 10. quia filii Dei ſunt, quibus Deus ignoſcit, etiamſi perfectum ſcopum, quem lex requirit, attingere non poſſint, hinc Johannes: Hæc eſt caritas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus, & mandata ejus gravia non ſunt, 1. Joh. 5. v. 3. Ita ſumus populus ſpontaneus, Pſal. 110, 3. & præſtamus, quæ poſſumus, cætera, quæ nobis deſunt, in Chriſto quærimus, qui nobis à patre ſuo factus eſt ſapientia, & juſtitia, & ſanctificatio & redemtio, 1. Cor. 1. v. 30. ut de plenitudine ejus accipiamus gratiam pro gratia, Joh. 1, 16.

2. *Jugum diſciplinæ.* Hoc ſenſu Rehabeam dicit ad ſubditos ſuos: Pater meus poſuit ſuper vos jugū grave, ego autem addam ſuper jugū veſtrum, 1. Reg. 12, 11. Ipſe Deus captivitatem Babylonicam jugum vocat, Jer. 27, 8. Confer, Thren. 3, 27.

Quemadmodum enim duo boves junguntur, ut æquo jugo trahant: Ita & nos per jugum crucis Chriſto quaſi copulamur, ut crucem ejus feramus, & ſicut ipſe per multas tribulationes in regnum cœlorum intremus, Apoc. 14, 22.

Equidem Chriſtum adæquare non poſſumus. Solus enim torcular iræ divinæ calcavit, Eſa. 63, 3. Et crucem tulit, ubi difficillima fuit, nos vero cum Simone Cyrenæo illam ex parte ſuſtinemus, & ſequimur eum, Math.

Digitized by Google

Matth.27,32. Ipſe manibus pedibusq; extenſis cruci afflixus fuit, nos vero cum Johanne & Maria juxta crucem ſtamus, Joh. 19,25. Interea nobis cum Chriſto patiendum & commoriendum eſt, ſi cum illo conregnare & convivere velimus, 2. Tim. 2,11.

Hic examines velim te, utrum & ipſe collum tuum jugo Chriſti æquo animo ſubdideris?

Carni quidem & ſanguini id moleſtum videtur, interim tamen intuitu magnæ utilitatis, felices nos cenſeamus, ſi jugo huic alligemur. Omnis enim diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii & mœroris, Heb. 12,11. Sicuti enim boves non ſemper jugo alligati ſunt: ſed quando veſperaſcit, ſolvuntur: Ita nec nos jugum ſemper portare debemus, verum quando ſabbathum vitæ æternæ ingruet, ſolvet nos Dominus, ut in requie ſecuritatis, Eſa. 32,19. ſabbathum ex ſabbatho celebremus, Eſa. 66,23. & cum Domino ſemper ſimus, 1. Theſſ. 4,17.

2. *Ad informandum.* Diſcite à me, ait: quia mitis ſum, & humilis corde.

Duo hic à Chriſto diſcere debemus:

1. *Lenitatem.* Hæc talis virtus eſt, quæ non vinci ſe patitur à malo, ſed vincit in bono malum, Rom. 12. v. ult. hominibus ſuadet, 2. Cor. 5. v. 11. ut & illi, qui præoccupati ſunt in aliquo delicto, inſtaurentur in ſpiritu lenitatis, Gal. 6,1.

2. *Humilitatem*, qua de Cyprianus ait, *quod ſit ſoror patientiæ*; Ubi enim vera animi humilitas eſt, ibi facile in rebus ſecundis modeſte; & in adverſis patienter nos gerere poterimus, dicentes cum Jobo: Si bona ſuſcepimus &c. c. 2. v. 10.

In utroq; nobis exemplo ſuo Chriſtus præivit. Licet enim in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe æqualem Deo, Phil. 2,6. Deinde cum paſſionem ſubiret, non aperuit os ſuum: ſicut ovis ad occiſionem ducitur, Eſa. 53,7. Cum malediceretur non maledicebat, 1. Pet. 2,23.

Hic probes velim te, utrum & ipſe ſcholam Chriſti frequentaveris, & has duas virtutes à Chriſto diſcere ſtudueris?

Hic magni defectus occurrunt, mundus enim plenus faſtu eſt, qui ſemper *plus ultra* meditatur, ſicut hoc ſemen ſuum antiquus ſerpens Protoplaſtis noſtris inſevit, ut ſorte ſua minime contenti, ſicut Deus eſſe voluerint, Gen. 3,5. hinc ſequuntur inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, diſſenſiones, homicidia, Gal. 6,20. Inter ſuperbos enim ſemper jurgia ſunt. Prov. 13,10.

Propterea veri Chriſtiani ſemper humilitati ſtudeant oportet, ut nihil faciant per contentionem, neque per inanem gloriam, Phil. 2,3. & manſuetudo ſponte ſua ſequetur, ut alter alterius onera portemus, & ſic adimpleamus legem Chriſti, Gal. 6. v. 2.

De Secundo.

TRanſibimus nunc *ad alteram partem*, *χριστογνωσίαν*, ſive *notitiam Chriſti*, contemplaturi. Hic nobis in præſente Evangelio commendatur:

I. *Tanquam patris ſui glorificator*, ait enim: Confiteor tibi, pater Domine cœli & terræ: quia hæc abſcondiſti à ſapientibus & prudentibus: & revelaſti ea parvulis. Ita ſemper panes accipiens, oculis ad cœlum elevatis, patri ſuo gratias egit, Marc. 8,6. Joh. 6,11. & alibi paſſim, idcirco ait ad Judæos: Honorifico patrem meum, Joh. 8. v. 49.

Hinc igitur facile, quid noſtri officii ſit, conſi-

Ppp 2

colligere poſſumus. Indies enim tantis beneficiis nos cumulat, ut non numerare, nedum verbis ea enarrare valeamus. Producit fœnum jumentis, & herbam ſervituti hominum, Pſal. 104. v. 14. 15, 16. Et quod magis eſt dat nobis verbum, Evangeliſtas magno exercitu, Pſal. 68, 11. qui docent nos utilia, Eſ. 48, 17. ut tam corpori quam animo proviſum ſit, nec deſtituamur omni bono, Pſ. 34, 11. Quinimo, *non eſt momentum, in quo non utimur bonitate Dei*, ut Auguſtinus ait. Quidni igitur hymnis eum celebrantes, gratias ipſi cantemus, ſiquidem bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo, Altiſſime, Pſal. 92, 2. 3.

Deus *hominem* ad imaginem ſuam conditum, *omnibus aliis animantibus longe prætulit*, ſemel, *ratione*, qua rem accurate expendere, & potiora probare poteſt, Phil. 1. v. 10. Secundo *oratione*, qua animi ſua ſenſa prodere, & articulate loqui valet. In utroq; hoc brutis præſtamus; proinde officium noſtrum erit, ut Deo creatori noſtro rationalem cultum præſtemus, laudando, confitendo, celebrando & gratias agendo, quod nos tanta gratia ornavit. *Quodſi itaque bene nobis eſt*, dicamus: *Confiteor tibi*, eſt enim pater luminum, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum deſcendit, Jac. 1, 17. *Sin male*: iterum dicamus: *Confiteor tibi*, onus enim quidem imponit nobis, ſed & ſalus noſtra eſt, Pſal. 68, 20. In omnibus igitur gratias agite, 1. Theſſ. 5, 18.

II. *Tanquam omnium dominator*, omnia enim, ait, tradita mihi ſunt à patre meo. Id alibi his verbis exprimit: data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, Matth. 28. v. 18. Ex quo apparet, Servatorem Dominum omnipotentem eſſe, etiam quoad humanam ſuam naturam, vi unionis perſonalis. In eo enim, quod omnia ei pater ſubjecit, nihil dimiſit non ſubjectum ei, Phil. 2. v. 8.

Quoad divinam naturam nihil ei communicari potuit, juxta illa enim omnia habet ab æterno, Pſal. 2. v. 7. Ideoque hic locum habet Regula Athanaſii: *Quæcunq; in ſcripturis Chriſto data eſſe dicuntur in tempore, illa de Chriſto non ſecundum Deitatem, ſed ſecundum humanitatem intelligenda ſunt.* Hoc *Diabolus expertus eſt*, cujus caput contrivit, Gen. 3, 15. *Infernus*, quem diſſolvit, 1. Joh. 3. v. 8. *Mors*, quam in victoriam abſorpſit, 1. Cor. 15 55. *Mundus*, quem vicit, Joh. 16. v. ult.

Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos, Rom. 8. v. 31. ſeqq. O Dilecti! Confidite huic omnipotenti Domino! *Quodſi omnia ipſi tradita* ſunt à patre ſuo, *tradita quoq; ipſi eſt clavis penuaria*, & quando ipſum invocaverimus, optimum ſuum theſaurum cœlum aperiet, Deut. 28. v. 12. & effundet benedictionem usque ad abundantiam? Mal. 3, 10.

Quodſi omnia ipſi tradita ſunt à patre ſuo, tradita quoque ipſi fuerit *clavis infortunii*, ut ſolvere poſſit, ſi quem ſatanas ligaverit ſpiritu infirmitatis, uti mulierculam illam Luc. 13, 11. aut in compedibus jecerit, ut Joſeph, Pſal. 105, 18. aut quocunque quis malo conſtrictus ſit, hinc ipſe dicit, ſe miſſum ad prædicandum captivis liberationem, Eſa. 61, v. 1.

Quodſi omnia ipſi tradita ſunt à patre ſuo, tradita quoque ipſi fuerit *clavis mortis*, qua aliquando tumulos noſtros aperiet, nosque populum ſuum educet de ſepulchris noſtris, Ezech. 37. v. 12. Hinc ipſe ait: Habeo claves mortis & inferni, Apoc. 1. verſ. 18.

Quod-

Digitized by Google

Quodcunque igitur nobis opus eſt, tam in ſpiritualibus, quàm corporalibus, à Domino hocce petamus oportet, dat enim omnibus ſimpliciter, & non improperat. Jac. 1. v. 5. quinimò lætatur ad benefaciendum nobis, Jer. 32. v. 41.

III. *Tanquam jugi noſtri dulcorator.* Jugum enim meum, ait, ſvave eſt, & onus meum leve. Quod per jugum hoc intelligatur, ſuperius à nobis explicatum eſt, nempe *jugum doctrinæ & jugum diſciplinæ.*

Utrumq; Chriſtus dulcoravit:

1. *Sublevando*, ipſe enim jugum legis ſubiit, nec modò eandem implevit, ſed & pœnam, quam promeriti eramus, in ſe ſuſcepit, & expiavit. Ideo ſuum onus, & ſuum jugum vocat, quod quilibet, qui diſcipulus ejus eſſe vult, portare debet. & ſine hoc diſcipulus ejus eſſe nequit, Luc. 14. v. 24. Interea hoc nobis ſolatium reſtat, quod nos adjuvare velit, Eſa. 46. v. 4. dum vallem miſeriarum pertranſierimus, fidelis enim eſt, nec patitur nos tentari ſupra id quod poſſumus, 1. Cor. 10. v. 13.

2. *Commutando, æternam enim pœnam,* peccatis nobis promeritam, *in temporalem commutat*, ita caſtigat nos in judicio, ne videamur nobis innoxii, Jer. 30. v. 11. quæ paterna caſtigatio, & *magis emundatoria, quàm interfectoria* eſt, ut Auguſtinus ait, 1. Cor. 11. v. 32. Quæ igitur pœna hæc temporalis in comparatione ad æternam? *ubi una hora gravior erit in pœna, quàm hîc centum anni in pœnitentia.* Ex inferno enim nulla redemtio, Pſal. 49. v. 15. 2. Theſſ. 1. verſ. 9.

3. *Remunerando.* Promittit enim illis, qui jugum ſuum ſuper ſe tollunt, & ab eo manſuetudinem & humilitatem diſcunt, quod invenire debeant requiem animarum. Ecce! præmium honoratiſſimum. Quis igitur ſcholam Chriſti non ſponte frequentaret, & caſtigationi ejus ſe ſubjiceret?

Hæc enim ἀνάπαυσις, quam Chriſtus hîc promittit, in eo conſiſtit, quod pacem habeamus ad Deum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Rom. 5. v. 1. & poſſimus fiducialiter clamare: Abba pater, Gal. 4 v. 6. Hoc tantum bonum eſt, quod omnem exſuperat ſenſum, Phil. 4. v. 7. eſt *paradiſus & affluentia divitiarum*, ut Auguſtinus loquitur. Quanquam enim mundus dicat: *Ego deficiam*, Caro: *Ego inficiam.* Diabolus: *Ego interficiam*: ſufficit tamen nobis, quando hic cœleſtis Præceptor ait: *Ego reficiam.*

Quemadmodum verò hæc requies in hac vita incipit, ita *plenè conſummabitur*, quando perveniemus in cœleſtem Hieroſolymam, in *eam Academiam*, ubi quilibet Electorum in omnibus Facultatibus Doctoris gradu honorabitur; habebit enim *ſummum gradum in Theologiâ*, & divina myſteria rectè intelliget, 1. Cor. 13. v. 12. Summum gradum *in Jurisprudentia*, & ad perfectam juſtitiam perveniet, 2. Pet. 3 v. 13. Summum gradum *in Medicina*, & veram ſalutem poſſidebit, Apoc. 22. v. 2. *Symbola promotionis* erunt, non pileus terrenus, ſed *immarceſcibilis corona gloriæ*, 1. Petr. 5, 4. non annulus ex auro, ſed *circulus æternitatis*, 2. Theſſ. 4. v. 17. non *humerale* holoſericum, ſed *æternitatis*, 1. Cor. 5. v. 53.

Epulæ Doctorales non aliquot horas durabunt, ſed in æternum, ubi Doctor eruditæ linguæ, Eſa. 50. v. 4. in menſa ſua velut torrente voluptatis nos potabit, Pſal. 36. v. 9. Eſa. 65, 14. Fiat, fiat id, per Chriſtum, Amen.

Quia Rex eſt,& nos quoque Reges fecit, Apoc.1.v.9. propterea olim accipiemus regnum decoris & diadema ſpeciei, de manu ejus, Sap.5.v.17. Et quia *ſummus Sacerdos eſt,nobis quoque licentiam hanc dedit, ut quotidie coram Deo comparere* , ſuffitum fragrantem precum incendere, & hoſtiam laudis Deo, h. e. fructum labiorum offerre poſſimus, Hebr.13.v.15. *Quia cœlum duplici jure tenet, nos quoque hoc frui debemus*, ut hæredes & cohæredes ejus ſimus, Rom. 8.v.17.

Gaudio hinc exultemus,dilecti! *Omnia nobis Jeſus eſt*, ſi illum habemus, omnia habemus. Factus enim nobis eſt à patre ſuo, & ſapientia, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemtio 1.Cor.1.v.30. Qui credit in eum, juſtus eſt, Rom.10.v.4.

II. *Tanquam Salvator œcumenicus.* Viderunt enim, inquit Simeon, oculi mei, ſalutare tuum , quod paraſti ante faciem omnium populorum. Nemo hic excluſus eſt, niſi qui ſemetipſum excludit incredulitate ſuâ, & Chriſtum quaſi repudiat, dicens cum Judæis: Nolumus hunc regnare ſuper nos, Luc.29.v.24. *Si quis non credit in Chriſtum , generali beneficio ipſe ſe fraudat, ut ſi quis clauſis feneſtris ſolis radios excludat*, ait Auguſtinus. Hinc apparet, quod Chriſtus quidem ſit Servator omnium hominum, maximè verò fidelium, 1.Tim.4.v.10.

Univerſum genus humanum immerſum fuit peccatis,& conſequenter morti, & æternæ damnationi , id Satanas effecerat, Sap. 2.v. 24. Quodſi itaque Deus ex rigore juſtitiæ nobiſcum agere voluiſſet, non iniquè nobiſcum egiſſet, ſi nos ita in perditione reliquiſſet: ſed gratia ejus prævaluit, Sic enim dilexit mundum , ut filium ſuum unigenitum daret , Johan.3. verſ. 16.

Hic *gratiſſimum Deo foret* , ſi omnes homines Salvatorem mundi verâ fide amplecterentur , ejusque ſanctiſſimi meriti, quod pro peccatis totius mundi præſtitit, participes evaderent, propterea ipſe vocat: Reſpicite ad me, & ſalvi eritis omnes fines terræ, Eſa. 45. v. 22.

Quia verò id non fit, ſed plurimi decedunt in vias ſuas curvas , Pſal. 125. v. ult. petram ſalutis ſuæ oblivioni tradunt, Deut. 32. v. 18. imo planè abjiciunt, ut Judæi, Luc. 19.v. 44. Et peccatis ſuis denuo crucifigunt, Hebr.6.v.6.& ita conſilium Dei ſpernunt contra ſeipſos, Luc.7.v.30. Hinc eſt, ut dicatur : Multi ſunt vocati, pauci verò electi, Matth.22.v.14.

Simeon igitur nobis imitandus eſt , ſi Servator hic noſter eſſe debeat, cjusq; merito nos juſtificari & ſalvari velimus. Ait enim ipſe : Oculi mei viderunt ſalutare tuum. Id à nobis quoque fieri debet. Equidem oculis corporeis ipſum hodie intueri non poſſumus, dum die noviſſimo in formâ viſibili rediturus eſt, ſicut in cœlum ivit, Act.1.v.11. attamen oculis fidei ipſum ſpectare debemus, veluti de Abrahamo dicitur, quod diem Meſſiæ viderit aliquot retrò ſeculis, priusquam ille in carne manifeſtatus eſt, Joh. 8. v.56. Si hoc fecerimus, *non eſt, quod metuamus peccatum*, huic enim Jeſu teſtimonium perhibent omnes Prophetæ, remiſſionem peccatorum accipere, per nomen ejus, omnes, qui credunt in eum, Act.10.v.43.

Non eſt quod timeamus maledictionem legis. Hic Servator enim maledictio pro nobis factus eſt , ut nos à maledictione legis redimeret, Gal.3.v.13.

Non

Non eſt, quod vereamur iram Dei. Non enim nos poſuit Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis, 1. Theſſ. 5, 19.

Non eſt, quod pertimeſcamus mortem & diabolum. Per mortem enim ſuam deſtruxit eum, qui habebat mortis imperium, id eſt diabolum, & liberavit eos, qui timore mortis, per totam vitam obnoxii erant ſervituti, Heb. 2. v. 15.

Nec eſt, quod exhorreſcamus æternam condemnationem. Nihil enim condemnationis eſt his, qui in Chriſto Jeſu ſunt, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum, Rom. 8. v. 1.

III. *Tanquam mortis dulcorator ſuaviſſimus.* Hic audimus, Simeonem ex ſingulari mortis appetitu, quamprimum Jeſulum recens natum in ulnas accepit, lætabundũ dixiſſe: Nunc dimittis, Domine, ſervum tuũ in pace: q. d. ego paratus ſum, vivere mihi Chriſtus eſt, & mori lucrum, Phil. 1. v. 21.

Quodſi igitur & tu cum Simeone in pace dimitti velis, & tu Jeſulum recens natum in ulnas tuas accipias oportet:

1. *Spiritualiter*, ut in ſanctiſſimo ejus merito fiduciam ponamus, & firmiter credamus, quod ſit Jeſus & Salvator noſter, Mat. 1. v. 21. unus ille mediator inter Deum & homines, 1. Tim. 2. v. 5. Qui enim credit in filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus eſt filio, non videbit vitam, Joh. 3, ult.

2. *Sacramentaliter*, ubi nobis ſub benedicto pane, corpus ſuum edendum, & ſub benedicto vino ſanguinem ſuum bibendum exhibet, in pleniſſimam certitudinem, ut remiſſionem peccatorum habere, & cum eo in æternum vivere debeamus, Joh. 6, 51.

Artemiſia Regina Cariæ, maritum ſuum Regem Mauſolum tanto amore complexa eſt: ut non modo magnifico Epitaphio eum honoraverit, quod poſtea inter ſeptem mundi miracula relatum eſt: ſed & cineribus, quos de ejus combuſto corpore collegit, cibum & potum ſuum quotidie miſcuerit, ne unquam memoria ejus ſibi excideret.

Sed in ſacra cœna non cinere: verum vero corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti cibamur, hoc ipſo memoriam fecit mirabilium ſuorum, Pſal. 111. v. 4. & quando hoc cibo fruimur, hanc utilitatem exinde habemus, quod ille in nobis, & nos in illo manſuri ſimus, Joh. 6. v. 56. Quis igitur animum abjiceret aut deſperaret? Quin potius in omnibus adverſitatibus pleni fiducia eſſe, & dicere poterimus: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8. v. 34.

Hoc igitur animo tuo infixum eſto, mi Chriſtiane! ut & ipſe Jeſum tuum in ulnas recipias, per veram & ſalvificam fidem, & omnia tibi cooperabuntur in bonum, Rom. 8. v. 28. Et ſi hora mortis inſtabit fiducialiter cum Bernhardo dicere poteris: *Inter brachia Salvatoris mei, & vivere & mori cupio.* Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur, 14. v. 15.

Hoc præclarum ſolatium eſt, cujus intuitu beate mori, placide quieſcere, & ſuo tempore lætabundi reſurgere, & in vitam æternam introire valebimus. Adjuvet ad hoc conſequendum Deus gratia ſua nos omnes, per & propter Chriſtum, Dominum & Servatorem noſtrum, Amen.

* * *

In die feſto Matthiæ Apoſtoli.

Evangelium, *Matth. 11. v. 25. -- 30.*

EXORDIUM.

De præpotente Rege Ahaſvero refertur, quod nemini, non vocato interius atrium Regis intrare licuerit, quin ſtatim juxta ſtatutum interfectus fuerit; niſi forte rex auream virgam ad eum tetenderit, pro ſigno clementiæ, Eſther, 4 v. 11.

Nos quoque Regem habemus, & quidem multo potentiorem Ahaſvero: cœlum enim ſedes ejus, terra autem ſcabellum pedum ſuorum, Eſa. 66. v. 1. *Sed adeo inhumanus non eſt erga ſubditos ſuos*: verum nihil magis optat, quam ut omnes accederent, & beneficiorum ſuorum participes evaderent, quos proinde porrectis manibus expectat. Eſt enim verum φιλόψυχος, Sap. 12. v. 1. Et ſicut in mundum venit quærere & ſalvum facere, quod perierat, Luc. 19, 20. ita etiam in eo ſummam voluptatem capit, quando plurimos ad ſe venire videt, & gratiam accipere, quam in verbo & ſacramentis repoſuit, ideo ait: qui venit ad me, non ejiciam foras; Joh. 6, 37.

Exemplum habemus in prælecto Evangelio, ubi omnes laborantes & oneratos ad ſe vocat, clementer promittens, ſed refecturum illo eſſe: Et quamvis non omnes accedant, ſed plurimi ex ſapientibus hujus ſeculi benevolam hanc ejus invitationem ſusque deque habeant, & libentius ad domum convivii eant, Eccleſ. 7. v. 3. aut ad negotiationem ſuam, Matth. 22. v. 5. attamen gratias agit patri ſuo cœleſti pro parvulis, i. e. ſimplicibus, quod illos illuminatos, ad agnitionem veritatis pervenire voluerit. *Unus enim juſtus majoris æſtimatur in oculis Dei, quam mille impii* quod exemplo Sodomæ & Gomorrhæ patet, quibus Deus peperciſſet, ſi modo decem ibi juſti inventi fuiſſent, Gen. 18. v. 34.

Hoc Evangelium pii Veteres, in diem Matthiæ explicandum in Eccleſia ordinarunt, qui loco Judæ, forte ad Apoſtolatum electus eſt, ut conſtat ex Act. 1, 23. Aliis in locis mentionem ejus non factam legimus, plurimi eum in Judæa juſſu ſummi Pontificis interfectum autumant. Hoc certiſſimum eſt, quod morte & ſanguine ſuo, ad exemplum reliquorum Apoſtolorum, Evangelicam veritatem conformaverit, & quaſi obſignaverit, juxta Chriſti prædictionem, Joh. 16, 12.

Nos ſine ulteriori ambage ad ipſam Evangelii tractationem nos conferemus, enodaturi:

I. ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

Patriarcha Abrahamus, filium ſuum Iſaacum in honorem Dei, in Moria monte

re ſacrificaturus, *aſinum ad radicem montis reliquit*, Gen.22,5.

Nobis idem faciendum eſt, ut *aſinum cæcæ rationis*, aſinum *ignorantiæ*, aſinum *propriæ gloriæ & ſapientiæ*, inferius ad radicem montis relinquamus, ſi Domino ſacrificium gratum & acceptum offerre velimus. Non enim multi ſapientes ſecundum carnem &c. 1.Cor.1,26.

Eo collineat Chriſtus cum gratiarum actione ſua in prælecto Evangelio, inquiens: Confiteor tibi, pater, Domine cœli & terræ: quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus; & revelaſti ea parvulis. Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te &c.

Notetur hic ad ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri*, perdiſcendam:

I. *Sapientum hujus mundi reprobatio*, ſic enim ait Servator: Confiteor tibi, pater, Domine cœli & terræ: quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus &c.

Hoc non *abſolute & ſimpliciter* intelligendum eſt, quaſi Deus quibusdam media ſalutis invidiſſet, ne per Evangelium illuminarentur, converterentur, & ſalvarentur: id enim de Deo ne quidem ſomniari debet, qui in verbo multoties conteſtatus eſt, nolle ſe mortem peccatoris: ſed potius velle, ut omnes ſalvificerent, & ad cognitionem veritatis pervenirent 1.Tim.2,4. Verum ideo ſapientibus & prudentibus hujus mundi, regni ſui myſteria abſcondidit, quia præ majoris ſapientiæ imaginatione cœleſtem ſapientiam juſtificare volunt, Luc.7,35. Quia enim in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes, 1.Cor.1.v.21. Hic cauſa exprimitur, cur ſapientes & prudentes hujus mundi à Deo reprobati ſint, quæ *non eſt voluntas Dei alias omnes cauſas antegrediens*; ſed quia ſe nimis ſapientes æſtimant, & myſteria divina ratione ſua metiri volunt, hinc faciunt, ut nihil intelligant, dimiſſi à Deo ſecundum deſideria cordis &c. Pſal.81,13.

Hic examen tecum inſtitue, mi Chriſtiane! utrum & ipſe hac in parte deliqueris, quod verbum & voluntatem Dei ad rationis ſtateram appendere, curioſe rimari, vel alio modo, inſigni hoc Dei dono abuti præſumſeris?

Equidem ſapientia & prudentia ſimpliciter non improbanda eſt

1 *In Choro*, quod ſcripturam attinet, ut ſciamus, quomodo ſpiritualia ſpiritualiter dijudicanda ſint, 1.Corinth.2,13. & verbum veritatis recte ſecari debeat, 2.Timoth.2.v.15.

2. *In Foro*, ubi enim non eſt conſilium, populus corruet, ſalus autem, ubi multi ſunt conſiliarii, Prov 11.v.14. ſic David prædicatur, quod prudentius ſe geſſerit, quam omnes ſervi Saul, 1.Sam.18.v.ult. Pari modo Nebucadnezar in Daniele ejusque ſociis invenit decuplum ſapientiæ & intellectus, ſuper cunctos ariolos & magos, qui erant in univerſo regno ejus, Dan.1.v.10. Hinc etiam in maxima reipub. pœna habetur, quando Deus conſiliarios, & ſapientes de fabris, & peritos Oratores auffert, & dat pueros principes, & infantes, qui dominantur, Eſa.3.v.2.3.

3. *In Toro*. Sapiens enim mulier ædificat domum, Prov. 14. verſ.1. Et ſapiens Abi-

Digitized by Google

Abigail ſæpe magnum malum à domo aliqua avertere poteſt, 1. Sam. 25, 23.

Sic ſane ſapientia & prudentia inſigne Dei donum eſt, & laudem quoque meretur. Quodſi vero inani ſapientia inflatus, verbum & voluntatem Dei contemnas & repudies, quia rationi tuæ non conſentit, id ſane in vituperio ponendum eſt. Hoc enim Deus ferre nequit: ſed omnes qui taliter ſapientia ſua abutuntur, ſtulti efficiuntur, Rom. 1. v. 22.

Plato ab omnibus doctis, ob artem & eruditionem in pretio habetur, ut ab iisdem *Divinus* appelletur: Verum cum Myſteria divina, quæ in ſacris habentur, ratione ſua metiretur, ſtultus factus eſt, ut dixerit: Moſes multa dicit, pauca probat.

Adhuc hodie multi occurrunt in omnibus Hierarchiis, qui ad rationem ſuam, velut ad Lydium lapidem myſteria divina examinare ſataguut, & ita ſalutis ſuæ naufragium faciunt, 1. Tim. 1. v. 19. Beati enim, qui non vident, & credunt, Joh. 20, 29.

Nos curioſitatem ejusmodi vitemus, in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, 2. Cor. 10. v. 5. ſi genuini ejus diſcipuli eſſe velimus, reſpectu ejus enim locum habet, illud αὐτὸς ἔφα, ideoque non fallet, ſed erit Etiam & Amen, 2. Cor. 1, 20.

Quando liberi à parentibus ſuis promiſſionem habent, eidem innituntur, nec dubitant, quin promiſſa ſint daturi: Ita Deus in parvulis delectatur, qui ſicut modo geniti infantes lacti ſalvifici Evangelii inhærent, 1. Pet. 2. v. 2. & quod in hoc mundo comprehendere nequeunt, id differunt in alteram vitam, ubi revelata facie gloriam Domini tanquam in ſpeculo recipient, 2. Cor. 3. v. 7. Hi parvuli maximi ſunt in regno cœlorum, Matth. 18, 1. Ex ore eorundem perfecit ſibi robur, quo omnes inimici ejus deſtruentur, Pſal. 8. v. 3.

II. *Status noſtri delineationem.* Qui ob oculos nobis ponitur:

1. *Sub imagine laborantium.* In Græco eſt κοπιῶντες, quod eſt, moleſto labore defatigati, ſicut Ægyptii ad amaritudinem perducebant vitam Iſraelitarum operibus duris luti & lateris, omnique famulatu in agro, Exod. 1. v. 14. Sic & in *captivitate Babylonica* queri tenebantur, ſuper cervices noſtras urgemur, laſſis non datur requies, Thren. 5. v. 5. Idem accidit *Chriſtianis, in tribus prioribus ſeculis*, qui partim in lapidicinis operas facere, partim immanes montes perfodere, & alios moleſtos labores exantlare tenebantur, ut Hiſtoria Eccleſiaſtica teſtatur.

Sicut igitur hæc magna miſeria eſt, ſi in ſupra vires & quidem ſine mercede laborare cogaris: ita Chriſtus hoc ipſo totius generis humani miſeriam delineare volunt, in quam per triſtem Protoplaſtorum lapſum incidimus, homo quippe naſcitur ad laborem ſicut avis ad volatum, Hiob. 5. v. 7. & hoc tolerabile adhuc foret, ſi maledictio non acceſſiſſet, Gen. 3, 17. & multæ ærumnæ, quibus propter peccata ſubjecti ſumus, quarum variationes & exercitus ſæpe contra nos ſunt, Job. 10, 17. ut non immerito Eccleſia canat:

> Hic ſcena amaritudinum,
> Angoris & diſcriminum,
> Dies breves hîc ducimus,
> In luctibus,
> In lucta idem perpendimus:

Es

Digitized by Google

Es iſt allhie ein Jammerthal
Angſt/Noth/und Trübſal überall/
Des Bleibens iſt ein kleine Zeit/
Voll Mühſeligkeit/
Und wers bedenckt/iſt immer im Streit/

Dum enim homo vivet, dolebit, & anima illius in ipſo lugebit, Hiob. 14. v. 22. Nec finis miſeriarum eſt, dum beate in Domino moriatur, usque in diem ſepulturæ in matrem omnium, Sir. 40, 1.

2. *Sub imagine bajulantium.* Hoc *ſpiritualiter* in omnibus hominibus locum habet, ut onerati ſint, ſicut Chriſtus hic loquitur, & tanto onere premantur, quo in abyſſum infernalem deprimerentur, niſi in tempore gratiæ per ſalutaria media eo ſe expedirent. *Quale vero hoc onus?* Nihil aliud quam *peccatum*, in quo concepti & nati ſumus, Pſal. 51. v. 7. Et quia hunc malorum fomitem in mundum offerimus, facile ſcintillula de concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ ſe inſinuare poteſt, 1. Joh. 2. v. 16. ut nocentiſſimum incendium ſuboriatur, usque ad perditionem devorans Hiob. 31, 12. Jac. 1, 15.

Quando igitur homo viginta, triginta, quadraginta, quinquaginta vel plures annos in vivis fuit, & vitam ſuam ad normam decalogi examinabit, magnam peccatorum & flagitiorum colluviem ille cumulabit, quæ velut grave onus animam ejus augent, ut cauſam habeat cum Davide conquerendi: Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me, Pſal. 38. v. 5.

Hic inſpicias velim te, mi Chriſtiane! annon & ipſe in numero horum laborantium, & oneratorum ſis?

Inveniuntur homines, qui magnam illam peccatorum molem non ſentiunt, quia cor eorum oneratum eſt: ſed malum manuum ſuarum dicunt bonum, Mich. 7, 3. ſive autumant, ſi à gravioribus peccatis mortalibus abſtineant, & legi externam obedientiam præſterit, omnia eſſe in vado. Verum, *minuta etiam peccata, ſi negligantur, occidunt:* Quinimo: *Nullum peccatum adeo veniale eſt, quin fiat, ſi placet, criminale,* ut Auguſtinus ait.

Navis æque ſubmergi poteſt, ſi rimulæ non obſtruantur, quam ſi aquæ per hiatus illabantur.

Si mercator parvas expenſas & acceptas in rationes non refert, æque perire poteſt, quam ſi magnas negligit.

Non Deus tam parvitatem peccatorum, quam obedientiam mandatorum reſpicit. Putasne quod ob pomi eſum tantopere iraſcatur? Gen. 3, 6. 14. Aut ligni collectionem in ſabbatho, tanti æſtimet? Num. 15. v. 32. aut Beth-ſamitas tanta pœna affecerit, quod fœderis arcam vidiſſent, 1. Sam. 6, 13. Aut Ozam, quod bona intentione manum ad eam extenderit? 2. Sam. 6. v. 6. Obedientiam ille requiſivit, quam in minutioribus hiſce æque ac in majoribus præſtitam vult. Idcirco peccata non extenuare debemus, ſiquidem & nullum extenuandum eſt: ſed quaſi à facie colubri fugiamus ea, Sir. 21, 2. Vere B. Lutherus: *Vere peccatum tam magnum eſt, quam magnus eſt, qui peccato offenditur, eum autem cœlum & terra capere non poſſunt.*

Hoc perpendentes, quando nos ad hoc vel illud peccatum diabolus ſeducere ſatagit, eidem obſequi minus debemus, ſed ſemper exitum reſpiciamus, cum Demoſthene dicente: *Tanti pœnitere non emo. Memen-*

taneum eſt, quod delectat, æternum, quod cruciat. Vermis enim damnatorum non morietur, & ignis eorum non exſtinguetur, & erunt abominatio omni carni, Eſa. 66. v. ult.

III. *Blanda Chriſti invitatio*, quæ *triplice fine* fit. Vocat enim ad ſe omnes laborantes & oneratos:

1. *Ad refocillandum.* Si quis infirmus eſt, & accipit amicum, qui curam ſui agit, hoc in beneficii loco reputare debet, quale exemplum recenſetur, 1. Sam. 30, 11.

Pari modo nos Chriſtus reficit, qui alias anima laboramus, in verbo & ſacramentis, ut incedamus in fortitudine Domini, Pſal. 71. v. 16. ne deficiamus in tribulationibus, Eph. 3, 13. ſed bonam militemus militiam, 1. Tim. 6. v. 12. ſcientes, quod Deum diligentibus omnia in bonum cooperentur, Rom. 8, 28.

Hic proba te, mi Chriſtiane! utrum hanc refectionem ex animo deſideraveris, aut forte alibi quæſiveris?

Quando filii hujus ſeculi ſe refecturi ſunt, abeunt in popinam, ubi genio indulgent, vinoque & epulis ſe replent, hæc eorum recreatio eſt, poſtridie vero ægrotant crumenam & caput, juxta adagium: Allzeit naſchen/macht leere Taſchen. Quin corpus atque animam gravant, ut ad omnia munia inhabiles fiant, Luc. 21, 34. Propterea commercium eorum fugientes, apud Chriſtum divertamur, qui non habentes argentum reficit, & ſine ulla commutatione largitur vinum & lac, ut vili comedentes in pinguitudine delectare poſſimus, Eſa. 55. verſ. 1. 2.

2. *Ad portandum.* Dicit enim, tollite jugum meum ſuper vos. *Per hoc jugum non ligneum jugum intelligitur*, quo jumenta junguntur, ſicut accipitur, Job. 39, 13. Nunquid alligabis Monocerotem ad arandum, loro tuo? Neque *peccatorum jugum*, de quo Siracides: Beatus eſt, qui tectus eſt à lingua nequam, cap. 28. v. 23. & Palus: Nolite jugum ducere cum infidelibus, 2. Cor. 6, 14. Sed:

1. *Jugum doctrinæ*, ſive jugum novi teſtamenti, ubi quidem lex & Evangelium promiſcue prædicantur: ſed fidelibus lex non amplius jugum ſervile eſt, Act. 15, 10. quia filii Dei ſunt, quibus Deus ignoſcit, etiamſi perfectum ſcopum, quem lex requirit, attingere non poſſint, hinc Johannes: Hæc eſt caritas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus, & mandata ejus gravia non ſunt, 1. Joh. 5. v. 3. Ita ſumus populus ſpontaneus, Pſal. 110, 3. & præſtamus, quæ poſſumus, cætera, quæ nobis deſunt, in Chriſto quærimus, qui nobis à patre ſuo factus eſt ſapientia, & juſtitia, & ſanctificatio & redemtio, 1. Cor. 1. v. 30. ut de plenitudine ejus accipiamus gratiam pro gratia, Joh. 1, 16.

2. *Jugum diſciplinæ.* Hoc ſenſu Rehabeam dicit ad ſubditos ſuos: Pater meus poſuit ſuper vos jugū grave, ego autem addam ſuper jugū veſtrum, 1. Reg. 12, 11. Ipſe Deus captivitatem Babylonicam jugum vocat, Jer. 27, 8. Confer, Thren. 3, 27.

Quemadmodum enim duo boves junguntur, ut æquo jugo trahant: Ita & nos per jugum crucis Chriſto quaſi copulamur, ut crucem ejus feramus, & ſicut ipſe per multas tribulationes in regnum cœlorum intremus, Apoc. 14, 22.

Equidem Chriſtum adæquare non poſſumus. Solus enim torcular iræ divinæ calcavit, Eſa. 63, 3. Et crucem tulit, ubi difficillima fuit, nos vero cum Simone Cyrenæo illam ex parte ſuſtinemus, & ſequimur eum,

Mtath.

Digitized by Google

Matth.27,32. Ipſe manibus pedibusq; extenſis cruci afflixus fuit,nos vero cum Johanne & Maria juxta crucem ſtamus,Joh. 19,25.Interea nobis cumChriſtopatiendum &commoriendum eſt,ſi cum illoconregnare & convivere velimus,2.Tim.2,11.

Hic examines velim te,utrum & ipſe collum tuum jugoChriſti æquo animo ſubdideris?

Carni quidem & ſanguini id moleſtum videtur,interim tamen intuitu magnæ utilitatis,felices nos cenſeamus,ſi jugo huic alligemur,Omnis enim diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii& mœroris, Heb.12,11,Sicuti enim boves non ſemper jugo alligati ſunt: ſed quando veſperaſcit, ſolvuntur:Ita nec nos jugum ſemper portare debemus,verum quando ſabbathum vitæ æternæ ingruet,ſolvet nos Dominus, ut in requie ſecuritatis,Eſa.32,19. ſabbathum ex ſabbatho celebremus, Eſa. 66,23. & cum Domino ſemper ſimus,1.Theſſ.4,17.

2. *Ad informandum.* Diſcite à me,ait : quia mitis ſum,& humilis corde.

Duo hic à Chriſto diſcere debemus :

1.*Lenitatem.*Hæc talis virtus eſt,quæ non vinci ſe patitur à malo , ſed vincit in bono malum,Rom.12.v.ult.hominibus ſuadet,2. Cor.5.v.11. ut & illi, qui præoccupati ſunt in aliquo delicto,inſtaurentur in ſpiritu lenitatis,Gal.6,1.

2. *Humilitatem* , qua de Cyprianus ait , *quod ſit ſoror patientiæ* ; Ubi enim vera animi humilitas eſt,ibi facile in rebus ſecundis modeſte ; & in adverſis patienter nos gerere poterimus, dicentes cum Jobo : Si bona ſuſcepimus &c. c.2.v.10.

*In utroq; nobis exemplo ſuo Chriſtus præivit.*Licet enim in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt , eſſe æqualem Deo, Phil.2,6. Deinde cum paſſionem ſubiret , non aperuit os ſuum: ſicut ovis ad occiſionem ducitur,Eſa.53,7. Cum malediceretur non maledicebat,1. Pet.2,23.

Hic probes velim te,utrum & ipſe ſcholam Chriſti frequentaveris, & has duas virtutes à Chriſto diſcere ſtudueris?

Hic magni defectus occurrunt, mundus enim plenus faſtu eſt, qui ſemper *plus ultra* meditatur,ſicut hoc ſemen ſuum antiquus ſerpens Protoplaſtis noſtris inſevit, ut forte ſua minime contenti,ſicut Deus eſſe voluerint,Gen.3,5.hinc ſequuntur inimicitiæ , contentiones,æmulationes,iræ, diſſenſiones,homicidia,Gal.6,20. Inter ſuperbos enim ſemper jurgia ſunt.Prov.13,10.

Propterea veri Chriſtiani ſemper humilitati ſtudeant oportet,ut nihil faciant per contentionem , neque per inanem gloriam,Phil. 2,3. & manſuetudo ſponte ſua ſequetur,ut alter alterius onera portemus, & ſic adimpleamus legem Chriſti , Gal.6. v.2.

De Secundo.

TRanſibimus nunc *ad alteram partem, χριστογνωσίαν* , ſive *notitiam Chriſti*, contemplaturi. Hic nobis in præſente Evangelio commendatur:

I. *Tanquam patris ſui glorificator*, ait enim:Confiteor tibi, pater Domine cœli & terræ:quia hæc abſcondiſti à ſapientibus & prudentibus : & revelaſti ea parvulis. Ita ſemper panes accipiens , oculis ad cœlum elevatis,patri ſuo gratias egit,Marc.8,6.Joh. 6,11.& alibi paſſim, idcirco ait ad Judæos : Honorifico patrem meum,Joh. 8. v.49.

Hinc igitur facile,quid noſtri officii ſit ,

Digitized by Google

colligere poſſumus. Indies enim tantis beneficiis nos cumulat, ut non numerare, nedum verbis ea enarrare valeamus. Producit fœnum jumentis, & herbam ſervituti hominum, Pſal. 104. v. 14. 15. 16. Et quod magis eſt dat nobis verbum, Evangeliſtas magno exercitu, Pſal. 68, 11. qui docent nos utilia, Eſ. 48, 17. ut tam corpori quam animo proviſum ſit, nec deſtituamur omni bono, Pſ. 34, 11. Quinimo, *non eſt momentum, in quo non utimur bonitate Dei*, ut Auguſtinus ait. Quidni igitur hymnis eum celebrantes, gratias ipſi cantemus, ſiquidem bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo, Altiſſime, Pſal. 92, 2. 3.

Deus *hominem* ad imaginem ſuam conditum, *omnibus aliis animantibus longe prætulit*, ſemel, *ratione*, qua rem accurate expendere, & potiora probare poteſt, Phil. 1. v. 10. Secundo *oratione*, qua animi ſua ſenſa prodere, & articulate loqui valet. In utroq; hoc brutis præſtamus; proinde officium noſtrum erit, ut Deo creatori noſtro rationalem cultum præſtemus, laudando, confitendo, celebrando & gratias agendo, quod nos tanta gratia ornavit. *Quodſi itaque bene nobis eſt*, dicamus: *Confiteor tibi*, eſt enim pater luminum, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum deſcendit, Jac. 1, 17. *Sin male*: iterum dicamus: *Confiteor tibi*, onus enim quidem imponit nobis, ſed & ſalus noſtra eſt, Pſal. 68, 20. In omnibus igitur gratias agite, 1. Theſſ. 5, 18.

II. *Tanquam omnium dominator*, omnia enim, ait, tradita mihi ſunt à patre meo. Id alibi his verbis exprimit: data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, Matth. 28. v. 18. Ex quo apparet, Servatorem Dominum omnipotentem eſſe, etiam quoad humanam ſuam naturam, vi unionis perſonalis. In eo enim, quod omnia ei pater ſubjecit, nihil dimiſit non ſubjectum ei, Phil. 2. v. 8.

Quoad divinam naturam nihil ei communicari potuit, juxta illa enim omnia habet ab æterno, Pſal. 2. v. 7. Ideoque hic locum habet Regula Athanaſii: *Quæcunq; in ſcripturis Chriſto data eſſe dicuntur in tempore, illa de Chriſto non ſecundum Deitatem, ſed ſecundum humanitatem intelligenda ſunt.* Hoc *Diabolus expertus eſt*, cujus caput contrivit, Gen. 3, 15. *Infernus*, quem diſſolvit, 1. Joh. 3. v. 8. *Mors*, quam in victoriam abſorpſit, 1. Cor. 15 55. *Mundus*, quem vicit, Joh. 16. v. ult.

Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos, Rom. 8. v. 31. ſeqq. O Dilecti! Confidite huic omnipotenti Domino! *Quodſi omnia ipſi tradita* ſunt à patre ſuo, *tradita quoq; ipſi eſt clavis penuariæ*, & quando ipſum invocaverimus, optimum ſuum theſaurum cœlum aperiet, Deut. 28. v. 12. & effundet benedictionem usque ad abundantiam? Mal. 3, 10.

Quodſi omnia ipſi tradita ſunt à patre ſuo, tradita quoque ipſi fuerit *clavis infortunii*, ut ſolvere poſſit, ſi quem ſatanas ligaverit ſpiritu infirmitatis, uti mulierculam illam, Luc. 13, 11. aut in compedibus jecerit, ut Joſeph, Pſal. 105, 18. aut quocunque quis malo conſtrictus ſit, hinc ipſe dicit, ſe miſſum ad prædicandum captivis liberationem, Eſa. 61. v. 1.

Quodſi omnia ipſi tradita ſunt à patre ſuo, tradita quoque ipſi fuerit *clavis mortis*, qua aliquando tumulos noſtros aperiet, nosque populum ſuum educet de ſepulchris noſtris, Ezech. 37. v. 12. Hinc ipſe ait: Habeo claves mortis & inferni, Apoc. 1. verſ. 18.

Quod-

Digitized by Google

Quodcunque igitur nobis opus eſt, tam in ſpiritualibus, quàm corporalibus, à Domino hocce petamus oportet, dat enim omnibus ſimpliciter, & non improperat, Jac. 1. v. 5. quinimò lætatur ad benefaciendum nobis, Jer. 32. v. 41.

III. *Tanquam jugi noſtri dulcorator.* Jugum enim meum, ait, ſvave eſt, & onus meum leve. Quod per jugum hoc intelligatur, ſuperius à nobis explicatum eſt, nempe *jugum doctrinæ & jugum diſciplinæ.*

Utrumq; Chriſtus dulcoravit:

1. *Sublevando*, ipſe enim jugum legis ſubiit, nec modò eandem implevit, ſed & pœnam, quam promeriti eramus, in ſe ſuſcepit, & expiavit. Ideo ſuum onus, & ſuum jugum vocat, quod quilibet, qui diſcipulus ejus eſſe vult, portare debet. & ſine hoc diſcipulus ejus eſſe nequit, Luc. 14. v. 24. Interea hoc nobis ſolatium reſtat, quod nos adjuvare velit, Eſa. 46. v. 4. dum vallem miſeriarum pertranſierimus, fidelis enim eſt, nec patitur nos tentari ſupra id quod poſſumus, 1. Cor. 10. v. 13.

2. *Commutando, æternam enim pœnam,* peccatis nobis promeritam, *in temporalem commutat*, ita caſtigat nos in judicio, ne videamur nobis innoxii, Jer. 30. v. 11. quæ paterna caſtigatio, & *magis emundatoria, quàm interfectoria* eſt, ut Auguſtinus ait, 1. Cor. 11. v. 32. Quid igitur pœna hæc temporalis in comparatione ad æternam? *ubi una hora gravior erit in pœna, quàm hic centum anni in pœnitentia.* Ex inferno enim nulla redemtio, Pſal. 49. v. 15. 2. Theſſ. 1. verſ. 9.

3. *Remunerando.* Promittit enim illis, qui jugum ſuum ſuper ſe tollunt, & ab eo manſuetudinem & humilitatem diſcunt, quod invenire debeant requiem animarum Ecce! præmium honoratiſſimum. Quis igitur ſcholam Chriſti non ſponte frequentaret, & caſtigationi ejus ſe ſubjiceret?

Hæc enim *ἀνάπαυσις*, quam Chriſtus hîc promittit, in eo conſiſtit, quod pacem habeamus ad Deum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Rom. 5. v. 1. & poſſimus fiducialiter clamare: Abba pater, Gal. 4. v. 6. Hoc tantum bonum eſt, quod omnem exſuperat ſenſum, Phil. 4. v. 7. eſt *paradiſus & affluentia divitiarum,* ut Auguſtinus loquitur. Quanquam enim mundus dicat: *Ego deficiam,* Caro: *Ego inficiam.* Diabolus: *Ego interficiam*: ſufficit tamen nobis, quando hic cœleſtis Præceptor ait: *Ego reficiam.*

Quemadmodum verò hæc requies in hac vita incipit, ita *plenè conſummabitur,* quando perveniemus in cœleſtem Hieroſolymam, in *eam Academiam*, ubi quilibet Electorum in omnibus Facultatibus Doctoris gradu honorabitur; habebit enim *ſummum gradum in Theologiâ*, & divina myſteria rectè intelliget, 1. Cor. 13. v. 12. Summum gradum *in Jurisprudentia*, & ad perfectam juſtitiam perveniet, 2. Pet. 3 v. 13. Summum gradum *in Medicina*, & veram ſalutem poſſidebit, Apoc. 22. v. 2. *Symbola promotionis* erunt, non pileus terrenus, ſed *immarceſcibilis corona gloriæ*, 1. Petr. 5, 4. non annulus ex auro, ſed *circulus æternitatis*, 2. Theſſ. 4. v. 17. non *humerale* holoſericum, ſed *æternitatis*, 1. Cor. 5. v. 53.

Epulæ Doctorales non aliquot horas durabunt, ſed in æternum, ubi Doctor eruditæ linguæ, Eſa. 50. v. 4. in menſa ſua velut torrente voluptatis nos potabit, Pſal. 36. v. 9. Eſa. 65, 14. Fiat, fiat id, per Chriſtum, Amen.

Digitized by Google

In Feſto Annunciationis Mariæ.

Evangelium Luc. 1. v. 26. ... 38.

EXORDIUM.

CUm juſtiſſimum Numen primum mundum, diluvii pœnâ inundatum eſſet, rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt: *Et facta eſt pluvia ſuper terram, quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Hæc fuit *pluvia iræ*, quâ delevit Deus omnem ſubſtantiam, quæ erat ſuper terram, ab homine, uſque ad pecus, tam reptile, quàm volucres cœli, quæ omnia deleta ſunt de terrâ, Gen. 7. v. 11. ſeqq.

Quemadmodum Deus non ſemper iratus eſt, ſed & gratiam ſuam reducit diligentibus ſe, quippe quo fine iridem in nubibus poſuit, tanquam ſignum fœderis, quod cum Noah ejusq; poſteris ſtatuit, quod non ultra aquas Diluvii ad delendam univerſam aquam mittere velit, Gen. 9, 8. ſeqq. Ita *ſuaviſſima gratiæ pluvia* ſequuta eſt, in ſalutifera conceptione & incarnatione filii ejus, qui in plenitudine temporis deſcendit, ſicut pluvia in vellus: & ſicut guttæ irrigant terram, Pſal. 72. v. 6. hoc ipſo peccatum obſignatum, iniquitas expiata, & ſempiterna juſtitia adducta eſt, Dan. 9. v. 24.

Ibi *fontes abyſſi magnæ* rupti ſunt. Id hic quoque factum eſt. Quod enim Deus filium ſuum hominem factum voluit, id tanta *gratiæ & miſericordiæ divinæ abyſſus* eſt, in quam & angeli deſiderant proſpicere, 1. Petr. 1. v. 12. Unde meritò exclamamus: O profunditatem divitiarum! Rom. 11, 33.

Ibi *aperuit Dominus theſaurum ſuum*, & protulit vaſa iræ ſuæ, Jer 50, 25. Hic *gratiæ theſaurum* aperit, ut guſtemus bonitatem ejus, Pſ. 34. v. 9. Commendat enim caritatē ſuam Deus erga nos, Rom. 5. v. 8. 9.

Ibi *cataractæ cœli* apertæ ſunt; & facta eſt pluvia ſuper terram, quadraginta diebus & quadraginta noctibus: Hic *ſimile quid accidit.* Sancti Patriarchæ diu ſuſpirarunt: Rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtitiam, Eſa. 45. v. 8. Et iterum: Utinam cœlum diſrumperes! Eſ. 64, 1. Id hodie impletum eſt, ubi æternus Dei filius de cœlo deſcendit, & in caſto ſanctiſſimæ Mariæ Virginis utero, humanam carnem & ſanguinem aſſumſit, hæc *gratiæ pluvia* eſt, & *imber benignus*, quem effudit Deus ſuper hæreditatem ſuam, & quod languet, confirmavit, Pſal. 68 v. 10.

Cum Gideon vellus ſuum in areâ poneret, primò ros in ſolo vellere fuit, & in omni terrâ ſiccitas. Cumq; iterum vellus exponeret, ſiccitas fuit in ſolo vellere, & ros in omni terrâ, Jud. 6. v. 37.

Ita Deus Pater cœleſtis ſolam Virginem Mariam, præ omnibus aliis mulieribus in id elegit, ut matercula filii ſui foret. Tu enim, ait Angelus, benedicta es in mulieribus, Dominus tecum: Ecce, concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Verum beneficia, quæ Chriſtus per conceptionem ſuam ſanctiſ-

ſimam

Digitized by Google

ſimam nobis peperit, univerſalia ſunt, ut omnes homines iis per fidem potiri poſſint: Eſt enim Servator omnium hominum, maximè verò fidelium, 1.Tim.4.10.

Nos abſque longiori præloquio ad ipſum Evangelium nos accingemus, meditaturi ex eodem:

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J.J.

Exegeſis.

QVemadmodum malus Angelus ad Evam in paradiſum venit, eique attulit *verbum mortis*, quo illa & omnes ejus poſtei, temporali & æternæ morti immerſi ſunt, Gen.3.v.1. Ita hodie bonum Angelum, ſanctam Mariam virginem acceſſiſſe, eique *verbum vitæ* attuliſſe, audimus, quo lapſum genus humanum reſtitutum, & vita, & incorruptio illuminavit, 2.Tim.1,10. In menſe enim ſexto miſſus eſt angelus Gabriel à Deo in civitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, &c.

Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri* hinc diſcere poſſumus, quando intuemur:

1. *Angelicam ſalutationem.* Angelus enim ad B. Virginem ingreſſus, ſalutavit eam dicens: χαῖρε κεχαριτωμένη, ave Gratioſa, Dominus tecum. Hoc *non activè* intelligendum eſt, ut Pontificii exponunt, quaſi Maria gratiâ redundaret, ut etiam aliis hinc largiri poſſit: ſed *paſſivè*, & idem eſt, ac, *gratiam indepta, gratificata,* ſicut ipſe angelus deinceps exponit, ajens: Inveniſti gratiam apud Deum. Maria enim non expiavit nos apud Deum, nec ejus gratiam peperit: ſed hoc ſolius Chriſti opus eſt, qui propterea deſcribitur, quod ſit plenus gratia & veritate, de cujus plenitudine oporteat nos accipere gratiam pro gratiâ, Joh.1.v.16. Aliàs naturâ filii iræ ſumus, Eph.2.v.3. nec regnum Dei hæreditare poſſumus, Joh.3.v.5.

Hic probes velim te, utrum Angelicam ſalutationem rectè obſervaveris, aut cum Pontificiis eâdem abuſus, aut abuſum Pontificium, pro tanto peccato reputaveris, quantum reverâ eſt?

Inter nos Lutheranos, non facilè occurrent, qui Angelicam ſalutationem precationem eſſe cenſeant; ſed non dubito, quin ſint, qui parum referre putant, ſi juxta Orationem Dominicam & AVE MARIA precentur. Verùm hoc ipſo homines à Chriſto ad B. Mariam ablegantur, quaſi nos redemerit, & gratiam Dei reſtituerit, ſicuti Monachi, quò ſimplicioribus eò facilius imponerent, Apoſtolos ipſos ita oraſſe, confinxerunt.

Pontifex Johannes XXII. hujus nominis, circa A.C.1325. ordinavit ut manè & veſperè ter campanæ pulſarentur, & ad unumquemque pulſum tria Ave Maria dicerentur, iisque, qui id ſtudioſè obſervarent, pro quolibet die viginti dierum indulgentias promiſit. Pertinent huc Marialia, Roſaria, Pſalterium Mariæ, & alia plura ſuperſtitioſa, quibus Mariam cultu planè idololatrico venerantur.

Verùm, ut verbo quod res eſt, dicamus: *Fœdus abuſus eſt.* E ſalutatione namque precationem conficere ſatagunt, idque nimis abſurdè. *Oratio locutio eſt ad Deum,* ait Auguſtinus, quâ nimirum aliquid à Deo petimus, vel ei gratias agimus. Neutrũ Angelicæ huic ſalutationi applicari poteſt, aliàs ſequeretur, quod Angelus ipſe Mariam adoraſſet, quod abſonum eſt.

Præ-

Digitized by Google

Præterea neminem, niſi unum & ſolum Deum adorandum eſſe novimus. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies, Deuter. 6. v. 13. Matth. 4. v. 10. Unde & Chriſtus diſcipulos non ave Maria, ſed Pater noſter, qui es in cœlis, orare juſſit. B. Maria enim, neque omnipotens, neque omniſcia, neque omnipræſens eſt, nec melius novit nos, quàm Abraham Judæos, Eſa. 64. v. 16. In veteri Eccleſia doctrina hæc planè incognita fuit. Epiphanius, qui circa Annum Chriſti 370. vixit, expreſsè ita ſcribit: *Sit in honore Maria; Pater, Filius, & Spiritus ſanctus adoretur, Mariam nemo adoret.* Hoc ſcripturæ conſentaneum eſt. Unus enim eſt Deus, unus etiam mediator Dei & hominum, 1. Tim. 1. v. 5. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, Hebr. 4. v. ult. Qui verò alium inſequuntur, multiplicant moleſtos labores ſuos, Pſal. 16. v. 4.

Hoc verò ab Angelo diſcere debemus, ut & *ipſi invicem officioſi ſalutationibus ſimus*, proximo noſtro ſalutem, pacem & benedictionem divinam apprecantes: hoc enim fructu ſuo non caret. Deſiderium enim juſtorum profectò bonum eſt, Prov. 11. v. 23. ejusmodi benignitas eſt fructus, Gal. 5. v. 22 Ubi verò deeſt, ſpiritus quoque ſanctus non habitat, Rom. 8. v. 14.

II. *Chriſti incarnationem.* Ideo enim Deus Angelum Gabriel, mittit ad B. Virginem, ut eidem annunciet, quod ſpiritus ſanctus ſuperventurus ſit in eam, & virtus Altiſſimi obumbratura eam, quò concipere in utero, & ſanctiſſimum parere poſſit. Hoc magnum pietatis myſterium eſt, rationi noſtræ minus obvium, 1. Tim. 3. v. ult. Hinc Chryſoſtomus: *Claude oculos rationis, & noli intelligere, ut credas, ſed crede ut intelligas* Angelus explicat & *per ſuperventionem*, & *per obumbrationem*; ubi notandum, quod Chriſtus de viſibili Spiritus ſancti effuſione loquens, ad eundem ferè modum loquatur, dicens: Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti in vos, Actor. 1. v. 8. Sic de nube dicitur, quod operuerit tabernaculum teſtimonii, ubi Septuaginta Interpretes eodem hoc vocabulo utuntur, quo Angelus hîc utitur, Exod. 40. v. 34. Fortaſſis ita intelligendum eſt, ut de Spiritu Domini dicitur, quod in principio Creationis, aquis incubuerit, easque fœcundaverit, ut piſces & volucres illæ proferrent, Geneſ. 1. v. 2. Sed eſt & manet myſterium, cujus ſcientia mirabilior & ſublimior eſt, quàm ut valeamus eam comprehendere, Pſal. 139. verſ. 14.

Hic perquires velim te, mi Chriſtiane! utrum ſtupendum hoc gratia divina opus animo ſtudioſè meditatus fueris, & Deo tuo gratias debitas egeris?

Olim in Eccleſiâ ſingulis Dominicis, Symbolum Nicenum cantatum eſt, & ubi ad illa verba pervenerunt: *Et homo factus eſt*, quilibet in genua procidit. Hic mos laudabilis meritò adhuc hodie obſervari deberet, ut B. Lutherus cenſet.

Deus adeò appropinquavit nobis, ut carnem & ſanguinem noſtrum induerit, id de nulla creatura dici poteſt, ne angelis quidem, Hebr. 2. v. 16.

Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat ita Deos appropinquantes ſibi, ſicut Dominus Deus noſter adeſt, cunctis obſecrationibus noſtris, ait Moſes, Deut. 4, 7. Id nos Chriſtiani potiori jure prædicare poſſumus:

mus: Verbum enim caro factum eſt,&habitavit in nobis. Joh.1,14.

Sol,& Luna non æquè nobis appropinquant,ac Deus appropinquavit nobis,dum carnem & ſanguinem noſtram induit: hoc ipſo enim conceptio noſtra peccaminoſa purificata eſt, ut ſaluti noſtræ non obſit, quamvis in peccatis concipiamur & naſcamur,nulla enim condemnatio in eis eſt, qui in Chriſto Jeſu ſunt, Rom. 8. v.1.

Habemus igitur ejusmodi Goelem, qui frater & conſanguineus noſter factus eſt, & cum Bernhardo dicere poſſumus: *Quomodo me deſeret, qui eſt caro de carne mea.* Et cum Jobo: Scio,quod redemtor meus vivit, Job.19.v.25.27.

Sicuti enim Eliſæus Sunamitidis filium defunctum reſuſcitaturus, incubuit ſuper puerum, poſuitque os ſuum ſuper os ejus, & oculos ſuos ſuper oculos ejus, & manus ſuas ſuper manus ejus: & expandit ſe ſuper eum,& calefacta eſt caro pueri, 2.Reg.2,34. Ita multo magis æternus Dei filius, poſtquam humanam carnem & ſanguinem aſſumſit,vi aſſumtorum membrorum manuum,oculorum,oris &c. omnes pios Chriſtianos,& corpore & anima, vere noviſſimi diei ingruente, in vitam revocabit & reducet, non in corporibus ejusmodi, infirmitati & morbis obnoxiis: ſed in clarificatis, ut luceant ſicut Sol in regno patris, Matth.13.v.43. Hinc Eccleſia:

Hæc veſtra gloriatio,
Quod copulati cum Deo,
In carne veſtra apparuit,
Æternitas quem protulit.
Peccata,mors quid inferet?
Verus Deus vobis favet,
Ringat Satan cum tartaro,
Immanuel factus caro.
Vos nequit ille linquere,
Ei modo confidite,
Vos multa cingent agmina
Vobis erunt haud noxia.
Trophea tandem pangite,
Genus Dei perſiſtite,
Hinc geſtientes gaudio,
Cantate gratias Deo.

Des ſolt ihr billich frölich ſeyn /
Daß Gott mit euch iſt worden ein /
Er iſt geborn eur Fleiſch und Blut /
Eur Bruder iſt das ewig Gut.
Was kan euch thun die Sünd und Tod /
Ihr habt mit euch den wahren Gott:
Laſt zörnen Teufel und die Höll /
Gotts Sohn iſt worden eur Geſell.
Er will und kan euch laſſen nicht /
Setzt nur auf ihn eur Zuverſicht /
Es mögen euch viel fechten an /
Trotz ſey dem / ders nicht laſſen kan.
Zu letzt müſt ihr doch haben recht /
Ihr ſeyd nun worden Gotts Geſchlecht /
Des dancket Gott in Ewigkeit /
Gedultig/frölich/allezeit.

III. *Mariæ accommodationem.* Ecce,ait ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Principio ipſi mirabile videbatur,cum Angelus diceret, quod conceptura ſit in utero, erat enim virgo, propterea interrogat: Quomodo fiet iſtud,quoniam virum non cognoſco. Non autem quærit dubitando ſicut Nicodemus ait: Quomodò homo poteſt renaſci,cum ſit ſenex? Joh.3,9. Multo minus angelum interrogat illudendo,ut Sara, cum ipſi filius promitteretur, Gen.18,12.

Digitized by Google

Sed melius ſibi rem explicari volebat, hinc Ambroſius: *Non de facto dubitavit, ſed de modo quæſivit.* Ideoque auditâ explicatione angeli, promtè voluntati divinæ ſe ſubjicit. Ipſe enim ad omnipotentiam Dei eam revocat, dicens: Non eſt impoſſibile apud Deum, ullum verbum, q. d. Ille promiſit, quod Meſſias de virgine naſcendus ſit, Eſ. 7. v. 18. id & opere ipſo explebit, quamvis coram oculis hominum impoſſibile videatur, habet enim manum nunquam abbreviatam, Eſa. 50. v. 2. & poteſt omnia facere ſuperabundanter, quàm petimus aut intelligimus, Eph. 3. v. ult.

Hæc concio adeo arridet Mariæ, ut voluntati Dei ſe ſubjiciens dicat: Ecce, ancilla Domini, *quod non aſſequor, veneror,* ut Auguſtinus explicat.

Hic proba te, mi Chriſtiane! utrum & ipſe ad exemplum Mariæ, voluntati Dei te ſemper promto obſequio ſubjeceris?

Hoc fieri à nobis debet:

1. *In fidei articulis,* ut ne curioſè rimemur, ſi clarum Dei verbum habeamus, ſed in captivitatem redigamus omnem intellectum, in obſequium Chriſti, 2. Cor. 10. v. 5. dicentes cum Ezechiel: Tu noſti modum Domine, Ezech. 37. v. 3. *Maneamus,* inquit Lutherus, *Diſcipuli, ut relinquamus Magiſterium Spiritui ſancto.* Quod jam non capimus, ſciemus poſtea, Joh. 13. v. 7. nempe in vita æterna, ubi omnes à Deo docebimur, Eſa. 54. v. 13. & revelatâ facie gloriam Domini, tanquam in ſpeculo recipiemus, 2. Cor. 3. v. 18. Interea ſimpliciter credere eſt optimè credere, Joh. 20. v. 29.

2. *In vitæ periculis.* Bona enim & mala, vita & mors, paupertas & divitiæ à Deo ſunt, Syr. 11. v. 14. Ideò calamitatibus quoq; preſſi, cum Maria dicamus: Fiat mihi ſecundum verbum tuum. Non enim ad interitum, ſed ad vitæ emendationem caſtigat nos Deus. Dum judicamur, à Domino corripimur, 1. Cor. 11. v. 32. Ideò communicantes Chriſti paſſionibus gaudeamus, 1. Petr. 4. v. 13. dicentes cum Jobo: Si bona ſuſcepimus &c. Job. 2. v. 10. Quinimò ſi hora mortis ingruit, ut mundum relinquere, & cariſſimis quibusq; valedicere cogamur, itidem dicere debemus: Fiat mihi ſecundum verbum tuum.

Membrum tuo ſum corpore,
Suſtentor hoc honore,
Nos non valet ſejungere,
Horrenda mors dolore:
Si mors rapit, rapit tibi,
Eſt vita parta nam mihi,
Perpes tuo cruore.

Tu morte ſuſcitatus es,
Nec hâc ego tenebor:
Tuus ſalus adſcenſus eſt
Morti per hanc medebor:
Ubi manens huc ivero,
Semperq; tecum vixero,
Hûc lætus excitabor.

Ich bin ein Glied an deinem Leib/
Deß tröſt ich mich von Hertzen/
Von dir ich ungeſcheiden bleib/
In Todes-Noth und Schmertzen:
Wenn ich gleich ſterb/ ſo ſterb ich dir/
Ein ewigs Leben haſtu mir
Mit deinem Tod erworben.
Weil du vom Tod erſtanden biſt/
Werd ich im Grab nicht bleiben/
Mein höchſter Troſt dein Auffarth iſt/
Todsfurcht kanſtu vertreiben:
Dann wo du biſt/ da kom ich hin/
Daß ich ſtets bey dir leb und bin/
Drum fahr ich hin mit Freuden.

De

De Secundo.

TRanſibimus nunc ad *alteram partem*, *χριϛογνωσίαν*, ſive *notitiam Chriſti* contemplaturi. Hic nobis meditandus proponitur:

I. *Tanquam Altiſſimi Filius.* Concipies enim, ait Angelus in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum: Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur. Habemus proinde ejusmodi Servatorem, qui θεάνθρωπος eſt, in unâ perſonâ. Filius Altiſſimi juxta divinam, Filius Mariæ autem juxta humanam naturam.

Hoc *opus immenſæ Dei ſapientiæ* eſt, juxta quam hanc redemtionem invenit, Heb. 9 v. 12. *Immortale patris verbum, corpus ſibi aptavit, ut & redimere & mori poſſet*, ait Athanaſius. Hoc Paulus ita explicat: Quia pueri communicaverunt carni & ſanguini, &c. Heb. 2. v. 14. 15.

Tota igitur SS. Trinitas hîc concurrit. *Deus pater* mittit filium ſuum, *filius* fit homo, & *Spiritus ſanctus* per obumbrationem ſuam conceptionem operatur, & utramque naturam in Chriſto vinculo indiſſolubili copulat, ut verè dicere poſſimus: Filius Mariæ eſt filius Altiſſimi, & vice verſa: Filius Altiſſimi eſt filius Mariæ, & tamen non duo ſunt filii, ſed unus eſt filius. Hinc rectè Priſci dixerunt:

Sic homo, ſic Deus es, ut non ſis unus & alter.

Hoc quodammodo explicari poteſt *ſimili à ferro candente* deſumto. Alia res eſt ferrum, alia ignis. Quando verò ferrum igni inditur, totum ignitum fit, & participat eandem cum igne qualitatem, ut ſplendeat & urat: Ita in Chriſto duæ ſunt naturæ, divina & humana, hæ non commiſcentur, & tamen caro, à communicata ſibi Divinitate infinitam virtutem, Majeſtatem & gloriam accipit. Hoc inde eſt, quia tota plenitudo Divinitatis in Chriſto corporaliter habitat, Col. 2. verſ. 9.

Pari modò *homo conſtat ex corpore & anima*, illa non confundũtur, ſed ita unita ſunt, ut conſtituant hominem. Ita & divina & humana natura unum Chriſtum conſtituunt, & tamen diverſæ ſunt naturæ, hoc tamen reſpectu, quod divina humanę idiomata ſua communicat, & contra humana natura, infirmitates ſuas, paſſionem & mortem divinæ appropriat, quaſi ipſa his prædita eſſet, idq; vi unionis perſonalis. Propterea Judæos nõ nudum hominem, ſed Dominum gloriæ crucifixiſſe dicitur, 1. Cor. 2. v. 8. & Ducem vitæ occidiſſe, Act. 3. v. 14.

Hinc efficax ſolatium nobis manet. Quia enim ejusmodi Dominus, mortem pro nobis ſuſtinuit, qui ſimul Filius eſt Altiſſimi, non dubitandum eſt, quin pretium ſufficientiſſimum ſit, quod pro nobis exolvit. Fiducia proinde in vita & morte eſſe debet: Sanguis Jeſu Chriſti, Filii Dei, emundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. v. 8.

II. *Tanquam æternus Rex & Dominus.* Dabit enim illi Dominus Deus, ſedem David, patris ejus: & regnabit ſuper domum Jacob in æternũ: & regni ejus non erit finis.

Hoc nec de Salomone, nec de alio quodam Judæorum Rege intelligi poteſt. Illorum enim nemo regnum æternum habuit, omnes occubuerunt, ſceptrum de Juda ablatum eſt, Gen. 49, 10. Hic verò de ejusmodi hærede Davidis ſermo eſt, cujus regni non erit finis. Hic nemo alius eſt, quàm filius Altiſſimi, ut in præcedentibus appellatur, qui in plenitudine temporis, è ſtirpe Davidis

 natus,

Digitized by Google

natus, firmavit orbem terræ, ut dominetur à mari usque ad mare; & à flumine, usque ad fines orbis terrarum, Pſal. 72, 8. idque in medio inimicorum ſuorum, Pſal. 110, 2.

Danieli in viſione oſtenſa ſunt quatuor mundi imperia, quæ in terris futura erant. Verum ubi hodie illa reperies? Omnia ſucceſſive tranſierunt, & licet Romanum Imperium adhuc duret, tamen infirmis pedibus nititur, qui ex parte ferrei, ex parte fictiles ſunt, hinc facile colligere eſt, invictiſſimum Imperatorem Chriſtum, cum adventu ſuo brevi irrupturum, & huic, uti omnibus aliis regnis finem impoſiturum eſſe, Dan. 2, 41. 49.

Verum *regnum Chriſti, & regnum æternum*, quod quidem in his terris, ſine pompa virga directionis verbi in Eccleſia gratioſe regit, Pſal. 45, 7. Sed quando finis adveniet, tradet hoc regnum Deo & patri, 1. Cor. 15. & alio modo regnabit in vita æterna, ſceptro nimirum infinitæ poteſtatis & gloriæ, ubi omnes lætum illud ἐπινίκιον intonabimus: Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus, Apoc. 12. v. 10. 11.

Hoc noſtrum ſolatium eſt, quando tribulationibus affligimur. Chriſtus rex eſt æternus: ſi nos ſubditi ejus, utique nos aliquando ad æternitatem ille provecturus eſt, itenim: iterum venio, & accipiam vos ad meipſum, ut ubi ſum ego, & vos ſitis, Joh. 14. v. 3. Ibi non amplius audietur vox fletus & vox clamoris, Eſa. 65. v. 19. Sed lætitia ſempiterna ſuper caput noſtrum, Eſ. 35. v. ult. & hoc gaudium nemo tollet à nobis, Joh. 16. v. 22.

III. *Tanquam Sanctus Sanctorum Sanctiſſimus.* Sic enim ait Angelus: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te: & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoque quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.

Quod ſi Chriſtus communi modo per copulam conjugalem uxoris & mariti naſci debuiſſet, ut alii homines, ſanctus naſci non potuiſſet, quicquid enim ex carne natum eſt, caro eſt, Joh. 3, 6. Sed Spiritus Sanctus, ſanguinem, quantum ad conceptionem hanc ſanctiſſimam opus fuit, in utero virginali ſeparavit, & ſanctificavit, ut ita propagatio peccati impediri, & Meſſias ſanctus, innocens, impollutus & ſegregatus à peccatoribus concipi, & naſci potuerit, Heb. 7. v. 26. Ideoque hic ſingulare quid factum eſt, de quo Jeremias: Creavit Dominus novum ſuper terram: Fœmina circumdabit virum, Jer. 31. v. 22.

Inſerviat hoc nobis:

1. *Ad conſolationem* Nos nullam ſanctitatem nobiscum in mundum inferimus, niſi quod acceſſum habeamus ad gratiam Dei, quia à Chriſtianis parentibus prognati ſumus, unde Paulus ejusmodi liberos ſanctos nominat, 1. Cor. 7, 14. Alias omnes querelam hanc ingeminare tenemur; quod in iniquitatibus concepti ſimus, Pſ. 51, 7. ſed quod nobis hac in parte deeſt, Chriſtus per immaculatam ſuam conceptionem reſtituit, hinc Lutherus, & nos cum ipſo: *Licet in peccatis conceptus & natus ſim, unum tamen ſcio, qui ſine peccato conceptus, homo factus eſt, non propter ſe, ſed propter me.* Quare igitur triſtis es anima mea? & quare conturbas me? Chriſtus frater meus, etiam in ſanctiſſima conceptione ſua, mihi factus eſt ſanctificatio, & redemtio, 1. Cor. 1, 30.

Hoc fulcrum noſtrum ſit, & ſuſtentaculum, juxta illud Pauli: Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, juſtificati eſtis, in nomine Domini Jeſu, 1. Cor. 6. v. 11.

2. Ad

2. *Ad imitationem.* Sancti eſtote, quia ego Deus ſanctus ſum, ait Dominus, Lev. 11. v. 44. Confer 1. Pet. 1. v. 15. 16.

Atqui *Chriſtus Servator noſter ſanctus eſt*

1. *Sine fuco,* non modo *ſubjective*: hoc enim modo omnibus hoſtibus ſuis inſultare & dicere poteſt: Quis veſtrum arguet me de peccato? Joh. 8, 46. ſed & *effective*, ita, ut à patre ſuo nobis factus ſit ſanctificatio, 1. Cor. 1. v. 30 Hanc perfecte imitari non poſſumus. Interea tamen operam demus, ut ab omni hypocriſi immunes ſimus, neque enim cum hominibus nobis res intercedit, ſed cum Deo, qui corda & renes ſcrutatur, Jer. 17, 10. nec decipi poteſt, Job. 13. v. 9.

2. *Sine dubio.* Neque enim ex ſe ſanctus eſt, ratione eſſentiæ: ſed & opera ejus ſancta ſunt, & omnes viæ ejus judicia, Deut. 32. v. 4. Sanctum eſt verbum ejus, ſanctum nomen, & ſanctum officium ejus, ideoque & ſanctiſſimus dicitur, Dan. 9. v. 24.

Ita non modo verbis ſanctimoniam jactemus: ſed & lux noſtra coram hominibus lucere debet, ut videant opera noſtra bona, & glorificent patrem noſtrum, qui in cœlis eſt Matth. 5, 16.

Philippus Rex Macedoniæ quotidie per famulum ſibi acclamari voluit: *Philippe, memento, te eſſe hominem.* Hoc bene factum erat. Sumus enim vaſa infirma. 2. Cor. 4, 7. & neſcimus, an poſt modicum tollat nos factor noſter, Job. 32, 22. Ideo non abs re eſt, ut mortalitatis noſtræ memores cū Davide oremus: Notum fac mihi Domine finem meum. Pſal. 39, 5.

Sed & non minus laudabile foret, ſi quilibet Chriſtianorum quotidie ſibi in memoriam vocaret: *Memento te eſſe Chriſtianum,* Ergo Chriſtiano dignum te gere. Non omnis enim, qui dicit, Domine, Domine intrabit in regnum cœlorum, Matth. 7. v. 21.

3. *Sine termino.* Quemadmodum enim eſt æternus Rex; & anni ejus non deficient, Pſal. 102, 28. Ita etiam non definit eſſe ſanctus, neque ceſſat fideles ſuos ſanctificare per verbum & ſacramenta: donec tandem in vita æterna eos ſibi exhibebit ſanctos & irreprehenſibiles in conſpectu ſuo, Eph. 5. v. 27.

Hoc ab ipſo diſcere debemus, ut *perficiamus ſanctificationem* in timore Dei, 2. Cor. 7. v. 1. tam *ratione noſtri*, in cœleſtem enim Hieroſolymam non intrabit aliquid immundum, Apoc. 21. v. 27. quam *ratione proximi*, ne forte illi demus offenſionem ullam, 2. Cor. 6, 3. ſed converſationem ſanctam habeamus, 1. Pet. 2, 12. lucentes, ſicut luminaria in mundo, in medio nationis pravæ atque perverſæ, Phil. 2, 15.

Inter omnes virtutes, ſola perſeverantia coronatur, ait Bernhardus. Licet igitur quispiam per omnem vitam ſuam probitati ſtuduerit, & in fine deficit, nihil id ipſum juvabit, in quocunque enim loco ceciderit lignum, ibi erit, Eccleſ. 11. v. 3.

Hoc tibi dictum putes, quotidie cum Eccleſia ſuſpirans:

Fac me metus non abſtrahat,
Veſana nec voluptas:
Fides nec unquam deſinat,
Soli tibi poteſtas.

Laß mich kein Luſt noch Furcht von dir/
In dieſer Welt abwenden/
Beſtändig ſeyn ans End / gib mir/
Du haſts allein in Händen.

It. Te Chriſte, honoro gratiis,
Me ſic quod informaveris,
Per ſanctius verbum:

Largire mî conſtantiam,
Ut ne ſalute hac excidam.
Ich danck dir Chriſt O Gottes Sohn/
Daß du mich ſolchs haſt erkennen lahn/
Durch dein göttliches Wort:

Verleih mir auch Beſtändigkeit/
Zu meiner Seelen Seligkeit.

Amen, in nomine Jeſu,
Amen

In die Paraſceves, de paſſione Domini noſtri JEſu Chriſti.

Textus ex 2. Sam. 3. v. 38. Num ignoratis, quod jam Princeps & maximus cecidit hodie in Iſrael.

EXORDIUM.

CUm pietate & patientia inclytus ille Jobus, permiſſu Dei à ſathana, non modo ædibus, liberis atque pecoribus privatus eſſet: ſed & ulcere peſſimo à planta pedis usque ad verticem percuſſus, in medio pulvere ſederet, & teſta ſe raderet: Tres ejus amici venerunt, ut viſitarent & conſolarentur eum: Verum illi non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, ſciſſisque veſtibus, ſparſerunt pulverem ſuper caput ſuum, in cœlum. Et ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus, & ſeptem noctibus: & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem eſſe vehementem, Job. 2. v. 11. & ſeqq.

Hoc ſcopo noſtro applicabimus.

Jobus fuit Rex in Edom, alias Jobab vocatus, cujus mentio fit, Gen. 36. v. 33. & quia erat ſimplex & rectus, ac Deum timens, & recedens à malo: Deus copioſa benedictione eum affecerat. Nati enim ei ſunt filii ſeptem, & tres filiæ. Et fuit poſſeſſio ejus, ſeptem millia ovium, & tria millia camelorum, quingenta quoq; juga boum, & quingentæ aſinæ & familia multa nimis. Imo magnus erat inter omnes orientales, Job. 1. v. 2. 3.

Ita Chriſtus Servator noſter, eſt Rex ſuper Sion, Pſal. 2. v. 6. ſanctiſſimus, Dan 9. v. 24. qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus, 1. Pet. 2. v. 22. ideo affatim pater ejus cœleſtis ei benedixerat, gloria & honore coronavit eum, Pſal. 8, 2. gentes illi hæreditatem ſuam, & poſſeſſionem terminos terræ dedit, Pſal. 2. v. 8.

Quemadmodum vero *felicitas Jobi ſubito immutata eſt*, ut amici ejus, qui eum in priſtina dignitate florentem viderant, non cognoverint eundem eſſe, cum caro ejus ſcateret vermibus, & ſordibus pulveris, Job. 7. v. 5. Ita & Servator noſter optimus, in paſſione ſua, miſerandum in modum deformatus fuit, ut vermem ſe, non hominem eſſe, conqueratur, Pſal. 22. v. 8. Eſa. 53. v. 2. 3.

O humillimam exinanitionem! O indigniſſimum contemtum! Is, qui eſt Dominus gloriæ, 1. Cor. 2. v. 8. unigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, plenus gratia & veritate, Joh. 1. v. 14. jam *in loco Calvariæ offenditur*, inter oſſa mortuorum, & crania male-

maleficorum, qui ibidem ultimo ſupplicio affecti ſunt. Totum ejus corpus vulneribus ſcatet, manus & pedes ejus perforati & cruci affixi ſunt, caput ejus ſpinis coronatum, & latus ejus lancea percuſſum eſt: ibi in medio maleficorum pendulus eſt, quaſi omnium maximus eſſet. Omnes videntes ſubſannant eum, aperiunt labia, & movent caput, Pſal. 22, 8.

Nos ejus amici, jam in æde Domini convenimus, ut planctu eum honoremus. Verum, unde verba ſumemus, ad miſeriam ejus eloquendam? Quæ lacrymæ ſufficient, ad acerbiſſimam ejus mortem, pro dignitate deplorandam? Jobi amici ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus, & ſeptem noctibus, nec verbum præ mœrore loqui potuerunt: Quid mirum, ſi nobis quoque vox deficiat, quando cogitamus, eum caput inclinare, & ſpiritum emittere, à quo omnes animantes vitam habent. Quilibet cum Jeremia lamentetur: Quis dabit capiti meo aquam c. 9. v. 1.

Occaſionem ſubminiſtrant verba prælecti textus. Etſi enim illa non de Chriſto, verum *de Abnere* agant, quomodo rex David mortem ejus deploraverit, poſtquam ille clancularie à Joab interemtus eſt: attamen commode etiam eadem in hodiernum diem applicare poſſumus, ubi quidem non homo plebejus, ſed *princeps, & quidem maximus in cœlo & in terra cecidit.*

Quodſi igitur David mortem Abneri tanto luctu proſequutus eſt: quanto magis noſtrum erit, *epicedia hodie* noſtra querula voce inſonare, & nos totos in lacrymas & lamenta reſolvere: ubi Chriſtus ſervator noſter, ex ardentiſſimo erga genus humanum amore, morte tam doloroſa & ignominioſa obiit. Lugeant *omnes Reges terræ*, Rex enim Regum, & Dominus Dominantium ſpiritum emiſit. Contriſtentur *omnes ſacerdotes*, verus enim Sacerdos juxta ordinem Melchiſedec vitam cum morte commutavit, Pſal. 110, 4. Heb. 7. Doleant omnes *Principes*, Dux enim vitæ mortem oppetiit, Act. 3. v. 15. Mœreant *divites & pauperes*, hodie enim is vita exceſſit, qui cum eſſet ditiſſimus, propter nos egenus factus eſt, 2. Cor. 8. v. 9. Lamententur omnes *nobiles*, homo enim nobilis abiit in regionem longinquam, accipere ſibi regnum, Luc. 19. v. 12. Nænias agant *agricolæ*, ſeminator enim valedixit vitæ, qui exiit ſeminare ſemen ſuum, Joh. 8. v. 5. Plangant & lacrymentur *omnes homines*, dedit enim pretium redemtionis ſemetipſum pro omnibus, 1. Tim. 2, 6. & una oblatione conſummavit in æternum, eos, qui ſanctificantur, Heb. 10, 14.

Sed & viciſſim in Domino *lætemur, & exultemus*, quod Deus cœleſtis pater, pro infinita ſua ſapientia, tam præclarum medium reperit, quo lapſum genus humanum *è fovea miſeriarum* ereptum, & in libertatem aſſertum eſt. Per mortem enim ſuam deſtruxit eum, qui habebat mortis imperium. Heb. 2, 14.

Verum abſque ulteriori præfamine ad explicationem textus accedemus, hæc duo devote contemplaturi:

I. *Emphaticam interrogationem.*
II. *Facti intimationem.*

J. J.

Exege-

Exegeſis.

AUferam iniquitatem terræ illius in die una, ait Dominus exercituum, Zach.3, 9. Quæ illa dies? eſt *dies hodierna paraſceves,* quo ipſe filius Dei peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, 2.Pet.2. v.24. nosque hoc ipſo liberavit *à maledictione legis*, factus pro nobis maledictum, Gal.3,13. *ab ira patris cœleſtis*, quam ita placavit, Rom. 5.v.10. à morte, ui peſtilentia: & inferno cui lues facta eſt, Oſe.13.v.14. à *Diabolo & omnibus inimicis noſtris*, ut illi licet veniant, in nobis non habeant quicquam, Joh.14,30. Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eſtis, Joh.8,36.

Hoc probe meminerimus die præſente, quæ eſt & dici poteſt:

1. *Dies iræ*, quam cœleſtis pater ſuper filium ſuum unigenitum, ob aliena peccata adeo copioſe effudit, ut non abs re conqueratur: Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea, Pſal.22.v.15.

Triplex alias *ſpeculum* in ſcriptura nobis proponitur, in quo vehementiam iræ Dei adverſus peccata conſpicere poſſumus.

1. *Univerſale diluvium*, ubi omnis caro ſpiritu vivente prædita aquis periit, excepto Noe, & qui cum eo erant in arca, Gen.7,21. Ingens hæc miſeria fuit, ut Lutherus intuitu ejus, non abs re ſcribat: *Saxei ſumus, qui ſiccis oculis illa legere poſſumus.* Sed ipſi in cauſa fuerunt: Deus enim centum & viginti annos ipſis largiebatur, quibus ad frugem redirent, ipſi vero ſpiritui ſanctore ſiſtebant Gen.6,3. ideo tandem aſcendit furor Domini in eos, ut nulla curatio eſſet, 2.Paral 36. v.16. diluvium enim venit, & tulit omnes, Matth.24,39.

2. *Sodomæ incendiũ*, ubi Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrhã ſulphur & ignẽ à Domino, à cœlo. Et ſubvertit civitates has & omnem circa regionem, univerſos habitatores urbium, & omnia terræ virentia, Gen.19,24. Quibus adhuc hodie in teſtimonium nequitiæ fumigabunda conſtat deſerta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores, Sap.10,7.

3. *Hieroſolymorũ excidium.* Ubi Deus ignem & caminum habuit, Eſa.31.v.9. ſedemque ſuam fixit, dicens: Hæc requies mea in ſeculum ſeculi: hic habitabo, quoniam elegi eam, Pſal.132.v.14. Quia vero cives & incolæ gratioſam viſitationem non agnoſcebant, Romanos ille adduxit, qui vallo illos circumdederunt, & coangustarunt eos undique, proſtraveruntque eos & filios ſuos quin & lapidem ſuper lapidem non reliquerunt, ut Chriſtus ipſis dilucide prædixerat, Luc.19.v.43,44.

Quamvis autem *tria hæc exempla maxime horrenda ſint*, in quibus ſeveriſſima Dei ira adverſus peccata præfigurata eſt: attamen reſpectu mortis & paſſionis Chriſti vileſcunt. Non enim nudus homo ille eſt, ſed proprius Dei filius, Rom. 8,32. unigenitus Dei filius, Joh.3,16. quem ab æterno ex eſſentia ſua genuit, Pſal.2,7. Hinc vocatur imago Dei inviſibilis, Col.1,v.15 & ſplendor gloriæ ejus, Heb.1,3. De quo vox de cœlo clamavit: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, Matth.3,17. Ille ipſe eſt, qui tantos dolores pertulit, & mortem ſuſtinuit, at non ratione divinæ naturæ, hæc enim immutabilis eſt, Mal.3.v.6. ſed in carne aſſumta, 1.Pet.4,1. Interea recte dicitur: Dominus gloriæ crucifixus eſt, 1.Cor. 2.v.8. autor vitæ interfectus eſt, Act.3,15.

Deus

Deus Eccleſiam ſuam proprio ſanguine acquiſivit ſibi, Act. 20. v. 28. & quæ plura hoc ſenſu dicuntur. Quam propinqua enim eſt, divina natura, quam à patre per æternam generationem ex eſſentia divina accepit: tam propinqua etiam ei eſt humana natura, quam in plenitudine temporis aſſumſit, hinc Johannes: Verbum caro factum eſt, Joh. 1. v. 14. Hæc redemtio laborioſa fuit, de qua ipſe conqueritur: Servire me feciſti in peccatis tuis præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis, Eſa. 43. v. 25. ſuper quo labore ſudorem ſanguineũ emiſit, Luc. 22, 43.

Notent hoc impii ad dehortationem. Seleucus Locrenſium legislator legem tulit, ut per adulterium delinquenti uterque oculus effoderetur. Ubi vero filius ejus in crimine hoc deprehenſus eſt, hanc moderationem adhibuit, ut alterum oculum ſibi, alterum filio erui curaverit. Ex quo facile apparet, quanto vitium adulterii odio proſecutus fuerit.

Pari modo, quia Deus, cœleſtis ille pater, filium ſuum unigenitum, ob peccata aliena tantopere caſtigavit, facile hinc colligere poſſumus, quod non Deus volens iniquitatem ſit, Pſal. 55. v. 5. *Agnoſce homo*, verba ſunt Bernhardi, *quam gravia ſint vulnera tua, pro quibus neceſſe eſt, Dominum Chriſtum vulnerari, ſi hæc non eſſent ad mortem, & ad mortem æternam, nunquam pro eorum remedio Dei filius moreretur.*

Ne proinde peccata extenuemus, ut filiis ſeculi familiare eſt: *Minuta etiam peccata, ſi negligantur, occidunt.* Recte proinde Siracides: Fili peccaſti? non adjicias iterum: ſed & de priſtinis deprecare, ut tibi remittantur, Sir. 21. v. 1. & ſeqq.

Quando igitur diabolus ad peccata te ſeducturus, ut *minutiſſima & jucundiſſima* ille tibi proponit: noli ſeduci, ſed reminiſcere mortem doloroſiſſimam ſervatoris tui, & alia melior mens tibi erit, Luc. 23, 31.

II. *Dies gratiæ.* Sui ipſius cauſa Chriſtus non paſſus, nec mortuus eſt, erat enim ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, Heb. 7. v. 26. Ideoque nec mors in illo jus ullum habuit; quod vero mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel, Rom. 6, 10. Peccato nempe quod Deus à nobis abſtulit, & in eo poſuit, Eſa. 53. v. 6. non quidem coacte, ſed voluntarie, ipſi ſiquidem ſe obtulit, ut foret mediator Dei & hominum, 1. Tim. 2, 5. Hinc ipſe ait: Ecce venio, Pſal. 40. v. 8.

Hoc amoris ejusdem ineffabilis erga nos τεκμήριον eſt, quem in eo erga nos commendat, quod cum adhuc peccatores eſſemus, pro nobis mortuus eſt, Rom. 5, 8.

Notetur hoc

1. *Ad emendationem.* Quæ vobis mens eſt, vos *peccatorum ſervi*! qui trahitis iniquitatem in funibus vanitatis, Eſa. 5. v. 18. An ignoratis, Chriſtum *hoc ipſo die* vos eripuiſſe de poteſtate tenebrarum? Col. 1. v. 13. Eccur igitur membra veſtra exhibere vultis ad ſerviendum immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem? Rom. 6. v. 19. Ah! nolite iſtud facere, qui enim peccatum facit, ſervus eſt peccati, Joh. 8. v. 34. Quæ merces autem illum manebit? Nulla alia niſi ignis infernalis, juxta illud: Qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, ira & indignatio, Rom. 2. v. 8.

Quæ vobis mens eſt, vos *convitiatores & blaſphemi.*! An neſcitis Chriſtum hodie

crucifixum eſſe? quare igitur eundem denuo crucifigere vultis, Heb.6.v.6. atque adeo conculcare, Heb.10.v.28. Putatisne Dominum conceſſurum, ut nomen ejus ſanctum adeo polluatur, Ezech. 37. verſ. 7. Certe videbitis aliquando, in quem transfixeritis, Johann. 19, 37. Zach. 12.v.10.

Quid vos cogitatis, *Veneris & Bacchi ſervi!* Qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, usque ad veſperam, ut vino æſtuetis, Eſa.55.v.11. & deinde ad oſtium proximi inſidiamini, Hiob.31.v.9. Sir.38.v.28. An neſcitis Chriſtum hodie clamaviſſe: Sitio, Joh.19.v.20. Hac ſiti inter alia quoque crapulam & ebrietatem tuam expiavit. Quilibet igitur caute agere debet, ne denuo hoc crimen incurrat. Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria, Eph.5.v.18 Prov.23.v.28. & ſeqq.

Sic memoria crucifixi, crucifigat in nobis omne vitium, ut Bernhardus ſalutariter monet. Nihil ſiquidem aliud ſequitur peccatum quam pudor, dedecus & ignominia. Quem fructum habuiſtis tunc in illis? in quibus nunc erubeſcitis, ait Apoſtolus, Rom. 6.v.21.

2. *Ad conſolationem.* Eſtote bono animo, omnes qui Chriſti eſtis. Quando conſcientia vos angit, Moſes terret maledictione legis, diabolus vos accuſat, mors arcum tendit, ut è regione viventium nos auferat, orcus hiante rictu vos petit, ut deglutiat:

vana eſt ſine viribus ira.

An latet vos, Chriſtum hodie in arca crucis oraſſe: Pater dimitte illis, Luc.23,34. Quin & ipſe nobis donavit omnia delicta, Col.2.v.14. Quid igitur pertimeſcatis? Conſummatum eſt, Jeſus æternam redemtionem invenit, Heb.9.v.12.

Sicut igitur Iſraelitæ Ægypto egreſſi ſunt magna cum ſubſtantia, ut Deus Abrahamo promiſerat, Gen.15.v.14. Ita Servator tibi tuus acquiſivit, quando ex Ægypto mundi hujus emigrare cogeris, licet de terrenis hiſce facultatibus nihil omnino efferre poteris, quod venturus ſis eo, ubi videbis bona Domini, in terra viventium, Pſal 27,13. ubi vitam habebis & abundantius habebis Joh.10.v.11. Ibi namque Dominus omnia in omnibus erit, 1.Cor.15.v.28. *Quicquid amabitur, aderit, & nihil deſiderabitur, quod aberit*, ut Bernhardus ait. Pſal.34.v.11.

De Secundo.

DIgrediemur nunc *ad alteram partem*, contemplaturi, *Facti intimationem.* Num ignoratis, ait David, quod jam Princeps & maximus cecidit hodie in Iſrael?

Hoc *in ſenſu literali de Abnero* intelligendum eſt, ut ſupra indicavimus: Verum commode quoque ad Chriſtum applicare poſſumus, qui die Paraſceves ante mille ſexcentos annos ſpiritum ſuum emiſit.

Duo hic ponderanda veniunt.

1. *Mors Chriſti*, de qua S. Evangeliſtæ memorant, quod poſtquam patri ſuo in manus ſuas ſpiritum commendaverit, eundem emiſerit, Matth.27.v.50. Marc.15,37 Luc.23,46. Joh.19.v.30.

Hinc perſpicimus, quod *mors Chriſti* fuerit:

1. *Voluntaria.* Neque enim mortuus eſt ex neceſſitate, ſed ex voluntaria diſpoſitione: Mors non citius eum invadere potuit, donec per capitis inclinationem eam quaſi acceſſi-

acceſſivit. Hinc ait: Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam, Joh. 10. verſ. 17. 18.

Patriarcha Jacobus morti vicinus, vocatis filiis ſuis annunciavit cuique, quæ illi obventura eſſent in diebus poſterioribus: finitisque mandatis, quibus filios inſtruebat, collegit pedes ſuos ſuper lectulum, & obiit, Gen. 49. v. 33.

Eodem modo de Chriſto audimus, quod abſolutis ſeptem verbis ſuis caput inclinaverit, & ſponte ſpiritum ſuum emiſerit.

Hoc nobis in ſolatium cedit. Quod ſi enim adeo promte pro nobis mortuus eſt, facile hinc colligere poſſumus, quod multo promtius in calamitatibus nobis ſubventurus ſit, ubi auxilii ejus indigebimus, ait quippe: Antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam, Eſa. 65. v. 24. Pſal. 145, 18.

2. *Vicaria*, quam non ut fur, latro, & maleficus: ſed noſtri cauſa pertulit. Eſt hoc ardentiſſimi amoris ejus indicium, de quo Ecclcſia:

Te tanta caritas coegit Jeſule
Ut magna nobis impetrares ſanguine,
Et expiato debito,
Nos redderes gratos Deo

HErr dein Lieb ſo groß dich bezwungen hat/
Daß dein Blut an uns groß Wuder that/
Und bezahlet unſer Schuld/
Daß uns Gott iſt worden Huld.

Damon & Pythias tanto ſibi invicem amore devincti fuerunt: ut alter pro altero vadem ſe ſiſtere non dubitarit. Sed caritas Chriſti in nos multo major eſt: ibi enim amicus pro amico vitam profundere voluit: Chriſtus vero commendat caritatem ſuam erga nos, cum adhuc peccatores eſſemus, adeoque inimici, Rom. 5. v. 8. Ejusmodi exemplum nullibi reperies, unde non abs re præ admiratione exclamamus: Diligit populos, Deut. 33. v. 3. Et cum Davide: Quid eſt homo, quod memor es ejus? Pſal. 8. v. 5.

II. *Præclara ſors.* Cum divitibus enim in morte ejus, Eſa. 53. v. 9. h. e. per mortem ſuam nos omnes ditavit. Hebraicus enim textus commode ita verti poteſt: *Et dedit impietates ſepulchro ſuo, & in mortibus ſuis ipſe dives.* Quia enim per omnem vitam ſuam paſſus & mortuus eſt, ut Paulus loquitur, 1. Cor. 15. v. 32. Hoc ipſo nos locupletavit, ut præclara hæreditas hinc nobis obtigerit. Mors enim ejus non eſt vulgaris hominis: ſed ut textus noſter ait, princeps & maximus in Iſrael cecidit, nempe Auctor vitæ, Act. 3. v. 15. Dominus gloriæ, 1. Cor. 2. 8. magnus Deus ſuper omnia benedictus in ſecula, Rom. 9. v. 5.

Non parum igitur utilitatis nobis Chriſtus morte ſua attulit.

Peperit enim nobis:

1. *Plenariam cum Deo reconciliationem.* Nos per peccata in magna mala incideramus, Deique inimici evaſeramus, iniquitates enim noſtræ diviſerant inter nos & Deum noſt rum, Eſa. 59. v. 2. Sed Chriſtus mediator noſter factus eſt, nosque reconciliavit Deo per mortem ſuam, Rom. 5. v. 10. ut jam pacificati per ſanguinem crucis ejus, Col. 1. v. 20.

Cum Haman perſpiceret, Regem Ahaſverum ſibi iratum eſſe, facile intellexit, à rege ſibi paratum malum, Eſther. 7. v. 7.

Rex Regum propter peccata in noſtra accenſus fuit, hinc facile nos quoque colligere potuimus, nobis malum paratum, nempe ignem infernalem, ſulphur & picem. Ignis enim ejus in furore ſuccenſus ardet, usque ad inferniinſima, Deut, 32. v. 22. At jam metu ſoluti ſumus. Chriſtus enim propitiatio factus eſt, pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum: ſed etiam pro totius mundi, 1. Joh. 2. v. 2. Hinc Eccleſia:

Legem ille totam præſtitit,
Iramque patris ſuſtulit,
Quæ nos manebat omnes.
Das gantz Geſetz hat Er erfüllt/
Damit ſeins Vatters Zorn geſtillt /
Der über uns ging alle.

Facta eſt tempeſtas magna in mari, & navis omnibus videbatur periclitari, ut contereretur. Simulac vero Jona in mare miſſus erat: ſtetit illud à fervore ſuo. Jon. 1. v. 4. 15.

Mundus mare eſt, in magna tempeſtas facta eſt, *propter peccata*, quibus Protoplaſti, & nos cum illis iram Dei arceſſiveramus. Verum cœleſtis Jona noſtri loco *in mare impetuoſum iræ divinæ ſe ſubmerſit*, hinc nobis cœleſtis gratiæ *Sol* refulſit. Deus jam non amplius vult iraſci, Eſa. 54. v. 9. Miſericordia & veritas obviare ſibi, juſtitia & pax oſculari ſe debent in æternum, Pſal. 117. verſ. 2. Hinc Paulus: Deus nos reconciliavit ſibi per Chriſtum, 2. Cor. 5. v. 18. ſeqq.

2. *Totalem peccatorum expiationem.* Poſuit namque pro peccato animam ſuam, Eſa. 53. verſ. 10. mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum ſcripturas, 1. Cor. 15. v. 3. Et iterum: reſurrexit propter juſtificationem noſtram, Rom. 4. v. ult. Peccata igitur tanta abominatio ſunt in oculis Dei, ut hominem prorſus ab ejus gratia excludant. Propterea namque æternus De[i] filius de cœlo deſcendit, & carnem & ſang[ui]ne noſtrum aſſumſit, quin & ſangui[nem] profudit, ignominioſiſſimamque morte[m] crucis ſuſtinuit, ut opprobrio hoc deleto, æternam juſtitiam, quam in Adamo amiſeramus, repararet, hinc Paulus: Dedit ſ[e]metipſum pro nobis, ut nos redimeret a[b] omni iniquitate, & mundaret ſibi popu[lum] lum peculiarem, zelotam bonorum operum, Tit. 2. v. 14. Mors enim ſtipend[ium] peccati, Rom. 6. v. 23. Quia igitur Dominus in eo poſuit iniquitatem om[nium] noſtrorum, Eſa. 53, 6. mortem quoque g[u]ſtare debuit, ad multorum exhaurien[da] peccata, Heb. 9, 28.

Hoc probe perpendite, mi Chriſtiani[,] nulla creatura in cœlo & in terra peccata [ex]piare potuit, niſi Chriſtus Jeſus per m[or]tem ſuam doloroſam: ideo caveſis ne d[e]nuo peccatis implicceris, à quibus Chriſt[us] redemit te, ne poſteriora deteriora ha[s] prioribus, 2. Pet. 2. v. 20. Voluntarie e[nim] peccantibus, poſt acceptam notitiam v[eri]tatis, jam non relinquitur pro peccatis ho[ſtia], Heb. 10, 25.

3. *Vitæ æternæ reparationem.* Per mortem enim ſuam deſtruxit mortem, illuminav[it] autem vitam, & incorruptionem per Evangelium, 2. Tim. 1, 10.

Equidem perpetuum hoc eſt fœdus mortis, quod morieris, Sir. 14, 18. Verum ſicut Eliſæus amaritudinem herbarum abſtulit, & palato easdem aptavit, 2. Reg. 4. v. 14.

Ita

7. Ita & cœleſtis Eliſæus, Chriſtus Jeſus, per mortem ſuam, noſtram dulcoravit, ejusq; aculeum abſtulit, ne nos in ſepulchro ſervare poſſit, ſed die noviſſimo nos revomere cogatur, ut balæna Jonam, Jon. 2. verſ. 11.

In V.T. profugo ante mortem Pontificis ſummi non licuit in patriam reverti: poſtquam verò ille obierat, redire poterat in terram ſuam, Num. 35. v. 28.

Chriſtus verus ſummus Pontifex Novi Teſtamenti eſt, Heb. 9. verſ. 11. Et quia ille mortem oppetiit, exilium noſtrum jam deſinit, & lætabundi & ovantes in patriam cœleſtem remeare poſſumus, Eſa. 35. verſ. 10.

Conſideratio hæc excitet in nobis:

1. *Studium piè vivendi.* Quando olim apud Romanos, verna à quodam redimebatur & in libertatem vindicabatur, ille poſteà vitam ſuam, ſi id res exigeret, pro liberatore ſuo profundere tenebatur. Nos quoque ſervituti Diaboli obnoxii eramus, Hebr. 2. v. 15. Sed Chriſtus carè nos redemit, non corruptibili auro vel argento, ſed precioſo ſanguine ſuo, quaſi agni immaculati, & incontaminati, 1. Petr. 1. v. 19. Propterea multò magis gratitudinem noſtram erga eum declaremus, exhibentes corpora noſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, Rom. 12. v. 1.

Cum Imperator Auguſtus militi profugo vitam donaſſet, ille neſcivit, quomodo ſatis gratum ſe declararet, ideoque hæc in verba erupit: *Quid tibi rependam pro tanto beneficio, effeciſti ut viverem, & moriar ingratus?* O dilecti! Servator noſter pientiſſimus, nos quoque à morte liberavit, & vitam æternam promeruit, ideo animum gratum conteſtaturi, cum Davide dicamus: Quid retribuam Domino pro iis, quæ tribuit mihi, Pſal. 116. v. 12. Sacrificans enim laudem, honorabit me, Pſal. 50. v. ult.

2. *Deſiderium beatè moriendi.* Quia enim Chriſtus pro nobis mortuus eſt, nos jam mortem non exhorreſcamus, velut leonem immanem, ſed eam velut inanes leonis exuvias peſſundemus, ut Bernhardus loquitur, cum Paulo dicentes: Mihi vivere Chriſtus eſt, mori lucrum, Phil. 1. v. 21. permutatio enim eſt glorioſiſſima, videlicet, *δόξα καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν*, 2. Cor. 4. v. 17.

Quemadmodum hortulanus, ſi arbuſculam felicem habet, quæ loco incommodo ſata, à porcis aliisq; nociferis animalibus infeſtatur, illam aliò transfert, ubi lædi nequit: Sic nos in hoc mundo immundo, qui totus in maligno poſitus eſt, multùm infeſtamur, 1. Joh. 5. v. 19. Ideò optimè nobiſcum agitur, quando cœleſtis hortulanus per mortem temporalem nos quaſi emovet, & translocat in cœleſtẽ Paradiſum, ubi juſti ut palma virebunt, & ſicut cedri Libani creſcent, etiam in ſenectute frugiferi erunt, germinabunt, & virebunt, Pſal. 92. v. 13.

Id quod nobis largiatur Deus Opt. Max. per Chriſtum, Dominum & Servatorem noſtrum, Amen.

* * *

In Feria II. Paſchatos.

Evangelium Luc, 24, v. 13. --- 35.

EXORDIUM.

APparuit olim Filius Dei Abrahabo in convalle Mambre, ſedenti in oſtio taberculi ſui, in ipſo fervore diei, in comitatu duorum Angelorum. Quos cum vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum, & adoravit in terram & dixit: *Domine, ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſervum tuum.* Divertit igitur Dominus apud ipſum, nec modò manifeſtavit ipſi, quid Sodomis facere vellet: ſed repetiit quoque eidem promiſſionem, de benedicto ſemine mulieris, in quo benedicendæ ſint omnes nationes terræ, Gen. 18. v. 1. ſeqq.

Hæc hiſtoria non inconcinnè cum hodierno Evangelio comparari poteſt. Sicut enim is, qui Abrahamum accedebat, erat Filius Dei, unde expreſsè Jehova ille dicitur: apparebat autem in ſpecie humanâ: Ita etiam æternus Dei filius ad nos deſcendit, inque ſervi forma in hoc mundo circumivit, Phil. 2. v. 7. Ibi *in ſpecie tantum* hominis conſpiciendum ſe præbebat, cùm homo tamen non eſſet: *hic vero non nuda ſpecies eſt, ſed ipſa hominis eſſentia*; Velut enim pueri communicaverunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit eiſdem, Hebr. 2. v. 14.

Abraham *initiò ipſum non agnoſcebat*, ſed tres exules, à Cainitis propulſos, eſſe autumabat, hinc Epiſtola ad Hebræos de eo dicit, quod inſcius angelos exceperit hoſpitio, Hebr. 13. v. 2.

Ita in prælecto Evangelio, diſcipulis ad Emaus euntibus *in forma viatoris* apparet, ideoque non agnoſcebant ipſum, ſed putabant eſſe quendam *ex alienigenis*, qui e variis locis Hieroſolymam in feſtum Paſchatos confluebant, donec in diverſorio ſe ipſis manifeſtavit, & cognoverunt eum in fractione panis.

Ibi Filius Dei apud Abrahamum divertens, *duas res* gerit:

1. *Saram corripit*, quia riſerat in oſtio tabernaculi, quòd Dominus dixerat, Saram poſt revolutionem anni, filium habituram eſſe, dixit enim ad Abraham: Quare riſit Sara, nunquid Deo quicquam difficile eſt?

2. *Abrahamum inſtruit*, quæ ratio eſſe debeat filii naſcituri, quod nimirum in eo omnes nationes terræ benedicendæ ſint, h. e. quod filius Dei in plenitudine temporis humanam naturam aſſumere, in eaque pati, mori & reſurgere debeat, ut per hæc beneficia generi humano benedictionem promereretur.

Ita Chriſtus duos hoſce Diſcipulos Emaunticos

1. *Corripuit*, propter incredulitatem, dicens: O ſtulti, & tardi corde ad credendum, in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?

2. *Inſtruxit:* Incipiens enim à Moſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in

omni-

omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant, nec dubitandum, quin hic promiſſio de benedicto ſemine mulieris præcipua fuerit.

Nos ſine ulteriori præloquio ipſum Evangelium accedemus, meditaturi ex eodem:

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*
II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J.J.

Exegeſis.

QVemadmodum mulier primitus peccavit, & prævaricationem introduxit, 1. Tim. 2. v. 14. Ita etiam reſurrectio Servatoris noſtri iisdem primùm revelata & manifeſtata fuit, ut ex heſterno Evangelio pluribus audivimus.

Verùm in prælecto Evangelio alia nobis manifeſtatio deſcribitur, quomodo idem ille Servator in forma viatoris duobus diſcipulis Emaunticis apparuerit. Principiò oculi eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent. Poſtquam verò iisdem ſcripturam expoſuit, & multa illa vaticinia Moſis & Prophetarum explicuit, hoſpitium cum ipſis ingreſſus & ex pane, modo ſibi aliàs conſveto, fracto, agnitus, evanuit ex oculis eorum.

Quodſi hîc Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri*, perdiſcere velimus, ſpectemus:

I. *Paſchale colloquium.* Loquebàntur enim ipſi ad invicem, de omnibus his, quæ acciderant. Nempe de paſſione & morte Chriſti, ſicut & de novellis, quod ex morte Servator reſurrexiſſet, ſicut mulieres nunciaverant.

Hic temetipſum in examen voca, utrum & ipſe cum domeſticis tuis, ejusmodi converſationem & colloquia inſtitueris?

Hoc ipſa rei æquitas tempore hoc paſchali, ſicut & officium noſtrum, requireret. Sicut enim ex fructu deprehenditur, quàm diligenter hortulanus arborem curaverit: ſic ex ſermone hominis intelligitur, quomodo cor ſit diſpoſitum, Sir. 27. v. 7. Verùm plerumque parum obſervatur. Stultiloquium & ſcurrilitas plurimis arrident, Eph. 5. v. 4.

Hoc vero nefas eſt à Chriſtianis ita fieri. Tempori potius inſervientes *non loquamur blaſphemias*, ſicut Rabſaces, 2. Reg. 18. v. 28. Neque ſermo ſit *de voluptatibus carnalibus*, ſicut Holoferni cum eunucho ſuo dicenti: Fœdum eſt apud Aſſyrios, ſi fœmina irrideat virum agendo, & immunis ab eo tranſeat, Judith. 12. v. 11. Nec diſſeramus, *quomodo genio indulgeamus*, ſicut Epicuræorum vox eſt: Venite, & fruamur bonis, quæ ſunt, Sap. 2. v. 6. & ſeqq.

Ejusmodi colloquia omnia improbanda ſunt, & corrumpunt bonos mores, 1. Cor. 15. v. 33. quorum ſtrictiſſima ratio die noviſſimo exigetur, Matth. 12. v. 36. Multò ſatius eſt, ſi feſtivitate hâc ſedulò ædem Domini frequentemus, & verbum Dei audiamus, ſic enim occaſionem capiemus illud quoque liberis noſtris acuendi, Deut 6. v. 7. ut à puero ſacras literas diſcant, 2. Tim. 3, 15. & veram pietatem imbibant, quæ ad omnia utilis eſt, habetq; promiſſionem hujus & futuræ vitæ, 1. Tim. 4. v. 8.

II. *Cor anxium.* Cum enim Chriſtus Diſcipulis Emaunticis appropinquaret, dicens ad illos: Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & eſtis triſtes? Et reſpondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu ſolus peregrinus

grinus

grinus es in Hieruſalem,& non cognoviſti, quæ facta ſunt in illâ, his diebus? Chriſtus ulterius ſermonem eorum eliciens, interrogat: Quæ? Et dixerunt: De Jeſu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & ſermone coram Deo, & omni populo: & quomodo eum tradiderunt ſummi ſacerdotes & principes noſtri in damnationem mortis,&crucifixerunt eum. Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redemturus Iſraël. Et nunc ſuper hæc omnia dies tertia eſt hodie, quod hæc facta ſunt. Sed & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos, quæ diluculo fuerunt ad monumentum: & non invento corpore ejus venerunt, dicentes: ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe: qui dicant eum vivere. Et abierunt quidam ex noſtris ad monumentum: & ita invenerunt, ſicut mulieres dixerunt: ipſum verò non viderunt.

Hæc ita diſcipulorum horum ſolicitudo & ſcrupulus fuit. Verùm *hoc ipſo incredulitatem ſuam prodiderunt*, quod magis nitantur judicio rationis, quàm perſpicuâ promiſſione, quam ex ore Chriſti identidem audiverant, quod quidem pati & mori, ſed & tertiâ die reſurgere velit. Propterea quoque reprehendit illos Chriſtus, inquiens: O ſtulti & tardi corde ad credendum, in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ.

Hic proba te, mi Chriſtiane! annon & ipſe quandoque per incredulitatem hoc modo peccaveris, quod ratione nimium inhians, verbum & promiſſiones DEI in dubium vocaveris?

O dilecti! adhuc hodie ſtulti & tardi corde inveniuntur, qui *myſteria fidei ratione ſuâ metiuntur*, aut aliàs præconceptis opinionibus faſcinati ſunt, ut detorqueant ſcripturas ad ingenium ſuum, 2. Petr. 3. verſ. 16. & cœleſtem ſapientiam juſtificent, Luc. 7. v. 35. Imprimis in Articulis, de Trinitate, de Perſonâ Chriſti, & de cœna Domini: verùm putantes ſe ſapientes, ſtulti fiunt, Rom. 1. v. 22. ſtultam ſiquidem fecit Deus ſapientiam hujus mundi, 1. Cor. 1. v. 20.

Quanta miracula in natura fiunt, quæ ad rationem revocata, cum eâ non conſentire videntur? Et tamen quia experientia illa probat, credenda ſunt, licet omnium hominum rationi adverſa eſſe videantur. Quodſi igitur naturæ in naturalibus credimus: quidni magis Deo in divinis crederemus, Omnis enim creatura ad ſuum genus, denuò refiguratur, deſerviens ejus præceptis, Sap. 19. v. 6.

Aquæ natura eſt, ut fluat. Verùm cum Deus per mare rubrum, & deinde per Jordanem Iſraëlitas ducere vellet, quaſi murus à dextrâ eorum & lævâ erat, ut per medium ſicci maris ingrederentur, Exod. 14 v. 22. Joſ. 3. v. 16.

Solis & lunæ natura eſt, ut veloci curſu moveantur: Verum cùm Joſua adverſus Amorrhæos pugnaret, curſum ſuum ſiſtere tenebantur, Joſ. 10. v. 12. 13. ut una dies eſſet, quaſi duo, Sir. 46. v. 5.

Ignis proprietas eſt, ut omnia, quæ corripit, *comburat, & in cinerem redigat.* Cum verò Sadrach, Meſach & Abed-Nego ſocii Danielis in fornacem ardentem abjicerentur, Deus vim ejus inhibuit, ut ne capillus quidem adureretur, Dan. 3. v. 21.

Ferri proprietas eſt, ut fundum petat. Verùm ad verbum Domini, per Eliſam locutum, ſuper aquam illud natavit, 2. Reg. 6, 6.

Vide-

Videte dilecti! ita Deus naturæ alligatus non eſt: ſed omnia, quæcunque vult, facit, in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis, Pſal. 132. v. 6. ideoque non diffidere ipſi, aut modum juvandi præſcribere debemus, ſi media naturalia non appareant, ſicut eques Samaritanus ejusmodi ingenio fuit, 2. Reg. 7. v. 2.

Hoc modo enim omnipotentiæ Dei derogatur, quæ tamen tanta eſt, ut neque unum deficiat, Eſa. 40. v. 26.

Nos proinde cautè incedentes, in hujusmodi rebus Deo gloriam demus, pleniſſimè ſcientes, quia, quæcunque promiſit, potens eſt facere, Rom. 4. v. 21. Zach. 8. v. 6.

III. *Ultimum votum.* Appropinquaverunt enim caſtello, quò ibant: & ipſe ſe finxit, longius ire. Et coëgerunt ipſum, dicentes: Mane nobiscum Domine, quoniam adveſperaſcit, & inclinata eſt dies. Et intravit, ut cum eis maneret.

Nobis quoque Dilecti! *adveſperaſcit, & inclinata eſt jam dies.*

Adveſperaſcit in Choro, ratione hæreticorum & Pſeudo-prophetarum, quos diabolus catervatim ablegat, quorum unus ait: hic eſt Christus, alius: ibi eſt, Matth. 24. v. 23. idque tanto clamore urgent, ut ſimpliciores confundantur, ſicut Galatæ, Gal. 5. v. 6. & ſæpè ſalutis naufragium faciant, 1. Tim. 1. v. 19. Unde ſat cauſæ nobis eſt, cum Davide precandi: Defecit ſanctus &c. Pſal. 12. v. 1.

Adveſperaſcit in Foro. Romanum Imperium non amplius tantâ autoritate, viribus, potentiâ & Majeſtate pollet, quantâ tempore Julii Cæſaris, & poſtea uſque ad Trajanum, ubi ferreum planè erat, omnia alia regna comminuens: ſed nititur jam infirmis pedibus, quorum quædam pars ferrea, quædam verò fictilis eſt; ut non dubitandum, quin invictiſſimus Imperator Jeſus Chriſtus, brevi cum ultimo ſuo adventu irrupturus, & Romanum imperium aboliturus, contra verò aliud regnum ſuſcitaturus ſit, quod in æternum ſtabit, Dan. 2. v. 44.

Adveſperaſcit quoque in Toro. Non enim eſt veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra, Oſ. 4. v. 1. filius pro ſtulto habet patrem, & filia conſurgit adverſus matrem ſuam, nurus adverſus ſocrum ſuam, Mich. 7. v. 6. Hinc finem inſtare, facilè conſtat. Ipſe ſiquidem Servator ait: Omne regnum in ſeipſum diviſum, deſolabitur, Luc. 11. v. 17. Et ut quod res eſt dicamus, quocunque oculos & animos intendimus, ultima tempora adeſſe, colligimus, id quod omnia elementa probant.

Sol aureus non amplius
Spectare vult per-anxius,
Amittit hinc lucem ſuam,
En! maximam moleſtiam,
Signum diei hoc ultimi!
Mœrore luna & ſidera
Turbantur & ſunt triſtia,
Se liberari geſtiunt,
Dum vanitati ſerviunt,
Signum diei hoc ultimi!

Die liebe Sonne kan nicht mehr
Zuſehen / und entſetzt ſich ſehr /
Darum verliert ſie ihren Schein /
Das mag ein groſſe Trübſal ſeyn /
Das iſt ein Zeichen vor dem jüngſtē tag.
Der Mond und Sternen ängſten ſich /
Und ihr Geſtalt ſiht jämmerlich /
Wie gern ſie wolten werden frey /
Von ſolcher groſſen Büberey /
Das iſt ein Zeichen vor dem jüngſtē tag.

 Optam-

pat, per ea juſtificetur & ſalvetur. Quod enim prædicationem attinet de Jeſu Nazareno crucifixo, ea juxta Paulum, Judæis eſt ſcandalum, gentibus autem ſtultitia, & tamen placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes, 1. Cor. 1. v. 21. 23. Sic multi ſunt, qui baptiſmi vim deſpiciunt, dicentes: quî manus aquæ plena, hominem à peccatis mundare valebit. Sed quid aliud faciunt, quàm quod conſilium Dei adverſus ſeipſos ſpernant, Luc. 7. v. 30. Salvos enim nos facit Deus, per lavacrum regenerationis & renovationis, Tit. 3. v. 6. ſeqq.

Sunt quoque, qui teſtamentum Chriſti in dubium vocantes, credere nolunt, quod nobis corpus & ſanguinem ſuum exhibere poſſit ad edendum & bibendum, quia nuda ſymbola panis & vini, oculis vident. Hi offenduntur in peregrina Chriſti forma, nec perpendunt, quod hic per fidem ambulamus, non per ſpeciem, 2. Cor. 5. v. 7. ideò caveant, ne Chriſtus planè illis evaneſcat, ut hic diſcipulis evanuit: Beati enim, qui non vident, & credunt, Johan. 20. verſ. 29.

Imprimis verò *egregia conſolatio paſchalis* hic nobis advertenda eſt. Accidit aliquando, ut *Chriſtus tribulationis tempore, quaſi peregrinum ſe ſimulet in terrâ*, Jerem. 14. v. 9. nec reſpiciat fideles ſuos, ſicut tempore Gideonis, ubi Iſraëlitæ à Midianitis ita anguſtiabantur, ut Gideon putaret, Dominum reliquiſſe eos, Ubi, dicebat, ſunt omnia mirabilia ejus, quæ narraverunt Patres noſtri, atque dixerunt: De Ægypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus, & tradidit in manus Madian, Jud. 4. v. 22.

Verùm *nolite animum abjicere*, dilecti! neque enim ex ira Dominus hoc facit, ſed ut matercula quandoque à puero ſe abſcondit, quò videat, quid ille agere velit, & an ſe verè diligat: Ita & *Chriſtus quandoque dicto elegantiſe includit, & expectat, dum illum inveniamus*, ibi conturbantur viſcera ejus ſuper nos, miſerans miſeretur noſtri, Jer. 31. v. 20. Thren. 32, 33.

II. *Tanquam errantium revocator.* Apparet enim diſcipulis hiſce Emaunticis, ut fidelis paſtor, qui ſi ex centum ovibus unam perdiderit, nonaginta novem in deſerto dimittit, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam, Luc. 15. v. 1.

Hoc adhuc hodie facit pientiſſimus Servator, quando cum Diſcipulis hiſce in *magnam animi perturbationem & mæſtitiam incidimus*, neſcientes, quomodo Deus in nos affectus ſit, dum nos tamdiu in afflictionibus relinquit. Videtur nobis Chriſtus mortuus eſſe, cujus auxilium deſperatum ſit. Hic per præcones verbi ſui nos inſtruit, non poſſe aliter fieri: ſed ſi convivere velimus, commoriendum nobis; ſi conregnare, ſuſtinendum nobis eſſe, 2. Tim. 2. v. 11. Hoc ita decreto Dei conſentaneum eſt: Multæ tribulationes juſtorum, Pſalm. 34. verſ. 10. Tob. 12. verſ. 13. Act. 14. v. 22.

Ideoque optimum eſt, ut in tempore nos ad crucem præparemus, fili præpara animum tuum ad tentationem, Sir. 2. verſ. 1. ſeqq.

Quando verò in Articulis fidei titubamus, aut in vias curvas peccatorum abducimur, Pſalm. 125. v. 5. aut in viam ſpacioſam, quæ ducit ad perditionem, Matth. 7. v. 11.

Digitized by Google

7.v.11. Iterum ipſe clamat: State ſuper vias, & videte, Jerem. 6.v.16. Qui igitur per pœnitentiam ad Dominum redibit, non expers auxilii relinquetur, neminem enim, qui venit ad ſe, ejiciet Dominus foràs, Joh.6. v.37. Qui verò pertinax eſt, ſpernit conſilium Dei adverſus ſeipſum, Luc.7.v.30. & in gehennam ſe præcipitat. Qui enim non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit, Luc.11. v.23. Propterea identidem cum Davide ingemiſcamus ad Dominum: Vide, ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in via æterna, Pſal.139.v.ult.

III *Tanquam optimus ſcripturarum Enucleator.* Incipiens enim à Moſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturas, quæ de ipſo erant.

Hoc facilè ille facere potuit, in ipſo enim omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi ſunt, Col. 2. v. 3. præterea & Doctor eruditæ linguæ eſt, Eſa.50. v.4. qui clavem Davidis habet, & aperire librum poteſt, ſignatum ſigillis ſeptem, Apocal.5. verſ.1.

Quemadmodum igitur Chriſtus ex Moſe & Prophetis, incarnationem, paſſionem, mortem, & reſurrectionem ſuam his duobus diſcipulis ex ſcriptura probavit: Ita adhuc hodie ſcripta Moſis & Prophetarum nobis commendata habeamus, Scrutamini ſcripturas, ait Servator, illæ enim ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me, Johan. 5. verſ. 39.

Errant igitur *illi, qui Divinitatem Chriſti, ut & myſterium Trinitatis ex Veteri Teſtamento probari non poſſe, ſtatuunt.* Nonne enim Philippus Camerarium Reginæ Candaces Æthiopum, ex Veteri Teſtamento convicit, ut Chriſtum agnoverit? dicens: Credo, Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum, Act. 8. v.37. Nonne Apollo, qui fuit vir eloquens, & potens in ſcripturis, vehementer Judæos revicit, publicè oſtendens per ſcripturas, eſſe Chriſtum Jeſum, Act.18.v.24.28. Nonne Paulus poſt converſionem confudit Judæos, qui habitabant Damaſci, affirmans quod Jeſus eſſet Chriſtus, Act 9 v.22. Jeſus Chriſtus enim heri & hodie, idemque etiam in ſecula, Hebr. 3.v.9.

Fideliter itaque Moſen & Prophetas nobis commendatos habeamus, ne deſpiciamus illos, velut dives Epulo, Luc.16.v.29. ſed diligenter ſcrutemur illorum ſcripta, Joh. 5. v. 39. ſuperædificantes ſuper hoc fundamentum fidem noſtram, Eph.2.v.20. & firmiter conſiſtemus, ne portæ inferorum prævaleant adverſus nos, Matth.16. v.18. ſed indies in agnitione Dei & filii ejus Jeſu Chriſti proficiemus, donec reportabimus finem fidei noſtræ, ſalutem animarum, 1. Petr.1.v.9. Subſiſtemus in Cantico eccleſiæ:

Eſt præ meo tuum pede,
Verbum lucerna pendens:
Lumenq; dirigens viæ,
Si lucifer reſplendens,
Eſt ortus hîc,
In corde ſic,
Donis homo potitur:
Quæ Spiritus
Credentibus
Donanda pollicetur.

Mein Füſſen iſt dein heilges Wort/
Ein brennende Lucerne /

Ein

Ein Licht das uns den Weg weiſt fort/
So dieſer Morgenſterne/
In uns aufgeht/
So bald verſteht
Der Menſch die hohen Gaben/
Die Gottes Geiſt
Den gwiß verheiſt/
Die Hoffnung darein haben.

Amen, in nomine Jeſu, Amen.

Feria III. Paſchatos.

Evangelium, Luc. 24. *v.* 36. -- 40.

EXORDIUM.

CUm Joſephus Præpoſito pincernarum ſomnium interpretatus eſſet, quod poſt tres dies è carcere dimittendus, & in gradum priſtinum reſtituendus foret, petebat ab eodem ſui memor eſſe velit & ſuggere Pharaoni, ut educeret ſe de iſto carcere, quia innocens in eundem miſſus eſſet. Verum ſuccedentibus proſperis, *præpoſitus pincernarum oblitus eſt interpretis ſui*, Gen. 40. v. 13. & ſeqq.

Hæc *myſtice* applicabimus.

Cœleſtis Joſephus, frater & Immanuel noſter Jeſus Chriſtus, multa eaque magna beneficia nobis exhibuit, quoniam in ſanguine Teſtamenti ſui emiſit nos de puteo, in quo non eſt aqua, Zach. 9. v. 11. & vi glorioſæ reſurrectionis ſuæ deſtruxit mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem, 2. Tim. 1. verſ. 10. hoc tantum beneficium eſt, quod in æternum digne rependere non poſſumus.

Quia vero natura *valde oblivioſi ſumus*, ſpiritualis mater noſtra, quæ Eccleſia eſt, in uſu habet, ut *non ſemel duntaxat* beneficium illud in memoriam revocet: ſed plures Evangelicos textus ordinavit, qui eo fine tractantur, ut *memores ſimus*, Dominum Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe ex mortuis. 2. Tim. 2. v. 8.

Eo quoque collineat prælectum Evangelium, quod ſine ulteriori præloquio aggrediemur, meditaturi ex eodem:

I. ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J J.

Exegeſis.

VBi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum, inquit Servator noſter, Matth. 15. v. 20.

Hoc ſtatim poſt reſurrectionem ſuam implevit. Cum enim diſcipuli ejus in magno mœrore & perturbatione congregati eſſent, veſpera Paſchatos, & ſermones de eo ſererent, inopinato in *medio eorum* ſtetit, ut præſens Evangelium indicat.

Notitiam noſtri hic diſcemus, ſi ſpectemus:

1. *Amicam Chriſti ſalutationem*, ait enim:

 Pax

Pax vobis, & hoc ipſo ipſis precatur, omnimodam corporis & animæ ſalutem, ſicut apud Judæos moris fuit, ſibi invicē ita omnia bona apprecari. Hinc David decem illis juvenibus, quos ad Nabal miſit, mandavit, ut ſalutarent eum nomine ſuo pacifice, & dicerent: Vivas, & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus, quæcunque habes, ſit pax, 1. Sam. 25, 6.

Hic velim te probes, utrum & ipſe debitum tuum obſervaveris, teque officioſum proximo in ſalutando exhibueris?

Hoc fieri debet:

1. *Propter antiquum morem.* Multa enim exempla ſanctorum in ſcripturis occurrunt, qui blande ſe invicem ſalutarunt. Joſeph ſalutavit fratres ſuos, Gen. 43. v. 27. Moſes & Jethro ſocer ejus, ſalutaverunt ſe mutuo verbis pacificis, Exod. 18. v. 7. David ſalutavit populum pacifice, 1. Sam. 30. verſ. 21. Maria ſalutavit Eliſabeth, Luc. 1. v. 40. Paulus interdum per totum caput in ſalutationibus occupatus eſt, Vide Rom. 16. v. 3. & ſeqq. Quinimo omnes animi benevoli, hanc comitatem in verbis & geſtibus demonſtrarunt, & ſi nos in numero eorum cenſeri volumus, idipſum quoque à nobis fieri æquum eſt. Ex abundantia enim cordis, os loquitur, Matth. 12. v. 34. Quodſi igitur fides & caritas in corde ſunt, nullum eſt dubium, quin in externis quoque geſtibus, verbis & factis ſe exerant, ſecus enim judicium eſt, non ſalvificam: ſed mortuam fidem ibi habitare, Jac. 2. v. ult. nec ſinceram ſed hypocriticam caritatem adeſſe, ſicut Judas Chriſtum ſalutavit, & hoc ipſo prodidit, Matth. 26. v. 49.

2. *Propter imitationis decorem.* Benignitas enim eſt fructus ſpiritus, Gal. 5. verſ. 22. quin & tota SS. Trinitas nobis hac in re exemplo eſt.

Deus Pater non modo mandavit, ut invicem benigni ſimus, Eph. 4. v. ult. ſed ipſa ſcriptura eidem laudem benignitatis tribuit Pſ. 100, 5. Pſ. 106, 1. audire facit populos labium electum, ſermonem gratum, Zeph. 3, 9. Benignitas & humanitas ejus apparuit omnibus, Tit. 3, 4. ita ut in ſummis ejus beneficiis, quæ nobis exhibuit, guſtare poſſimus, quam ſuavis ſit Dominus, Pſal. 34. v. 9.

Filius quoq; Dei benignitatem hanc oſtendit, quando in diebus carnis pertranſiit benefaciendo & ſanando, omnes oppreſſos à diabolo, Act. 10. v. 38. Omnes teſtimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius, Luc. 4. v. 22. habet enim linguam eruditam, ut ſciat, ſuſtentare eum, qui lapſus eſt, verbo, Eſa. 50, 4. diffuſa eſt gratia in labiis ejus, Pſ. 45. v. 3.

Spiritus Sanctus nobis loquitur verba bona, & verba conſolatoria, Zach. 1, 13. quando per Miniſterium nos certiores reddit, quod bonæ ſpei eſſe debeamus, daturum enim ſe locum in peccatis pœnitentiæ, Sap. 12, 19. ſic exultant oſſa humiliata, Pſ. 51, 10. & animo æquo confitentur Domino, quoniam bonus, Pſal. 106. v. 1.

Noſtrum igitur eſt, ut ſimus imitatores Dei, ſicut filii cariſſimi, Eph. 5, 1. Et induamus ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, &c. Col. 3. v. 12. 13. 14.

3. *Propter connexum valorem.* Salutatio enim cordialis nihil aliud eſt, quam oratio efficax. Sicut autem multum valet deprecatio juſti aſſidua, Jac. 5. v. 16. Sic & hic cum Oſiandro dicimus: *Talia vota ab animo pio profecta, ſi in homines bonos inciderint, efficacia*

Digitized by Google

cia ſunt. Deſiderium enim juſtorum profecto bonum eſt, Prov. 11, 23. Hinc Servator: Intrantes in domum, ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui, Matth. 10. v. 12. 13.

Propter has & alias rationes homines Chriſtiani inter ſe humani & benigni, non modo ſalutent ſe invicem, ſed & ſalutati reſalutent, Sir. 41. v. 24.

Quod enim Eliſæus famulo ſuo Gehaſi, 2. Reg. 4. v. 29. Et Chriſtus Apoſtolis ſuis prohibuit, ne quem per viam ſalutare debeant, Luc. 10. v. 4. hoc ipſo ſalutationes non plane prohibitas voluerunt, ſed uterque feſtinationem ſuaſit, ne quid ſe in via remorari patiantur, quo à commiſſis ſibi negotiis abſtrahantur. q. d. cum nemine loquimini, ne ſit vobis in moram.

Quicunque igitur hoc pietatis officium intermittunt, non frequentarunt ſcholam Spiritus Sancti, in qua inter alia benignitas quoque diſcitur, Gal. 5, 22. ſed ad ſathanæ ſynagogam pertinent, qui rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ vocatur, Job. 41. v. ult. Quin & videant, quomodo de ſilentio hoc otioſo, uti Ambroſius nominat, Deo rationem reddituri ſint, Eccleſ. 3. v. 7.

II. *Falſam Apoſtolorum imaginationem*. Dum enim Servator ex improviſo in medio eorum ſtetit, conturbati & conterriti exiſtimarunt, ſe ſpiritum videre ſive ſpectrum.

Quid ſpectra ſint, adeo obſcurum non eſt, nempe viſiones, Phantaſmata & imagines, quæ in hominum pariter & brutorum forma quandoque ſubito apparent, & viſæ vel auditæ horrorem incutiunt, ſicut de Ægyptiis legitur, quod ſonitus deſcendens perturbaverit illos, & perſonæ triſtes, illis apparentes, pavorem illis præſtiterint, Sap. 17. v. 4. Quia igitur Apoſtoli fores tam firmiter occluſerant, & tamen Chriſtus præter expectationem illis non animadvertentibus apparuit, non aliter illi opinabantur, quam ſpectrum adeſſe, ſicut & in ea opinione erant, cum eum ſupra mare ambulantem viderent, Matth. 14. v. 26.

Hic probes velim te, annon & ipſe per imagines & phantaſmata, quæ diabolus præſentare ſolet, infatuatus ſis?

In Papatu ſuperſtitioſe putant, animas defunctorum poſt mortem ſic obſervare, adeoque φαντάσματα illa eſſe umbras defunctorum. Hoc vero ita eſſe nequit. Piorum enim animæ in manu Dei ſunt. Sap. 3. v. 1. in ſinu Abrahæ, Luc. 16. v. 22. In Paradiſo, Luc. 23. v. 43. in faſciculo viventium, 1. Sam. 25. v. 29. ibi poſitæ ſunt, Pſal. 49. v. 15. nec revertuntur, Pſal. 78, 39. ideo meræ præſtigiæ ſatanæ ſunt, qui ſe transfigurare poteſt in angelum lucis, 2. Cor. 11. verſ. 14. quidni & in formam hujus vel illius hominis? Imprimis quando homines idololatriæ immerſos videt, aut aliquid, quod regno ſuo amplificando inſervit, introducere poteſt, ſicut Saulem per perſonatum Samuelem infatigavit, 1. Sam. 28. v. 14.

De S. Martino refert Sulpitius Severus, quod diabolus ipſi in forma Chriſti apparuerit: quia vero nimis ſplendidum & magnificum ſe exhibuit, res ea Martino ſuſpicionem movit, ideoque diabolo Chriſtum ſe mentienti & cur ſe non adoraret, interroganti reſpondit: Dominum meum Jeſum Chriſtum crucifixum ſcio, te vero habitu mundano ſplendentem pro eodem agnoſcere non poſſum.

Plura

Plura ejuſmodi exempla paſſim occurrunt, ex quibus liquido apparet, quod ſpectra ſint. Eſſe vero animas demortuorum, minus veroſimile eſt, ſed arbitramur nos, diabolum, in hujus vel alterius hominis aſſumta forma apparere. Caveamus igitur ne ſeducamur, hiatus magnus eſt, & qui ſemel in cœlum vel infernum devenit, non inde reverti poteſt, Luc. 16. verſ. 26.

Ex hac cauſa Deus quoque ſevere interdixit pythones conſulere, & a mortuis veritatem quærere, omnes enim qui faciunt hæc, abominatur Deus, Deut. 18. v. 11. Inique igitur agunt Pontificii, quando ſuperſtitioſis ceremoniis, Ave-Mariis, crucis figuris & ſignis, candelis conſecratis, aqua luſtrali, imprimis vero Evangelio Johannis ſpectra adoriuntur, eaque adjurare, exorciſare & bannis proſcriptitare ſatagunt. Diabolus enim reputabit quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum putridum æs, Job. 41. v. 18. 19. Fides optimum propugnaculum eſt, hanc qui habet, ſcutum habet invictiſſimum, in quo poteſt omnia tela nequiſſimi ignea extinguere, Epheſ. 6. v. 16.

III. *Practicam frugalitatis commendationem.* Hanc nobis Apoſtoli commendant, dum non modo piſcibus aſſis & favo mellis paſcha ſuum celebrarunt: ſed & adeo parce vixerunt, ut partem de illis repoſuerint, eamque Chriſto poſcenti obtulerint. Quia enim Dominus videbat, Apoſtolos nondum credere, plene illos convictum ibat, ſe vere reſurrexiſſe, adeoque interrogabat: annon haberent, quod manducetur? Et cum offerrent ei, partem piſcis aſſi & favum mellis, accepit, & in conſpectu eorum comedit. Hoc certiſſimum Apoſtolis judicium fuit, non ſe ſpectrum aliquod: ſed verum & vivum hominem, & conſequenter Dominum & magiſtrum ſuum videre, qui ante triduum crucifixus, nunc vero juxta promiſſionem reſurrexerit, ſicut & Petrus in concione ſua Cornelium Cæſareæ ad hoc ipſum provocavit, Act. 10. v. 41.

Qua ratione hoc factum ſit, alio tempore explicatum eſt: Scilicet Chriſtus poſt reſurrectionem edit & bibit, *non ex neceſſitate*, habuit enim corpus clarificatum, quod nullo cibo & potu indiget: *ſed ut in veritate carnis ſe reſurrexiſſe monſtraret.* Verum illo miſſo, *de Parſimonia Apoſtolorum*, nunc modo dicemus, qui piſcibus aſſis & favo mellis, tempore paſchali contenti ne omnia quidem una vice abſumſerunt, ſed & reliquerunt, quod Chriſto propinare poſſent.

Hic in examen te voca, mi Chriſtiane! quomodo tu tempore hoc paſchali epulas tuas inſtruxeris?

Equidem qui in lauta & bene aucta parte ſunt, non peccant, ſi lautius inſtruant epulas, diebus feſtis, quam profeſtis. Expreſſe enim Nehemias ad Judæos, poſtquam librum legis iisdem prælegerat: Ite, inquit, comedite pinguia, & bibite dulcia, & mittite partes his, qui non præparaverunt ſibi, quia ſanctus dies Domini eſt, & nolite contriſtari, Nehem. 8. v. 10. ſed quando luxuriæ diffluimus, & tantum dilapidamus, quantum toti ſeptimanæ ſufficeret, id grave peccatum eſt, quod Deus plerumque pauperie & inopia vindicari ſolet, ſicut in filio perdito memorabile exemplum habemus.

Deus quidem feſta ſolennia inter alia ideo inſtituit, ut illis lætitia exultemus, Nehem.

hem. 8. verſ. 10. verum in timore Domini gloriatio noſtra ſit oportet, Sir. 9. verſ. 23. Quodſi igitur intra hos cancellos nos contineremus, non adeo culpandum foret. Deus enim eo fine vinum creavit, ut lætificet cor hominis, Pſal. 104, 15. quin & ideo Deus hominibus dominium dedit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli, & ſuper omnes piſces maris, ut iis pro cibo utantur, Gen. 1. v. 18. c. 9 v. 3. Et Eſau à patre Iſaac juſſus eſt in campum egredi, & venatu capere ferinam, indeque facere pulmentum, quale noverit illum velle, Gen. 27. v. 4.

Verum plurimi putant, *diebus feſtis licere ſibi agere quod lubet*, ideoque in luſtris, popinis, alea, vino, tempus conſumunt ut non immerito Deus propterea abominetur feſtivitates noſtras, Amos. 5. v. 22. neque enim illæ debita devotione feriari poſſunt, ſi crapula & ebrietate prophanentur. Veteres potius jejuniis ſe dederunt, quando per pœnitentiam & orationem Dei gratiam impetrare voluerunt, ut in Davide patet, 2. Sam. 12. v. 16. Tob. 12. v. 8.

Nec hanc modo temperantia utilitatem præſtat, ſed & hunc uſum habet, ut alio tempore tempeſtive promere poſſimus, quod ita comparſimus, id quod hic Apoſtolos feciſſe, audimus. Hinc Veteres dixerunt: Bonus Servatius, facit bonum Bonifacium, qui non modo familiam ſuam ſuſtentare: ſed & neceſſitatibus ſanctorum communicare poteſt, Rom. 12. v. 13. Eph. 4, 28.

Quin & multi morbi per frugalitatem averti poſſunt, hinc Owenus:

Si tarde cupis eſſe ſenex, utaris oportet,
Vel modico medice, vel medico modice.

Sumta cibus tanquam lædit Medicina ſalutem,
At ſumtus prodeſt, ut medicina, cibus.

Helluo enim vorax inquietum ſomnum habet, & tormina, alioſque dolores patitur, Sir. 31. v. 21. cap 37. v. 32. ſeqq.

De Secundo.

TRanſibimus nunc *ad alteram partem*, χριςογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti*, contemplaturi. Hic nobis in præſente Evangelio commendatur:

I. *Tanquam antiqui amoris continuator.* Alias in proverbio dicitur: *Honores mutant mores.* Sed id Chriſtus non facit. Etſi enim jam ſervi formam depoſuerat, & corpus clarificatum è ſepulchro attulerat, imo in gloriam ſuam intraverat, Luc. 24. v. 26. Attamen fidelis manet, & in priſtina humanitate perſiſtit. Apoſtolis enim ſuis

1. *Pacem antiquam impertit*, de qua proxime ante paſſionem & mortem dixerat: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, Joh. 14. v. 27. Omnes perfidia defecerant tempore paſſionis, attamen fœdus ſuum irritum facere non vult: & ubi illi fulgura & tonitrua metuunt, ipſe pacem ſuam illis impertit, & adeo humaniter cum illis converſatur, ac ſi nihil omnino deliquiſſent, eſt enim patiens & multæ miſericordiæ, Joel. 2. v. 13. calamum quaſſatum non conteret, Eſa. 42. v. 3. ſed virtute ſua per fidem in ſalutem nos cuſtodiet, 1. Pet. 1, 5.

Quando igitur adhuc hodie mundus nobis inſultat, & diabolus nos terret propter

 pecca-

peccata meminerimus, quod Chriſtus ex adverſo gratiæ & pacis clypeus eſſe nobis velit. Ideoque hic tanquam cœleſtis Aaron advenit, & benedictione pacis diſcipulos ſuos impertit, Num. 6. v. 24. Quinimo virga hujus ſacerdotis dat amygdalas omnimodæ conſolationis, contra diabolum, peccatum, mortem & infernum, Num. 17, 8. quia non ſaltem princeps noſter pacis eſt, Eſa. 9. v. 7. ſed pax ipſa, qui nos per ſanguinem & mortem ſuam Deo reconciliavit, mediumque parietem maceriæ ſolvit, inimicitiam in carne ſua, Eph. 2. v. 14. ut jam ovantes exultare poſſimus in mediatore hoc noſtro, & gratiæ fonte. Sive enim vivimus, ſive morimur, Domini ſumus, Rom. 14. v. 8.

2. *Corpus idem ſiſtit*, eisque oſtendit manus & pedes, quibus noſtri cauſa adeo duriter laboravit, Eſa. 43. v. 25. & torcular furoris calcavit, Eſa. 63. v 3. ut clare perſpicere debeant, non ſe eſſe ſpectrum, ut autumabant, ſed eundem Dominum, qui propter eos acerbiſſimam mortem crucis pertulerit. Propterea ait ad Judæos: Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, Joh. 2, 20.

Hoc probe obſervemus. Etiamſi enim aſſumtæ ſuæ carni immortalitatem communicavit, attamen naturam ipſam non depoſuit, ſed eſt & manet idem ille Chriſtus, frater & Immanuel noſter, qui nos nõ relinquet Orphanos, Joh. 14. v. 18. ſed nobis claritatem largietur, quam illi pater dedit, Joh. 17. v. 24.

Interea & hoc nobis conſtat, quod corpus ejus clarificatum in perſona τοῦ λόγου conſiſtat, eoque cœlum & terram impleat, Jer. 23, 24. ideoque vult & eſſe poteſt nobiscum omnibus diebus, usque ad conſummationem ſeculi, Matth. 28. v. ult.

2. *Doctrinam priorem repetit*, inquiens. Hæc ſunt verba, quæ locutus ſum ad vos, cum adhuc eſſem vobiscum: quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moſi, & Prophetis, & Pſalmis de me.

Hoc ipſo Chriſtus denuo ſcripta Moſis & Prophetarum canonizat, quod illa non negligere, ſed cum nobilioribus Berrhoenſ. ſedulo ſcrutari debeamus, Act. 17. verſ. 11. Joh. 5. verſ. 39. Quæcunque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, Rom. 15. v. 4.

Quando igitur alii Pythones conſulunt, & à mortuis veritatem quærunt, Deut. 18. v. 11. aut traditionibus humanis inhærent, ſcripturam vero literam mortuam vocant, niſi à Romano Pontifice illa canonizetur, & autoritatem acquirat, nos interea Chriſto adhæremus, qui etiam mortuus fuit, & ecce vivens eſt, Apoc. 1. v. 18. & quamprimum ſepulchro exiit, Evangelium ſuum antiquum confirmat, ut in æternum illud perſiſtere debeat, Eſa. 43. v. 23.

Sicut igitur in præſenti ait: *Ita ſcriptum eſt*: Ita nos merito *literæ ſcriptæ* inhæremus omni ex parte, & anathema dicimus omnibus illis, qui aliud evangelizant, licet angelus de cœlo ſit, Gal. 1. v. 8.

II. *Tanquam reſurrectionis ſuæ demonſtrator. Stetit enim in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis. Deinde exhibuit illis manus & pedes ſuos*, ut eos palparent & viderent. *Tertio.* adhuc illis non credentibus præ gaudio, *manducare deſiderat*, & in conſpectu eorum comedit, poſtquam ei partem piſcis aſſi & favum mellis obtulerunt.

Hoc non modo in Apoſtolorum, ſed &

in noſtram gratiam factum eſt, ut & de noſtra reſurrectione certi ſimus. Quodſi enim Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides noſtra, 1. Cor. 15. v. 18. ſeqq.

Sicut igitur Chriſtus reſurrexit:

1. *Corpore ſuo*, quod pro nobis crucifixum & mortuum erat, ſicut hic plagas oſtendit, quas in duello adverſus peccata, diabolum, mortem & infernum acceperat, Zach. 13. v. 6. Ita & nos die noviſſimo circumdabimur eadem pelle noſtra, & in eadem hac carne noſtra videbimus Deum, Job. 19. v. 26. Oportet enim hoc corruptibile induere incorruptionem, 1. Cor. 15, 53. Ibi ſeptem illi fratres, qui propter Dei leges membra ſua deſpexerunt, eadem recipient, 2. Macc. 7. v. 11. Caput, quod Johannes propter doctrinam Chriſti libens dimiſit, ipſi tum reſtituetur, Marc. 6. v. 27. corpus humilitatis noſtræ tum transfigurabitur, configuratum corpori claritatis Chriſti, Phil. 3. v. 22. & fulgebit ſicut ſol, in regno Patris, Matth. 13, 43.

2. *Corpore vero.* Olim hæretici fuerunt, nimirum Manichæi & Marcionitæ, qui veritatem humanæ in Chriſto naturæ abnegarunt, & ſomniarunt, quaſi corpus ſuum de cœlo attuliſſet, quod ipſe ex miſtione quatuor elementorum crearit.

Alii prætenderunt, quod corpus & animam in ſepulchro reliquerit, & quoad divinitatem ſaltem in cœlum aſcenderit. Hi enormem errorem errarunt. Quodſi enim Chriſtus verum corpus è ſepulchro non attuliſſet, quomodo idē diſcipulis ſuis oſtendere, eosque hoc ipſo de reſurrectione ſua certiores reddere potuiſſet?

Ita & nos *vera corpora* die noviſſimo è ſepulchris noſtris producemus, quæ quidem *ſpiritualibus qualitatibus* prædita erunt, verum quoad eſſentiam illa ipſa erunt, quæ terræ ad corruptionem mandata ſunt. Seminatur enim in corruptione, & reſurget in incorruptione, 1. Cor. 15. v. 42.

3. *Corpore clarificato.* Quamvis enim vulnera & ſtigmata diſcipulis ſuis oſtendit, & cum illis cibum & potum cepit, quod alias corporibus clarificatis non convenit, ſunt enim ſicut Angeli Dei in cœlo, Matth. 22. v. 30. & irreprehenſibiles Deo exhibebuntur, Eph. 5. v. 27. nec eſurient, neque ſitient amplius, Apoc. 7. v. 16. non eſt enim regnum Dei cibus & potus, ſed juſtitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto, Rom. 14. v. 18. attamen omnia hæc facta ſunt, *non ex neceſſitate, ſed ex libera diſpoſitione*, propter diſcipulos, quos hoc modo ex incrudelitate liberavit.

Pari modo & nos die noviſſimo corporibus clarificatis reſurgemus, & omnes infirmitates in ſepulchro relinquemus. Mors enim ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, Apoc. 21, 4. Sed quod hic fle[illegible] & in lacrymis ſeminavimus, ibi cum jubilatione metemus, Pſal. 126. v. 5.

Recte proinde Auguſtinus: *Chriſtus reſurrexit, ut imaginem futuræ reſurrectionis nobis oſtenderet.* Idcirco bono animo eſſe, & cum Martyre Potamiena cum fiducia dicere poſſumus: *Reſurrectio Chriſti me ſuſtentat.* Scientes, quoniam qui ſuſcitavit Jeſum, & nos per Jeſum ſuſcitabit, 2. Cor. 4, 14.

III. *Tanquam intellectus noſtri reſerator.* Hic Evangeliſta de Apoſtolis dicit, quod illis ſenſum aperuerit, ut intellexerint ſcripturas. Quo indicatur, eum, velut Doctorem eruditæ linguæ ad ipſos iterum egregiam concionem paſchalem habuiſſe &

vaticinia Prophetarum ita expoſuiſſe , ut manibus quaſi palpare potuerint, de nemine alio , quam de ſe ea intelligenda eſſe. Quemadmodum paulo ante diſcipulis Emaunticis ſcripturas adeo interpretatus eſt, ut dixerint ad invicem : cor ſuum quaſi arſiſſe, præ deſiderio & devotione, verba illa vitæ ex ore ejus audiendi, Luc. 24,32.

Inſtructioni hoc noſtra inſerviat, ut ſi ſcripturam ſacrã cum utilitate legere & intelligere velimus, ad Chriſtum nos convertamus, devota oratione eidem ſupplicantes. Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus ſimpliciter, & non improperat, & dabitur ei, Jac. 1,5.

Cum animali homine ita comparatum eſt, ut non intelligat ea , quæ ſunt ſpiritus Dei, 1. Cor. 2,14. Natura enim omnes ſumus ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ, Luc. 24,25. Neque caro & ſanguis nobis genuinum ſcripturæ ſenſum revelare poſſunt , Matth. 16,17. ſed eſt & manet liber ſignatus donec Chriſtus eundem aperiat, & ſignacula ejus ſolvat, Apoc. 5,5. Quin & corda aperire, Act. 16. v. 14. & legem ſuam in iis ſcribere poteſt, Jer. 31. v. 33. non quidem atramento, ſed ſpiritu Dei vivi, 2. Cor. 3, 3. Oculos quoque nobis revelare poteſt , ut conſideremus mirabilia de lege ejus, Pſalm. 119,18, viam quoque nos docere poteſt, ut ambulemus in veritate ejus, Pſal. 86,11.

Hoc vero non immediate facit, modo Enthuſiaſtico : ſed unice per ſcripturam in illis , *qui eam diligenter legunt , meditantur, ruminant*, dum verum intellectum capiant , qui facile ſe offert, ubi in timore Domini, & debita devotione illa revolvitur. Hinc Auguſtinus ait : *Verba Evangelica portant ſecum explicationes ſuas*, ſi nimirum Chriſtum in auxilium adhibeamus. Sine eo enim nihil facere poſſumus, Joh. 15,6.

In Papatu hæc facultas non Chriſto, ſed Pontifici adſcribitur, quem infallibilem ſcripturarum interpretem adſtruunt. Unde Bonifacius IIX. dictum Pauli : ſpiritualis judicat omnia, & ipſe à nemine judicatur, 1. Cor. 2. v. 15. ſibi applicat , quod videlicet ſolis Pontificibus conveniat, res fidei diſcernere, in quorum dijudicatione quilibet abſolute & ſimpliciter acquieſcere debeat.

Verum id ſalva conſcientia facere non poſſumus , cum illi non uno modo contra ſcripturam decreta ſua ſanciant. Nam, ut Lyra ait : *Multi ſummi Pontifices inventi ſunt apoſtaſſe à fide.* Et Gilbertus Genebrardus: *Pleriq; Pontifices , magis Apoſtatici, quam Apoſtolici fuerunt.* Quomodo igitur ſcripturæ expoſitionem ab ejusmodi Apoſtata peteremus ? Sapientia in animas ſanctas ſe transfert , amicos Dei & Prophetas conſtituit, Sap. 7. v. 27. 1. Joh. 3,6.

Ne jam dicamus de abſurdis & ineptis interpretationibus, quas Pontifices ſubinde dederunt. Ideo facimus cum Panormitano, expreſſe dicentes : *quod in rebus fidem concernentibus, etiam dictum unius privati præferendum ſit dicto Papæ, ſi ille moveretur melioribus autoritatibus V. & N.T.* Omnis enim homo mendax, Pſal. 116. Rectum vero eſt verbum Domini , & omnia opera ejus in veritate, Pſal. 33,4.

In Chriſto igitur & ſermonibus ejus ſanis acquieſcamus Dilecti! 1. Tim. 6,3. ſic pro genuinis ſuis diſcipulis nos agnoſcet, Joh. 8. v. 31. & aliquando ut dilectas ſuas ovi culas à

dextris

dextris ſuis ſiſtet, ubi amabilem ex ore ejus vocem audiemus: Venite benedicti patris mei, hæreditariò accipite, regnum paratum vobis à conſtitutione mundi, Matth. 25. v. 34.

Id quod nobis omnibus ex gratia largiri dignetur Deus Opt. Max. per & propter Chriſtum, Dominum & Servatorem noſtrum, Amen.

In feſto die Philippi & Jacobi.

Evangelium Ioh. 14. v. 1. --- 14.

EXORDIUM.

CUm Hagar ancilla Abrahami *erraret in ſolitudine* Berſabeæ, & *aqua deficeret*, quâ ſuam filiiq; Iſraëlis ſitim reſtingueret, levavit vocem ſuam & flevit. Statim exaudivit Deus vocem ejus, miſitq; angelum, qui ei viam rectam, & puteum aquæ oſtendit, ut utrem implere, & puerum potare potuerit, Gen. 21. v. 15. 19.

Nos Dilecti! *Hagar non adeo diſſimiles ſumus.* Omnes enim quaſi oves erramus, Eſa. 53. v. 6. & aberramus à viâ anguſtâ, quæ ad cœlum ducit, Matth. 7. v. 14. quinimò in tantâ ſæpè miſeriâ verſamur, ut ne *guttulâ quidem aquæ* potiri poſſimus, quâ lingvam noſtram refrigerare & reficere valeamus, inprimis quando infernales Palæſtini fontes conſolatorios obſtruunt, Gen. 26. v. 15.

Quando verò *lacrymas pœnitentiales* ad cœlum mittimus, audit Deus, nec patitur nos tentari ſupra id quod poſſumus, 1. Cor. 10. v. 13. Sed mandat *Angelis eccleſiæ*, eccleſiæ miniſtris & paſtoribus, ut officio ſuo fungantur, tam in conſolandis afflictis, Eſa. 40. v. 1. quàm etiam reducendis errantibus. Ideoque ſine intermiſſione clamant: State ſuper vias, & videte, quæ ſit via bona, Jer. 6. v. 16.

Chriſtus Servator noſter pientiſſimus, hâc in parte nobis bono exemplo praivit: quia enim à patre ſuo miſſus erat, tanquam Angelus fœderis, Mal. 3, 1. ut omnes lugentes conſolaretur, Eſ. 61, 3. & quod errans erat, reduceret, Ezech. 34, 16. tanquam Paſtor & Epiſcopus animarum noſtrarum, 1. Petr. 2. v. ult. munus quoque ſuum fideliter obiit, & in ſpecie in prælecto Evangelio conturbatis ſuis Apoſtolis, tam ſvavem concionem habuit, ut eam adhuc hodie in vita & morte utiliter adhibere nobis poſſimus.

Propterea autem Majores noſtri textum hunc memoriæ Philippi & Jacobi conſecrarunt, quia inprimis Philippi mentio injicitur. Dicit enim ille ad Chriſtum: Domine, oſtende nobis patrem & ſufficit nobis. Et reſpondet ipſi Servator: Philippe, qui me videt, videt etiam patrem.

Nos absq; ulteriori præfamine ad ipſam Evangelii tractationem conferemus nos, meditaturi ex eodem:

I. Ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J.J.

Exegeſis.

CONſvetudinis jam aliquot retrò ſeculis eſt, ut hodierno die *frondes virentes* in ſylvis receſi, coram januis ponantur: qui mos procul dubio invaluit, quia hodie *primus dies Maji* ingruit, de quo Poëta canit:

Omnia nunc rident, nunc formoſiſſimus annus.

Hoc ipſo Chriſtiani ſibi in memoriam revocarunt, jucundiſſimam venuſtatem, quæ aliquando in vitâ æternâ futura eſt, ubi habebimus *perpetuum ver*, ut palma vireſcentes, germinantesque in æternum, Pſal. 92. v. 13.

Hâc ſpe ſolatur Chriſtus Apoſtolos ſuos in prælecto Evangelio inquiens: Non turbetur cor veſtrum &c.

Ad *notitiam noſtri* perveniemus, ſi ſpectemus:

I. *Diſcipulorum timorem.* Quia enim Servator de paſſione & morte ſuâ diſcipulis prædicaverat, quomodo aliquis ex illis ſe proditurus, reliqui vero omnes ſe deſerturi eſſent: maximâ hinc afficiebantur perturbatione, ut neſcirent, quid reſpondere debeant. Id in ipſis animadvertit Dominus, ideoque ne ſine ſolatio relinqueret, ait: Non turbetur cor veſtrum, creditis in Deum, & in me credite, q. d. quid mœrore & ſolicitudine vos maceratis nimiâ? an cenſetis, quia jam in ſervi forma incedo, ut crucifigar & occidar, ſicut in conſilio SS. Triados decretum eſt, quaſi non amplius adjuvare vos poſſim? Id minimè perſvadeatis vobis. Sub hac enim ſervi formâ divina virtus latet: ideoque in morte non manebo, ſed tertiâ die reſurgam, mortem in æternum abſorpturus, Eſa. 28. v. 8. hoc ſolatium veſtrum eſto, quo ſi vos refeceritis, facilè omnem ſolicitudinem ex animo profligare poteritis.

Hic unusquisque examinet ſe, utrum tempore neceſſitatis tali in Chriſtum fiducia fuerit, qualem hic Chriſtus à diſcipulis ſuis requirit?

Ea ſubinde deficit. Naturâ enim terrena ſapimus, Phil. 3. v. 19. & plus externis mediis intenti ſumus, quam ut in Deo confidamus, ejusq́; omnipotentiæ ſapientiæ, & veritati totam noſtram miſeriam verâ fide unicè commendemus. Hinc ejusmodi ſpes conſiſtere nequit, ſicut nec domus ſuper arenam ædificata conſiſtere poteſt, Matth. 7. v. 26.

Magnum adjumentum in rebus adverſis eſt

1. *Amicorum turba.* Amicus enim & ſodalis in tempore conveniunt, Sir. 41. v. 23 & adhærebit magis quàm frater, Prov. 18. v. 24. Sir. 6. v. 14. Verùm in poſtremis hiſce temporibus eò res rediit, ut non immerito cum Ariſtotele exclames: *O amici, nullus eſt amicus*, omnes enim conſolatores oneroſi ſunt, Joh. 16. v. 2. qui tempore neceſſitatis adverſabuntur tibi, & è facie tua abſcondentur, Sir. 6. v. 12.

2. *Divitiarum copia*, qui enim his inſtructus eſt, à mundo in magno honore habetur, Jac. 2. v. 2. humilis verò cum ceciderit, expelletur & à notis, Sir. 13. v. 25.

3. *Brachii ſecularis potentia*, ſicut Haman hoc ipſo efferebatur, quod apud Aſverum in gratia erat, Eſth. 5. v. 11.

Verùm ſi rem rectè expendamus, non adeo in iis confidendum eſt. Divitiæ enim ſpinis ſimiles ſunt, Luc. 8. v. 14. Aurum

rum & argentum æruginant, Jac.5.v.3. filii viri ſunt mendacium, Pſal.62.v.10.

Qui vero Deo confidit, optimo ſuſtentaculo fulcitur, nec exhorreſcere debet *mortem*, Dominus enim eſt protector vitæ ejus, Pſal.27.v.1. Non metuere debet *diabolum*, Chriſtus enim caput ejus contrivit, Gen.3.v. 15. ejusque opera diſſolvit, 1. Joh.3.v.8. Non *mundum*, major enim eſt, qui in te eſt, quam qui in mundo, 1. Joh.4.v.4.

Veri proinde Chriſt. vocẽ amabilẽ ſervatoris ſui ſemper recordentur, nec nimium metuant, quando gentes fremunt, & populi meditantur inania, quando conſiſtunt reges terræ & conſultant ſimul adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus, Pſal.2. v.1.2. qui enim in & nobiſcum eſt, major eſt, quam qui in mundo, 1.Joh.4 v.4. Dominus exercituum nomen ejus, Eſa.54.v.5. & ſicut erga ſe confidentes ſe probat ut Servatorem, in quo habent juſtitiam & robur, Eſa. 45.v.24. Ita ex adverſo impii, qui Eccleſiam ſuam odio & perſecutione infeſtant experiuntur, quod Deus ſit ultionum, Pſal. 49.v.1. qui potentiam facit in brachio ſuo, Luc.1.v.51. & confringit capita inimicorum ſuorum: verticem capilli perambulantium in delictis ſuis, Pſal.68.v.22.

II *Diſcipulorum errorem*. Semper in falſa illa opinione hærebant, Dominum & Magiſtrum ſuum regnum terrenum inchoaturum, ideo valde abſonum illis videtur, quod Dominus de abitu ſuo illis dicit. Domine, inquit Thomas, neſcimus quo vadis, & quomodo poſſumus viam ſcire?

Arbitrantur illi, Dominum forte alii itineri ſe accingere, quod ipſos celaret, idcoque mœrore perturbantur, veluti, quando parens aliquis longum iter parat, iisdemque valedicit. Hoc quidem adeo vitio illis vertendum non eſt, interim tamen, ſubinde à Chriſto inſtructi noſſe debuiſſent, qualis abitus eſſet, quem Chriſtus machinabatur. Imprimis quia idipſis paulo ante dilucide explicaverat hiſce verbis: Ecce, aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, Luc. 18.v. 31. Hic nullo Oedipo opus erat, & tamen Thomas ait: Neſcimus quo vadis, & quomodo poſſumus viam ſcire?

Hic proba te, mi Chriſtiane! utrum & ipſe viam ad vitam æternam ſtudioſe inquiſiveris?

Hoc ipſa neceſſitas flagitat. Si quis iter facturus eſt, & neſcit viam, facilè aberrare, aut in extremum vitæ periculum adduci poteſt, ut aut à feris diſcerpatur, ſicut Propheta ille, 1.Reg.13.v.24. ſive in latrones incidit, ſicut homo ille, qui ab Hieruſalem deſcendebat in Hiericho, Luc.10.v.30. Sed & nobis iter propoſitum eſt, ſcopus tendit ad cœlum; multa vero devia occurrunt, quæ nobis diabolus, mundus & caro noſtra oſtendunt, ut facile deerrare poſſimus, idcirco accurata inſtructione opus eſt, ut regia via incedentes non declinemus, neque ad dextram neque ad ſiniſtram, Eſa. 30.v.21.

De Hercule Poetæ fabulantur, cum in juventute in bivio conſtitutum, duas mulieres offendiſſe, quarum altera Virtus, altera Voluptas fuerit. Virtutem ipſum ad honeſtatem & res præclaras gerendas exſtimulaſſe, & promiſiſſe hoc modo cum nominis celebritatem, honorem & gloriam conſecuturum. Voluptatem eidem aliam mon-

monſtraſſe viam, ut otio indulgeret, & in delitiis vitam tranſigeret. Ad hæc Herculem diu animi incerti fuiſſe, utri calculum adjiceret. Tandem tamen conſtituiſſe ſecum, quod ſpretâ voluptate virtuti operam dare vellet: Hinc ipſum omni ſtudio ad virtutem contendiſſe, nomenque ſuum adeò immortalitati commendaſſe.

Quod Herculi hac in parte contigit, nobis quoque quotidie accidit. Caro enim & ſpiritus ſibi invicem adverſantur, Gal. 5. v. 17. & volentibus nobis facere bonum, malum adjacet, Rom. 7. v. 21. Verùm hîc finem intueri, & eam viam eligere tenemur, unde gloriam & honorem conſequi poſſumus. Si enim ſecundum carnem vixeritis moriemini, ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, Rom. 8. verſ. 13.

Romæ duo templa conjuncta erant, alterum dicebatur *Templum honoris*, alterum *Templum virtutis.* Qui in Templum honoris ire volebat, per nullam aliam viam, quam per templum Virtutis ingredi poterat.

Quodſi aliquando faciem Dei intueri, Deoque in templo ejus die ac nocte ſervire vultis, Apoc. 7. v. 10. hîc in tempore gratiæ templum Virtutis ſedulò frequentetis, verbum Dei cum voluptate audiatis, & ut lux veſtra coram hominibus luceat oportet, Matth. 5. verſ. 16. nec moleſtum videri debet, ſi via hæc cum labore calcanda: ſed potius memineritis, vobis donatum eſſe pro Chriſto, ut non ſolùm in eum credatis: ſed ut etiam pro illo patiamini, Phil. 1. v. 29. Ipſe enim Servator, per hanc tribulationis viam incedens, per paſſionem & mortem intravit in gloriam ſuam, Luc. 24. v. 26. Ad hoc quilibet in tempore ſe præparet neceſſe eſt, & quando Diabolus ei oſtendit viam meretricis, Proverb. 7. v. 25. vel aliam jucundam viam, Sap. 2. v. 7. minus ſe ſeduci patiatur, ſed magis eligat affligi propter Chriſtum, quàm temporalem peccati habere jucunditatem, intuitu ditiſſimæ remunerationis aliquando ſecuturæ, Hebr. 11. v. 26. Qui enim venerunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine agni, Apoc. 7. v. 14. hi promiſſionem habent, quod ambulare debeant demùm coram Domino, in regione vivorum, Pſal. 116. v. 9.

III. *Diſcipulorum torporem.* Ubi enim Chriſtus dicit: Si cognoviſſetis me, & patrem meum utique cognoviſſetis, reſpondet ei Philippus: Domine, oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis. Dicit ei Jeſus: Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſti me.

Si Servator hîc ex rigore procedere voluiſſet, Philippus ſanè inſignem objurgationem promeritus fuerat. Per quadriennium enim fere ſcholam Chriſti frequentarat, & non minus ac Petrus verba vitæ ex ore ejus audierat, Joh. 6. v. 68. ideoque in laude poſitum fuiſſet, ſi Chriſtum filium Dei vivi, velut Petrus confeſſus eſſet, Matth. 16. v. 16. Verùm hujus altum eſt ſilentium: potius imbecillitatem ſuam prodit, dum Deum patrem in hac vitâ videre geſtit, putans ſi hoc impetrare poſſet, ſibi hoc ſufficere. Cùm tamen beatitudo noſtra in hoc non verſetur, impoſſibile enim eſt, ut mortalis Deum in hac vita videat, quin moriatur, Exod. 33. v. 20. ſed per Chriſtum, & in Chriſto habemus vitam & abundan-

undantiam, Joh.16.v.10. quippe qui unus eſt mediator Dei & hominum, 1. Tim. 2. v.5. & qui filium videt & credit in eum, habet vitam æternam, Joh.6.v.40.

In examen hic te voca, mi Chriſtiane! utrum & ipſe in notitiâ Dei, & filii ejus Jeſu Chriſti talis hoſpes ſis: & ſi fidei ratio tibi reddenda foret, annon majorem inſcitiam proderes, quàm Philippus?

Sanè ſi experientiam conſulimus, deprehendimus, plurimos eſſe, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, Pſal.32. v.9. Ut hîc locum habeat querela Eſaiæ: Vides multa neque obſervas? Eſa.42.v.9.

Omnes nos utimur S. Euchariſtiâ, ad quam digna præparatio requiritur, ut dijudicemus corpus Domini, 1.Cor.11.v.29. Quot verò occurrunt, qui hoc diſcrimen neſciunt, & ex cœcâ devotione, vel rectius, perversâ conſuetudine communicant?

Talibus occinendum eſt illud Pauli: Non eſt bona gloriatio veſtra, 1.Cor.5.v.6. laudem vos? in hoc non laudo, 1.Cor.11.v.22. In cognitione enim Dei & filii ejus Jeſu Chriſti vita æterna conſiſtit, Joh.17.v.3.

Fugiamus igitur hunc torporem, & templum frequentaturi afferamus:

1. *Cor Davidis*, cujus ſumma voluptas fuit, ut inhabitaret in domo Domini, & viſitaret templum ejus, Pſal. 27. v. 4. Tantâ voluptate, & lætitiâ nos quoque ædem Domini frequentare debemus. Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in viâ, & aperiret nobis ſcripturas? dicebant Emauntici, Luc.24.v.32. Idem adhuc hodie Servator operatur in omnibus concionibus, non quidem in perſonâ propriâ, ſed per miniſtros ſuos, qui vos audit, me audit, Luc. 10.v.16. Propterea noſtrum quoque cor ardeat, quando dicta conſolationis pleniſſima audimus, deſiderabilia ſuper aurum obryzum: & dulciora ſuper mel & favum, Pſalm. 19. verſ. 11.

2. *Cor Samuelis*, qui cum attentione verba Domini accipiebat, dicens: loquere Domine, ſervus tuus attendit, 1.Sam.3.v.9. Sic & nos cum devotione debitâ verbum Dei audiamus. Cuſtodi pedem tuum, ingrediens domum Dei, Eccleſ. 4. v. 17. Joh. 8. verſ. 47.

3. *Cor Mariæ virginis.* Quemadmodum enim de B. Mariâ Lucas memorat: Conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo, Luc. 2. v. 51. ita hoc ſimiliter ad omnes genuinos Chriſtianos pertinet. Secus enim ſine emolumento templum frequentabunt & conciones audient, Beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud, Luc, 11. verſ. 28.

Si quis *bonum theſaurum* habet, illum ſtudioſè cuſtodit, ne à furibus aut prædonibus aufferatur: ſed & eò laborat, ut eo lucretur, & commodum ſibi comparet. Theſaurus enim inviſus, quam utilitatem confert? Sir.20.v.32. Hoc ipſum à quovis vero Chriſtiano fieri debet, ut non modò lætetur ſuper eloquia Dei, ſi illa in tempore percipere queat, ſicut qui invenit ſpolia multa, Pſal. 119. v. 162. ſed & audita probè cuſtodiat, ne infernalis vultur veniat, & rapiat, quod ſeminatum eſt in corde ejus, Matth. 13. v. 19.

Hoc modo ab ignorantia ejuſmodi liberari poſſumus. Qui enim quærit legem, replebitur ab eâ, Sir.32. v. 19. Intereà in fide infirmos non condemnemus, ſi modò ignorantia affectata abſit, & congregentur in domum diſciplinæ, & ſuſcipiant eam, Sir. 51.v.31.34. Quemadmodum nec

Digitized by Google

Chriſtus Apoſtolos rejecit, ſed ruditatem æquo animo tulit. Sicut enim Sol procedit & creſcit, uſque ad diem perfectam, Prov. 4.v.18. Pari modo & nos imperfectione laboramus, nec ad perfectionem pertingere hîc valemus: ubi verò in vitam æternam perveniemus, veniet quod perfectum eſt, & evacuabitur, quod ex parte eſt, 1. Cor. 13. v. 10. ut patrem viſuri ſimus, nec modò viſuri, ſed & ſocietatem habituri, cum patre & filio, 1. Joh. 1. v. 3.

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alteram partem*, χειςογνωσία, ſive *notitiam Chriſti* meditaturi. Hic nobis proponitur in præſente Evangelio:

I. *Tanquam Domicilii cœleſtis præparator.* In domo enim patris mei, inquit Chriſtus, manſiones multæ ſunt: Si quò minus, dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum. Et ſi abiero & præparavero vobis locum, iterum venio &c.

In hoc tempore ſumus *alienigenæ*, non habentes civitatem permanentem, Heb. 13. v. 14. Verùm per abitum ſuum ad patrem nobis Chriſtus manſionem paravit, ut jam ſciamus, ubi diverti & in æternum manere poſſimus, nempe in domo patris cœleſtis, h. e. in vitâ æternâ, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo, Tob. 2. v. 18. Eo igitur unicè intenti, quæ retrò ſunt obliviſcamur, ad ea verò quæ priora ſunt, extendamus nos, Phil. 3. v. 14.

Patria eſt, ubicunque eſt bene, Cicero dicere ſolitus eſt: hoc ita poſito, facilè conjicere poterimus, in hoc mundo patriam noſtram non eſſe, ſed in alterâ demum & ſempiternâ vitâ: ibi enim bene nobis erit, ut cum Petro dicere poſſimus: Domine hîc bonum eſt habitare, Matth. 17. v. 4. *Eſſe noſtrum, non habebit mortem, Noſſe noſtrum non habebit errorem, Amare noſtrum non habebit offenſionem*, ut Auguſtinus ait. Ibi optimè habitabimus, *propter rem*, quæ erit ſummum bonum, nam nullus eſt bonus, niſi Deus unus, Matth. 19. v. 17. *propter modum*, non enim amplius Deum per ſpeculum in ænigmate, ſed à facie ad faciem videbimus, 1. Cor. 13. v. 12. *propter durationem*: hæc enim gloria non unum & alterum diem, ſed in æternum durabit. Ibunt namq; juſti in vitam æternam, Matth. 25. v. ult. *propter ſocietatem*, Heb. 12. v. 22. Quis igitur ibi habitare non deſideraret, cum Paulo dicens: ἐπιθυμίαν ἔχω: Phil. 1. v. 22. Pſalm. 65. v. 5.

In patientia proinde animas noſtras cuſtodiamus, ſi adverſa nobis obveniant, in hoc mundo, cum B. Luthero dicentes: *Si terra nos non capit, cœlum capiet.* Ibi complebuntur dies luctus noſtri, Eſa. 60. v. 20. nec movebimur vehementer, Pſal. 62. v. 3. Quin nec mors ſedibus hiſce nos ejicere poterit, quin potius ad eas nos promovet, Beati mortui, qui in Domino moriuntur, Apoc. 14. v. 13.

Si quis diu in peregrinatione vitam degit, lætatur, ſi redux patriam ſuam reviſat, & licet patibulum multis cadaveribus, & mortuorum reliquiis coronatum videat, non tamen exhorreſcit, ſed gaudio potius perfunditur, quod iter huc uſque abſolverit, nec dubitat, quin jam per portam introire & optata quiete frui velit. Pari modo, quando pius Chriſtianus mortem ſubire debet, non ideo dolore perturbetur, ſed potius lætitiâ exultet, quod redemtio

ſua

Digitized by Google

ſua inſtet, dicens cum Simeone: Nunc dimittis Domine, ſervum tuum in pace, Luc. 2. v.29. reſpectu piorum enim melior eſt dies mortis die nativitatis, Eccl.7.v.2.

II. *Tanquam idoneus viæ commonſtrator.* Dicit enim: Ego ſum via, veritas & vita. Nemo venit ad patrem, niſi per me, h. e. ut Auguſtinus explicat: *Ambulare vis ô homo? ego ſum via. Falli non vis? ego ſum veritas. Mori non vis? ego ſum vita.*

In V.T. Dominus Iſraëlitas præceſſit ad oſtendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columnâ ignis, ut lumen præberet eis, & ut dux eſſet itineris, utroque tempore, Exod.13.v.21.

Verùm in N. T. *ipſe filius Dei dux viæ eſt*, qui præceſſit nos.

1. *In via legis*, & monſtravit nobis, quomodo iter noſtrum inſtituere debeamus ad cœleſtem patriam.

1. *Ratione credendorum.* Hîc enim tanta myſteria occurrunt, quæ nullâ ratione comprehendi poſſunt, qualia ſunt Myſterium Trinitatis, de creatione mundi, de Perſonâ Chriſti, de Baptiſmo, de cœna Domini, de reſurrectione carnis, &c. Hic altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei ſe offert, Rom. 11. v. 33. Noſtrum igitur eſt in captivitatem redigere rationem noſtram, credentes contra ſpem in ſpem, exemplo Abrahæ, Rom. 4. v. 20. Beati enim, qui non vident, & credunt, Joh. 20. v. 29.

2. *Ratione faciendorum.* Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, Mich. 6. v. 8. Quando igitur quidam ſunt, qui ſequuntur viam Balaam, 2. Petr. 2. v. 15. aut abeunt in viam Cain, epiſt. Jud. v. 11. aut inſiſtunt viæ augurum, Jud. 9. v. 27. aut in alias vias curvas declinant, Pſal. 125. v. ult. quæ ad perditionem eos ducunt, Matth. 7. v. 13. Veri Chriſtiani ad Chriſtum ſe convertant, orantes cum Davide: Vias tuas, Domine, demonſtra mihi, Pſal. 25. v. 2. Qui cum enim ſequetur, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, Joh. 8. v. 12. Pſal. 36. v. 11.

2. *In via crucis.* Deus in more habet, ut mirificet ſanctos ſuos, Pſal. 4. v. 4. per gloriam & ignominiam, per infamiam, & bonam famam, 2 Cor. 6. v. 8. deducit ad inferos & reducit, 1. Sam. 2. v. 6. ut tribulationes multas & malas experiantur, Pſal. 71. v. 20. ut miſera tempeſtate convulsa, absque ullâ conſolatione, Eſa. 54. v. 11.

In hoc multi offenduntur, quando vident, Deum cariſſimos ſibi quosq; ita calamitatibus immergere. Verùm quando Chriſtum intuemur, nemini mirum videri poteſt. Phil. 2, 8. 11. Sicut igitur Chriſtus initium fecit, & per viam crucis intravit in gloriam ſuam: ita adhuc hodie hæc via regia, quam omnes ſancti calcarunt, & nos quoque calcare cogimur. Deus unicuique demenſum ſuum dedit, Act. 9. v. 16.

3. *In via mortis.* Ipſe enim mortem guſtavit. Ideoque novit, qualis moribundis ſenſus ſit. In eo igitur, in quo paſſus eſt ipſe, potens eſt eis, qui tentantur, auxiliari, Hebr. 2. v. 9. 18. Quando hoc nobis ad animum revocamus, confidenter cum Paulo dicere poſſumus: Certus ſum, quia neque mors neque vita, &c. Rom. 8. v. 38.

Hadrianus Imperator moriturus in hæc verba erupit: *Animula, vagula, blandula, quæ nunc abibis in loca?*

Verùm pii Chriſtiani ſciunt, cui credant, 2. Tim. 1. v. 12. ideoque mortem minimè

nime horrent,eſt enim ingens lucrum,& janua ad meliorem vitam,Joh.5,24.

4. *In via lucis.* Sicut enim in ſepulchro non manſit, ſed tertio die reſurrexit, ad cœlum aſcendit,& ſedet ad dextram Dei ubi dominatur ſuper omne,quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo: ſed& in futuro, Eph.1.v.20. ita & nos, ſi commortui fuerimus,convivemus ei,2.Tim.2.v.11. Col. 3,4. Apoc.3.v.21.

III. *Tanquam fidelis informator*, qui diſcipulos de tribus potiſſimum hic inſtruit:

1. *De via ſalutis unica*,inquit enim: Ego ſum via,veritas&vita,nemo venit ad patrem niſi per me. Hoc de ſanctiſſimo ejus merito intelligendum eſt. Quia enim caput ſerpentis contrivit,Gen.3. v. 15. & in ſanguine Teſtamenti nos vinctos non modo emiſit de puteo,in quo non eſt aqua, Zach. 9.v. 11. Sed & Paradiſum aperuit,Luc.23.v. 43. ut jam hæredes ſimus vitæ æternæ. Tit. 3.v.7. ipſe via appellatur, præcipue propterea, quod peccata,quæ nos & Deum noſtrum diviſerunt, Pſal.59.v.2. expiavit, & contra per concionem Evangelii ſingulis oſtendit viam vitæ,Pſal.16.v.ult.

Hæc fides Catholica eſt,per quam olim patres ſalvati ſunt,& nos ſalvamur, Act. 15.v. 11.Jeſus Chriſtus enim heri & hodie,idemque etiam in ſecula,Heb.13,8.

2. *De perſonæ ſuæ notitia.* Cum enim Philippus deſideraret patrem videre, inquit Chriſtus: Philippe, qui me videt, videt & Patrem.Non credis,quia ego in patre & pater in me eſt. q d. Non quidem pater ipſe,ſed ratione perſonæ ab eo diſtinctus ſum: ſed quoad eſſentiam idem ille Deus ſum, qui pater eſt: nempe filius ejus propius,quem ab æterno ex eſſentia ſua genuit, Pſalm.2. Sum quoque ejuſdem voluntatis cum patre, ideoque verba quæ loquor,non à meipſo loquor, ſed omnia à patre proveniunt, cujus legatus & quaſi Cancellarius ſum, Joh.1,18. Tandem quoq; ejuſdem potentiæ &virtutis cum patre ſum, pater enim qui in me eſt opera illa facit, ut mortuos ſuſcitem,& alia opera faciam, quæ pater facit,Joh.5.v.19.20.

Quia igitur ejuſmodi Servatorem habemus,qui cum patre ejuſdem eſſentiæ & voluntatis eſt,eandemque potentiam accepit,quam pater, juxta humanam naturam quoque,Matth. 18.v.18. hinc in omnibus calamitatibus exultare poſſumus, dicentes: ſi Deus pro nobis,quis contra nos,Rom. 8.v.31.

3. *De precum efficacia*, Amen, Amen, dico enim,dico vobis,quodcunque petieritis patrem in nomine meo,hoc faciam,ut glorificetur pater in filio! Et denuo ait: Si quid petieritis in nomine meo,hoc faciam.

Hæc promiſſio ad aſſiduas preces nos ſtimulare debet. Neque enim fruſtranea oratio noſtra erit,ſed certiſſime exaudienda. Quod & promiſit, Matth.18,19.ubi quod de patre ſuo dixerat,jam ad ſe trahit,dicens: Ego faciam. Ut indicet ſe non minus omnipotentem & omniſcium eſſe,ac patrem,adeoque orationem exaudire, & quæ petuntur, largiri poſſe. Ideoque addit, ut glorificetur pater in filio. Quando enim filius orationem, quæ in nomine ejus fit, exaudit,hoc ipſo pater glorificatur,h.e.quilibet hinc colligere poteſt,quod illi pater omnem poteſtatem dederit in cœlo & in terra.Theophylactus ſuper hæc verba ita ſcribit: *Cum apparet, filium magna poſſe, glorificatur, qui filium tantum genuit.* Imprimis vero Servator hoc ipſo oſtendere voluit, ſe non

Digitized by Google

non ſuam, ſed patris gloriam in omnibus quærere, Joh.8.v.50.

Quodſi igitur promiſſio hæc Chriſti in nobis quoq; locum habere debeat, operam dare debemus, *primo*, ut *Chriſti genuini diſcipuli ſimus.* Diſcipulis enim ſuis hanc promiſſionem dedit. Tum vero Chriſti diſcipuli ſumus, ſi manſerimus in ſermone ejus, Joh.8. v.31. Joh.13.v.7.

Deinde etiam recte oremus, ut manus & cor elevemus ad Deum, Thren.3.v.41. Cor enim potiſſimum intuetur, 1.Sam.16.v.7.

Tertio quoque in *nomine ejus oremus* oportet, h.e. in ſanctiſſimo ejus merito confidamus, nullo alio mediatore utentes. Nobis enim unus eſt pater &c. 1. Cor.8.v.6.

Quarto, nec modum ei in juvando præſcribamus, ut cives in Bethulia, Judit. 8. v. 10. quodcunque enim, inquit Chriſtus, petieritis in nomine meo, hoc faciam, ſed non addit, quando vel quomodo juvare velit, hoc enim ſapientiæ ſuæ reſervavit, Act.1.v.2.

Tandem omnia quæ precamur, eo dirigere debemus, *ut pater glorificetur in filio.* Qui enim ſuam ipſius gloriam quærit cum filiis Zebedæi repulſam patitur, Matth. 20.v.23. Dicamus ergo: non nobis Domine, non nobis, Pſal.15,1,

Hæc ſi obſervaverimus, Chriſtus nobis quæ petierimus, dabit, hic in tempore gratiæ, Pſal.20.v.5. & tandem petitiones cordis noſtri, Pſal.37.v.4. in regno gloriæ.

Fiat id per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.

* * *

In Feſto Aſcenſionis Chriſti.

Evangelium Marc.16. v. 14.---20.

EXORDIUM.

CUm Propheta Elias curſum ſuum abſolviſſet in terris, & Deus illum *curru igneo & equis igneis in cœlum abduxiſſet*: Eliſæus famulus levavit pallium ejus, eoque diviſit aquas Jordani, quin & ſpiritum ejus duplicem accepit, ſicut ei promiſerat. 2. Reg.2,11.

Hæc hiſtoria *typus* fuit *triumphatoriæ aſcenſionis Domini* & ſervatoris noſtri Jeſu Chriſti.

Elias Propheta fuit, qui ſurrexit quaſi ignis, & verbum ejus quaſi facula arſit, Sir. 48.v.2. *Similiter & Chriſtus Propheta fuit*, potens in opere & ſermone, coram Deo & omni populi, Luc.24.v.19. erat enim docens quaſi poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ, Marc.1. v.22. huic diſcipuli Emauntici dicebant: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, Luc.24,32.

Elias magna miracula patravit, nec modo viduæ Sareptanæ hydriæ farinæ & lecytho olei benedixit: ſed & filium ejus à mortuis reſuſcitavit. *Chriſtus Servator noſter adhuc majora miracula edidit*, paucis enim pa-

Digitized by Google

nibus & piſcibus ſemel atque iterum multa millia cibavit, Joh. 6. v. 10. Marc. 8, 9. Tres mortuos reſuſcitavit, adoleſcentem Nainiticum, Luc. 7. v. 15. filiam Jairi, Matth. 6, 15. & Lazarum defunctum, Joh. 11, 44. Quin & cœcos videntes, claudos ambulantes, ſurdos audientes fecit, & leproſos mundavit. Et ut ſummatim dicam, pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, Matth. 11. v. 5. Act. 10. v. 38.

Elias tandem in cœlum aſcendit, poſteaquam miniſterii curſum abſolverat, in curru, qui equis igneis trahebatur, qui ſancti Angeli fuerunt: facis enim Angelos tuos ſpiritus & miniſtros tuos ignem urentem, Pſal. 104. verſ. 4. qui & poſtea ad oppidum Dothan. ſpecie equorum, & curruum igneorum Eliſeo ejusque miniſtro Jehaſi viſi ſunt, 2. Reg. 6. v. 17.

Chriſti Servatoris aſcenſio longe glorioſior. Poſtquam enim opus redemtionis humanæ coſummaverat, & à mortuis reſurrexerat, eduxit diſcipulos ſuos foras in montem Oliveti, & elevatis manibus ſuis benedixit eis Luc. 24. verſ. 50. & videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum, Act. 1. v. 9. hinc David: Curruum Dei ſunt vicies centena millia, Pſal. 68. v. 18.

Elias cœlum aſcendens pallium ſuum reliquit, & oratione ſua impetravit, ut Spiritus ſuus duplex in Eliſæo reſederit: Sicut etiam majora miracula patravit, & majori cum ſucceſſu prædicavit, quam Elias: Sic & *Chriſtus non modo pallium reliquit*, h. e. corpus & ſanguinem ſuum in cibum & potum Eccleſiæ ordinavit, in S. cœna, ut Chryſoſtomus explicat: ſed & Spiritum Sanctum de cœlo miſit, eoque Apoſtolos inſtruxit, ut in univerſo mundo Evangelium omni creaturæ prædicaverint, quin & ſequentibus ſignis ſermonem ſuum confirmaverint, ut pluribus ex ipſo Evangelio patet.

Nos ad ipſum Evangelium ſine ulteriori præloquio nos conferemus, tractaturi ex eodem:

I Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*
II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J.J.

Exegeſis.

Non immerito Servator noſter appellatur, *Dominus ſuper omnia*, Act. 10. v. 36. Hoc in diebus carnis ſuæ probavit, ubi terræ mandavit, ut Lazarum defunctum reſtitueret cum jam quatriduanus eſſet, & fœtere inciperet, Joh. 11. v. 38. 44. Ex quo apparet, quod ſit *Dominus Soli*, Domini enim eſt terra, & plenitudo ejus, Pſal. 24. v. 1.

Idem probavit, *quando in mari ambulavit, velut in terra*, Matth. 14. v. 25. & motum ejusdem ſopivit, verbo mari imperans & ventis, Matth. 8. v. 26. piſcibus mandavit, ut in magna frequentia in rete Petri confluxerint, Luc. 5. v. 6. quin & drachmam ſoluturo, piſcis ſtaterem ore apportare coactus eſt, Matth. 17. v. ult. Hinc conſtat, quod ſit *Dominus ſoli*, cui & piſces maris, & qui perambulant ſemitas maris, ſubjecti eſſe tenea-antur, Pſal. 8. v. 9.

Oſtendit id *in deſcenſu ſuo ad inferos, ubi fortis armati atrium devaſtavit*, Luc. 11. v. 21. captivitatem captivam duxit, Eph. 4, 8. & exſpolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter palam, triumphans illos

in

in ſeipſo, Col. 2. v. 15. ex quo elucceſcit, quod ſit *Dominus inferni*, in nomine namque ejus omne genu flectatur, & infernorum, Phil. 2. v. 10.

Tandem quoque idem probavit *in triumphante aſcenſione*, ubi cœlum cepit, Act. 3. v. 21. feditque ad dexteram majeſtatis Dei in excelſis, Heb. 1. v. 3. hinc liquido manifeſtum eſt, quod etiam ſit *Dominus cœli*, Cœlum enim eſt ſedes ejus, Eſa. 66. v. 1.

De ultimo hoc dominio, ad quod Chriſtus per aſcenſum ſuum elevatus eſt, hodierno die prædicatur in Eccleſia. Poſtquam enim Servator per quadraginta dies poſt reſurrectionem ſuam Apoſtolis ſuis apparuerat & multis argumentis ſe vivum præbuerat poſt paſſionem ſuam, Act. 1, 3. tandem die quadrageſimo in cœlum aſcendit, ſedens ad dextram Dei, ubi jam dominatur, velut Dominus factus, Act. 2. v. 36. ſecundum humanam naturam, ſuper omnem principatum & poteſtatem & virtutem, Eph. 1. v. 21. imo quæcunque vult facit, in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis, Pſal. 135. v. 6.

Hiſtoria ipſa deſcribitur in prælecto Evangelio, ubi percipimus primo, quod Servator diſcipulis incredulitatem ſuam exprobraverit. Deinde inſtruit eosdem, de futuro eorum officio, inquiens: Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Tertio pollicetur eis, ſe cooperaturum illis & confirmaturum ſermonem ſequentibus ſignis. Adſcenſus ipſe h. m. deſcribitur: Dominus Jeſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumtus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei.

Notitiam noſtri hinc diſcemus, ſi ſpectemus:

1. *Chriſti increpationem.* Noviſſime enim Chriſtus diſcipulis ſuis apparens, exprobravit incrudelitatem illorum, & duritiam cordis. Ubi in Græco eadem vox eſt, qua uſus Chriſtus legitur, quando cepit exprobrare civitatibus Corazin & Bethſaida, iisdemque væ ingeminavit, Matth. 11, 10. Ex quo apparet, quod Chriſtus diſcipulos ſuos ob incredulitatem ſatis ſevere increpaverit, iisque oſtenderit, quam enormiter peccaſſent, & quod in poſterum omni dubitationi renunciare debeant, niſi æternum væ incurrere velint. Neque vero inique id tulerunt diſcipuli, ſed potius cum manſuetudine ſuſceperunt, non ignari, reprehenſionem hanc peccatis ſuis ſe ſatis promeritos, Chriſtumque non inimico, ſed amico animo ſe objurgare, meliora enim ſunt vulnera diligentis, quam multiplicata oſcula odientis, Prov. 27. v. 6.

Hic probes velim te, mi Chriſtiane! utrum ſiniſtre forte exceperis, quando verbi præcones peccata & flagitia, feſtis ſolennibus ex ſuggeſtu reprehenderunt?

Multi ſane occurrunt, qui autumant, feſtis ſolennibus non convenive, ut verbi miniſtri peccata taxent: ſed potius Evangelium quam fieri poteſt, ſuaviſſime prædicandum, ne forte auditoribus indignatio moveatur, & devotio interturbetur, quæ tum temporis major, quam alio tempore eſſe debeat. Ideoque verbi præconibus vitio vertunt, ſi illi legem prædicent, & conſcientiæ ſuſcitabulum acrius immittant. Verum hic non modo exemplum Chriſti habemus, qui diſcipulos ſuos, poſtquam iisdem pacem apprecatus eſt, acriter ſimul eosdem objurgavit: Sed & Apoſtolus jubet inſtare opportune, importune, arguere, & increpare, 2. Tim. 4. v. 2.

Ubi

Digitized by Google

Ubi præſtantior quæſo concionator fuit quam Chriſtus? qui potiſſimum ad evangelizandum, & prædicandum annum placabilem Domino miſſus eſt, Eſa. 61. v. 2. Ideo commendatus, quod gratia diffuſa ſit in labiis ejus, Pſal. 45. v. 3. & tamen diſcipulos ſuos expoſtulatione ſatis ſevera perſtrinxit, poſtquam noviſſime iisdem ſe manifeſtavit.

Quodſi igitur verbi præcones officio ſuo dignos ſe præſtare velint, idem pro re nata facere tenentur, ſecus enim canes muti ſunt, Eſa. 56. v. 10. de quorum manu Deus ſanguinem deperditum requiret. Ezech. 3. v. 18.

Hoc modo munus ſuum obiere, Nathan, 2. Sam. 12. v. 7. 13. & Petrus, Act. 2. v. 27. nec ſine inſigni emolumento auditorum.

Nec hodie *ſine fructu fit*, *quando verbi præcones impœnitentibus legem annunciant*, adducuntur enim hoc modo ad agnitionem peccatorum, quæ proximus gradus ad pœnitentiam eſt, 1. Joh. 1. v. 8. Qui vero converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ ſalvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum, Jac. 5. v. ult.

Agnoſcant hoc Auditores, ut æquo animo caſtigationes ſuſcipiant, cum Davide dicentes: Percutiat me juſtus placide, & objurget me, hoc erit oleum capitis, ad caput meum, Pſal. 14. v. 5.

II. *Cauſa indicationem.* Exprobravit enim incredulitatem illorum, & duritiem cordis, quia nimirum omnia, quæ non modo mulieres, quæ ſepulchrum viſitaverant, ſed & diſcipuli Emauntici de reſurrectione ſua retulerant, pro mero figmento habuerant. Imprimis vero Thomas præ aliis incredulitatem ſuam oſtenderat, dicens: Niſi videro in manibus ejus veſtigium clavorum &c. Joh. 20. v. 25.

Non autem ita hoc intelligendum eſt, quaſi omnes Apoſtoli ſine omni fide fuerint. Emauntici enim Hieroſolymam revertentes, undecim Apoſtolis congregatis, quid ſibi in via accidiſſet, retulerunt, eosque in fide confirmarunt, dicentes: Dominus vere reſurrexit, & Simoni apparuit, Luc. 24. v. 34. Attamen fides illa infirmior fuit. Ideo expreſſe Matthæus memorat, quod in ultima Chriſti apparitione in monte Galilææ facta, nonnulli cum adoraverint, nonnulli autem dubitaverint, Matth. 28. v. 17.

Hic examines velim te, annon & ipſe per incredulitatem, & duritiem cordis adverſus Deum peccaveris?

Hoc non uno modo fieri ſolet. Sic enim peccant Epicurei, qui ſecure in diē viventes, non credunt, Deum eſſe, qui aliquando mala puniturus ſit, ideo vox eorundem: manda remanda, Eſa. 28. v. 10. Quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altiſſimus Sir. 23. v. 26.

Eodem modo delinquunt, *qui omnia ad rationis ſtateram appendunt*, nihilque credere volunt, niſi rationi ſuæ congruat, & ita juſtificatur cœleſtis ſapientia, ab omnibus filiis ſuis, Luc. 7. v. 35.

Quin & *hypocritæ*, qui exterius pietatem & ſanctitatem præ ſe ferunt, frequentant templum, peccata confitentur, & ſacra cœna utuntur, & tamen avaritiam ſuam ſequitur cor eorum, Ezech. 33. v. 31. hæc mera incredulitas & cordis durities eſt, quæ in poſtremis hiſce temporibus nimium invaluit, ut ſat cauſæ nobis ſit cum Davide conquerendi: Defecit ſanctus, Pſal. 12. v. 1.

Veri

Veri Chriſtiani renuncient his vitiis, Timidis enim & incredulis pars erit in ſtagno, ardenti ſulphure & igne, quod eſt mors ſecunda, Apoc. 21. v. 8. Hinc Paulus: Videte fratres, ne forte ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis, Heb. 3. v. 12.

Animarum Paſtores hic rationem officii ſui habere, & ejusmodi incredulitatem & animi duritiem in Auditoribus ſuis debito zelo reprehendere debent, *duro nodo, durus quærendus eſt cuneus*, maledictus, qui facit opus Domini remiſſe, Jer. 48. v. 10.

III. *Miraculorum ſpecificationem.* Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent. Et ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manum imponent, & bene habebunt.

Quomodo hoc in Apoſtolis impletum ſit, ex Actis eorum ſatis apparet. De Petro recenſetur, quod vexatos à ſpiritibus immundis curaverit, Act. 5. v. 16. Sic quando Philippus deſcendens in civitatem Samariæ Chriſtum illis prædicavit, multi eorum, qui habebant ſpiritus immundos, clamantes voce magna exibant, Act. 8. v. 7. Vide Act. 16. v. 18.

Præterea in feſto Pentecoſtes illi omnes Spiritu Sancto repleti iu omnibus linguis magnalia Dei prædicarunt, Act. 2. v. 6.

Quod ſerpentum fugationem attinet, Paulus in Inſula Melite in effectum deduxit, ubi vipera invaſit manum ejus, quam vero excutiens in ignem, nihil mali paſſus eſt, Act. 28. v. 5. 6.

Quin & adeo efficax Chriſtus in Apoſtolis ſuis fuit, ut & umbra & ſudariis ſuis infirmos reſtituerint, & languores fugaverint, Act. 5. v. 15. c. 19. v. 12.

Hoc ita neceſſarium fuit in primitiva eccleſia, *ubi miracula neceſſaria fuerunt, ut ad fidem creſceret multitudo credentium*, ſicut Gregorius loquitur. Poſtquam vera doctrina Evangelica, per miracula Chriſti & Apoſtolorum confirmata eſt porro miraculis, quia non novam doctrinam habemus, ſed idem Evangelium, quod in Paradiſo inceptum, & deinde per Prophetas propagatum fuit, donec Chriſtus, mediator Novi Teſtamenti venit, Hebr. 9. v. 15. & novum fœdus, quod cum nobis feriit, denuo variis ſignis & miraculis, partim immediate per ſeipſum: partim mediate per miniſterium Apoſtolorum præclare conſignavit, ut jam ſciamus, cui credamus, & certi ſimus quod potens ſit depoſitum noſtrum ſervare in illum diem, 2. Tim. 1. v. 12.

Hic inſpicias velim te, utrum & ipſe miraculis intentus, ea ad confirmationem veritatis neceſſaria reputaveris?

In Papatu pleno ore miracula ſua ſubinde jactitare ſolent, iisque ceu nota infallibili Eccleſiam ſuam præ Lutherana veram eſſe, probare ſatagunt. Unde ſimpliciores, falſis hiſce miraculis faſcinati, non raro ad Papiſticam eccleſiam declinare ſolent, præſertim, cum ipſe Chriſtus prædixerit, ſigna eos, qui crediderint, ſequutura eſſe.

Verum hic ſciendum, *doctrinæ rationem cumprimis habendam eſſe, an ea vera ſit, & cum verbo Dei conſentiat.* Multi enim dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus, & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos, inquit Servator ipſe, Matth. 7. v. 23. Quin & Paulus ſcribit, adventum Antichriſti futurum eſſe, ſecundum operationem ſatanæ,

in omni virtute,& ſignis, & prodigiis mendacibus,2.Theſſ.2.v.9.

Qui vero id nota Eccleſiæ veræ eſſet, quod *Diabolus* operatur, quin & *Anti-Chriſto & gentilibus* familiare eſt?

Imperatorem Veſpaſianum cæcum videntem,& claudum ambulantem feciſſe, à Tacito ſcribitur.

Monialis illa ethnica aquam cribro hauſit.

Accius Navius novacula coticulam, multis ſpectantibus diſſecuit.

Hujus generis plura,apud Plutarchum, Plinium,aliosque Scriptores Gentilium reperiuntur. Quis hinc,veram doctrinam illos habuiſſe, veramque Eccleſiam fuiſſe colligeret? Hic ergo Regula Trithemii, in reſponſo ad Maximilianum data, valet: *Ubi veritas non colitur, ſi qua fiunt miracula,non Deus,ſed Satanas operatur.* Idem olim Auguſtinus Donatiſtis reſponſum dedit: *Audiant*,inquit,*quæ narrant pagani, de diis & templis ſuis vel facta vel viſa. & tamen dii gentium dæmonia.*

Expeditiſſima ratio eſt,ſi innitamur verbo Chriſti,& miraculis,quibus ipſe & Apoſtoli jam olim illud probarunt. Si manſeritis in ſermone meo,&c.Joh.8.v.31.32.

De Secundo.

TRanſibimus nunc *ad alteram partem*, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti*, contemplaturi. Hic nobis in præſente Evangelio commendatur:

I. *Tanquam glorioſus Triumphator.* Poſtquam enim locutus eſt cum diſcipulis ſuis, intellige omnia,quæ de regno Dei dicenda erant,aſſumtus eſt in cœlum, & ſedet dextris Dei.

Per cœlum non intelligitur cœlum viſibile æthereum, id enim die noviſſimo magno fragore tranſibit,2 Pet.3,10. & ſtellæ cœli erunt decidentes,Marc.13,24. ſed ſedes S. Angelorum,& electorum fidelium,qui Deum vident à facie ad faciem, 1.Cor.13.v.12. & inde capiunt abundantiam gaudiorum, Pſal.16.v.ult.

Ubi vero proprie hoc cœlum ſit, non conſtat nobis, Deus novit,cui & commendamus. Interea firmiter credimus, quod Chriſtus Servator noſter,à monte Oliveti, in quo ſtetit,localiter paulatim altius reſurrexerit, donec nubes eum ſuſcepit,& Apoſtolorum viſui ſubtraxit.

Neque ſolum aſſumtus eſt in cœlum, *ſed & ſedet à dextris Dei*: dominatur jam non abſens,ſed ubique præſenter,in medio inimicorum ſuorum,ut Paulus explicat, 1. Cor.15,25.Hoc ipſum quoque in A.C.confitemur,Art.3. hiſce verbis: *Aſcendit Chriſtus ad cœlos,ut ſedeat ad dextram Dei, ho. perpetuo regnet ac dominetur, omnibus creaturis.* Et hæc gloria ipſi obtigit juxta humanam naturam. Quemadmodum enim quoad carnem è Maria virgine natus, ſub Pontio Pilato paſſus, crucifixus, mortuus & ſepultus eſt,reſurrexit,& ſpectantibus Apoſtolis in cœlum aſcendit: Ita etiam juxta humanam naturam ſedet ad dexteram Dei Patris,unde aliquando rediturus eſt,quemadmodum eum Apoſtoli viderunt,Act.1,11.

Seſſio proinde ad dexteram Dei patris differentia *ſpecifica* eſt inter aſcenſum Chriſti & Eliæ aliorumq; ſanctorum. Nemini enim unquam dixit Deus, neque dicturus eſt: Sede à dextris meis,Heb.1.v.13.

In

InPapatu totum Pſalterium B. Mariæ applicatum,& in ſpecie Pſalmus CX. ita explicatus eſt: Dixit Dominus Dominæ meæ, ſede à dextris meis. Sed ipſo Chriſto hoc injuria infertur, cui ſoli hic honos debetur, nec ulli alii creaturæ in cœlo & in terra. Ideoque Pſalmum hunc ſibi applicat, Matth. 22, 44. nec gloriam ſuam alteri dabit, Eſa.42.v.8. Neque enim ejusmodi gloriæ ſedes eſt, ad quam Chriſtus per ſeſſionem ad dexteram Deipatris evectus eſt, qualiter in mundo, quos honore afficere volumus, ad dexteram collocantur. Minime. Sicut enim Deus neque dextram neque ſiniſtram habet: ita etiam *ſeſſio Chriſti à dextris Dei ſpiritualiter intelligenda eſt*, de plenaria poſſeſſione divinæ Majeſtatis & gloriæ, quæ ipſi quidem vi unionis perſonalis, in primo conceptionis momento actualiter communicata eſt: attamen ſeipſum exinanivit, & formam ſervi induit, donec conſummato Redemptionis opere in cœlum aſcendit, unde venerat. Tum ſervi formam depoſuit, & plenarium Dominium ſuſcepit, hinc ipſe ait ad diſcipulos: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra: Et ecce, ego vobiſcum ſum omnibus diebus, usque ad conſummationem ſeculi, Matth.28.v.18.20.

II. *Tanquam ordinis prædicatorii commendator*, dicit enim diſcipulis*: Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ.

Pontificii, quando nos contumelia afficere volunt, ex contemtu nos Prædicantes appellare amant. Verum hic titulus ſcripturæ conformis eſt, & verbotenus in Evangelio præſente exſtat. Eſt enim:

1. *Titulus magnæ exiſtimationis*, quem ſanctiſſimi Dei viri non declinarunt, ſed potius cum gaudio uſurparunt.

Tempore *Seth* cœptum eſt invocari nomen Domini, Gen.4.v.ult. h. e. Aucta jam piorum eccleſia, inſtitutæ ſunt publicæ & ſolennes congregationes, in quibus explicabatur promiſſio de venturo ſemine mulieris, & exhortationes ad pietatem inſtituebantur.

Quis *Noah* fuit, qui cum Deo ambulavit? Nonne expreſſe juſtitiæ præco Petro vocatur, 2.Pet.2,5.

Quid *Abraham*, qui pater omnium credentium, Rom.4,16.& dilectus Dei dicitur, Dan.3,35. Nonne invocavit nomen Domini Gen.12.v.8.c.13.v.4. c.21.v.23.

Idem fecit *Iſaac*, Gen.26,24.25. *Samuel*, 1. Sam.3.v.ult. *Eſra*, Eſr.8,4. *David*, Pſalm. 116.v.13. *Salomo*, Eccleſ.1,12.

Quid *omnes Prophetæ, omnes Apoſtoli, Johannes Baptiſta, & Servator ipſe* fuerunt? Præcones fuerunt, & ordinem prædicantiū ſanctificarunt, ut nullo propterea pudore confundamur, ſed cum Paulo animoſe dicamus: Nos prædicamus Chriſtum crucifixum: Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, 1.Cor.1.v.23.

2. *Titulus perpetuæ commonefactionis.* Ad quid enim verbi miniſtri vocati ſunt? certe non ut dominentur, 1.Pet.5,3. Non ut pugnis ſive verberibus rem agant, ſicut Zedekia percuſſit Michæam in maxillam, 1.Reg. 22.v.24. non ut comedant domus viduarum, uti Phariſæi, Matth.23,14. non ut neglecto grege ſeipſos paſcant, quales paſtores olim in Iſrael fuerunt, Ezech.34,2. non ut in domos penetrare, & captivas ducere mulierculas debeant, 2.Tim.3.v.6. Ad hæc omnia enim minime miſſi ſunt. Sed titulus Præconis commonet eos, quod prædicare debeant.

Quid dicit Rex & Propheta David? Cantate Domino: annunciate (prædicate) de die in diem ſalutem ejus, Pſal. 96, 2. Pſ. 105. v. 1. Eſa. 40. v. 6.

Quoties Deus Jeremiæ mandat, quod loqui (prædicare) debeat? Jer. 1. v. 7. 17. c. 2. v. 1. 7. v. 21. 9. v. 2. idipſum omnibus Prophetis injunctum & ita effectum eſt. In N. T. Servator Optimus diſcipulos ſuos nullo alio fine in mundum ablegavit, quam ut prædicare debeant, uti audimus ex prælecto Evangelio. Quod ipſum quoque ita obierunt: illi enim profecti prædicaverunt ubique. Adhuc hodie hoc ſymbolum omnium Eccleſiæ miniſtrorum eſt: Neceſſitas mihi incumbit evangelizandi; væ enim mihi eſt, ſi non evangelizavero, 1. Cor. 9, 16. Nec minus promiſſionem habemus, quod Deus per prædicationem verbi virtutem ſuam exerere velit, ut in Ninivitis, qui pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ, Luc. 11. v. 32. hinc Paulus dicit, quod fides, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, Heb. 11. v. 6. ex auditu prædicationis ſit, Rom. 10. v. 17. 1. Cor. 1. v. 21.

3. *Titulus efficaciſſimæ conſolationis.* Quodſi Eccleſiaſtes odio habetur, contumeliis & conviciis proſcinditur, aut injuria afficitur, tum Dominus eſt vindex ejus, qui eum ad prædicandum verbum vocavit. Hinc ſevere dixit: Nolite tangere Chriſtos meos: & in Prophetis meis nolite male agere, Pſal. 105. v. 15.

Noah à primo mundo deſpectus & irriſus eſt: verum non impune id tulerunt, diluvium enim omnes inundavit & abſumſit, Gen. 7. v. 19.

Pueri in Bethel illuſerunt *Eliſæo*, dicentes: Aſcende, calve, aſcende calve: Egreſſique ſunt duo urſi de ſaltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros, 2. Reg. 2. v. 24.

Saul ſacerdotes Domini trucidari juſſit: ſed tandem deſperabundus, ſuo ſe gladio interemit, 1. Sam. 22. v. 18. c. 31. v. 4.

Hujusmodi exempla compluria adduci poſſent. Hoc itaque ſolatio præcones verbi ſe fulciant, quod quamvis ſint purgamenta mundi, omnium peripſema, 1. Cor. 4, 13. ibi tamen fulſuri ſint quaſi ſplendor firmamenti, & quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates, Dan. 12. v. 3.

Auditores quoque verbi *inſtructionem* hinc capere debent, ut verbi miniſtros ratione officii venerentur, & cogitent, quod frequens meditatio carnis afflictio ſit, Eccl. 12. v. 12. ideoque noverunt eos, qui laborant inter ſe, 1. Theſſ. 5. v. 12. & communicent iisdem in omnibus bonis, Gal. 6. v. 6. hoc unicum eſt neceſſarium, Luc. 10. v. ult. & poteſt ſalvare animas noſtras, Jac. 1. v. 21.

III. *Tanquam præſentiſſimus cooperator* Non enim Servator in cœlum aſcendit, ſicut Enoch & Elias, de quibus dici poteſt, quod quod jam non amplius in terris præſentes ſint: Verum de Chriſto ſcriptura memorat quod aſcenderit ſuper omnes cœlos, Eph. 4. v. 10. quod nihil aliud eſt, quam ubique præſentem eſſe, ſicut hæc phraſis ita uſurpatur, Jer. 23. v. 24.

Bono proinde animo eſſe poſſumus in omnibus calamitatibus: Dominus enim & Servator noſter, non ſeceſſit à nobis, ſed totius orbis dominium occupavit, quod præſens adminiſtrat, & quando nos plantamus, & rigamus, ipſe incrementum dat, 1. Cor. 3. v. 6. ut omnia proſperentur, Pſal. 1. v. 3. qui & defendit Eccleſiam ſuam, ne portæ inferorum prævaleant adverſus eam, Matth. 16. v. 18. Pſal. 93. v. 3. 4.

Quo-

Quando ſuperbus ille *Pharao* adverſus Iſraëlitas inſurgit, eosq; exſtinctum it, Dominus eum quaſi plumbum ſubmergit, in aquis vehementibus, Exod. 15. v. 10.

Quando *faſtuoſus ille Senacherib* eccleſiam planè deletam cupit, ponit ei circulum in naribus ejus, & reducit eum in viam, per quam venit, Eſa. 37. v. 29.

Quodſi *iracundus Saulus* minas & cædes ſpirat contra populum Chriſtianum, de cœlo eum terret, dicens: Saul, Saul, quid me perſequeris, durum tibi erit contra ſtimulum calcitrare, Act. 9. v. 5.

Ut breviter complectar, non eſt calamitas tanta, ex qua liberare ille nequeat. Propterea ſe exaltavit, ut videat laborem, & afflictionem noſtram conſideret, orphano erit ille adjutor, Pſal. 10. v. 14.

Quando igitur miſeriis hujus vitæ immerſi ſumus, ſemper ad Chriſtum nos convertere debemus, qui eſt ad dextram Dei & interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 34.

Lutherus ita hâc de re ſcribit ſuper Pſ. 110. Laß hergehen/ſtoſſen/ſchrecken/ ſtürmen / wer ſtoſſen/ ſchrecken und ſtürmen kan/ und werde ſo böß als es immer wolle/ dannoch will ich dafür bleiben / durch dieſen Herren/der da regiret/und herrſchet in Ewigkeit. Quod conſentit cum illo Pauli, Rom. 8. v. 31. 34.

Hoc egregium eſt ſolatium, quo nos ſuſtentare debemus, uſque ad adventum Chriſti, ubi & nos rapiemur in nubibus obviam Domino in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus, 1. Theſſ. 4. v. 17.

Id quod nobis largiri dignetur Deus ter Opt. Max. per & propter Chriſtum, Servatorem & Dominum noſtrum, Amen.

Feria II. Pentecoſtes.

Evangelium Ioh. 3. v. 1. --- 14.

EXORDIUM.

QVemadmodum Deus iræ ſuæ vehementiam *duobus modis* oſtendit: *ſemel per univerſale Diluvium*, quia enim primus mundus pœnitentiæ locum non relinquebat, Spiritui ſancto reſiſtens, Deus pluviam terræ immittebat quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & omnia, in quibus ſpiraculum vitæ erat in terra ſuffocabat, excepto Noah, & quæ cum illo in arca erant, Gen. 6. 7. cap. *Deinde per Sodomorum incendium.* Tum enim iterum pluit Dominus, ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo. Et ſubvertit civitates has, & omnem circa regionem, univerſos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia, Gen. 19. v. 24.

Ita etiam ex adverſo *bifariam manifeſtavit infinitam ſuam miſericordiam, primò in filii miſſione.* Ubi enim venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, Gal. 4. v. 4. *Deinde in Spiritus ſancti effuſione*: quæ quinquage-

quageſimo poſt reſurrectionem Chriſti die, Hieroſolymis accidit, Act.2.v.1. ſeqq.

Illa vocari poteſt *pluvia iræ*, in diluvio quippe rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt: & facta eſt pluvia ſuper terram, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, Gen.7.v.11. Ibi verò pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorrham, ſulphur & ignem à Domino de cœlo, Gen.19.v.24. *Hæc* verò *pluvia gratiæ*, ubi Deus etiam quidem feneſtras cœli aperuit, verùm non ut perderet, ſed ut conſervaret. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam, Joh.3.v.16. Spiritum quoque ſanctum hoc fine miſit:

Qui nos in arctis erigat,
Riteq; de Deo inſtruat,
In veritate ducat.

Daß er uns in Trübſal tröſten ſoll/
Und lehren ihn erkennen wol/
Und in der Warheit leiten.

Utrumq; in ſcripturâ cum pluviâ confertur. De *Meſſiâ* enim *ſcriptum eſt*: Deſcendet, ſicut pluvia, in vellus: & ſicut guttæ irrigant terram, Pſ.72.v.6. De *Spiritus ſancti* verò *effuſione* David ita prædixit: Imbrem benignum effundis Deus ſuper hæreditatem tuam, & quod languet, confirmaſti, Pſal.68.v.10.12. hæc duplicia illa ſunt, quæ de manu Domini ſuſcepimus, Eſa.40.v.2.

Grato animo igitur accipiamus eique cantemus oportet, qui bona tribuit nobis, Pſal.13.v.ult. Pſal.103.v.1. De viſibili Spiritus ſancti effuſione heſterno die actum eſt: quia verò illa ex filii miſſione ſequuta eſt, Majores noſtri prælectum Evangelium, feriâ II. Pentecoſtes explicandum ordinarunt, ut memori mente tenentes beneficia hæc, nunquam illa ex animo dimitteremus.

Nos ad ipſam Evangelii explicationem nos conferemus, pro inſtituti ratione ex eodem delibaturi:

I. Ανθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J.J.

Exegeſis.

PSalmum XVI. Pſaltes Regius *inſigne aureolum* appellat, quia in eo de beneficiis Meſſiæ, & præcipuè de paſſione, morte & reſurrectione agitur. *Multò æquius prælectum Evangelium hoc titulo inſigniri poteſt*, in quo compendiosè totum ſalutis noſtræ negotium continetur. Hic enim audimus de dilectione Dei patris, ſatisfactione filii, & de applicatione Spiritus ſancti, quæ fit per fidem. Ideò verò *inſigne aureolum* eſt, quod non modò de collo ſuſpendere, ſed & cordi ipſi includere, & in hoc glorioſo ornatu exultare debemus, quaſi ſponſus ſacerdotali ornatu decoratus, & quaſi ſponſa ornata monilibus ſuis, Eſa.61.v.10.

Ανθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri* hic diſcemus, ſi ſpectemus:

1. *Patrem diligentem*, qui mundum adeò dilexit, ut proprio filio non pepercerit, ſed pro nobis omnibus tradiderit eum. Hoc exemplum rariſſimum prorſus eſt.

Deus eſt *ens infinitum*, excelſior cœlo, profundior inferno, longior terrâ menſura ejus, & latior mari, Job.11.v.8. unde ipſi cœli

cœli cœlorum capere non poſſunt, 1.Reg. 8.v.27. Nos homines verò reſpectu ejus quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi pulviſculus ſtateræ reputati ſumus, Eſa.40.v.15. Attamen hic infinitus Deus, nos gratioſè reſpexit, & cum in peccata incidiſſemus, filium ſuum ad nos redimendos miſit. Quis hîc non ſtuperet, dicens cum Davide: Quid eſt homo, quod memor es ejus, Pſal.8.v.5.

Ens liberrimum: Omnia quæcunque voluit fecit, in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis, Pſal. 135.v.6. quod igitur mundum tantopere dilexit, id fecit ex indebita gratia & miſericordia, quæ diluculo nova, Thren.3.v.23. & ſuper omnem carnem, Sir.18.v.12. Oſ. 11. v. 8. 9.

Deus eſt *ens optimum*, quantus enim ipſe eſt, tanta eſt ejus miſericordia, Sir.2. v. 23. hinc Servator: Nullus eſt bonus, niſi Deus unus, Matth.19.v.17. quæcunque igitur ab eo proveniunt, omnia bona ſunt, ſive ſint bona, ſive mala, ſive vita ſive mors, ſive paupertas ſive divitiæ, Sir. 11.v.14. Deum enim diligentibus omnia in bonum cooperantur, Rom.8.v.28.

Deus eſt *ens perfectiſſimum*, qui ſufficientiam habet in ſeipſo, El Schaddai, Deus mamillarum, Geneſ.17.v. 1. Eſa.66.v.11. qui cuique vitam & abundantiam largitur, Joh.10.v.10. Sed nec ullius creaturæ indiget: Num Deo prodeſt vir? num illi prodeſt intelligens? quærit Eliphaz Themanites, Job. 22.v.2. attamen miſeriam noſtram ad cor ſibi revocavit, & adeò dilexit nos, ut filium ſuum tradiderit pro nobis in mortem, unicè propterea, quo ſervi redimerentur, quaſi ſine nobis beatus eſſe non poſſet, cùm tamen cœlum Angelis & Archangelis redundaret, à quibus ſufficienter & pro dignitate laudari & celebrari potuiſſet. Meritò igitur hic iterum exclamamus; quid eſt homo, quod memor es ejus? Pſal. 8.v.5.

Hic ſcrutare te, mi Chriſtiane! utrum hoc unquam rectè agnoveris, Deoq; tuo pro ardentiſſimo hoc amore gratias debitas egeris?

Cum claudus pedibus Mephiboſeth gratiam reperiſſet coram Davide, ut ille diceret ad eum: Ne timeas, quia faciens faciam in te miſericordiam, propter Jonathan patrem tuum. Ille adorans eum dixit: Quis ego ſum ſervus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum, ſimilem mei? 2. Sam. 9. v. 7.

Nos miſer ille Mephiboſeth ſumus, naturâ claudicantes, quando in viis juſtitiæ ambulare debemus: quia peccata adeo nos deformarunt, ut cani mortuo ſimiles ſimus, in oculis Dei: quemadmodum enim à cane mortuo oculos avertimus, & naſum comprimimus: ita peccata diviſerunt inter nos & Deum noſtrum, Eſa. 59. v. 2. ut faciem ſuam avertere à nobis potuiſſet, Eſa. 1. v. 15.

Verùm hoc non fecit, ſed in filio ſuo nos gratificavit, ut panem in menſa ejus comedere, & ipſi in filios & filias eſſe debeamus, hîc & in æternum, 2. Corinth. 6. verſ. 11.

Gratâ igitur mente hoc revolvamus, dicentes cum Jacobo: Minor ſum Domine, cunctis miſerationibus tuis, Gen.32.v.8. Non eſt enim bene beneficia non compenſanti, Sir.12.v.3.

Verùm quam parum id obſervetur, experientia proh dolor! teſtatur: Non eſt enim veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra, Oſ.4.v.1.2.

Hæ

Hæ gratiæ illæ ſunt, quæ Deo pro inexhauſtis beneficiis ſuis rependuntur, ut non immeritò querelam Eſaiæ ille ingeminet: Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me, Eſa. 1. v. 2. 3.

Veri Chriſtiani hoc ſolatio ſuſtentent ſe, quod adeò benignum Deum in cœlo habeant, *cujus miſericordia nos prævenit, ut ſanemur, ſubſequitur, ut glorificemur*, Auguſtino dicente. Ubi enim abundavit delictum, ſuperabundabit & gratia, Rom. 5. v. 21. 22.

II. *Filium redimentem*, qui ſeipſum pro nobis tradidit, Tit. 2. v. 14. factus patri obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis, Phil. 2. v. 8. De quo ita in Evangelio: Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret. Filius non minus promtus ad nobis ſuccurrendum fuit, propterea ait: Ecce venio, Pſal. 40, v. 8. Ad eundum modum canit Eccleſia:

Paret parenti filius,
Humiq; venit ortu:
Ut frater eſſet, virginis
Natus decente partu:
Virtute tectâ tunc iit,
Formam vilem meam tulit,
Capturus hâc Draconem.

Der Sohn dem Vater gehorſam war/
Er kam zu mir auff Erden/
Von einer Jungfrau rein und zart/
Er wolt mein Bruder werden:
Gar heimlich führt er ſein Gewalt/
Er gieng in einer armen Geſtalt/
Den Teuffel wolt er fangen.

Ita Deus cœleſtis pater filium ſuum dedit, non ut deperditos nos homunciones modò quæreret & viſeret, ut Joſephus fratres ſuos, Gen. 37. v. 14. nec ideo, ut ſine vitæ diſcrimine pro nobis pugnaret, ſicut Gideon pro populo ſuo, Jud. 6, 12. non ut debitum requireret, ſicut Tobias, qui eam ob cauſam à parentibus ſuis in Rages civitatem Medorum ablegatus fuit, Tob. 6. v. 1. ſed ut acerbiſſimos dolores & cruciatus, imò mortem ipſam pro nobis ſufferret, & hoc ipſo generi humano æternam redemtionem inveniret, Heb. 9. v. 12.

In V. T. ſæpè Deus Salvatores ſuſcitavit populo ſuo, qui eundem à tyrannide ethnicorum liberarunt: Verùm in N. T. ipſe filius Dei venit, & vinctos eduxit de puteo, in quo non eſt aqua, Zach. 9. v. 11.

Hoc tantum beneficium eſt, cui dignas referre gratias in æternum non poſſumus. Multa dicemus, & deficiemus in verbis: gloriantes ad quid valebimus? ipſe enim omnipotens ſuper omnia opera ſua, Sir. 43. v. 31. 32.

Quilibet hic ſeipſum probet, quàm gratum ſe exhibuerit, & utrum Chriſtum, unicum mundi redemtorem agnoverit, dilexerit, & honoraverit?

Hoc ipſa rei æquitas requirit, gratiam fidejuſſoris ne obliviſcaris, dedit enim pro te animam ſuam, ait Siracides cap. 29. v. 20. Ita & Chriſtus fidejuſſor noſter factus, reipsâ comperit, quod in Proverbio dicitur *Sponde, noxa præſto.* Bürgen ſoll man würgen/ dum quæ non rapuit, exſolvit, Pſ. 69. v. 5. Ideoque beneficii hujus nunquam immemores dicamus cum Paulo: Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, Gal. 6. v. 13. Quod enim adeò promtè ſe pro nobis tradidit, hoc ipſo declaravit nobis:

1. *Suam clementiam*, per omnia enim no-

nobis aſſimilatus eſt, excepto peccato, Heb. 2. v. 17. Deut. 33. v. 3. Prov. 8. v. 31.

2. *Suam potentiam.* Eſt enim leo de tribu Juda, Apoc. 5. v. 5. cui tantum fortitudinis, roboris & virtutis, ut neque unum deficiat, Eſa. 40. v. 26.

3. *Suam opulentiam.* Ejus eſt argentum, & ejus eſt aurum, Hagg. 2. v. 9. de manu ejus omnis copia eſt, & ejus ſunt omnia, 1. Paral. 30. v. 15. Prov. 8. v. 18.

4. *Suam patientiam*, cum malediceretur, non maledicebat, 1. Petr. 2. v. 23.

5. *Suam diligentiam.* Moſes olim tanto ſtudio redemtionem Iſraëlitarum procuravit, ut non ungula remanſerit, Exod. 10. v. 27. Sic Chriſtus perfectum λύτρον exſolvit, non modò pro electis: ſed pro omnibus omninò hominibus, 1. Joh. 2. v. 2. nihilq; ei gratius foret, quàm ſi omnes beneficiis ejus partes per fidem fruerentur, hinc clamat: Reſpicite ad me, & ſalvi eritis, omnes fines terræ, Eſa. 45. v. 22. Ezech. 33. v. 1.

His proprietatibus cum Servator inſtructus ſit, non alium expectemus, ſicut Judæi, Matth. 11. v. 3. nec alios inſequamur, utpote Mariam, Franciſcum, Dominicum, ſed confidenter ad eum accedamus, cum Eccleſiâ canentes:

Te Chriſte Jeſu ſola ſpes,
Reſpectat hac in terrâ:
Solus mihi ſolator es,
Medela proſtat nulla.
Nil exſtat à primordio,
In orbe nullus eſt homo,
Qui poſſit adjuvare me,
Imploro te,
Qui ſola ſpes fiduciæ.

Allein zu dir / HErr Jeſu Chriſt /
Mein Hoffnung ſteht auff Erden:
Ich weiß / daß du mein Tröſter biſt /
Kein Troſt mag mir ſonſt werden.
Von Anbegin iſt nichts erkorn /
Auf Erden war kein Menſch geborn /
Der mir auß Nöthen helffen kan /
Dich ruff ich an /
Zu dem ich mein Vertrauen han.

Sed bipedum nequiſſimi meritò habendi ſunt, qui ita beneficia Dei, quod ſibi filium ſuum largitus eſt, rependunt, ut avaritiæ, temulentiæ, blaſphemiis, ſcortationibus aliisq; nefandis ſceleribus ſe dedant. Certè Dominus aliquando defeſſus erit miſereri. Jer. 15 v. 6. & confringet capita illorum, Pſal. 68. v. 22. Sir. 5. v. 7.

III. *Mundum in malo jacentem.* Ita enim Deus dilexit *mundum*, quo non intelligitur *cœli & terræ machina.* Illa enim ignis ardore liqueſcit, 2. Petr. 3. v. 12. *ſed homines in mundo habitantes*, ne ullo excepto, ſicut in peccatis concepti & nati ſunt, Pſal. 51. v. 7. & ut naturâ filii iræ conſiderantur, Eph. 2. v. 3.

Quodſi Deus ex rigore juſtitiæ nobiscum agere voluiſſet, nihil aliud promeriti eramus, quàm ignem infernalem, ſulphur, picem: Verùm nihilominus ille mundum dilexit, & quidem adeò, ut filium ſuum pro eo dederit, Quis hîc non cum Moſe exclamaret: Dilexit populos, Deut. 33. v. 3. Hoc ipſo enim commendat Deus caritatem ſuam erga nos, quod Chriſtus, cum adhuc peccatores eſſemus, pro nobis mortuus eſt, Rom. 5. v. 8. 9.

Hic te examina, mi Chriſtiane! ubi ſis & qualis ſis, & ſolatio hoc eò magis reficieris.

Digitized by Google

Annon es in mundo? Utique in mundo, ubi experiris, quod Chriſtus ait: In mundo preſſuram habebitis, Joh. 16. v. ult. Annon pars mundi es? utique mundi pars, hominis filius, & terræ gleba. Ideoque hîc eximere te nequis, quin mundum in te ſentias. Et licet te Chriſtus elegerit de mundo, Joh. 15. v. 19. Tamen cum Paulo tibi lamentandum: Scio, quod in me, hoc eſt, in carne meâ, bonum non habitet, Rom. 7. verſ. 18. 24.

Iccircò conſolatio hæc ad te quoque pertinet. Qui mundum dilexit, te quoque dilexit, & per filium ſuum in gratiam recepit. Ne proinde indignitas tua te abſterreat. *Diſplicentes amati ſumus, ut eſſet unde placeremus*, ait Auguſtinus.

Quodſi Deus dignitatem reſpexiſſet, aut eam expectaſſet, nullus peccatorum, quamdiu mundus ſtetit, in gratiam receptus eſſet. Proſpexit enim Dominus de cœlo ſuper omnes filios hominum, & omnes declinaverunt, Pſal 14 v. 3.

Ideo illud Pauli hic locum habet: Gratiâ ſalvati eſtis per fidem, idque non ex operibus, ne quis glorietur, Eph. 2. v. 8. 9.

Et hæc *gratia univerſalis* eſt, à qua nemo excluditur, niſi qui ſeipſum excludit per incredulitatem & impœnitentiam. *Univerſalis* eſt *gratia Dei patris*, totum enim mundum dilexit, & miſerationes ejus, ſuper omnia opera ejus, Pſal 145. v. 9. *Univerſalis eſt ſatisfactio filii.* Factus enim eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed pro totius mundi peccatis, 1. Joh. 2. v. 2. *Univerſalis* eſt *prædicatio Evangelii*, ubi dicitur. δεῦτε πάντες, omnes ſitientes venite ad aquas, Eſa. 55. v. 1. Omnes qui laboratis & onerati eſtis, venite ad me, ego reficiam vos, Matth. 11. v. 28. eodem modo juſſit Apoſtolos ſuos prædicare pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, Luc. 24. v. 47.

Verùm *à parte hominum particularitas occurrit*, utpote, qui gratiam oblatam rejiciunt, & venire nolunt, quando ad cœnam magnam invitantur, ut Chriſtus ipſe docet, Matth. 22. v. 14. Luc. 14. v. 24.

Ideò optimum conſilium & remedium eſt, ut agnoſcas indignitatem tuam, gratiæ divinæ confidas, & firmâ fide meritò & dignitati Chriſti te includas, ſic dilectione Dei, & redemtione Jeſu Chriſti fruêris in æternum. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur, Marc. 16. v. 16.

De Secundo.

PRogrediemur nunc ad *alteram partem*, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti* contemplaturi. Hic nobis in Evangelio præſente commendatur:

I. *Tanquam Filius Dei unigenitus.* Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.

Hoc titulo inſignitur

1. *Ratione perſonæ*, quia eum Deus ab æterno ex eſſentiâ ſuâ genuit. Hinc ipſe ait: Filius meus es tu, ego hodie genui te, Pſal. 2. verſ. 7.

Deus noſter aliàs multos filios & filias in mundo habet, *angeli ſunt filii ejus*, quia eos creavit, Job. 38. v. 7. *Credentes ſunt filii ejus*, quia eos in Chriſto in filios adoptavit, Joh. 1. v. 12. *Chriſtiani magiſtratus ſunt filii ejus*, quia eis munus ſuum concredidit, Pſ. 82. verſ. 7.

Sed hîc *naturalis, unicus & unigenitus filius* eſt, qui eſt in ſinu patris, Joh. 1. v. 18.

imago

Digitized by Google

imago Dei inviſibilis, ſplendor gloriæ & character ſubſtantiæ ejus, Col.1.v.15. Hebr. 1. v. 3. verbum Patris, Joh.1.v.1. & Dominus Dominantium, Apoc.19.v.16. quinimò Deus ſuper omnia benedictus in ſecula, Rom 9. v.5.

Quàm difficile Patriarcha Jacobus adduci poterat, ut ad liberationem filii ſui Simeonis, alium videlicet Benjamin, quem Joſephus deſiderabat, & quidem ad breve tempus dimitteret, qui tamen plurimis filiis, iisq; ex parte non adeo frugi inſtructus erat, Gen.42.v.36.

Verùm pater cœleſtis unigenitum ſuum, eumq; dilectiſſimum filium: ultrò & lætanter tradit, quis hinc non agnoſceret divitias bonitatis ejus, exclamans cum Siracide: Quàm magna miſericordia Domini, & propitiatio illius convertentibus ad ſe, c.18. v. 28.

2. *Ratione ſparta*, hîc enim iterum manet unigenitus, & unus ille mediator Dei & hominum, 1. Tim.2.v.5. Et non in aliquo alio ſalus, Act.4.v.12.

Quodſi igitur *peccata tua te angunt*, à quibus liberari cupis, verâ te fide convertе ad hunc unigenitum Dei filium, hic ſolus torcular calcavit, Eſa.63.v.3. & peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, 1. Petr.2.v.24. Ideo ait ipſe: In memetipſo juravi, Eſa.45.v.23.

Quodſi advocato indiges apud Deum, non alios quære, ſed rectà ad hunc unigenitum Dei filium perge, quem nobis Deus propoſuit ἱλαστήριον in ſanguine ipſius, Rom. 3.v.25.

Quodſi calamitatibus immerſus es, non Angelos, aut Sanctos demortuos invoca, ſed nomen unigeniti filii Dei, & certiſſimè liberaberis. Amen, Amen dico vobis, ſi quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, promiſit ipſe Servator, Joh. 16. verſ.23. Verbo: *Omnia Jeſus nobis eſt*. Beatus homo, qui ſperat in eo, Pſalm. 84. verſ. ult.

II. *Tanquam illuminator mundi beneficus*. Ipſe namque ait: Hoc eſt autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Erant enim eorum mala opera.

Ante adventum Chriſti, *totus mundus in tenebris* jacebat:

1. *Propter ſummam cæcitatem*. Nullam enim notitiam Dei, neque verbi ejus habebamus, ſed euntes eramus ad ſimulacra muta, prout ducebamur, 1.Cor.12.v.2. mutantes gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & ſerpentum, Rom. 1. v. 23. ideo de gentilibus dicitur, quod habitaverint in tenebris, & in regione umbræ mortis, Eſa. 9. v. 2. tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vitâ Dei, per ignorantiam, quæ in illis erat, propter cæcitatem cordis ipſorum, Eph.4.v.18.

2. *Propter delictorum pluralitatem*, quæ ubique invaluerant, imprimis verò comeſſationes, compotationes, & nefarii ſimulachrorum cultus, 1.Petr.4.v.3. hæc mera opera tenebrarum erant, ut Paulus ea appellitat, Rom. 13.v.12. *primò ideò*, quia à nemine alio originem habent, quàm à Diabolo, qui princeps tenebrarum dicitur, Eph.6.v.12. *Deinde & propterea*, quia potiſſimum noctu perpetrantur. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut ma-

Digitized by Google

manifeſtentur opera ejus, quia in Deo facta ſunt: ut Servator hîc ait. *Et tertiò*, quia nihil certius ſequetur, quàm æternæ tenebræ, ubi erit fletus, & ſtridor dentium, Matth. 22. v. 13.

3. *Propter variam calamitatem*, quæ in ſcripturâ nomine tenebrarum indigitatur. Adſpiciemus in terram, & ecce, tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata eſt, in cœlo ejus, Eſa. 5. v. ult. Imprimis verò hæc magna miſeria erat, quod omnes mortis rei eramus, quæ non modo corpus, ſed & animam cum corpore occidiſſet, niſi Chriſtus nos redemtos in libertatem aſſeruiſſet. Hæc enim peccati ſtipendium eſt, Rom. 6. v. 23. ſed ſubitò in tempore veſperi lux facta eſt, Zach. 14. v. 7. ſubitò & inopinatò de tenebris erepti, in regnum lucis transpoſiti ſumus, 1. Petr. 2. v. 9. à Domino factum eſt iſtud, & mirabile eſt in oculis noſtris, Pſal. 118. v. 23. Mundus hanc lucem flocci æſtimat, ideoque manet in tenebris, & tandem, niſi reſipuerit, in æternas tenebras mittetur, ubi erit fletus & ſtridor dentium, Matth. 22. v. 13.

Nos verò ex animo lætemur, quod nos Deus per Chriſtum è tenebris his liberatos, idoneos fecit in partem ſortis ſanctorum, in lumine, Col. 1. v. 12.

Cicero ſcribit *de monte Æthnâ in Siciliâ*, quod aliquando tantum ignis & favillæ eructaverit, ut alter alterum in viciniâ per biduum conſpicere non potuerit. Et poſtquam tertio die ſol illuxerit, non aliter illis viſum fuerit, quàm ſi à mortuis reſurrexiſſent, & denuò vitâ donati eſſent.

Nos omnes, Dilecti! antehac miſeri Japhitæ & ethnici fuimus, qui non modo biduum, ſed multos centenos annos ſolem juſtitiæ Chriſtum Jeſum non vidimus. Ideo gratias Deo agamus, quod nos ad tempus N. T. reſervaverit, ubi ſalutifera gratia Dei omnibus hominibus apparuerit, Tit. 2, 11. & omni ſtudio enitamur, ut in luce ambulemus, dum lucem habemus, ne tenebræ nos comprehendant, Joh. 12. v. 35. 1. Joh. 1. verſ. 8.

Hic *certiſſimum* ſequitur *ſolatium*.

Subinde fit, ut ſol nobis occidat, ſicut Jacobo, Gen. 28. v. 11. h. e. variæ afflictionum nubes exſurgunt, quæ conſolationis lucem obnubilant, ut in tenebricoſa valle mortis nobis ambulandum ſit, Pſal. 23. v. 4. aut tantis malis immergamur, ut quomodo emergamus, non videamus, ſicut Joſaphat, 2. Chron. 20. v. 12.

Sed confidite, Dilecti! Servator noſter eſt lux mundi, ideò non ſemper in tenebris nos relinquet, ſed tandem erit, *poſt nubila Phœbus*, Pſal. 97. v. 11.

Hæ ſunt viciſſitudines, quibus nos miſeri homunciones in hac miſeriarum valle ſubjecti ſumus. Veluti enim dies & nox ſemper alternantur, Ita & lætitia & triſtitia ſors proſpera & adverſa, Prov. 14. v. 13.

In vita æterna verò non amplius erit transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, Jac. 1. v. 17. Non erit tibi ampliùs Sol ad lucendum per diem &c. Eſa. 60. v. 19.

III. *Tanquam oſor tenebrarum certiſſimus.* Omnis enim, qui malè agit, odit lucem & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Et hoc ipſum judicium eſt, per quod ſe in æternum exitium præcipitant. Hinc etiam eſt, quod peccata in genere *opera tenebrarum* vocentur, idq; ob tres potiſſimum cauſas:

1. *Ratione principii.* Quia à Diabolo oriuntur, qui princeps tenebrarum dicitur,

tur,Eph.6.v.12. Sicut enim omne datum optimum,& omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, Jac.1.v.17. ita ex adverſo omnia peccata & flagitia à diabolo derivantur,qui pater mendaciorum eſt.Joh.8, 44.&qui facit peccatum,ex diabolo eſt,1.Joh.3,8.

2.*Ratione exercitii.* Quia plerumque in tenebris perpetrantur:Mane primo conſurgit homicida,Job.24,14.15.eadem ratio aliorũ peccatorum eſt. Cum enim homines dormiunt,venit inimicus,& ſuperſeminat zizania in medio tritici,Matth.13,15.

3. *Ratione ſupplicii,* quia tandem hominem,qui in iis perſeverat, in æternas tenebras præcipitant, ut abeat ad progeniem patris ſui diaboli,& usque in æternum non videat lucem,Pſal.49,20.

Genuini Chriſtiani fugiant hæc tenebrarum opera.In V. T. Judæis prohibitum erat,ne comederent *noctuam*, nec ſacrificarent illam,Levit.11.v.16.Hoc ipſo Deus nihil aliud innuere voluit,quam quod *corvi illi nocturni*,qui in operibus tenebrarum delectantur,ad regnum ſuum non pertineant, ſed in regnum tenebrarum, ex quo nos Chriſtus liberavit,1.Pet.2.v.9.

Quia igitur hoc nobis exploratum eſt, quod Chriſtus opera tenebrarum odio habeat,nolite communicare illis,Eph.5,11. ſed lucete,in medio nationis pravæ atque perverſæ,ſicut luminaria in mundo,Phil.2.v.15. ſic aliquando fulgebitis, quaſi ſplendor firmamenti, Dan.12, 3. & ſicut ſol in regno Patris,Matth.13.v.43.

Hoc ipſum nobis largiri dignetur Deus ter Opt.Max.per & propter Chriſtum,Dominum & Servatorem noſtrum, in Spiritu S.Amen.

Feria III. Pentecoſtes.

Evangelium, Joh. 10. v. 1. -- 10.

EXORDIUM.

CUm Deus Philiſtiim, qui appropinquaverant ad pugnandum contra Iſrael, fragore tonitruum exterruiſſet adeo de cœlo,ut cæſi eſſent à filiis Iſrael: Tulit Samuel lapidem unum,& poſuit eum inter Maſphath,& inter Sen; & vocavit nomen loci illius,Ebenezer, h.e. lapis adjutorii,dixitque, huc usque auxiliatus eſt nobis Dominus,1.Sam.7,10.12.

Nos, Dilecti! ſimiliter per Chriſtum præclaram victoriam obtinuimus contra infernales Philiſtiim: *In cruce* enim clamavit: Conſummatum eſt,Joh.19.v.30. *In reſurrectione ſua*: Noli timere: ego ſum primus & noviſſimus,& vivus,& fui mortuus: & ecce, ſum vivens in ſecula ſeculorum, Apoc. 1. v. 17.18. *In aſcenſione ſua*: Aſcendo ad Patrem meum,& Patrem veſtrum,& Deum meum, & Deum veſtrum,Joh.20 v.17.eſtote bono animo: In domo patris meæ manſiones multæ ſunt, Joh.14.v.2. *In feſto Pentecoſtes* Paracletum Spiritum Sanctum miſit,& linguarum ignitarum ſpecie ſuper Apoſtolos effudit,Act.2,3. Hæc omnia in noſtrum

Digitized by Google

emolumentum facta ſunt. Sicut enim traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtitiam noſtram, Rom.4.v.ult. ta etiam propter nos ad cœlum aſcendit, & hoc ipſo acquiſivit nobis ſpiritum ſapientiæ & intelligentiæ, ſpiritum conſilii & fortitudinis, ſpiritum ſcientiæ & timoris Domini, Eſa.11,2. ſpiritum gratiæ & precum, Zach.12,10. ſpiritum adoptionis, Gal.4,6. Doctorem linguarum, datorem donorum, arrhabonem ſalutis. Hinc canere poſſumus: Dominus memor fuit noſtri, & benedixit nobis, Pſal.115.v.12.13.

Quemadmodum igitur Iſraelitæ Pentecoſten ſuam ſolenniter celebrarunt, & ſeptem diebus continuis lætitia exultarunt, *ſemel ratione legis*, quam Deus illis illo die promulgaverat, Exod.19.v.16. *Deinde ratione novellarum frugum*, quia tum temporis meſſis initium capiebat apud ipſos, unde Deo ad conteſtandam gratitudinem ſuam primitias, & duos panes Movendæ, de duabus decimis ſimilæ fermentatæ offerre tenebantur, Levit.23,17.

Ita & nos devotionem noſtram, non primo ſtatim die finiamus, ſed perficiamus ſanctificationem, in timore Dei, 2.Cor.7.v.1. Multa enim beneficia Dei ſunt, quæ nobis præſtitit, multa dicemus, & deficiemus in verbis, Sir.43.v.30. non eſt invenire magnalia Dei, cum conſummaverit homo tunc incipiet, c.18.v.6.

Hoc fine iterum convenimus, ut Domino Ebenezer, ſive laudis monumentum erigamus, qui nobis hucusque adjumento fuit, & ita Pentecoſten noſtram conſummabimus. Siquidem gratiarum actionem meretur, quod nos ſpiritu ſuo ſancto tam benigne adfuit, mihi vires ad dicendum, vobis ad audiendum largitus eſt. Sed & res ipſa requiret, ut eum porro invocemus, ut præſidio ſuo ſicut hactenus ita & in poſterum nos fovere, & verbo ſuo virtutem largiri dignetur, ne labor noſter in Domino inanis ſit, 1. Cor.15.v.ult.

Anſam huic rei ſuppeditabit nobis prælectum Evangelium, ubi de ovili ſermonem inſtituemus, quæ eſt eccleſia, in qua Spiritus Sanctus officinam ſuam habet, evolans ex ea & revertens in eam, ſicut columba in arcam Noæ, Gen. 8, 8. & oviculas ſufficienti paſcuo ſuſtentans, ut non deſtituantur omni bono, Pſal.34,11.

Nos ſine ulteriori præloquio ad prælectum Evangelium nos conferemus, tractaturi ex eodem:

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*
II. χριστολογίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J.J.

Exegeſis.

Haud inconcinne Servator noſter appellatur *Doctor erudita lingua*, Eſa.50. in illo enim omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſauri abſconditi ſunt, Col.2.v.3. ita ut linguis angelorum, 1.Cor.13.v.1. vel eo modo ſicut Deus in monte Sinai locutus eſt, Exod. 19,1. cum hominibus loqui potuiſſet, ſi voluiſſet aut ita ei viſum fuiſſet. Sed propter imbecillitatem noſtram ſemper nobis condeſcendit, & ut plurimum in notis parabolis myſteria regni Dei ita docuit & expoſuit, ut ſimpliciores per eas inſigniter profecerint: ſicut hujus rei exemplum habemus in prælecto Evangelio, in quo Servator allegorice *in ſimilitudine ab ovili deſumpta*, condi-

conditionem Eccleſiæ affabre deſcribit, unde & ab Evangeliſta ipſo παροιμία vocatur.

Ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri* hic diſcemus, ſi ſpectemus:

1. *Eccleſiæ figuram*, quam Chriſtus cum ovili comparat, dicens: Amen, Amen, dico vobis, qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro.

Alias in ſcriptura alia præclara epitheta inveniuntur, quæ Eccleſiæ Chriſti applicantur: Nominatur enim, *corpus Chriſti*, Eph. 1. v. 23. *Sponſa Chriſti*, Eſa. 61. v. 10. Joh. 3. v. 29. Apoc. 22. v. 19. *Regnum cœlorum*, Matth. 3. v. 2. *Civitas Dei*, Pſal 46. v. 5. *Domus Domini*, Pſal. 27. v. 4. & ſic ulterius. Verum hic ovili confertur, idque

1. *Reſpectu Chriſti*, qui non modo bonus ille paſtor, Joh. 10. v. 11. princeps paſtorum, 1. Pet. 5. v. 4. magnus paſtor ovium, Hebr. 13. v. 20. ſed & præcipua ovis & agnus Dei eſt; quem Johannes digito monſtravit, dicens: Ecce, agnus Dei, Joh. 1, 29.

2. *Reſpectu noſtri*. Omnes enim eramus ſicut oves errantes: ſed converſi ſumus nunc ad paſtorem, & Epiſcopum animarum noſtrarum, 1. Pet. 2, 24. ut in ovili Eccleſ. manſionem noſtram habeamus, dum in cœleſtem Hieroſolymam transferamur, ubi non amplius in devia aberrabimus, ſed ſequemur agnum, quocunque ierit, Apoc. 14, 4. & in habitatione pacis, in contemplatione SS. Triadis nos oblectabimus, in ſempiternum, Eſa. 32. v. 18.

3. *Reſpectu ſui*. Quemadmodum enim ovile non magnifice extructum, nec altis muris cinctum, aut turribus munitum eſt: ſed vili ſpecie apparet, & niſi paſtor cum canibus excubias ageret, vix illud præſidio eſſet ovibus. Sic etiam Eccleſia in his terris tenue perfugium habet, eſt enim puſillus grex, Luc. 12. v. 32. populus pauper & egenus, Sophon. 3. v. 12. miſera, tempeſtate convulſa, abſque omni conſolatione, Eſa. 54, 11. Sed Chriſtus non relinquet ſuos orphanos, Joh. 14, 18. ſed requiret oves ſuas, Ezech. 34. v. 11. eritque murus ignis in circuitu ejus, Zach. 2. v. 15. & per miniſtros ſuos, qui canibus vigilantibus conferuntur, Ezech. 56. v. 10. lupis adeo ſe opponet, ut pro libitu in ovile non irrumpere, & ſævire poſſint, unde etiam vigiles illi appellantur, Ezech. 3, 17.

In ovili oves & agni inveniuntur, quorum alii ſani & valentes, alii ægri & infirmi ſunt, ut propterea ſollicita cura indigeant. Pari modo in eccleſia non omnes robuſti ſunt in fide, ut Abraham, Rom. 4, 18. Centurio Capernaiticus, Matth. 8, 10. Mulier Cananæa, Matth. 15. v. 28. Stephanus, Act. 6, 8. & quæ plura hujus generis exempla in ſacris occurrunt: ſed potius locum habet illud Pauli: Inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi, 1. Cor. 11, 30. Attamen eos Chriſtus propterea rejicere non vult, ſed potius per fidem cuſtodire ad ſalutem, 1. Pet. 1. v. 5. Hinc ipſe ait: Quod perierat, requiram, Ezech. 34. v. 16.

Ovile, ſive ſepta ovium, in quibus oviculæ ſub dio pernoctant, *non ſemper uno loco manet*, ſed huc illuc transportatur, unde etiam vita hominum ob brevitatem tabernaculum paſtorum vocatur, Eſa. 38. v. 12. Ita Deus cum verbo & ſacramentis ſuis certo loco adſtrictus non eſt, ſed ob ingratitudinem hominum de una gente ad aliam tranſit, ſicut Paulus perſpicue

Ju-

Judæis id explicat, dicens: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, Act. 13,46. Hoc quoque ita factum eſt. Et ubi ovile hoc principio in Palæſtina fuit, poſtea in Aſiam minorem & porro in Græciam translatum eſt. Inde in Italiam, & tandem etiam in dilectam Germaniam noſtram promotum eſt. Verum ſtudioſe nobis enitendum eſt, ut digne ambulemus Evangelio, ne Deum ad iram promoveamus, & peccatis noſtris abigamus. Neminem enim violenter in cœlum pertrahere vult: ſed proponit homini vitam & mortem, & relinquit in arbitrio hominis, ad quod voluerit, ut porrigat manum ſuam, Sir. 15. v. 17. Pſal. 81, 13.

Hic inſpicias & probes velim te, mi Chriſtiane! utrum in vili vera Eccleſiæ ſpecie offenſus, ſplendore & pompa Adverſariorum infatuatus fueris?

Qui in Hiſtoriis non plane hoſpes eſt, multa magnifice exſtructa templa, partim à Judæis partim ab Ethnicis, partim à Chriſtianis inveniet.

Templum Salomonis fuit machina prorſus ſtupenda, in qua fabricanda & exornanda duo centena millia virorum totum ſeptennium occupati fuerunt, 1. Reg. 5. 6. 7.

Quam admiranda ſtructura *templum Dianæ* fuerit, hinc conſtare poteſt, quod in eo adornando, tota Aſia ducentos & viginti annos laboraverit, uti Strabo meminit, ejus mentio fit, Act. 19. v. 27.

Cum Turci Conſtantinopolin occupaſſent, admirabantur *elegantiſſimam Sophiæ ædem*, cujus ſimilis in univerſo orbe Chriſtiano non reperitur.

Quam affabre & magnifice ſtructa fana Romæ, Florentiæ, Venetiis, Argentorati, & alibi locorum exſtant, illis exploratum eſt, qui in locis illis fuerunt, & oculis ſuis ea viderunt. Verum illud adeo non refert. *Quod ſi ſpeciem conſideres, quid hic Wittenbergæ precioſi vides? Nihil vides de Eccleſia ſpecioſum, eſt vere lucoſa civitas, & tamen Palatium Chriſti eburneum*, ſcribit B. Lutherus noſter. Hoc vero de omnibus templis intelligendum eſt, quæ exterius vilia apparent: ſed grande verbum Dei in iis pure & ſincere prædicatur & ſacramenta juxta inſtitutionem Chriſti rite in iisdem adminiſtrantur, ſatis ornata ſunt, & quidem præclarius, quam quæ auro & argento venuſte decorata conſpexeris. Argentum enim & aurum, non valebit liberare nos in die furoris Domini, Ezech. 7. v. 19. Verum verbum Dei poteſt ſalvare animas noſtras, Jac. 1. v. 21. Pſal. 93, 5.

Hoc reſpectu, *in vili ovili*, ubi verbum Dei pure & ſincere docetur, potius *quam in magnificis delubris & fanis*, in quibus præter idololatriam & humanas adinventiones nihil auditur, convenire malumus. Ex ovili enim Chriſtus die noviſſimo oviculas ſuas, à dextris ſuis ſiſtet, & in gaudium æternum introducet, Matth. 25. v. ult. Qui vero cum Dema hoc ſeculum diligit, 2. Tim. 4. v. 10. cum mundo quoque peribit, pœnas daturus interitum æternum à facie Domini, 2. Theſſ. 1. v. 9.

II. *Ovium naturam.* Chriſtus ita eas deſcribit, quod vocem ſuam audiant, & ſe, velut bonum paſtorem, ſequantur. Has *duas proprietates* quilibet habere debet, qui inter oviculas Chriſti referri cupit. *Hæc enim Paſtoris vox, continuo in verbo ejus ſonat*, hæc norma noſtra ſit oportet, ſi oves obſequentes eſſe velimus. Ideo Chriſtus ſingulis, quos

quos ad Apoſtolatum præcepit: Sequere me, Matth. 4. v. 19. Joh. 1. v. 37. & alibi paſſim.

Hic proba te, utrum & ipſe oviculа ejusmodi ſis, quæ ad ovile Chriſti pertineat: Ubi quilibet ſeipſum examinare poteſt, ſi Evangelium tanquam regulam inſpiciat,

1. *An vocem paſtoris audiat*? Hoc valde neceſſarium eſt Qui enim ex Deo eſt, verbum Dei audit, Joh. 8. v. 47.

Equidem Servator hodie non in propria perſona nos inviſit, ut Zachæum, Luc. 19, 5. nec coram nobiscum loquitur, ut cum diſcipulis ſuis, qui verba vitæ ex ore ejus audiebant, Joh. 6. v. 68. non in viſione ſe nobis manifeſtabit, ut Jacobo, Gen. 28, 12. nec angelum nobis mittet ut Danieli, Dan. 9, 21. Hoc enim & alio modo olim locutus eſt ad Patres, Heb. 1, 19. Verum hoc non obſtante adhuc hodie ad nos loquitur per miniſtros & legatos ſuos. Qui enim vos audit, me audit, Luc. 10, 16.

Attentione proinde debita eosdem audias oportet, velut Cornelius Centurio ad Petrum ait: Omnes nos in conſpectu Dei adſumus, audire omnia, Act. 10, 33.

2. *An voci paſtoris obediat.* Nudum enim audire non ſufficit: ſed veſtigiis Chriſti quoque inſiſtas oportet, 1. Pet. 1. v. 21. Eccleſiæ quoque miniſtris obtemperandum eſt, & vita ad doctrinam & exemplum eorum componenda. Obedite præpoſitis veſtris & parete eis, Heb. 13. v. 16. 17.

O quam pauci occurrunt, qui his proprietatibus præditi ſunt. *Auditores* quidem *non deſunt*, qui conciones audiunt, velut Herodes Baptiſtam libenter audivit, Marc. 6, 20. Verum *Factores deſunt*, qui ad normam vocis Chriſti paſtoris vitam ſuam inſtituant: ideo ſemetipſos fallunt, Jac. 1. v. 22. & ſermo quem audiunt, & non faciunt, judicabit eos in noviſſimo die. Joh. 12. v. 48.

Quodſi igitur videri vultis, quod ad ovile Chriſti pertineatis, *non in cœno peccatorum vos volutare* oportet, velut ſolent immundi porci, 2. Pet. 2. v. ult. ſed ſanctimoniam ſequi, ſine qua nemo videbit Dominum, Heb. 12. v. 14. Porci enim non in caulam pertinent, ſed in haram diaboli, qui ſpiritus immundus dicitur, Luc. 11. v. 14.

Non deſideriis carnis indulgendum eſt, Gen. 4. v. 7. non ſtulti loquium aut ſcurrilitas loquenda, Eph. 5. v. 4. nec quaſi juvenculis indomitis laſciviendum, Jer. 31. v. 18. juvenculi enim non locum habent in ovili, ſed in laniarium abducentur, quando dies occiſionis ingruet, Jac. 5, 5. ubi in igne Dominus judicabit, & in gladio ſuo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti à Domino, Eſa 66. v. 16.

Non mordaces & invidentes invicem eſſe oportet, inſtar canum: ſed omnem rancorem deponentes, ſoliciti ſervetis unitatem ſpiritus, in vinculo pacis, Eph. 4. v. 3. canes enim in ovili non tolerantur: ſed in tugurium canino-diabolicum pertinent, foris autem ſunt canes, Apoc. 22. v. 15.

Non libidini, ſtupris & adulteriis indulgeamus, nec ad uxorem proximi hinniamus, velut equi amatores in fœminas, Jer. 5. v. 8. caballi enim excluſi ſunt ab ovili, & ablegabuntur in equile diaboli. Manifeſta ſunt opera carnis, &c. Gal. 5. v. 19. & ſeqq.

Non rudi ignorantiæ deditos eſſe: ſed notitiam Dei perdiſcentes oportet, parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt ſpe &

Digitized by Google

fide, 1.Pet.3.v.15. Deus enim aſinum dudum reprobravit, Eſa.13.v.13. ideoque non in caulam: ſed in ſtabulum aſininum pertinet, ſi quis ignorans eſt, ignorabitur, 1.Cor.14. v.38.

III. *Paſtorum Cenſuram.* Amen, Amen, inquit Chriſtus, dico vobis, qui non per oſtium intrat in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro. Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ovium. *Per oſtium intrare, idem eſt, ac vocationem ordinariam habere.* Idque per multum intereſt. Nemo enim ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam & Aaron, Heb.5.v.4. Et ubi hæc vocatio locum non habet, ibi valet, quod Paulus ait: quomodo prædicabunt, niſi mittantur, Rom.10.v.15.

Hic verbi miniſtri & Paſtores ſe examinent, utrum per oſtium in ovile intraverint, an vero ut fures & latrones aliunde aſcenderint?

Pontificii vocationem noſtram in dubium vocant, contendentes, quia à Pontifice Romano, ejusque Epiſcopis non inuncti, & ordinati ſimus, legitima nos vocatione carere, adeoque in numerum furum & latronum referendos eſſe, qui non per verum oſtium in ovile intraverimus. Verum his nil movemur. Quod enim Pontifex ſibi attribuit, id juxta ſcripturæ teſtimonium toti Eccleſiæ commune eſt. Matthias ad Apoſtolatum vocatus eſt, non ab Apoſtolis ſaltem: ſed à tota Eccleſia, Act.1.v.23.24.

Similiter ſeptem Diaconi, Act.6.v.6. tempore illo Magiſtratus adhuc gentiliſmo addictus fuit, ideo ad electionem Paſtorum eccleſiæ non adhibitus eſt. Jam vero merito prærogativam obtinet, quia non modo præcipuum eccleſiæ membrum: ſed & eccleſiæ patronus & nutricius eſt, Eſa.49,13. Quando proinde ordinario modo proceditur, Magiſtratus præſentat, Miniſterium examinat, & plebs conſentit, tunc ſane, qui hoc modo vocatur, vere de ſe gloriari poteſt, quod per verum oſtium in ovile ingreſſus ſit, adeoque in manſuetudine animam ſuam honorare, Sir.10.v.31. nihil dubitans, qui ſe vocavit, & defenſurus, & neceſſariis donis inſtructurus ſit, ut opus Evangeliſtæ facere poſſit, 2.Tim.4.v.5. Neque enim ſufficientes ſumus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt qui & idoneos nos fecit miniſtros N.T. 2.Cor.3.v.16.

De Bonifacio VIII. Pontifice Romano ſcribit Platina: *Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus eſt ut canis.*

Quam præclara, ſi diis placet, ſubjecta, adhuc hodie in numerum Cardinalium adſciſcantur, & ad alia præcipua munera adhibeantur, ut tanquam cardines eccleſiam fulciant & ſuſtentent, notius eſt, quam ut referri mereatur.

Propterea Pontificii deſinant nos exagitare, & *videant mantica quod in tergo eſt.* Nos Dei gratia certi ſumus, quod ordinarie à Deo vocati ſumus, mediantibus illis, quibus hanc ſpartam concredidit. Optimum Chriſma eſt Spiritus ſanctus, quem Deus promiſit petentibus ſe Luc.11.v.13. Hunc ſi habuerimus, alias nænias flocci pendimus, eſt enim unctio, quæ docet nos de omnibus, 1.Joh.2.v.27.

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alteram partem*, χειϱογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti*, con-

conſideraturi. Hic nobis contemplandus proponitur:

I. *Tanquam oviculárum ſuarum Nomenclator*, h.e. agnoſcit easdem interius & exterius, ideoque omnibus, ut conditio earundem requirit accommodat ſe: ſimpliciores inſtituit, infirmos roborat, peccatores reprehendit, omnia eum in finem, ut ovium ſuarum commodis inſerviat, easque ab interitu æterno præſervet. Vult enim omnes ſalvos fieri, 1. Tim. 2. v. 4.

Gaudete hinc, Dilecti! quod *nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlo*, Luc. 10, 20.

Mundo ſæpe tam odioſi ſumus, ut *indignos ſæpe putet, quos nomine appellet*. Venite, dicunt Tyranni, & diſperdamus eos, ne ſint gens, & non memoretur nomen Iſraël ultra, Pſal. 83. v. 5.

Verum confidite Dilecti! Jeſus noſter tam bonus & fidelis paſtor eſt, ut oviculas ſuis nomine vocet, & in manibus ſuis deſcripſit eas: ut nunquam obliviſcatur earum Eſa. 49. v. 16.

Sic *Abrahamum nomine compellavit*, dicens ad eum: Noli timere Abram, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis, Gen. 15. v. 1. Ad Moſen inquit: Teipſum novi ex nomine, Exod. 33. v. 17. Et iterum: Ecce vocavi ex nomine Beſeleel, Exod. 31. v. 2. *Nomine vocavit Lazarum*, quando eum è mortuis reſuſcitavit, Lazare veni foras! Joh. 11. v. 43. ut & *Zachæum*, cum in arborem ſycomorum aſcendiſſet, Zachæe, feſtinans deſcende, Luc. 19. v. 5.

Adhuc hodie vocat fideles ſuos nomine, ne timeant, Eſa. 43. v. 1. firmum enim fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: Cognovit Dominus, qui ſunt ejus, 2. Timotheum 2. v. 19. ideoque non deſperare nec queri debes: Dominus oblitus eſt mei, Eſa. 49, 15. quomodo enim ille obliviſceretur tui, qui ex nomine vocat omnes ſtellas, Eſa. 40. v. 26. imo qui te libro vitæ inſcripſit, ut neque diabolus, neque tyranni inde nomen tuum delere poſſint, Apoc. 21. v. ult.

Sed cavete, Dilecti! ne *nomen putidum ſive infamiam vobis concilietis*, & ſit vobis cor malum incredulitatis, diſcedendi à Deo vivo, Heb. 3, 12. ſed perſeverate usque ad finem Matth. 10, 22. ne deleatur memoria veſtra, & tandem vocem horrificam audiatis: Non novi vos, Matth. 7, 23.

II. *Tanquam oviculárum ſuarum gubernator*, qui oviculas ſuas non modo gubernat, ſed in læta paſcua deducit, hinc David: Dominus eſt paſtor meus, nihil mihi deerit, Pſal. 23. v. 1. ſeqq.

Vita via eſt, inquit Auguſtinus: Dum enim domi ſumus, in hoc corpore, peregrinamur à Domino, 2. Cor. 5, 6.

Quemadmodum igitur in via facile aberrare, aut in latrones incidere poſſumus, ut homo ab Hieruſ. ad Hiericho deſcẽdens, damno ſuo id comperit, Luc. 10, 30. ita & nobis bono ductore opus eſt, qui nos deducat in via recta, Pſal. 143. v. 10. & cuſtodiat introitum & exitum noſtrum, Pſal. 12. v. 8.

Hoc utique Dominus facit, & *educit oviculas ſuas in nativitate*, quando easdem extrahit de ventre, Pſal. 22. v. 10. *introducit* easdem, quando per baptiſmum renaſcuntur, & eccleſiæ immatriculantur, ut non amplius hoſpites & advenæ, ſed cives ſanctorum & domeſtici Dei ſint, Eph. 2, 19. *educit eas*, quando illas *à ſervitute peccatorum liberat*, ut reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur, ad ipſius voluntatem, 2. Timoth. 2. v. ult. *introducit easdem*, quan-

dio illas in gratiam recipit,& projicit in profundum maris,omnia peccata illarum , nec reminiſcitur illorum, Mich.7, 19. Ezech. 18.v.22. *Educit illas*,quando moriuntur, ut anima liberetur è carcere , in quo captiva tenetur,Rom.7.v.24.*Introducit illas*,quando animam per angelos portari curat, in ſinum Abrahæ,Luc.16.v.22. Die noviſſimo demum veram dominationem inſtituet, & oviculis ſuis vitam æternam dabit, ſicut iisdem promiſit,Joh.10.v.28.

O ductorem potentiſſimum! qui omnia offendicula & impedimenta è via amolitur, dans laſſis virtutem, ut aſcendant alis,quaſi aquilæ,currant & non fatigentur : ambulent,& non delaſſentur,Eſa.40.v.ult.

O ductorem ſapientiſſimum! qui ipſe tentatus eſt in omnibus,ſicut & nos , ideoque eo commodius nos ducere poteſt, & condolere nobis errantibus,Heb.5.v.2. donec introducat nos in domum patris ſui,Joh.14. v.3. in paradiſum,Luc.23. v.43. in cœleſtem Hieroſolymam,Apoc.21.v.2.

O ductorem fideliſſimum! qui non recedit à nobis , quando calamitatibus impetimur,ſed eſt nobiſcum in tribulationibus,& eripit nos,Pſal 91.verſ.15. ideo grato animo id agnoſcite, ſequimini hunc ductorẽ, nec pœnitebit vos unquam. Mirificat etenim quidem ſanctos ſuos, Pſalm.4. verſ. 4. attamen ita , ut Deum diligentibus omnia in bonum cooperentur , Roman. 8.v.28.

III. *Tanquam oviculorum ſuarum alimentator.* Ego veni,ait Servator,ut vitam habeant,& abundantius habeant.

Obſervandum hîc :

1.*Adventus*,de quo ipſe ait :Veni,nempe ut Dominus ad ſervos,ut medicus ad ægrotos,& ut liberator ad captivos. Hæc magna gratia eſt, cujus intuitu non immerito exclamamus,ut Arenna Jebuſæus ad Davidem ait : Quid cauſæ eſt,ut veniat Dominus meus Rex ad ſervum ſuum? 2.Sam. 24,18.

Eramus in tenebris & umbra mortis , Luc.1. v.79. Sed Chriſtus tanquam lux mundi nos illuminavit , ut jam in luce ambulemus,in luce nimirum Evangelii , & in hoc lumine aliquando videamus lumen æternum,Pſal.36.v.10.

2.*Effectus*. Manet enim nos

1.*Vitæ conſtantia*,de qua Chriſtus: Veni, ut vitam habeant. Quæ duplex:

1. *Vita gratiæ*; natura enim in peccatis mortui ſumus.Deus autem, qui dives eſt in miſericordia,propter multam caritatem ſuam,qua dilexit nos & cum eſſemus mortui in peccatis, convivificavit nos in Chriſto , Eph.2.v.4.

2.*Vita gloriæ* , qui poſt mortem incipiet. Quamvis enim corpus moriatur,tamen ſpiritus non moritur,ſed redit ad Deum , qui dedit illum,Eccl.12.v.7. Die noviſſimo & corpus ſequetur, & cum anima redunitum cum Domino erit ſemper, 1.Theſſ.4. v.17. Sap.5 v.16.17.

Vivant igitur filii hujus ſeculi quotidie in delitiis, epulentur ſplendide ut dives ille epulo,Luc.16 v.19. Tu ex adverſo temperanter, juſte & ſobrie vive in hoc ſeculo , Tit.2 v.12. & ſecurus eris, quod hæres futurus ſis ejus vitæ , quam Deus daturus eſt his,qui fidem ſuam nunquam mutant abeo, Tob.2.v.18.

2 *Bonorum abundantia*.Hoc myſtice intelligendum eſt. Hac in vita rarius offendes Chriſtianum,qui omnium rerum in affluentia vivat. Nonne Servator ipſe adeo pauper

per fuit, ut quò caput reclinaret, non habuerit? Matth. 8. v. 20. Sed quod ſpiritualia bona concernit, verè dicere poſſumus, quod abundantiam habeamus in omnibus, quod ad procurandam æternam ſalutem ſufficit. In Chriſto enim habemus redemtionem per ipſius ſanguinem, & remiſſionem peccatorum, Col. 1. v. 14. Ubi autem remiſſio peccatorum, ibi & vita & ſalus, Pſal. 32. v. 1. 2.

Filii hujus ſeculi *terrena ſapientes*, his in bonis ſufficientiam non habent, ſed quando promtuaria eorum plena ſunt, educentia de frumento in frumentum, hæc eorum ſumma voluptas eſt, Pſal. 144. v. 12. Verùm, quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur: Qui Chriſtum diligit, omnia habet, quia omnia habentem habet, & aliquando cum eo & per eum, & in eo ſalutem æternam hæreditabit, ubi abundantia gaudiorum eſt cum vultu ejus, & delectationes in dextra ejus in æternum, Pſal. 16. v. ult.

Id quod nobis omnibus ex gratia largiri dignetur Deus pater, per filium ſuum Jeſum Chriſtum, redemtorem noſtrum, in Spiritu ſancto, Amen!

In feſto die Johannis Baptiſtæ.

Evangelium Luc. 1. v. 57. --- ad finem.

EXORDIUM.

CUm Saul populo Iſraëlitico præſentaretur, ut Rex ejus eſſet, deprehendebatur ille *altior univerſo populo ab humero & ſurſum.* Hoc Samuel populo ad animum revocabat, tanquam evidens ſignum, unde colligerent, quòd à Deo electus eſſet. Certè, ait: *videtis, quem elegit Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi, in omni populo.* Et clamavit omnis populus, & ait: Vivat Rex! 1. Sam. 10. v. 23. 24.

Hoc exemplum *ſtaturæ corporis* eſt, quâ Deus hunc præ illo donare ſolet. Olim monſtra quædam fuerunt filiorum Enac, de genere giganteo, quibus alii comparati, quaſi locuſtæ viſi ſunt, Num. 13. v. ult. Sicut in ſpecie de Og Rege Baſan Moſes ſcribit, quod lectus ferreus ei fuerit, novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis, ad menſuram cubiti virilis manus, Deut. 3. v. 12. ideò vocantur Raphaim ab exanimatione, quia homines in ipſos incidentes præ metu quaſi exanimati ſunt, 2. Sam. 5. v. 18. Tales quoque inter Philiſtæos fuerunt tempore Davidis, ut monſtrum illud hominis Goliath probat, 1. Sam. 17. verſ. 5. item duo filii Arapha, quorum mentio fit, 2. Sam. 21. v. 16. 19. Verùm non in fortitudine equi voluptatem habet Deus, nec in tibiis viri beneplacitum eſt ei: Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia ejus, Pſalm. 147. verſ. 11. oculi enim ejus reſpiciunt fidem, Jerem. 5. verſ. 3.

Johannes Baptiſta majori laude celebratur, de quo Chriſtus teſtatur, quod inter natos mulie-

Digitized by Google

mulierum major non ſurrexerit, Matth. 11,11. Ideò meritò celebramus hunc diem, *non quidem more Papiſtico*, qui ſuperſtitioſè & alias reliquias ejus venerantur: hoc enim expreſsè Dei verbo repugnat, & pœnam à Deo definitam habet, Pſal.16.v.4.

Sed primùm hoc fine, *ut Deo gratias agamus*, qui nobis tantum heroëm excitavit, qui agnum Dei digito oſtendit, Joh.1. v.29. ut jam ſciamus, cui credamus, & certi ſimus, quod depoſitum noſtrum ſervaturus ſit in illum diem, 2.Tim.1.v.12. *Deinde ut vitam & doctrinam ejus nobis velut ideam proponamus*, & veſtigiis ejus inſiſtamus, ſicut nobis præivit ad vitam æternam. Nam, ut Auguſtinus ait, *non ideò proponuntur nobis exempla juſtorum, ut ab eis juſtificemur: ſed ut imitantes eos, ab eorum juſtificatore, nos quoque juſtificari ſciamus.*

Ad prælectum igitur Evangelium ſine ulteriori ambage nos conferemus meditaturi ex eodem:

I. Ανθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν ſive *notitiam Chriſti.*

J.J.

Exegeſis.

OMnes Prophetæ & lex uſque ad Johannem prophetarunt, ait Servator, Matth.11.v.13. eoque indicat, quod hodiernum feſtum nobis quaſi fores aperiat, per quas ingredimur in novum teſtamentum, quod de Chriſto prædicat, cui Johannes Baptiſta viam paravit. Et quamvis *vulpes Herodes gallo huic cantanti* maturius caput decerpſerit: attamen tuba ejus ſonare pergit in eccleſiâ Dei, nec ullus unquam Tyrannus, æſtu & violentiâ ſuâ, beatum illum *ignem Johanniticum*, quem per graviſſimas ſuas de Chriſti perſonâ & officio conciones ſuccendit, ſupprimere & extinguere poterit, hinc appellatur lucerna ardens & lucens, Joh.5.v.35.

Ad *notitiam noſtri* viam nobis aperiet:

I. *Benedictio conjugalis*, quâ pia Eliſabetha in ſenectute à Deo affecta eſt. Licet enim illa juſta & pia eſſet, ut ſuprà Evangeliſta de eâ teſtatur, attamen in ſterilitate vixit, usque ad tempus à Deo deſtinatum. Hinc Evangeliſta: *Elizabethæ impletum eſt tempus* pariendi, quo non tantum hora reſpicitur, quâ juxta communem naturæ curſum illa partum edidit, tempus enim naſcendi eſt, Eccleſ. 3. v. 2. ſed & *arcanum Dei decretum* innuitur, vi cujus Johanni Baptiſtæ & præcurſori filii ſui certum terminum definiverat, quando eum miſſurus erat, Matth. 3. v.1. & adhuc hodiè quemlibet in utero matris ſeparat & deſtinat ad id opus, ad quod eum adhibiturus eſt. Ideoque ſinguli nos cum Paulo dicere tenemur: *Gratiâ Dei ſum, quod ſum*, 1.Cor.15.v.10. Non enim poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cœlo, Joh.3.v.27.

Hic probes velim te, utrum & ipſe conjugium tuum, ad exemplum Zachariæ & Eliſabethæ cum Deo inchoaveris, & in verâ pietate continuaveris?

Hoc ita à quolibet fieri debet, ſi benedictione Dei ille frui velit. Verè enim Regius Pſaltes: Beati omnes, qui timent Dominum, Pſal.128.v.1.& ſeqq.

Multi inveniuntur, qui ob libidinem matrimonium ineunt, Tob.6.v.17. & illicitè conſveſcunt, ut Sichem & Dina, Gen.34. v. 2.

v.2. hos deinde minus fortunatos eſſe, non adeò mirandum eſt. Et quicquid parentes ejusmodi delirarunt, plerumq; ſoboles plectuntur, nec unquam ad honoris gradus adſpirare poſſunt. Vide Sap.3.v.16. & cap.4.v.5.6.

Quamvis enim *ſpuriis æque ac aliis, janua cœli pateat*, ſi Chriſto per baptiſmum inſerantur, & ſtipulationem bonæ conſcientiæ, quam cum Deo fecerunt, conſtanter obſervent: attamen in V.T. non licuit illis in eccleſiam Domini ingredi, etiam decimâ generatione, Deut.31.v.2.

Equidem ſi Parentes ejusmodi veram reſipiſcentiam agant, & liberos ſuos in timore Domini educent, Eph.6.v.4. liberi quoque diſciplinam Domini ſuſcipiant, decus hoc virtute ſuâ facilè eluere poſſunt, ut exemplum Jephtæ teſtatur, quem Deus populo Iſraëlitico judicem præfecit, & per eum præclaras res geſſit, Jud.11.v.29. unde etiam in ſolatium ſpuriorum in catalogo ſanctorum recenſetur, Hebr.11.v.32. interim tamen coram mundo deſpecti plerumque teſtes ſunt nequitiæ adverſus parentes, Sap.4.v.6.

Juvenes proinde probè ſibi caveant, ne libidini indulgeant, ſed conjugium decenter inchoent, & ſic bonâ conſcientiâ gaudere poſſunt, nec à liberis ſuis in ruborem conjicientur: Liberi verò viciſſim de parentum honeſtate gloriari poſſunt, voluptatemque capere ex commendatione virtutis parentum. Sicut procul dubio Tobiam juniorem affecit, quando Raguel cum lacrymis eum oſculatus dixit: Benedictio ſit tibi, fili mi, quia *boni & optimi viri filius* es, Tob.7.v.7. Fama enim bona eſt ingens gloria, Sir.41.v.15.16.

Quandocunque igitur Diabolus tibi occaſionem ad ſcortationem vel adulterium ſubminiſtrat, ſemper memento infamiam, quæ ſequitur, ſi fortè Dei & verbi ejus oblivilcaris, & alia melior mens tibi erit. Noli tibi perſuadere, occultum id fore, Diabolus enim, qui te ſeduxit, ipſe occaſionem ſubornat, ut manifeſtum fiat.

Scribatur portis: meretrix eſt janua mortis, Prov.7.v.27.

II. *Nomenclatura ſingularis.* Die enim octavo, qui à Deo ipſo definitus erat, vicini & cognati venerunt, ut circumciſioni intereſſent: & quia moris erat, ut ſimul infantibus nomina imponerentur, eum nomine patris *Zachariæ* vocari volebant. Verùm Eliſabetha mater, prohibuit id dicens: *Nequaquam, ſed vocabitur Johannes.* Id abſonum illis videbatur, quia nemo in cognatione erat, qui vocabatur hoc nomine. Ideoque rem ad patrem deferebant, & quia ille adhuc mutus erat, innuebant illi, h.e. peculiari indicio ipſi ſignificabant, ut litem hanc dirimeret, ut conſtaret, quomodo puerulum appellari vellet. Et poſtulans pugillarem, nomen pueri in eo perſcripturus dum eſt, ſermonem recuperat, ut ſcribendo dicat: *Johannes eſt nomen ejus*, q.d. non opus eſt, ut de nomine multum ſolliciti ſitis, Deus ipſe pridem ei nomen ſuum dedit, in quo uxor mea non aberravit, id & mihi placet, vocetur Johannes. Quia enim puer hic non ſeverus aliquis Moſes, ſed gratioſus Evangelii præco eſſe, adeoq; Meſſiam digito monſtrare debebat, tanquã agnum Dei tollentem peccata mundi, Joh.1.v.29. Deus quoq; nomen ejus eò direxit, & Zachariæ patri per angelum Gabriel mandavit, ut eũ Johannem, h.e. gratioſum appellaret: quod ipſum quoq; officio ejus reſpondet, paraturus enim erat viam Meſſiæ, ad dandam ſcien-

ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſione peccatorum eorum, ut Zacharias poſtea in hymno ſuo indicat.

Hic teipſum examina, *mi Chriſtiane! utrum tu quoque eo reſpexeris, ut liberi tui in ordinem Johanniticum ſuſcepti, & ſtatim poſt nativitatem carnalem, per baptiſmum, quem nos in N. T. loco circumciſionis habemus, Chriſto inſerti ſint?*

In Papatu inter alios plurimos ordines, & unus in honorem Johannis Baptiſtæ inſtitutus eſt, ejus cultores *Johannitæ* vocantur, quorum munus eſt, ut adverſus Turcam bello decertent. Verùm illi à Johannis Baptiſtæ inſtitutis longè receſſerunt, ideo de hoc Ordine ſermo nobis non eſt. Verùm *Baptiſmus verus eſt Ordo Johanniticus*, ubi ex filiis iræ, quales naturâ ſumus, Eph. 2, 3. per ſpiritualem regenerationem quaſi novæ creaturæ evadimus, 2. Cor. 5, 7. videlicet filii & hærodes Dei, & cohæredes Chriſti, Rom. 8. v. 17.

Lætamini proinde Dilecti! quando infantes veſtros baptiſmo initiatis: ibi enim novum nomen accipiunt, & licet non Johannis, ſed alio nomine inſigniantur, attamen gratiæ nihil decedit, de qua Johannes prædicavit, quod de plenitudine gratiæ Chriſti accepturi ſimus gratiam pro gratia, Joh. 1, 16. ibi enim aqua munda ſuper eos ſpargitur, ut mundentur ab omnibus inquinamentis ſuis, Ezech. 36. v. 25. abluuntur à peccatis ſuis, 1. Cor. 11. intellige, per ſanguinem Chriſti, qui ſolus hac virtute pollet, 1. Joh. 1. v. 7. induunt Chriſtum per fidem, Gal. 3, 27. faciunt cum Deo fœdus, nempe ſtipulationem bonæ conſcientiæ, 1. Pet. 3, 21. quinimò nominibus ſuis in cœlo ſcribuntur, ubi nullus tyrannorum aut diabolus, illos eradere poterit, Luc. 10, 20.

Parentes igitur operam dare debent, ut filii non *nomen nudum ſed & omen habeant*, quod fiet per *ſedulam informationem*, quando eos cum Johanne in Adunim deferant, h. e. ad ſcholam mittant, ut ibi inſtituantur in diſciplina & timore Domini, Eph. 6, 1. & domi quoq; legem Dei illis acuant, Deut. 6. v. 7. exemplo Abrahæ, Gen. 18. v. 19. Verè enim Comicus: *Ut quisque ſuum vult eſſe filium, ita eſt.* Si ethnicus hoc agnovit, quantò magis Chriſtianus operam navare debet, ne quicquam quod ad bonam inſtitutionem ſpectat, intermittatur, ut in illis laudari & gloriari poſſimus, Eccl. 30. v. 2. & animo imperterrito coram tribunali Chriſti compareamus, dicentes: Ecce, ego & pueri, quos dedit mihi Dominus, Eſa. 8, 16.

Quando verò parens non Spiritu ſancto, ut hîc Zacharias, ſed vino & cereviſiâ repletus eſt, & loco precationis, imprecationes eructat, quando domum redit, hîc non abs re quæreres: Quis, putas, puer iſte erit? quia enim nihil boni vident, nec audiunt, quid quæſo boni diſcent? Væ ejusmodi profligatis parentibus! ſanguinem deperditum Deus de manu eorum requiret, Ezech. 3, 18. Hinc Servator: Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis &c. Matth. 18, 6.

III. *Devotio exemplaris*, quam Zacharias nobis exemplo ſuo reliquit. Hactenus enim mutus fuerat, jam v. poſtquam loquelam recuperarat, & videt omnia impleta eſſe, quæ ei angelus annunciaverat, plenus gaudio in egregium hymnũ prorumpit, in quo mirabilia Dei ex ordine enarrat & prædicat. *Benedictus Dominus Deus Iſrael* &c. Nos ad ejus exemplum doceamus & commoneamus noſmetipſos in Pſalmis & hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus noſtris Domino, Col. 3, 16. Pſ. 50, 23.

Hu

Digitized by Google

Hic ſcruteris velim te , utrum & ipſe ad gloriam Dei hymnos ſpirituales in æde Dei cantaveris, & Deo pro beneficiis ſuis gratias debitas egeris?

Hic ſanè plurimùm delinquitur. Nonnullos pudet laudis Dei, Sir.51.v.38. Alii ſine devotione, ex perversâ duntaxat conſvetudine concinunt. Quod ſanè meritò improbandum eſt. Hinc ipſe Deus de talibus conqueritur: Aufer à me boatum carminum tuorum, Amos 5.v.23.

Rectius nos inſtruit, Pſaltes Regius dicens: Benedicam Dominum in omni tempore, Pſal.34.v.2.3.

Priſci hâc in re tanto zelo arſerunt, ut ſe invicem provocarint, *quis melius Deo ſuo canere poſſit*, ut Tertullianus refert.

B. Lutherus hâc in parte aliis palmam præripuit. Aliquando ipſi referebatur, quod à Pontifice excommunicatus & ab Imperatore proſcriptus eſſet: abiit ergò in hortum, & cecinit Pſalmos & hymnos nonnullos. Hoc Prior audiens interrogavit eum, quid ita lætus eſſet, an neſciret, quid Papa & Cæſar adverſus ſe decreviſſent? Ipſe reſpondit, non præterit me: ſed nihil ad me attinet, verùm ad Chriſtum; ſi ille de dextrâ Patris ſui ſe deturbatum patietur, per me licet, ego infirmior ſum, quàm ut cauſam ejus contra principem mundi hujus defendam.

Aliquando à Dæmone Coburgi ita conterritus, ut fermè exanimatus eſſet, contribules ſuos excitavit his verbis: *Venite, canamus in contemtum Diaboli.* Hinc non parum confirmati ſunt.

Nos hoc ipſum imitari & ſpirituales hymnos cantare debemus, *quando aut animo perturbato ſumus*, ne Diabolo locum relinquamus: eſt enim ſuperbus ſpiritus, qui nihil minus ferre poteſt quàm contemtum: ideoque recedere tenebatur à Saule, quando David citharâ ludebat, 1.Sam.16. v. ult. *aut quando Deus nos benedicit, in omni benedictione ſpirituali*, in cœleſtibus, Eph. 1.v.3. tum iterum æquitas rei flagitat, ut ei gratias pro his beneficiis cantemus; hæc enim eſt voluntas Dei in Chriſto Jeſu in nobis, 1.Theſſ.5.v.18. Verùm *ex animo* id fiat oportet, ut cum Davide dicamus: Paratum cor meum Deus, Pſal.57.v.8.& cum B. Mariâ: Magnificat anima mea Dominum, Luc.1.v.47. Aliàs locum habet illud Prophetæ: Fruſtrà colunt me, Eſa.29.v.13. Cor enim intuetur Deus, 1.Sam 16.v.7.

Hoc ipſo *venimus in ſocietatem ſanctorum Angelorum*, quorum continuum opus eſt, ut Deum celebrent. Hoc fecerunt in ipſo creationis primordio, ubi Deus terram fundavit, Job.38.v.7. fecerunt idem in nativitate Chriſti, Luc.2.v.14. quin adhuc hodie illud faciunt, quando coram throno Dei clarâ voce ingeminant: Sanctus, ſanctus, ſanctus eſt Dominus Deus Sabaoth, Eſa.6.v.3.

Quid verò pius Chriſtianus melius & utilius efficere poteſt, quàm ut cum Angelis in uno opere occupatus, linguâ ſuâ Dei laudes perſonet? Hoc in vitâ æternâ omnium electorum præcipuum opus erit; qui habitant in domo tuâ Domine: in ſecula ſeculorum laudabunt te, Pſal. 84.v.5.

Intereà noſtri officii erit, ut hîc in tempore gratiæ, ubi plerumque ex profundis modulamur, Pſal 130.v.1. confeſſionem Dei inchoemus: & ſic in regno gloriæ in gradu excellentiori idem continuabimus, cum beatorum cœtu perſonantes: Alleluja: Salus & laus, & gloria, & virtus, Domino Deo noſtro, Apoc.19.v.1.

Digitized by Google

De Secundo.

DIſcutiemus nunc *alteram partem noti-tiam Domini noſtri Jeſu Chriſti* contemplaturi. Hic nobis meditandus proponitur:

I. *Tanquam ſterilium fœcundator.* Eliſabetha per omnem vitam ſuam prolem non pepererat: Verùm in ſenectute Deus benedictione ſuâ eâ ornavit, hinc gaudio perfuſa, pro ſingulari miſericordia Dei id agnoſcit. In V. T. enim ſterilitas quaſi opprobrium reputatum fuit, unde Rahel mortem quoque ſterilitati prætulit, tandem verò benedictionis Dei compos lætabunda dixit: Abſtulit Deus opprobrium meum, Gen.20.v.23.

Et ſi rem penitius inſpiciamus, non parva afflictio eſt, ſine benedictione conjugali vivere. *Per liberos* enim *regnum Dei ampliatur*, & nomen ejus celebratur. Hinc Servator: Sinite pueros ad me venire, talium enim eſt regnum cœlorum, Marc.10. v.14. Confer Tob.8.v.8.9.

2. *Per ſobolis procreationem reſpublica* in omnibus hierarchiis inſigniter *ornatur*. Quando enim filii adoleſcunt, & Deo in eccleſia & curia utiliter ſervire poſſunt, magnam hinc parentes voluptatem capiunt; Filii & ædificatio civitatis confirmabit nomen, Sir.41.v.19.

3. Per *filios genus propagatur*. Quando enim pater, qui pluribus bonæ notæ liberis inſtructus eſt, moritur, quaſi non mortuus eſſet, cenſendus eſt, ſimilem enim ſibi reliquit poſt ſe, Sir.30.v.4.

His commoditatibus illi, qui ſine prole ſunt, deſtituuntur. Propterea in ſcripturis tot lamentationes ſanctorum hac ipſâ in re occurrunt. Abraham queritur: Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam ſine liberis, Gen.15.v.2. Rachel cum marito Jacobo expoſtulat: Da mihi liberos, alioquin moriar, Gen.30.v.1. Hanna largiter flevit, cum Deus uterum ejus concluſiſſet, 1.Sam. 1.v.10. De fœminâ Sunamitide ait Gehaſi: Filium non habet, 2.Reg 4.v.14.

Hoc totum Dei opus eſt. Ille poteſt ſteriles concludere ne pariant: ut Sara conqueritur, Gen.16.v.2. ſed & recludere eaſdem poteſt: & ſterilem facere matrem filiorum lætantem, Pſal.113.v.ult.

Quodſi igitur fructu ventris beat, grato id animo agnoſcendum, & opera ſedulò danda eſt, ut ſoboles in diſciplina & timore Domini educatur, Eph.6.v.4. Quodſi verò benedictionem ſuam retrahit, non iræ ſignum id eſt, ſed cogitent ſecum pii conjuges, quod hæc Dei voluntas ſit, cui æquo ſe animo ſubjicere teneantur. Quanto gaudio tripudiavit Eva, cum Cainum peperiſſet? Et ecce parricida erat, Gen. 4. v. 19. In quantam animi perturbationem conjecerunt Cham Noah, Iſmaël Abrahamum, Ruben & Dina Jacobum, Hophni & Pinehas Eli ſacerdotem, Abſolon Davidem, Rehabeam Salomonem? nonne optaſſent, ſe ſine prole fuiſſe? Utile namque eſt mori, ſine filiis, quàm relinquere filios impios, Sir. 16. v. 4.

II. *Tanquam gratioſus viſitator.* Hinc Zacharias: Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitavit, & fecit redemtionem plebi ſuæ.

Judæi diu ſub jugo Romano fuerant, proprio Rege deſtituti. Nec propheta ullus amplius inter illos ſurgebat, ut non immeritò quererentur: Signa noſtra non vidimus, non eſt amplius Propheta, Pſal. 47.v.9.

74.c.9. Cum igitur quilibet ſpem decollaſſe putaret; ecce Deus cum auxilio ſuo ingruit, viſitans populum ſuum, & ita implet, quod dudum promiſerat per Prophetas de mittendo Meſſiâ. Rectè enim de eo dicitur: quod differtur, non auffertur. Et licet auxilium ſuum aliquamdiu retardet, tandem tamen inopinato ingruit, ut homines annuncient opus ejus, Pſalm. 64. verſ. 10.

Adhuc hodiè fidèles ſuos non relinquet orphanos, Joh.14.v.18. ſed ad eos veniet, manſurus cum iiſdem uſque ad conſummationem ſeculi, Matth.28.v.ult.

1. *Tanquam medicus ad ægrotos.* Eſt enim magnus ille ſanator, Exod.15.v.26. & magiſter ſalvationum, Eſa.63. v.2.

Cum Eliſeus Propheta ægrotaret infirmitate, deſcendit ad eum Joas Rex Iſrael. Hoc magni æſtimandum venit.

Sed majoris putandum eſt, quod ipſe Deus nos inviſit, qui eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium, 1.Tim.6.v.15.

Nos omnes animâ laboramus, ita ut à planta pedis, uſque ad verticem non integrum quiddam in nobis, Eſa.1.v.6. hoc à Protoplaſtis noſtris hæreditariò accepimus, ideò non melius nobis conſulere poſſumus, quàm ſi ad alterum Adamum nos convertamus, qui reparavit, quod prior Adam perdiderat, Rom.5.v.18. ideo omnes laborantes & oneratos ad ſe vocat, ad reficiendum eos, Matth.11.v.28. Hoc & præſtat in ſancto verbo ſuo, & Sacramentis. Hinc David: Niſi quod lex tua gaudium meum eſt, Pſal.119.v.92. Sed perfectè id faciet in vita æterna, ubi exultationem nobis infundet, Tob.3.v.22.& omnem lacrymam abſterget ab oculis noſtris, Apoc.7.v.17.

2. *Tanquam liberator ad captivos.* Iſraëlitæ in Ægypto duriter affligebantur, cum verò illi clamarent ad Deum propter duritiem ſuam. Deus ipſos exaudiebat, mittens Moſen, qui fratres ſuos inviſit, & redemit eos, Exod.3.v.10.

Nos ſimiliter ſub poteſtate tenebrarum tenebamur, Col.1.v.13. in laqueis Satanæ, à quo captivi tenebamur ad ejus voluntatem, 2.Tim 2.v.26. Verùm Moſes nos juvare non poterat, Deut.27.v.26. Ideo Deus aliam redemtionem miſit, & per Chriſtum funes concidit, Pſal.129. v.4. & ſceptrum exactoris contrivit, Eſa.9.v.4. & ita in libertatem aſſeruit.

Die noviſſimo redemtio hæc plenè conſummabitur, ubi nos Dominus ſalvos faciet, in regnum ſuum cœleſte, 2.Tim.4. v.18. Eſa.35.v.10.

3 *Tanquam frater ad conſanguineos.* Cum Palæſtini adverſus Iſraëlitas expeditionem ſuſcepiſſent, immanis Gigas, nomine Goliath ſurrexit, qui inſultavit Iſraëlitis: huic nemo ſe opponere auſus eſt, donec David advenit, qui eum ferè inermis proſtravit, & proprio quaſi gladio jugulavit, 1. Sam. 17. v. 4. ſeqq.

Nos ſimiliter potentem adverſarium diabolum habuimus, qui & ipſe gigas, Eſa. 49.v.24. nec non fortis armatus dicitur, Luc.11.v.29. Job.41.v.17. Verùm Chriſtus nos fratres ſuos inviſit, & liberavit, qui aliàs per totam vitam timore mortis obnoxii fuiſſemus ſervituti, Hebr.2.v.15.

Sicut igitur mulieres, de univerſis urbibus Iſraël egreſſæ ſunt, cantantes choroſq; ducentes in occurſū Davidis, atq; dicentes: Percuſſit Saul mille, & David decem millia, 1.Sam.18. v. 6. Ita & nos gratâ mente accipia-

piamus, quod Chriſtus infernalem Goliath cum toto ſuo exercitu profligaverit, Pſal.118.v.15.

Qui verò in peccatis pergit, & hanc gratiæ viſitationem agnoſcere non vult, hunc Deus in iracundia ſua viſitabit, ut hoſtis hoſtem, donec eum diſperdat. Tam citò namq; iraſci poteſt, quàm miſereri, Eccl. 5.v.7.

Exemplo ſunt Sodomitæ, quos ita in ira ſua viſitavit, Gen 19. v.24. Ideo noſtrûm eſt, cavere, ne Dominum ad iram provocemus, ejusque vindictam nobis acceleremus. Excipiamus eundem potius cum lætitiâ, quando venit nos viſitaturus; ſemitæ enim ejus ſtillant pinguedinem, Pſal.65,12. ubicunque enim divertit, benedictionem poſt ſe relinquit, Joel. 2.v.14.

III. *Tanquam fidelium propugnator.* Erexit enim nobis cornu ſalutis, in domo David, pueri ſui. Sicut locutus eſt, per os ſanctorum, qui à ſeculo ſunt, Prophetarum ejus: Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos.

Hoc nobis valdè ſalutare eſt in hac miſeriarum valle. Quid enim nobis prodeſſet, quod Chriſtus nos redemerit, ſi continuò periculum eſſet, ne periculum incurreremus, de quo Chriſtus nos redemit? Ideò Zacharias hic nobis oſtendit *cornu ſalutis, quod Deus bono noſtro erexit*, ut ejus perfugio utamur, ſicut Adonia à Salomone ob ſeditionem trucidandus, tenuit cornu altaris, 1 Reg.1. v.51.

Vocabulum *cornu* in ſcripturis ſignificat *externam potentiam & robur.* Metaphora à beſtiis deſumta eſt, quæ cornibus ſuis confidunt, iisque ſe defendunt. Unde, quando Deus dicit: Cornua impiorum confringam, B. Lutherus Germ. id h. m. expreſſit: Ich will alle Gewalt der Gottloſen zerbrechen/Pſal.75.v 11.

Quando igitur beſtia coccinea, quæ ſeptem capita & decem cornua habet, Apoc. 17.v.7. omnes nervos intendit, ut nos ex propugnaculo noſtro deturbet, & ſibi ſubjiciat: omnem metum abjicere, & in *cornu hoc ſalutis confidere* debemus, dicentes: Si Deus pro nobis, quis contra nos, Rom. 8. verſ. 31.

Diabolus nonnunquam etiam *cornua ſua oſtentat: cornua voluptatum*, cornua *ſuperbiæ*, & cornua *potentiæ*, quibus carnales confidunt, non perpendentes, quid Propheta dicat, Jerem.17.v.5.

Verùm noſtrûm eſt cautè ambulare, & ex adverſo unicè cornu ſalutis reſpicere, quod Deus nobis erexit in domo David, pueri ſui, h. e. in eccleſiâ ubi continuè pœnitentia & remiſſio peccatorum prædicatur, Luc.24.v.47. & ſi prædicationem hanc fide ſuſceperimus, non eſt, ut Diabolum metuamus. Ubi enim remiſſio peccatorum eſt, ibi vita & ſalus, Pſal.32.v.1.

Equidem multi hodie inveniuntur, qui *cornibus ſuis arietant*, ut non immeritò piis querendum: Impellendo impulſus ſum, ut caderem; & Dominus adjuvat me, Pſalm. 118.v.13. Utique adjuvat, eſt enim exſpectatio Iſraëlis, Salvator noſter in tempore tribulationis, Jerem.14.v.18. Judith. 9.v.5.

In hoc proinde *cornu ſalutis & virtutis confidamus*, ut de plenitudine ejus accipiamus gratiam pro gratia, Joh.1.v.16. Nulla enim alia ſalus eſt, Act.4,12. Ipſi ſit laus & gloria in ſecula ſeculorum,

Amen.

In

In feſto die Petri & Pauli.

Evangelium Matth. 16. v. 13.---20.

EXORDIUM.

Cum tabernaculum fœderis extruendum eſſet, vocavit Deus ex nomine Beſeleel & Oholiab, & implevit eos ſpiritu ſapientiæ, intelligentiæ & ſcientiæ, ad excogitandum, quicquid fabrefieri poteſt, ex auro & argento & ære; fabrefactione in gemmis, & fabrefactione lignorum, ad faciendum in omni opere, Exod. 31. v. 1. ſeqq.

Hoc ſenſu myſtico applicabimus.

Tabernaculum fœderis in V. T. *typus fuit eccleſiæ militantis in his terris*, quam ſibi Chriſtus ex Judæis & ethnicis per verbum & ſacramenta colligi fecit, ideo vocatur tabernaculum Dei cum hominibus, Apoc. 21, 2 cujus artifex & conditor eſt Deus, Heb. 11, 10. ſed & architectos ſuos adhibet, quo fine Apoſtolos vocavit, & ſpiritu ſapientiæ & intelligentiæ adeo inſtruxit, ut in omnibus linguis Jeſum Nazarenum in toto orbe divulgarint & prædicarint, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Judæis & Græcis Chriſtum, Dei virtutem & ſapientiam, 1. Cor. 1, 23. 24.

Adhuc hodie fideles operarios mittit in meſſem ſuam, Matth. 9. v. ult. & dat eccleſiæ ſuæ Doctores & Paſtores ad præparationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, Eph. 4. verſ. 11. 13.

Quemadmodum vero Beſeleel & Oholiab certum exemplar habebant, ad quod omnia fabrefacere tenebantur, nempe ad ideam, quam Deus Moſi in monte Sinai oſtenderat: Ita & Apoſtoli hanc eccleſiæ ſtructuram adornarunt, non ex ſuo arbitrio: ſed ad normam ſcripturæ ſacræ, ubi angularis lapis Jeſus Chriſtus eſt, Eph. 2. v. 20.

Petrus & Paulus, quorum memoria huic diei conſecrata eſt, *duo præcipui architecti* fuerunt, quorum alter ad Judæos alter vero ad gentes miſſus eſt, ut ibi ſpiritualem architecturam exercerent, ſed omnia ad ideam, quam illis Deus præſcripſit. Hinc Paulus: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt: quod eſt Jeſus Chriſtus, 1. Corinth. 3, 11. Cum quo conſentit illud Petri: Non eſt in aliquo ſalus: nec enim aliud nomen ſub cœlo datum eſt hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri, niſi nomen Jeſus, Actor. 4. verſ. 12. hæc petra eſt, ſuper quam eccleſia ædificata & adeo fundata eſt, ut portæ inferorum non prævaleant adverſus eam, ut prælectum Evangelium teſtatur.

Nos ad ipſum Evangelium prælectum acceſſuri meditabimur ex eodem:

I. Aϑρωπολογία, ſive *notitiam noſtri.*
II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

SUmmus Pontifex in V.T. nomina filiorum Iſrael, ſemper in pectorali judicii ſuper pectus ſuum portare tenebatur, quando ingrediebatur ſanctuarium, in memoriale coram Domino, Exod. 28. v. 29.

Id typus Chriſti fuit. Quemadmodum enim Aaron per hoc ipſum ratione officii ſui commonebatur, ut nimirum Iſraelitarum, quorum nomina ſuper pectus ſuum portabat, ſedulam curam gereret, & ſalutem eorundem procuraret: Ita hoc ipſo indicatum eſt, quomodo Jeſus Chriſtus, verus Novi Teſtamenti ſummus Pontifex, eccleſiam & omnia ejus vera membra ſibi commendata habere & omni ſtudio curare vellet, ut in notitia ſui quotidie creſcerent, & ad ſalutem æternam conſervarentur. Cujus in ſpecie præclarum exemplum in prælecto Evangelio habemus, ubi Servator examen inſtituit cum diſcipulis ſuis, quid hactenus ex concionibus ſuis didicerint, & profecerint. Ubi Petrus nomine omnium egregiam confeſſionem edit, inquiens: Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi. Id Chriſto adeo arridet, ut eccleſiam ſuam ſuper confeſſionem hanc ſe ædificaturum eſſe adſeveret, ut portæ inferorum non prævaliruræ ſint adverſus eam.

Ad *Notitiam noſtri* deducemur, ſi ſpectemus.

I. *Examinis inſtituti Reverentiam.* Venit enim Jeſus in partes Cæſareæ Philippi, & interrogabat diſcipulos ſuos, dicens: Quem me dicunt, homines eſſe filium hominis? & paulo poſt: Vos autem, quem me eſſe dicitis?

Chriſtus novit corda omnium, Act. 1, 24 & intelligit cogitationes noſtras de longe, Pſal. 139. v. 2. ideo non latet eum, quid tam diſcipuli, quam alii de ſe ſentiant. Interrogat autem hic diſcipulos, ut exemplo ſuo nos doceat, quod & nos quandoque cum noſtris examen inſtituere, & eos explorare debeamus, quid ex concionibus teneant, & quantos profectus fecerint. Hæc enim verba, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & acues ea filiis tuis, Deut. 6. v. 7.

Hic probate, mi Chriſtiane! utrum & ipſi nonnunquam in tuos cenſuram exercueris, & ad liberos & famulitium tuum melius formandos diligentiam adhibueris?

Reperiuntur ejusmodi profligati parentes, quibus perinde eſt, ſive liberi frequentent templum ſive minus, nec unquam eos ad examen vocant, ut quid ex concionibus profecerint, perquirant. Quinimo non pauci occurrunt, qui ipſi conciones parum curant, quomodo ergo liberos ſuos ex iis examinarent? Hi ſunt ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, Pſal. 32. v. 9. ſemper diſcentes, & nunquam ad agnitionem veritatis pervenientes. 2. Tim. 3. v. 7.

O quam gravis ratio illis aliquando reddenda erit, quando eos Chriſtus ad tribunal ſuum vocabit, dicturus: Redde rationem villicationis tuæ! Dedi tibi ſanos liberos, ut eos tanquam hæreditatem Domini de manu mea reciperes, Pſal. 127. v. 3. eosque in diſciplina & admonitione Domini educares, Eph. 6. v. 4. Gen. 18. v. 19. Redde rationem, quomodo id obſervaſti? O parentum profligatiſſime! Tui conniventia liberi tui velut pecora adoleverunt, tu contra ſcelera eorum ne quidem frontem contraxiſti, ut Eli, 1. Sam. 3. v. 13. virgæ peperciſti, Prov. 13. v. 24.

v.24. lactaſti eos, luſiſti cum eis, Sir. 30. v. 9. 10. non ad preces eos inſtigaſti, nec rationem Chriſtianiſmi eorum habuiſti, hoc modo in viam latam aberrarunt, quæ ducit ad perditionem, Matth. 7. v. 13.

Quodſi melius conſiſtere intenditis, majori ſolertia liberis veſtris animum intendite & omnibus iis, qui curæ veſtræ demandati ſunt. Spectate Davidem dicentem: Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos, Pſal. 34. v. 12. Ad hujus exemplum quilibet pater-familias ſe componere debet. Cum interrogaverit te filius tuus &c. Deut. 6. v. 20. ſeqq.

Euſebius de Chriſtianis in primitiva eccleſia memorat, quod per quæſtiones & reſponſiones in religione Chriſtiana ſe invicem exercuerint, idque quotidie.

Chryſoſtomus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, in more habuit, quod ſemper finita concione Auditores ſuos examinaverit, quid ex eadem retinuerint.

Leonides Præceptor, commendatur, quod filio ſuo Origeni quotidie penſum certum ex ſcriptura propoſuerit, & poſtquam recitaverit, de vero ſenſu eundem interrogaverit: hoc modo ei omnia perſpicue & dilucide explicavit.

Idem adhuc hodie à Chriſtianis parentibus fieri debet. Sic filios ſuos ad ſalutem inſtituere æquum eſt, 2. Tim. 3. v. 10. hæc enim ſupereminens ſcientia eſt, &c. Eph. 3. v. 19.

II. *Opinionum differentiam.* Quia enim Chriſtus interrogaverat, quem dicerent homines filium hominis eſſe? Ideo Apoſtoli diverſas hominum opiniones recenſent dicentes: *alii Johannem Baptiſtam*, quem à mortuis reſurrexiſſe putant, uti opinatus eſt Herodes, Matth. 14, 2.

Alii autem Heliam, intellige *Thesbiten*, qui curru igneo in cœlum adſcendit, hunc putant rediiſſe, juxta vaticinium Malachiæ, c. 4. v. 5.

Alii autem Hieremiam, aut unum ex prophetis, quia contra urbem & templum prædicas, ſicut Hieremias fecit, Jer. 23. 26. 29. 34. & ſeqq. cap. & in ipſo ingreſſu tuo reformationem inſtituiſti, & ejusmodi ſpiritu & zelo ementes & vendentes templo ejeciſti, & nummulariorum menſas ſubvertiſti, Joh. 2. v. 13. ſeqq.

Hæ ita diverſæ de Chriſto cogitationes erant, in quibus illi qui cum Chriſto faciebant, & à partibus ejus ſtabant, verſabantur. Quod vero maleferiatorum turba, maxime Phariſæi & ſcribæ & Pontifices, de eo diſperſerant, ac ſi Samaritanus, homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus eſſet, qui dæmonia in Beelzebub principe dæmoniorum ejiceret, Luc. 11, 15. id ſtudio reticebant, quia manifeſta mendacia & calumniæ erant, in noſtram inſtructionem, ne & nos ignominiam proximo improperatam, cum animi voluptate & titillatione perverſe divulgemus, ſed ex charitate Chriſtiana contegamus. Hinc Siracides: Ne iteres verbum nequam & durum, & non minoraberis, c. 19. v. 7. ſeqq.

Hic in examen tui deſcende, mi Chriſtiane! utrum recte ſentias, & in fide ſtes? 2. Cor. 13. v. 5.

Adhuc *hodie multa invaluerunt ſectæ, in Articulo de perſona Chriſti, de baptiſmo, de cœna Domini*: quilibet ſuo ſenſu abundat, imprimis proxime ante

finem

finem mundi, ubi diabolus valde negotioſus eſt, & iram ſuam exerit, ſciens, quod modicum tempus habet, Apoc. 12. v. 12.

In eo non offendantur veri Chriſtiani. A mundi enim exordio hæc facies eccleſiæ fuit, cum tres maſculi in orbe eſſent. Adam & Abel innitebantur promiſſione de benedicto mulieris ſemine, contrituro caput ſerpentis: Cain vero Epicureus erat Gen. 4. v. 4.

Quis hodie immunitatem ſibi imaginaretur, poſtquam mundus totus in maligno poſitus eſt, & ad interitum vergit? potius illud Pauli locum habet: Oportet hæreſes inter vos eſſe, ut, qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis, 1. Cor. 11, 19.

Ideo quilibet caveat ſibi oportet ut permaneat in his, quæ didicit, 2. Tim. 3. v. 14 ne circumferatur in omni vento doctrinæ, Eph. 4. v. 14. Apoſtaſia magna eſt. Satanas expetit nos cribrare ſicut triticum, Luc. 22. v. 31. provideamus igitur ne à veritate deficiamus. Optimum enim eſt, gratia ſtabiliri cor, non eſcis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis, Heb. 13. v. 9.

III. *Petri & Collegarum ſententiam.* Quærenti enim Chriſto: Vos autem quem me eſſe dicitis? Simon Petrus nomine omnium reſpondet: Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi.

Pauca hæc ſunt verba, at multa comprehendunt, & reſpiciunt primo Chriſti perſonam, quod non ſit nudus homo, ſed ille ipſe, de quo Pater cœleſtis ait: Filius meus es tu, hodie, i. e. ab æterno ego genui te, Pſal. 2, 7. Et iterum: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, Matth. 3, 17. *Deinde & officium ejus denotant*, quod ſit promiſſus ille mundi Salvator, quem Deus unxerit Spiritu Sancto tanquam oleo lætitiæ, Pſ. 45. v. 10. ut contritos corde alligaret, Eſa. 61 v. 1. peccatum obſignaret, iniquitatem deleret, juſtitiam ſempiternam adduceret, Dan. 9. v. 24. & ut verbo dicam: peſtilentia morti, & lues inferno fieret. Oſe. 13, 14.

Hic examines velim te, mi Chriſtiane! utrum & ipſe Chriſtum ita agnoveris & confeſſus fueris?

Hac in parte multi deficiunt. Occurrunt enim hypocrytæ, qui in gremio ſepeliunt quod ſentiunt, hi neque calidi neque frigidi ſunt, ſed tepidi, ideoque evomentur ex ore Chriſti, Apoc. 3. v. 15.

Sed omnino neceſſarium eſt, ut genuini Chriſtiani fidem ſuam confiteantur:

1. *Ratione Dei.* Hic Servator non in Apoſtolorum libero arbitrio relinquit, utrum ſe confiteri velint, ſed requirit ab iis, ut iudicent ſibi quis ſit. Tu quoque obſerva. quod dictum eſt: usque ad mortem certa pro juſtitia, Sir. 4. v. 33. 1. Pet. 3. v. 15.

2. *Ratione ſui.* Sunt enim vera Chriſti membra, qui in baptiſmo ipſi promiſerunt, quod usque ad mortem fideles eſſe, & nomen ejus confiteri velint. Fides enim & confeſſio conjuncta ſint oportet: Corde enim creditur ad juſtitiam, ore vero confeſſio fit ad ſalutem, Rom. 10. v. 10.

3. *Ratione proximi,* qui hoc modo in fide roboratur, & ad conſtantiam inflammatur.

Per conſtantiam Sadrach, Meſach & Abednego, qui ſtatuam auream, quam Rex Nebucadnezar erexerat, adorare noluerant, ipſe Rex permotus eſt, ut decretum promulgaverit, quo in univerſo regno ſuo Deus Sadrach, Meſach, & Abednego coleretur, & adoretur, Dan. 3, 6. ſeqq.

Similiter conſtantia Danielis in cauſa fuit, quod Rex Darius decretum conſtituerit, ut in univerſo imperio & regno ſuo tremiſcant & paveant Deum Danielis, Dan. 6. v. 26.

Comitia Auguſtana indicta erant eo fine, ut Lutherana religio plane exſtirparetur. Cum vero ſtatus Poteſtantium confeſſionem ſuam animo imperterrito ederent, & conſtanter eidem inhærerent, ipſe Imperator conſtantia hac incitabatur, ut diceret: Non videre ſe, quid in hac confesſione mali eſſet, optare potius, ut in toto orbe ſic doceretur.

Dux Bavariæ Wilhelmus dixit itidem ad D. Eccium: Mihi hactenus alia & turpiora multa de Lutheri doctrina relata ſunt, quam modo audivimus.

Imperator Ferdinandus I. dixit ad Matheſium Pragam vocatum: *Redi domum, & tuos doce, ut hactenus feciſti, ſecundum confeſſionem Auguſtanam.* Ita multum confert, quando fidei lux lucet, hoc ipſo alii adducuntur ad ſimilem conſtantiam, & ut patrem, qui in cœlis eſt, glorificent, Matth. 5. v. 16.

Summa: Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego coram patre meo, qui in cœlis eſt, Matth. 10. v. 32. 33.

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alteram partem*, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti*, contemplaturi. Hic nobis commendatur:

I. *Tanquam Dei filius.* Dixit enim Simon Petrus ad Chriſtum: Tu es Chriſtus, filius Dei vivi. Et hæc confeſſio Servatori adeo placet, ut eum propterea beatum deprædicet.

Alias non præterit nos, Servatorem noſtrum geminam nativitatem habere, ſicut & duas naturas habet, ideoque Deus & homo eſt in una perſona. *In tempore* natus eſt ex Maria virgine: Ubi enim venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, Gal. 4. v. 4. *Ab æterno* vero genitus eſt à patre ſuo: & ſicut juxta nativitatem corporalem eſt ἀπάτωρ, ita & juxta æternam generationem eſt ἀμήτωρ, Heb. 7. v. 3.

Quæ vero æternæ hujus nativitatis ratio ſit, id in hac mortalitate capere minus poſſumus, & propterea ut alia myſteria plura in vita æterna addiſcenda reſervare cogimur. Interea, quemadmodũ de Deo meliꝰ dicere poſſumꝰ quid non ſit, quam quid ſit: ita etiam de æterna filii Dei generatione facilius referre poſſumus, quid non ſit, quam quid ſit.

In corporali hominis nativitate mutatio quædam accidit: ſed in æterna æterni filii Dei mutatione, nulla mutatio locum habet, Deus quippe non mutatur, Mal. 3. v. 6.

In corporali hominis nativitate tempus nominari poteſt, quo natus nondum fuit, antequam natus eſt: ſed in æterna æterni filii Dei generatione nullum tempus præcedit, quia pater filium ſuum ab æterno genuit, ubi nullum tempus appellari poteſt, quo filius non fuerit: egreſſus enim ejus eſt ab initio, à diebus æternitatis, Mich. 5. verſ. 2.

In corporali hominis nativitate materia eſt, ex qua homo naſcitur, Sap. 7. v. 2. verum in æterna filii Dei generatione tale

quid non reperitur, Deus enim ſpiritus eſt, Joh.4.v.24.

In corporali hominis nativitate, pater & filius quidem ſimilis eſſentiæ ſunt. Uterque enim homo eſt: at non unius eſſentiæ ſunt: ſed quilibet diſtinctam ab altero eſſentiam habet: Cum æterna vero filii Dei generatione aliter comparatum eſt, ut pater & filius non ſimilis modo, ſed & unius eſſentiæ ſint. Ego enim & pater unum ſumus, inquit ipſe Servator, Joh. 10.v.30.

Quando inter homines filium videmus, non ſtatim & patrem cernimus: At hic, qui me videt, videt & patrem: credite mihi, quod ego in patre, & pater in me eſt, inquit Chriſtus, Joh.14.v.10.

Eſt ergo myſterium, quod rationi obvium non eſt. Difficile æſtimamus, quæ in in terra ſunt, &c. Sap.9.v.16.17.

Quia vero æternus hic Dei filius humanam naturam in unitatem perſonæ aſſumſit, ut non duæ perſonæ ſint, altera Deus, altera homo, ſed una perſona quæ θεάνθρωπος eſt, recte hinc dici poteſt: Filius hominis eſt filius Dei vivi: & vice verſa: Filius D E I vivi eſt filius hominis, idque ratione arctiſſimæ unionis, vi cujus verbum caro factum eſt, Joh.1. v.14. & in Chriſto tota plenitudo divinitatis corporaliter habitat, Col.2.v 9.

Hujus igitur Articuli profeſſione ſeparamur:

1. *Ab ethniciſmo*, ibi enim Deus qui filium ſibi coæternum habeat, plane ignoratur, ſed mutaverunt potius gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum, Rom.1.v.23.

2. *A Judaiſmo*, qui etſi Deum cœli & terræ confiteantur, non tamen eundem patrem profitentur, qui ab æterno filium ex eſſentia ſua genuerit: ſed blaſphemant potius & convitiantur hunc æternum Dei filium, ideo ſine Deo in mundo ſunt, & alienati à vita Dei, Epheſ.4.v.18.1. Joh. 3 v.24.

3. *A Neſtorianiſmo*: Neſtorius quippe communicationem naturarum & idiomatum in Chriſto negavit, nec concedere voluit, filium hominis eſſe filium Dei vivi & filiū Dei vivi eſſe filium hominis, propterea dicere conſuevit: *Noli gloriari Judæe, non enim Deum, ſed hominem crucifixiſti.*

Nos vero credimus atque confitemur, quod Chriſtus Servator noſter, ſit verus Deus à patre ab æterno genitus, idemque verus homo ex Maria virgine in tempore natus, unus ille mediator Dei & hominum, qui ſeipſum pretium redemtionis dedit pro omnibus, 1.Tim.2.v.5.& oramus Deum toto animo, ut in hac confeſſione nos conſtanter conſervare dignetur

Fac me tuum manere,
Mi Jova, mi Deus,
Soli tibi adhærere
Fideque ſim ſanus:
Apoſtolare nunquam
Conſtantiam firma,
Tibique grates dicam
In cuncta ſecula.

Laß mich dein ſeyn und bleiben/
O treuer Gott und HErr/
Von dir laß mich nicht bleiben/
Halt mich bey reiner Lehr.

Von

Von dir laß mich nicht wancken/
Gib mir Beſtändigkeit/
Dafür wil ich dir dancken/
In alle Ewigkeit.

II. *Tanquam eccleſiæ patronus.* Ipſe enim petra illa eſt, de qua in Evangelio ait: ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Ita hæc verba explicat Eſaias, inquiens: Sperate in Domino perpetuo, quia in Domino Dominus eſt petra æterna, Eſa. 26. v. 4. Similiter Paulus, dicens: Petra eſt Chriſtus, 1. Cor. 10. v. 4. Petrus, Act. 4. v. 12. Nec non veteres eccleſiæ Doctores, Hieronymus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, imprimis poſtremus hic præclare dicit: *Super hanc petram, quam tu Petre cognoviſti & confeſſus es, ædificabo eccleſiam meam: ædificabo te ſuper me, non me ſuper te.*

Quia igitur eccleſia tantæ petræ innixa eſt, minus metuere debemus, licet omnia in mundo ſurſum & deorſum ferantur, Pſ. 46. v. 1. ſeqq.

Quando quis iter facit, videtque latrones ſibi imminere, ſi civitatem, vel locum munitum in vicinia habet, feſtinat, quo eo perveniat. Sicut omnis turba Hieroſolymam confluxit ex pagis, cum tempore Joſaphat congregati eſſent filii Moab, & filii Ammon, & cum eis de Ammonitis, ut pugnarent adverſus Joſaphat 2. Chron. 20. v. 1. quod & tempore Maccabæorum factum 1. Mac. 6. v. 57.

Nos quoque *hoſtibus infenſiſſimis undiq; cincti ſumus: ex una parte rugit Diabolus*, ut leo, 1. Pet. 5. v. 8. ex *altera infeſtat nos mundus*, qui totus in maligno poſitus eſt, 1. Joh. 5. v. 19. in nobis bonum non habitat, Rom. 7. v. 18 ſed caro concupiſcit adverſus ſpiritum, Gal. 5. v. 17. quia vero ejuſmodi caſtellum habemus, quod non modo in petra ædificatum eſt: ſed & talem patronum, qui fideles ſuos orphanos non relinquit, Joh. 14. v. 18. Sed murus igneus eſt in circuitu illorum, Zach 2. v. 5. ut non moveantur vehementer, Pſal. 62. v. 3. ideo læto animo eſſe poſſumus.

Simſon habitavit in ſpecu ſilicis Etam, Jud. 15. v. 11. ſexcenti viri Benjamin ſuſtentarunt ſe in petra Remmon, Jud. 20. v. 47. Vide 1. Sam. 24. v. 3.

Sed in majori ſecuritate degimus, quando ad Chriſtum petram ſalutis confugimus tempore neceſſitatis: eſt enim petra æterna, Eſa. 26. v. 4. de qua Eccleſia:

Qui ſperat in Deo bono,
Confuſus haud abibit:
Fultus hoc ſuſtentaculo
Quamvis eum invadit,
Multum mali, nunquam vidi
Talem virum cadentem,
Quem ſpes boni fulcit Dei,
Non deſerit fidentem.

Wer hofft in Gott und dem vertraut/
Der wird nimmer zu ſchanden:
Und wer auf dieſen Felſen baut/
Ob ihm gleich geht zu handen/
Viel Unfalls hie/ hab ich doch nie
Den Menſchen ſehen fallen:
Der ſich verläſt auf Gottes Troſt/
Er hilfft ſein Gläubgen allen.

Quinque Reges Amorrhæorum abdiderunt ſe in ſpeluncam urbis Maceda, putantes, ibi ſe tutos fore, ſed extracti ſuſpendebantur, Johann. 10. v. 22. Qui vero in Chriſto confidunt, non commovebuntur, ſed permanebunt, ſicut mons Sion, Pſ. 125.

ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſione peccatorum eorum,ut Zacharias poſtea in hymno ſuo indicat.

Hic teipſum examina, mi Chriſtiane! utrum tu quoque eo reſpexeris, ut liberi tui in ordinem Johanniticum ſuſcepti, & ſtatim poſt nativitatem carnalem, per baptiſmum, quem nos in N. T. loco circumciſionis habemus, Chriſto inſerti ſint?

In Papatu inter alios plurimos ordines, & unus in honorem Johannis Baptiſtæ inſtitutus eſt, ejus cultores *Johannitæ* vocantur, quorum munus eſt, ut adverſus Turcam bello decertent. Verùm illi à Johannis Baptiſtæ inſtitutis longè receſſerunt, ideo de hoc Ordine ſermo nobis non eſt. Verùm *Baptiſmus verus eſt Ordo Johanniticus*, ubi ex filiis iræ quales naturâ ſumus, Eph.2,3. per ſpiritualem regenerationem quaſi novæ creaturæ evadimus, 2.Cor.5,7. videlicet filii & hærodes Dei, & cohæredes Chriſti, Rom.8.v.17.

Lætamini proinde Dilecti! quando infantes veſtros baptiſmo initiatis: ibi enim novum nomen accipiunt, & licet non Johannis, ſed alio nomine inſigniantur, attamen gratiæ nihil decedit, de qua Johannes prædicavit, quod de plenitudine gratiæ Chriſti accepturi ſimus gratiam pro gratia, Joh.1,16. ibi enim aqua munda ſuper eos ſpargitur, ut mundentur ab omnibus inquinamentis ſuis, Ezech.36.v.25. abluuntur à peccatis ſuis, 1.Cor.11. intellige, per ſanguinem Chriſti, qui ſolus hac virtute pollet, 1.Joh.1.v.7. induunt Chriſtum per fidem, Gal.3.[illegible]27. faciunt cum Deo fœdus, nempe ſtipulationem bonæ conſcientiæ, 1. Pet.3,21. quinimò nominibus ſuis in cœlo ſcribuntur, ubi nullus tyrannorum aut diabolus, illos eradere poterit, Luc.10,20.

Parentes igitur operam dare debent, ut filii non *nomen nudum ſed & omen habeant*, quod fiet per *ſedulam informationem*, quando eos cum Johanne in Adunim deferant, h.e. ad ſcholam mittant, ut ibi inſtituantur in diſciplina & timore Domini, Eph.6,1. & domi quoq; legem Dei illis acuant, Deut. 6.v.7. exemplo Abrahæ, Gen.18.v.19. Verè enim Comicus: *Ut quisque ſuum vult eſſe filium, ita eſt.* Si ethnicus hoc agnovit, quantò magis Chriſtianus operam navare debet, ne quicquam quod ad bonam inſtitutionem ſpectat, intermittatur, ut in illis laudari & gloriari poſſimus, Eccl.30.v.2. & animo imperterrito coram tribunali Chriſti compareamus, dicentes: Ecce, ego & pueri, quos dedit mihi Dominus, Eſa.8,16.

Quando verò parens non Spiritu ſancto, ut hîc Zacharias, ſed vino & cereviſiâ repletus eſt, & loco precationis, imprecationes eructat, quando domum redit, hîc non abs re quæreres: Quis, putas, puer iſte erit? quia enim nihil boni vident, nec audiunt, quid quæſo boni diſcent? Væ ejusmodi profligatis parentibus! ſanguinem deperditum Deus de manu eorum requiret, Ezech.3,18. Hinc Servator: Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis &c. Matth.18,6.

III. *Devotio exemplaris*, quam Zacharias nobis exemplo ſuo reliquit. Hactenus enim mutus fuerat, jam v. poſtquam loquelam recuperarat, & videt omnia impleta eſſe, quæ ei angelus annunciaverat, plenus gaudio in egregium hymnū prorumpit, in quo mirabilia Dei ex ordine enarrat & prædicat. *Benedictus Dominus Deus Iſrael* &c. Nos ad ejus exemplum doceamus & commoneamus noſmetipſos in Pſalmis & hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus noſtris Domino, Col.3,16. Pſ.50,23.

Hic ſcruteris velim te, utrum & ipſe ad gloriam Dei hymnos ſpirituales in æde Dei cantaveris, & Deo pro beneficiis ſuis gratias debitas egeris?

Hic ſanè plurimùm delinquitur. Nonnullos pudet laudis Dei, Sir.51.v.38. Alii ſine devotione, ex perverſâ duntaxat conſvetudine concinunt. Quod ſanè meritò improbandum eſt. Hinc ipſe Deus de talibus conqueritur: Aufer à me boatum carminum tuorum, Amos 5.v.23.

Rectius nos inſtruit, Pſaltes Regius dicens: Benedicam Dominum in omni tempore, Pſal.34.v.2.3.

Priſci hâc in re tanto zelo arſerunt, ut ſe invicem provocarint, *quis melius Deo ſuo canere poſſit*, ut Tertullianus refert.

B. Lutherus hâc in parte aliis palmam præripuit. Aliquando ipſi referebatur, quod à Pontifice excommunicatus & ab Imperatore proſcriptus eſſet: abiit ergò in hortum, & cecinit Pſalmos & hymnos nonnullos. Hoc Prior audiens interrogavit eum, quid ita lætus eſſet, an neſciret, quid Papa & Cæſar adverſus ſe decreviſſent? Ipſe reſpondit, non præterit me: ſed nihil ad me attinet, verùm ad Chriſtum; ſi ille de dextrâ Patris ſui ſe deturbatum patietur, per me licet, ego infirmior ſum, quàm ut cauſam ejus contra principem mundi hujus defendam.

Aliquando à Dæmone Coburgi ita conterritus, ut fermè exanimatus eſſet, contribules ſuos excitavit his verbis: *Venite, canamus in contemtum Diaboli.* Hinc non parum confirmati ſunt.

Nos hoc ipſum imitari & ſpirituales hymnos cantare debemus, *quando aut animo perturbato ſumus*, ne Diabolo locum relinquamus: eſt enim ſuperbus ſpiritus, qui nihil minus ferre poteſt quàm contemtum: ideoque recedere tenebatur à Saule, quando David citharâ ludebat, 1.Sam.16. v. ult. *aut quando Deus nos benedicit, in omni benedictione ſpirituali*, in cœleſtibus, Eph. 1.v.3. tum iterum æquitas rei flagitat, ut ei gratias pro his beneficiis cantemus, hæc enim eſt voluntas Dei in Chriſto Jeſu in nobis, 1.Theſſ.5.v.18. Verùm *ex animo* id fiat oportet, ut cum Davide dicamus: Paratum cor meum Deus, Pſal.57.v.8 & cum B. Mariâ: Magnificat anima mea Dominum, Luc.1.v.47. Aliàs locum habet illud Prophetæ: Fruſtrà colunt me, Eſa.29.v.13. Cor enim intuetur Deus, 1.Sam 16.v.7.

Hoc ipſo *venimus in ſocietatem ſanctorum Angelorum*, quorum continuum opus eſt, ut Deum celebrent. Hoc fecerunt in ipſo creationis primordio, ubi Deus terram fundavit, Job.38.v.7. fecerunt idem in nativitate Chriſti, Luc.2.v.14. quin adhuc hodie illud faciunt, quando coram throno Dei clarâ voce ingeminant: Sanctus, ſanctus, ſanctus eſt Dominus Deus Sabaoth, Eſa.6.v.3.

Quid verò pius Chriſtianus melius & utilius efficere poteſt, quàm ut cum Angelis in uno opere occupatus, linguâ ſuâ Dei laudes perſonet? Hoc in vitâ æternâ omnium electorum præcipuum opus erit; qui habitant in domo tuâ Domine: in ſecula ſeculorum laudabunt te, Pſal. 84.v.5.

Intereà noſtri officii erit, ut hîc in tempore gratiæ, ubi plerumque ex profundis modulamur, Pſal 130.v.1. confeſſionem Dei inchoemus: & ſic in regno gloriæ in gradu excellentiori idem continuabimus, cum beatorum cœtu perſonantes: Alleluja: Salus & laus, & gloria, & virtus, Domino Deo noſtro, Apoc.19.v.1.

Digitized by Google

De Secundo.

DIſcutiemus nunc *alteram partem notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti* contemplaturi. Hic nobis meditandus proponitur:

I. *Tanquam ſterilium fœcundator.* Eliſabetha per omnem vitam ſuam prolem non pepererat: Verùm in ſenectute Deus benedictione ſuâ eā ornavit, hinc gaudio perfuſa, pro ſingulari miſericordia Dei id agnoſcit. In V. T. enim ſterilitas quaſi opprobrium reputatum fuit, unde Rahel mortem quoque ſterilitati prætulit, tandem verò benedictionis Dei compos lætabunda dixit: Abſtulit Deus opprobrium meum, Gen.30.v.23.

Et ſi rem penitius inſpiciamus, non parva afflictio eſt, ſine benedictione conjugali vivere. *Per liberos* enim *regnum Dei ampliatur*, & nomen ejus celebratur. Hinc Servator: Sinite pueros ad me venire, talium enim eſt regnum cœlorum, Marc.10.v.14. Confer Tob.8.v.8.9.

2. *Per ſobolis procreationem reſpublica* in omnibus hierarchiis inſigniter *ornatur*. Quando enim filii adoleſcunt, & Deo in eccleſia & curia utiliter ſervire poſſunt, magnam hinc parentes voluptatem capiunt; Filii & ædificatio civitatis confirmabit nomen, Sir.41.v.19.

3. Per *filios genus propagatur*. Quando enim pater, qui pluribus bonæ notæ liberis inſtructus eſt, moritur, quaſi non mortuus eſſet, cenſendus eſt, ſimilem enim ſibi reliquit poſt ſe, Sir.30.v.4.

His commoditatibus illi, qui ſine prole ſunt, deſtituuntur. Propterea in ſcripturis tot lamentationes ſanctorum hac ipsā in re occurrunt. Abraham queritur: Domine Deus quid dabis mihi? ego vadam ſine liberis, Gen.15.v.2. Rachel cum marito Jacobo expoſtulat: Da mihi liberos, alioquin moriar, Gen.30.v.1. Hanna largiter flevit, cum Deus uterum ejus concluſiſſet, 1.Sam. 1.v.10. De fœminâ Sunamitide ait Gehaſi: Filium non habet, 2.Reg 4.v.14.

Hoc totum Dei opus eſt. Ille poteſt ſteriles concludere ne pariant: ut Sara conqueritur, Gen.16.v.2. ſed & recludere eaſdem poteſt: & ſterilem facere matrem filiorum lætantem, Pſal.113.v.ult.

Quodſi igitur fructu ventris beat, grato id animo agnoſcendum, & opera ſedulo danda eſt, ut ſoboles in diſciplina & timore Domini educatur, Eph.6.v.4. Quodſi verò benedictionem ſuam retrahit, non iræ ſignū id eſt, ſed cogitent ſecum pii conjuges, quod hæc Dei voluntas ſit, cui æquo ſe animo ſubjicere teneantur. Quanto gaudio tripudiavit Eva, cum Cainum peperiſſet? Et ecce parricida erat, Gen.4.v.19. In quantam animi perturbationem conjecerunt Cham Noah, Iſmaël Abrahamum, Ruben & Dina Jacobum, Hophni & Pinehas Eli ſacerdotem, Abſolon Davidem, Rehabeam Salomonem? nonne optaſſent, ſe ſine prole fuiſſe? Utile namque eſt mori, ſine filiis, quàm relinquere filios impios, Sir.16.v.4.

II. *Tanquam gratioſus viſitator.* Hinc Zacharias: Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitavit, & fecit redemtionem plebi ſuæ.

Judæi diu ſub jugo Romano fuerant, proprio Rege deſtituti. Nec propheta ullus amplius inter illos ſurgebat, ut non immeritò quererentur: Signa noſtra non vidimus, non eſt amplius Propheta, Pſal. 47.v.9.

74.c.9. Cum igitur quilibet ſpem decollaſſe putaret; ecce Deus cum auxilio ſuo ingruit, viſitans populum ſuum, & ita implet, quod dudum promiſerat per Prophetas de mittendo Meſſiâ. Rectè enim de eo dicitur: quod differtur, non auffertur. Et licet auxilium ſuum aliquamdiu retardet, tandem tamen inopinato ingruit, ut homines annuncient opus ejus, Pſalm. 64. verſ. 10.

Adhuc hodiè fidèles ſuos non relinquet orphanos, Joh.14.v.18. ſed ad eos veniet, manſurus cum iiſdem uſque ad conſummationem ſeculi, Matth.28.v.ult.

1. *Tanquam medicus ad ægrotos.* Eſt enim magnus ille ſanator, Exod.15.v.26. & magiſter ſalvationum, Eſa.63.v.2.

Cum Eliſeus Propheta ægrotaret infirmitate, deſcendit ad eum Joas Rex Iſrael. Hoc magni æſtimandum venit.

Sed majoris putandum eſt, quod ipſe Deus nos inviſit, qui eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium, 1.Tim.6.v.15.

Nos omnes animâ laboramus, ita ut à planta pedis, uſque ad verticem non integrum quiddam in nobis, Eſa.1.v.6. hoc à Protoplaſtis noſtris hæreditariò accepimus, ideò non melius nobis conſulere poſſumus, quàm ſi ad alterum Adamum nos convertamus, qui reparavit, quod prior Adam perdiderat, Rom.5.v.18. ideo omnes laborantes & oneratos ad ſe vocat, ad reficiendum eos, Matth.11.v.28. Hoc & præſtat in ſancto verbo ſuo, & Sacramentis. Hinc David: Niſi quod lex tua gaudium meum eſt, Pſal.119.v.92. Sed perfectè id faciet in vita æterna, ubi exultationem nobis infundet, Tob.3.v.22.& omnem lacrymam abſterget ab oculis noſtris, Apoc.7.v.17.

2. *Tanquam liberator ad captivos.* Iſraëlitæ in Ægypto duriter affligebantur, cum verò illi clamarent ad Deum propter duritiem ſuam. Deus ipſos exaudiebat, mittens Moſen, qui fratres ſuos inviſit, & redemit eos, Exod.2.v.10.

Nos ſimiliter ſub poteſtate tenebrarum tenebamur, Col.1.v.13. in laqueis Satanæ, à quo captivi tenebamur ad ejus voluntatem, 2.Tim 2.v.26. Verùm Moſes nos juvare non poterat, Deut.27.v.26. Ideo Deus aliam redemtionem miſit, & per Chriſtum funes concidit, Pſal.129.v.4. & ſceptrum exactoris contrivit, Eſa.9.v.4. & ita in libertatem aſſeruit.

Die noviſſimo redemtio hæc plenè conſummabitur, ubi nos Dominus ſalvos faciet, in regnum ſuum cœleſte, 2.Tim.4. v.18. Eſa.35.v.10.

3 *Tanquam frater ad conſanguineos.* Cum Palæſtini adverſus Iſraëlitas expeditionem ſuſcepiſſent, immanis Gigas, nomine Goliath ſurrexit, qui inſultavit Iſraëlitis: huic nemo ſe opponere auſus eſt, donec David advenit, qui eum ferè inermis proſtravit, & proprio quaſi gladio jugulavit, 1. Sam. 17. v. 4. ſeqq.

Nos ſimiliter potentem adverſarium diabolum habuimus, qui & ipſe gigas, Eſa. 49.v.24. nec non fortis armatus dicitur, Luc.11.v.29. Job.41.v.17. Verùm Chriſtus nos fratres ſuos inviſit, & liberavit, qui aliàs per totam vitam timore mortis obnoxii fuiſſemus ſervituti, Hebr.2.v.15.

Sicut igitur mulieres, de univerſis urbibus Iſraël egreſſæ ſunt, cantantes choroſq; ducentes in occurſu Davidis, atq; dicentes: Percuſſit Saul mille, & David decem millia, 1.Sam.18. v. 6. Ita & nos gratâ mente acci-

piamus, quod Chriſtus infernalem Goliath cum toto ſuo exercitu profligaverit, Pſal.118.v.15.

Qui verò in peccatis pergit, & hanc gratiæ viſitationem agnoſcere non vult, hunc Deus in iracundia ſua viſitabit, ut hoſtis hoſtem, donec eum diſperdat. Tam citò namq; iraſci poteſt, quàm miſereri, Eccl. 5.v.7.

Exemplo ſunt Sodomitæ, quos ita in ira ſua viſitavit, Gen 19. v.24. Ideo noſtrûm eſt, cavere, ne Dominum ad iram provocemus, ejusque vindictam nobis acceleremus. Excipiamus eundem potius cum lætitiâ, quando venit nos viſitaturus; ſemitæ enim ejus ſtillant pinguedinem, Pſal.65,12. ubicunque enim divertit, benedictionem poſt ſe relinquit, Joel. 2.v.14.

III. *Tanquam fidelium propugnator.* Erexit enim nobis cornu ſalutis, in domo David, pueri ſui. Sicut locutus eſt, per os ſanctorum, qui à ſeculo ſunt, Prophetarum ejus: Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos.

Hoc nobis valdè ſalutare eſt in hac miſeriarum valle. Quid enim nobis prodeſſet, quod Chriſtus nos redemerit, ſi continuò periculum eſſet, ne periculum incurreremus, de quo Chriſtus nos redemit? Ideò Zacharias hic nobis oſtendit *cornu ſalutis, quod Deus bono noſtro erexit*, ut ejus perfugio utamur, ſicut Adonia à Salomone ob ſeditionem trucidandus, tenuit cornu altaris, 1.Reg.1.v.51.

Vocabulum *cornu* in ſcripturis ſignificat *externam potentiam & robur.* Metaphora à beſtiis deſumta eſt, quæ cornibus ſuis confidunt, iisque ſe defendunt. Unde, quando Deus dicit: Cornua impiorum confringam, B. Lutherus Germ. id h. m. expreſſit: Ich will alle Gewalt der Gottloſen zerbrechen/ Pſal.75.v.11.

Quando igitur beſtia coccinea, quæ ſeptem capita & decem cornua habet, Apoc. 17.v.7. omnes nervos intendit, ut nos ex propugnaculo noſtro deturbet, & ſibi ſubjiciat: omnem metum abjicere, & in *cornu hoc ſalutis confidere* debemus, dicentes: Si Deus pro nobis, quis contra nos, Rom. 8. verſ.31.

Diabolus nonnunquam etiam *cornua ſua oſtentat*: *cornua voluptatum*, cornua *ſuperbiæ*, & cornua *potentiæ*, quibus carnales confidunt, non perpendentes, quid Propheta dicat, Jerem.17.v.5.

Verùm noſtrûm eſt cautè ambulare, & ex adverſo unicè cornu ſalutis reſpicere, quod Deus nobis erexit in domo David, pueri ſui, h. e. in eccleſiâ ubi continuè pœnitentia & remiſſio peccatorum prædicatur, Luc.24.v.47. & ſi prædicationem hanc fide ſuſceperimus, non eſt, ut Diabolum metuamus. Ubi enim remiſſio peccatorum eſt, ibi vita & ſalus, Pſal.32.v.1.

Equidem multi hodie inveniuntur, qui *cornibus ſuis arietant*, ut non immeritò piis querendum: Impellendo impulſus ſum, ut caderem; & Dominus adjuvat me, Pſalm. 118.v.13. Utique adjuvat, eſt enim expectatio Iſraëlis, Salvator noſter in tempore tribulationis, Jerem.14.v.18. Judith. 9 v.5.

In hoc proinde *cornu ſalutis & virtutis confidamus*, ut de plenitudine ejus accipiamus gratiam pro gratia, Joh.1.v.16. Nulla enim alia ſalus eſt, Act.4,12. Ipſi ſit laus & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

In

In feſto die Petri & Pauli.

Evangelium Matth. 16. v. 13.---20.

EXORDIUM.

Cum tabernaculum fœderis exſtruendum eſſet, vocavit Deus ex nomine Beſeleel & Oholiab, & implevit eos ſpiritu ſapientiæ, intelligentiæ & ſcientiæ, ad excogitandum, quicquid fabrefieri poteſt, ex auro & argento & ære; fabrefactione in gemmis, & fabrefactione lignorum, ad faciendum in omni opere, Exod. 31. v. 1. ſeqq.

Hoc ſenſu myſtico applicabimus.

Tabernaculum fœderis in V. T. *typus fuit eccleſiæ militantis in his terris*, quam ſibi Chriſtus ex Judæis & ethnicis per verbum & ſacramenta colligi fecit, ideo vocatur tabernaculum Dei cum hominibus, Apoc. 21, 2. cujus artifex & conditor eſt Deus, Heb. 11, 10. ſed & architectos ſuos adhibet, quo fine Apoſtolos vocavit, & ſpiritu ſapientiæ & intelligentiæ adeo inſtruxit, ut in omnibus linguis Jeſum Nazarenum in toto orbe divulgarint & prædicarint, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Judæis & Græcis Chriſtum, Dei virtutem & ſapientiam, 1. Cor. 1, 23. 24.

Adhuc hodie fideles operarios mittit in meſſem ſuam, Matth. 9. v. ult. & dat eccleſiæ ſuæ Doctores & Paſtores ad præparationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, Eph. 4. verſ. 11. 13.

Quemadmodum vero Beſeleel & Oholiab certum exemplar habebant, ad quod omnia fabrefacere tenebantur, nempe ad ideam, quam Deus Moſi in monte Sinai oſtenderat: Ita & Apoſtoli hanc eccleſiæ ſtructuram adornarunt, non ex ſuo arbitrio: ſed ad normam ſcripturæ ſacræ, ubi angularis lapis Jeſus Chriſtus eſt, Eph. 2. v. 20.

Petrus & Paulus, quorum memoria huic diei conſecrata eſt, *duo præcipui architecti* fuerunt, quorum alter ad Judæos alter vero ad gentes miſſus eſt, ut ibi ſpiritualem architecturam exercerent, ſed omnia ad ideam, quam illis Deus præſcripſit. Hinc Paulus: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt: quod eſt Jeſus Chriſtus, 1. Corinth. 3, 11. Cum quo conſentit illud Petri: Non eſt in aliquo ſalus: nec enim aliud nomen ſub cœlo datum eſt hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri, niſi nomen Jeſus, Actor. 4. verſ. 12. hæc petra eſt, ſuper quam eccleſia ædificata & adeo fundata eſt, ut portæ inferorum non prævaleant adverſus eam, ut prælectum Evangelium teſtatur.

Nos ad ipſum Evangelium prælectum acceſſuri meditabimur ex eodem:

I. Ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri*.
II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti*.

J. J.

Exegeſis.

Summus Pontifex in V.T. nomina filiorum Iſrael, ſemper in pectorali judicii ſuper pectus ſuum portare tenebatur, quando ingrediebatur ſanctuarium, in memoriale coram Domino, Exod. 28. v. 29.

Id typus Chriſti fuit. Quemadmodum enim Aaron per hoc ipſum ratione officii ſui commonebatur, ut nimirum Iſraelitarum, quorum nomina ſuper pectus ſuum portabat, ſedulam curam gereret, & ſalutem eorundem procuraret: Ita hoc ipſo indicatum eſt, quomodo Jeſus Chriſtus, verus Novi Teſtamenti ſummus Pontifex, eccleſiam & omnia ejus vera membra ſibi commendata habere & omni ſtudio curare vellet, ut in notitia ſui quotidie creſcerent, & ad ſalutem æternam conſervarentur. Cujus in ſpecie præclarum exemplum in prælecto Evangelio habemus, ubi Servator examen inſtituit cum diſcipulis ſuis, quid hactenus ex concionibus ſuis didicerint, & profecerint. Ubi Petrus nomine omnium egregiam confeſſionem edit, inquiens: Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi. Id Chriſto adeo arridet, ut eccleſiam ſuam ſuper confeſſionem hanc ſe ædificaturum eſſe adſeveret, ut portæ inferorum non prævaliturae ſint adverſus eam.

Ad *Notitiam noſtri* deducemur, ſi ſpectemus.

I. *Examinis inſtituti Reverentiam.* Venit enim Jeſus in partes Cæſareæ Philippi, & interrogabat diſcipulos ſuos, dicens: Quem me dicunt, homines eſſe filium hominis? & paulo poſt: Vos autem, quem me eſſe dicitis?

Chriſtus novit corda omnium, Act. 1, 24 & intelligit cogitationes noſtras de longe, Pſal. 139. v. 2. ideo non latet eum, quid tam diſcipuli, quam alii de ſe ſentiant. Interrogat autem hic diſcipulos, ut exemplo ſuo nos doceat, quod & nos quandoque cum noſtris examen inſtituere, & eos explorare debeamus, quid ex concionibus teneant, & quantos profectus fecerint. Hæc enim verba, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & acues ea filiis tuis, Deut. 6. v. 7.

Hic probate, mi Chriſtiane! utrum & ipſe nonnunquam in tuos cenſuram exercueris, & ad liberos & famulitium tuum melius formandos diligentiam adhibueris?

Reperiuntur ejusmodi profligati parentes, quibus perinde eſt, ſive liberi frequentent templum ſive minus, nec unquam eos ad examen vocant, ut quid ex concionibus profecerint, perquirant. Quinimo non pauci occurrunt, qui ipſi conciones parum curant, quomodo ergo liberos ſuos ex iis examinarent? Hi ſunt ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, Pſal. 32. v. 9. ſemper diſcentes, & nunquam ad agnitionem veritatis pervenientes. 2. Tim. 3. v. 7.

O quam gravis ratio illis aliquando reddenda erit, quando eos Chriſtus ad tribunal ſuum vocabit, dicturus: Redde rationem villicationis tuæ! Dedi tibi ſanos liberos, ut eos tanquam hæreditatem Domini de manu mea reciperes, Pſal. 127. v. 3. eosque in diſciplina & admonitione Domini educares, Eph. 6. v. 4. Gen. 18. v. 19. Redde rationem, quomodo id obſervaſti? O parentum profligatiſſime! Tui conniventia liberi tui velut pecora adoleverunt, tu contra ſcelera eorum ne quidem frontem contraxiſti, ut Eli, 1. Sam. 3. v. 13. virgæ peperciſti, Prov. 13. v. 24.

v.24.lactaſti eos,luſiſti cum eis,Sir. 30.v.9. 10.non ad preces eos inſtigaſti, nec rationem Chriſtianiſmi eorum habuiſti, hoc modo in viam latam aberrarunt, quæ ducit ad perditionem,Matth.7.v.13.

Quodſi melius conſiſtere intenditis,majori ſolertia liberis veſtris animum intendite & omnibus iis, qui curæ veſtræ demandati ſunt.Spectate Davidem dicentem: Venite filii,audite me, timorem Domini docebo vos,Pſal.34.v.12. Ad hujus exemplum quilibet pater-familias ſe componere debet. Cum interrogaverit te filius tuus &c. Deut.6.v.20. ſeqq.

Euſebius de Chriſtianis in primitiva eccleſia memorat, quod per quæſtiones & reſponſiones in religione Chriſtiana ſe invicem exercuerint, idque quotidie.

Chryſoſtomus Epiſcopus Conſtantinopolitanus,in more habuit, quod ſemper finita concione Auditores ſuos examinaverit,quid ex eadem retinuerint.

Leonides Præceptor, commendatur, quod filio ſuo Origeni quotidie penſum certum ex ſcriptura propoſuerit, & poſtquam recitaverit,de vero ſenſu eundem interrogaverit: hoc modo ei omnia perſpicue & dilucide explicavit.

Idem adhuc hodie à Chriſtianis parentibus fieri debet.Sic filios ſuos ad ſalutem inſtituere æquum eſt,2.Tim.3.v.10.hæc enim ſupereminens ſcientia eſt,&c. Eph.3.v.19.

II. *Opinionum differentiam.* Quia enim Chriſtus interrogaverat, quem dicerent homines filium hominis eſſe? Ideo Apoſtoli diverſas hominum opiniones recenſent dicentes: *alii Johannem Baptiſtam*, quem à mortuis reſurrexiſſe putant, uti opinatus eſt Herodes,Matth.14,2.

Alii autem Heliam, intellige *Thesbiten*, qui curru igneo in cœlum adſcendit, hunc putant rediiſſe,juxta vaticinium Malachiæ, c.4.v.5.

Alii autem Hieremiam, aut unum ex prophetis,quia contra urbem & templum prædicas,ſicut Hieremias fecit,Jer.23.26.29.34. & ſeqq. cap. & in ipſo ingreſſu tuo reformationem inſtituiſti, & ejusmodi ſpiritu & zelo ementes & vendentes templo ejeciſti, & numulariorum menſas ſubvertiſti,Joh.2. v.13. ſeqq.

Hæ ita diverſæ de Chriſto cogitationes erant,in quibus illi qui cum Chriſto faciebant,& à partibus ejus ſtabant,verſabantur. Quod vero maleferiatorum turba,maxime Phariſæi & ſcribæ& Pontifices,de eo diſperſerant,ac ſi Samaritanus,homo vorax & potator vini,publicanorum & peccatorum amicus eſſet, qui dœmonia in Beelzebub principe dæmoniorum ejiceret, Luc.11,15. id ſtudio reticebant, quia manifeſta mendacia & calumniæ erant, in noſtram inſtructionem,ne & nos ignominiam proximo improperatam, cum animi voluptate & titillatione perverſe divulgemus,ſed ex charitate Chriſtiana contegamus. Hinc Siracides: Ne iteres verbum nequam& durum, & non minoraberis,c.19.v.7.ſeqq.

Hic in examen tui deſcende, mi Chriſtiane! utrum recte ſentias,& in fide ſtes? 2.Cor. 13.v.5.

Adhuc *hodie multa invaluerunt ſecta, in Articulo de perſona Chriſti, de baptiſmo, de cœna Domini*: quilibet ſuo ſenſu abundat, imprimis proxime ante finem

Digitized by Google

finem mundi, ubi diabolus valde negotioſus eſt, & iram ſuam exerit, ſciens, quod modicum tempus habet, Apoc. 12. v. 12.

In eo non offendantur veri Chriſtiani. A mundi enim exordio hæc facies eccleſiæ fuit, cum tres maſculi in orbe eſſent. Adam & Abel innitebantur promiſſione de benedicto mulieris ſemine, contrituro caput ſerpentis: Cain vero Epicureus erat Gen. 4. v. 4.

Quis hodie immunitatem ſibi imaginaretur, poſtquam mundus totus in maligno poſitus eſt, & ad interitum vergit? potius illud Pauli locum habet: Oportet hæreſes inter vos eſſe, ut, qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis, 1. Cor. 11, 19.

Ideo quilibet caveat ſibi oportet ut permaneat in his, quæ didicit, 2. Tim. 3. v. 14. ne circumferatur in omni vento doctrinæ, Eph. 4. v. 14. Apoſtaſia magna eſt. Satanas expetit nos cribrare ſicut triticum, Luc. 22. v. 31. provideamus igitur ne à veritate deficiamus. Optimum enim eſt, gratia ſtabiliri cor, non eſcis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis, Heb. 13. v. 9.

III. *Petri & Collegarum ſententiam.* Quærenti enim Chriſto: Vos autem quem me eſſe dicitis? Simon Petrus nomine omnium reſpondet: Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi.

Pauca hæc ſunt verba, at multa comprehendunt, & reſpiciunt primo Chriſti perſonam, quod non ſit nudus homo, ſed ille ipſe, de quo Pater cœleſtis ait: Filius meus es tu, hodie, i. e. ab æterno ego genui te, Pſal. 2, 7. Et iterum: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, Matth. 3, 17. *Deinde & officium ejus denotant,* quod ſit promiſſus ille mundi Salvator, quem Deus unxerit Spiritu Sancto tanquam oleo lætitiæ, Pſ. 45. v. 10. ut contritos corde alligaret, Eſa. 61. v. 1. peccatum obſignaret, iniquitatem deleret, juſtitiam ſempiternam adduceret, Dan. 9. v. 24. & ut verbo dicam: peſtilentia morti, & lues inferno fieret. Oſe. 13, 14.

Hic examines velim te, mi Chriſtiane! utrum & ipſe Chriſtum ita agnoveris & confeſſus fueris?

Hac in parte multi deficiunt. Occurrunt enim hypocrytæ, qui in gremio ſepeliunt quod ſentiunt, hi neque calidi neque frigidi ſunt, ſed tepidi, ideoque evomentur ex ore Chriſti, Apoc. 3. v. 15.

Sed omnino neceſſarium eſt, ut genuini Chriſtiani fidem ſuam confiteantur:

1. *Ratione Dei.* Hic Servator non in Apoſtolorum libero arbitrio relinquit, utrum ſe confiteri velint, ſed requirit ab iis, ut iudicent ſibi quis ſit. Tu quoque obſerva, quod dictum eſt: usque ad mortem certa pro juſtitia, Sir. 4. v. 33. 1. Pet. 3. v. 15.

2. *Ratione ſui.* Sunt enim vera Chriſti membra, qui in baptiſmo ipſi promiſerunt, quod usque ad mortem fideles eſſe, & nomen ejus confiteri velint. Fides enim & confeſſio conjuncta ſint oportet: Corde enim creditur ad juſtitiam, ore vero confeſſio fit ad ſalutem, Rom. 10. v. 10.

3. *Ratione proximi,* qui hoc modo in fide roboratur, & ad conſtantiam inflammatur.

Per conſtantiam Sadrach, Meſach & Abednego, qui ſtatuam auream, quam Rex Nebucadnezar erexerat, adorare noluerunt ipſe Rex permotus eſt, ut decretum promulgaverit, quo in univerſo regno ſuo Deus Sadrach, Meſach, & Abednego coleretur, & adoretur, Dan. 3, 6. ſeqq.

Si-

Similiter conſtantia Danielis in cauſa fuit, quod Rex Darius decretum conſtituerit, ut in univerſo imperio & regno ſuo tremiſcant & paveant Deum Danielis, Dan. 6. v. 26.

Comitia Auguſtana indicta erant eo fine, ut Lutherana religio plane exſtirparetur. Cum vero ſtatus Poteſtantium confeſſionem ſuam animo imperterrito ederent, & conſtanter eidem inhærerent, ipſe Imperator conſtantia hac incitabatur, ut diceret: Non videre ſe, quid in hac confeſſione mali eſſet, optare potius, ut in toto orbe ſic doceretur.

Dux Bavariæ Wilhelmus dixit itidem ad D. Eccium: Mihi hactenus alia & turpiora multa de Lutheri doctrina relata ſunt, quam modo audivimus.

Imperator Ferdinandus I. dixit ad Matheſium Pragam vocatum: *Redi domum, & tuos doce, ut hactenus feciſti, ſecundum confeſſionem Auguſtanam.* Ita multum confert, quando fidei lux lucet, hoc ipſo alii adducuntur ad ſimilem conſtantiam, & ut patrem, qui in cœlis eſt, glorificent, Matth. 5. v. 16.

Summa: Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego coram patre meo, qui in cœlis eſt, Matth. 10. v. 32. 33.

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alteram partem*, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti*, contemplaturi. Hic nobis commendatur:

I. *Tanquam Dei filius.* Dixit enim Simon Petrus ad Chriſtum: Tu es Chriſtus, filius Dei vivi. Et hæc confeſſio Servatori adeo placet, ut eum propterea beatum deprædicet.

Alias non præterit nos, Servatorem noſtrum geminam nativitatem habere, ſicut & duas naturas habet, ideoque Deus & homo eſt in una perſona. *In tempore* natus eſt ex Maria virgine: Ubi enim venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, Gal. 4. v. 4. *Ab æterno* vero genitus eſt à patre ſuo: & ſicut juxta nativitatem corporalem eſt ἀπάτωρ, ita & juxta æternam generationem eſt ἀμήτωρ, Heb. 7. v. 3.

Quæ vero æternæ hujus nativitatis ratio ſit, id in hac mortalitate capere minus poſſumus, & propterea ut alia myſteria plura in vita æterna addiſcenda reſervare cogimur. Interea, quemadmodũ de Deo meliꝰ dicere poſſumꝰ quid non ſit, quam quid ſit: ita etiam de æterna filii Dei generatione facilius referre poſſumus, quid non ſit, quam quid ſit.

In corporali hominis nativitate mutatio quædam accidit: ſed in æterna æterni filii Dei mutatione, nulla mutatio locum habet, Deus quippe non mutatur, Mal. 3. v. 6.

In corporali hominis nativitate tempus nominari poteſt, quo natus nondum fuit, antequam natus eſt: ſed in æterna æterni filii Dei generatione nullum tempus præcedit, quia pater filium ſuum ab æterno genuit, ubi nullum tempus appellari poteſt, quo filius non fuerit: egreſſus enim ejus eſt ab initio, à diebus æternitatis, Mich. 5. verſ. 2.

In corporali hominis nativitate materia eſt, ex qua homo naſcitur, Sap. 7. v. 2. verum in æterna filii Dei generatione tale

Von dir laß mich nicht wancken/
Gib mir Beſtändigkeit/
Dafür wil ich dir dancken/
In alle Ewigkeit.

II *Tanquam eccleſiæ patronus.* Ipſe enim petra illa eſt, de qua in Evangelio ait: ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Ita hæc verba explicat Eſaias, inquiens: Sperate in Domino perpetuo, quia in Domino Dominus eſt petra æterna, Eſa. 26. v. 4. Similiter Paulus, dicens; Petra eſt Chriſtus, 1. Cor. 10. v. 4. Petrus, Act. 4. v. 12. Nec non veteres eccleſiæ Doctores, Hieronymus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, imprimis poſtremus hic præclare dicit: *Super hanc petram, quam tu Petre cognoviſti & confeſſus es, ædificabo eccleſiam meam: ædificabo te ſuper me, non me ſuper te.*

Quia igitur eccleſia tantæ petræ innixa eſt, minus metuere debemus, licet omnia in mundo ſurſum & deorſum ferantur, Pſ. 46. v. 1. ſeqq.

Quando quis iter facit, videtque latrones ſibi imminere, ſi civitatem, vel locum munitum in vicinia habet, feſtinat, quo eo perveniat. Sicut omnis turba Hieroſolymam confluxit ex pagis, cum tempore Joſaphat congregati eſſent filii Moab, & filii Ammon, & cum eis de Ammonitis, ut pugnarent adverſus Joſaphat 2. Chron. 20. v. 1. quod & tempore Maccabæorum factum 1. Mac. 6. v. 57.

Nos quoque *hoſtibus infenſiſſimis undiq; cincti ſumus: ex una parte rugit Diabolus*, ut leo, 1. Pet. 5. v. 8. *ex altera infeſtat nos mundus*, qui totus in maligno poſitus eſt, 1. Joh. 5. v. 19. in nobis bonum non habitat, Rom. 7. v. 18 ſed caro concupiſcit adverſus ſpiritum, Gal. 5. v. 17. quia vero ejuſmodi caſtellum habemus, quod non modo in petra ædificatum eſt: ſed & talem patronum, qui fideles ſuos orphanos non relinquit, Joh. 14. v. 18. Sed murus igneus eſt in circuitu illorum, Zach 2. v. 5. ut non moveantur vehementer, Pſal. 62. v. 3. ideo læto animo eſſe poſſumus.

Simſon habitavit in ſpecu ſilicis Etam, Jud. 15. v. 11. ſexcenti viri Benjamin ſuſtentarunt ſe in petra Remmon, Jud. 20. v. 47. Vide 1. Sam. 24. v. 3.

Sed in majori ſecuritate degimus, quando ad Chriſtum petram ſalutis confugimus tempore neceſſitatis: eſt enim petra æterna, Eſa. 26. v. 4. de qua Eccleſia:

Qui ſperat in Deo bono,
Confuſus haud abibit:
Fultus hoc ſuſtentaculo
Quamvis eum invadit,
Multum mali, nunquam vidi
Talem virum cadentem,
Quem ſpes boni fulcit Dei,
Non deſerit fidentem.

Wer hofft in Gott und dem vertraut/
Der wird nimmer zu ſchanden:
Und wer auf dieſen Felſen baut/
Ob ihm gleich geht zu handen/
Viel Unfalls hie/ hab ich doch nie
Den Menſchen ſehen fallen:
Der ſich verlaſt auf Gottes Troſt/
Er hilfft ſein Gläubgen allen.

Quinque Reges Amorrhæorum abdiderunt ſe in ſpeluncam urbis Maceda, putantes, ibi ſe tutos fore, ſed extracti ſuſpendebantur, Johann. 10. v. 22. Qui vero in Chriſto confidunt, non commmovebuntur, ſed permanebunt, ſicut mons Sion, Pſ. 125.

125.verſ.1. & inferorum portæ non prævalebunt adverſus eum, Matth. 16. Chriſtus enim inſtaurabit, confortabit, roborabit, & fundabit eos, 1. Petr. 5. verſ. 10. ut bonam militiam militent, 1. Tim. 1. v. 18. & omnibus perfectis ſtare poſſint, Eph. 6. v. 13.

III. *Tanquam clavium Dominus*, ideo hîc ad Petrum ait: Et dabo tibi claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.

Quando ædes clauſas intrare volumus, clave illas recludere poſſumus, & ita introïre: Sic *Deus duas domos habet*, altera eſt *domus Eccleſia*, domus Dei vivi, 1. Tim. 3, 15. altera eſt *domus vitæ æternæ*, quæ manufacta non eſt, 2. Cor. 5. v. 1.

Ad utramque *duos claves* ordinavit, alteram, quæ aperit, alteram, quæ claudit: has claves œconomis & diſpenſatoribus ſuis concredidit, qui ſunt verbi præcones, 1. Cor. 4. v. 23.

Clave ſolvente peccatorem mœſtum, cum deſperatione luctantem conſolari, eidemque cœlum recludere poterunt, quod peccatis ejus oppeſſulatum fuit, quo certam ſalutis ſpem ille concipiat, Rom. 8. v. 17.

Clave ligante peccatoribus præfractis cœlum occludere, iisque omnem veniæ ſpem denegare poſſunt, ni reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur, ad ipſius voluntatem, 2. Timoth. 2. v. ult.

Hæc ita *ſpiritualis Eccleſiæ poteſtas* eſt, quam Chriſtus diſpenſatoribus ſuis credidit in ædificationem, & in deſtructionem, 2. Cor. 10. verſ. 7. ideoque ipſe eſt & manet ſolus Dominus clavium, quod vero miniſtri faciunt in nomine ejus faciunt, unde Chryſoſtomus: *Quæ ſacerdotes agunt in terris, ea Deus rata habet in cœlis & ſervorum ſuorum ſententiam confirmat Dominus*, Luc. 10. v. 16.

Hæc magno nobis ſolatio eſſe poteſt. Quia enim quotidie delinquimus, & quidem ſæpe, ut delicta nemo intelligere poſſit, Pſal. 19. v. 13. Optimus Servator noſter nihil ſalutarius ordinare potuiſſet, quam abſolutionem, in qua à peccatis abſolvimur, & cœlum apertum videmus, ante occluſum, velut Stephanus, Act. 7. v. 5. Hæc talis eſt refectio qualis in toto mundo non reperitur. Qui enim benevolum Deum in cœlo habet, cum Aſſaph confidenter dicere poteſt: Quid enim mihi eſt in cœlo? Pſal. 73. v. 25. 26.

Largiatur nobis Deus gratiam ſuam, ut utraque hac clave recte utamur, in ejus gloriam & noſtram ſalutem, per Chriſtum Dominum & Servatorem noſtrum, Amen.

In

In feſto die viſitationis Mariæ.

Evangelium Luc. 1. v. 39. --- 56.

EXORDIUM.

Regum ſapientiſſimus Salomo, habuit olim *frequentiſſimum Gynecæum: fuerunt enim ei uxores quaſi Principiſſæ, ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ*, 1. Reg. 11. v. 3.

Hâc in re Salomo æquitatis lineas transſcendit: Deus enim præceperat Regi, ne haberet uxores plurimas, ne recederet cor ejus, Deut. 17. v. 17. Sed minus ille id obſervavit: verùm ubi fœmellam eleganti formâ vidit, aſſumſit ſibi, dum ſeptingentas Principiſſas, & concubinas trecentas compararverit.

Poſito verò, non plures in univerſum ei uxores fuiſſe, quàm centum & quadraginta, reliquas verò Gynecæum tantum implevisſe, & miniſterio aulico inſerviiſſe, quemadmodum adhuc hodie Imperatores & Reges Gynecæa inſtructiſſima habent, quod nonnulli inde colligere volunt, quia ſcriptum eſt: *Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & virginum non eſt numerus*, Cant. 6. v. 7. attamen & hac in parte modum exceſſiſſet, nec excuſari poſſet. Ideoq; Siracides tale judicium fert, quod gloriæ ſuæ maculam intulerit, Sir. 47. v. 21.

Verùm ad cœleſtem Salomonem, Dominum & Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum optimè applicari poteſt, is feraciſſimum habet Gynecæum, in eccleſiâ in his terris: ad hoc pertinet, obediens Sara, 1 Pet. 3. v. 6. humana Rebecca, Gen. 26. v. 9. Fidelis Rahel, Gen. 32. v. 14. ſeqq. devota Miriam, Exod. 15. v. 20. Diligens Ruth, Ruth. 2. v. 2. Benefica Sunamitis, 2. Reg. 4. v. 9. ſapiens Abigail, 1. Sam. 25. v. 3. modeſta Eſther, Eſth. 2. v. 7. heroina Judith, Judith. 8. v. 18. Conſtans Maccabæa, 2. Maccab. 7. v. 20. in fide firmiſſima Cananæa, Matth. 25. v. 28. piæ Lazari ſorores, Maria & Martha, Luc. 10. v. 39. & quæ harum veſtigiis inſiſtunt, quorum cultus non extrinſecus, in plicatura capillorum, 1. Petr. 3. v. 3. ſeqq.

Veluti autem Salomo ſexaginta Reginas & octoginta concubinas aluit, & tamen ait: *Una eſt columba mea, perfecta mea*, Cant. 6. v. 7. 8. Ita virgo Maria meritò prærogativam habet, quia apud Deum gratiam invenit, & præ omnibus Regiis & principibus virginibus in Judæa, mater Meſſiæ electa eſt. Ideo ait in Magnificat ſuo: *Reſpexit Deus humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatā me dicent omnes generationes &c.* ſicut & Eliſabeth initium fecit, ad eam dicens: *Benedicta tu es inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Et iterum: *Beata es, quæ credidiſti: quoniam perficientur, quæ dicta ſunt tibi à Domino.*

Verùm hinc nondum ſequitur, quod divino cultu & veneratione illa proſequenda ſit, ſicut in Papatu fit: quo fine & feſtum hoc primitus inſtitutum eſt: Hæc enim nefanda idololatria eſt. Nos potius in eccleſiis A. C. in Chriſti gloriam fe-

ſtum hoc celebramus, qui hodie quaſi primam ſuam *Epiphaniam* in utero matris celebravit, ubi tanquam vera lux mundi, matrem ſuam beatiſſimam, Patruum Johannem, & cognatam Eliſabetham illuminavit, ut omnes repleti Spiritu ſancto fuerint, & *Eliſabeth gratulando, Johannes ſaltando*, & *Maria cantando* id publicè oſtenderint. Neque tamen B. Virginis Mariæ planè obliviſcimur, ſed commendamus virtutes ejus, eamq; aliis in Exemplum proponimus. Id majori illi gloriæ eſt, quàm ſi in Papatu ad parietes picta, vel in proceſſione circumlata divino cultu & veneratione afficiatur, & filio Servatori anteponatur, hoc enim ei tantùm debetur, qui dicit: Ego Jehova, Eſa. 42. v. 8.

Nos ad ipſum Evangelium tranſibimus, tractaturi ex eodem:

I. Ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*

II. Χριστογνωσίαν ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

IN prælecto Evangelio proponuntur nobis *duæ præcipuæ fœminei ſexus perſonæ*, V. & N. T. quas Deus ipſe tanti fecit, ut easdem per Archangelum Gabriel inviſerit, ut ſupra communem naturæ curſum lætas puerperas & templa Spiritus ſancti fecerit. Utraque enim prægnans eſt: *altera* ſub corde portat benedictum illud mulieris ſemen, contriturum caput ſerpentis, Geneſ. 3. v. 5. *altera* præcurſorem Meſſiæ, Johannem Baptiſtam, cui Chriſtus ipſe poſteà teſtimonium perhibet, quod inter natos mulierum major non ſit, Matth 11. v. 11.

Ideo conventum hunc non parvi pendere, ſed cogitare debemus, quod Spiritus ſanctus hanc hiſtoriam in totius generis humani, præcipuè verò *coram mundo quidem deſpectarum, at piarum matronarum honorem* conſignari fecerit: ut hic recordari debeant, quod divina Majeſtas eas non abjicere, ſed omni tempore commendatiſſimas ſibi habere velit, non enim apud ipſum maſculorum aut fœminarum eſt reſpectus, Gal. 3 v 28. ſed qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt ei, Act. 10. verſ. 35.

Ad *notitiam noſtri* hic deducemur, ſi ſpectemus:

I. *Mariæ peregrinationem.* Exurgens enim Maria in diebus illis, abiit in montana, cum feſtinatione, in civitatem Juda.

Aliàs in proverbio dicitur, quod virgines peregrinantes non magni æſtimandæ veniant, facilè enim ſibi labeculam aliquam adſpergere poſſunt, ut exemplum Dinæ probat, Gen 34. v. 2.

Verùm B. Maria prægnantes ſuas itinerishujus ſuſcepti cauſas habet, cui ſe accingit, non ex curioſitate, ſed ut fidem ſuam roboraret, ex exemplo agnatæ ſenioris Eliſabethæ, de quâ Angelus dixerat, quod & ipſa conceperit filium in ſenectute ſua, quæ tamen hactenus fuerit ſterilis, ita ut naturaliter nulla proles ab ipſa ſperanda eſſet: Hinc incitata Maria iter hoc ſuſcepit. Utrumque enim ſupra naturam erat, & quod ipſa ſine viri congreſſu filium concipere & parere: & Eliſabetha gravida eſſe deberet, quæ ab omnibus hactenus ſterilis habita fuerat. Hinc cenſebat, ſi hoc ita eſſet, ſe facilius credituram eſſe, in ſe quoque perfectum iri, quæ dicta ſibi eſ-

ſent

ſent à Domino. Fides enim velut candela eſt, quæ niſi oleo alatur, facilè exſtingui poteſt, ideo Dominus nobis ſacram cœnam, velut ſalutiferum aliquod alexipharmacum, ut eâ fidem roboremus ordinavit, hanc ſpernere non debemus, ne ſpernamus conſilium Dei adverſus nos ipſos, Luc.7.v.30.

Hic probent & examinent ſe virgines, annon quandoque ex curioſitate, vel laſciviâ deambulatum iverint, & ad choreas encaniorum properaverint, ubi magis decuiſſet ipſas, ut domi manſiſſent, & rem familiarem curaſſent?

Id non rarò accidit: mundus enim ſemper vitioſior evadit, & ut experientia probat, inveniuntur virgines, an meretrices? quæ aſtutæ, inquietæ & impiæ ſunt, cujus pedes in domo ſuâ non manent, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos inſidiantur, Prov.7.v.11. Verùm non rarò accidit & illud: *Exiit Lucretia, redit Helena.*

Quodſi igitur Chriſtianis virginibus fortè iter aliquod ſuſcipiendum ſit, *Mariæ conforment ſe:*

1. *Ratione propoſiti:* B. Maria cum cognata Eliſabetha conferre volebat, de nuncio, quod ipſi Archangelus Gabriel attulerat, ut ita fidem ſuam roboraret. Ita nos ad ædem Domini recipiamus nos, ubi Deus voluntatem ſuam nobis manifeſtat, nullamq; occaſionem negligamus, quâ fides noſtra firmari poſſit, optimum quippe eſt, gratiâ ſtabiliri cor, Hebr.13.v.9.

2. *Ratione modi*, abiit enim in montana, μετὰ σπουδῆς, cum feſtinatione. Hæc egregia virtus eſt, quæ quidem omnes, fœmineum tamen ſexum præ aliis ornat. Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo: ita piger in lectulo ſuo, Prov. 26, 14. qui verò vigilans & induſtrius eſt, laboris ſui compendium ſentiet, ſicut exemplum Jacobi probat, qui pro fidelitate & diligentiâ ſuâ, ditatus eſt ultra modum, & habuit oves multas, ancillas, & ſervos, camelos & aſinos, Gen.30.v.ult.

3. *Ratione termini*. Abiit enim in montana in civitatem Juda: hæc civitas Sacerdotalis Hebron fuit, uti eruditi autumant, ſicuti inter civitates Sacerdotales filiorum Juda expreſsè recenſetur, Joſ.21.v.11.

Ita loca ſuſpecta adeunda minimè ſunt, ubi ratione doctrinæ & vitæ periclitari poſſumus, vel ſalutis naufragium fieri poteſt, 1.Tim.1.v.19.

Qui igitur ſincerus & ſine offendiculo eſſe vult, is ad civitatem Dei conferat ſe, quæ eſt eccleſia, Pſal.46.v.5. & fugiat omnia ſcandala, ne & ipſe convertatur ad ſtultitiam, Pſal. 85. v.9. Perſtat enim immotum: Cum bono bonus eris, & cum viro innocente innocens eris, cum puro purus eris, & cum perverſo perverteris, Pſal. 18.v.26.27.

II. *Eliſabethæ viſitationem.* Et intravit domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth. Hoc iter ſatis longum fuit, nempe triginta duarum horarum, ut Brocardus ſcripſit, qui ipſe Palæſtinam luſtravit: attamen teneram hanc virgunculam non tæduit iter hoc inſtituere, in gratiam cognatæ Eliſabethæ, idque per pedes, ut Evangeliſta indicat.

Aliàs familiare Judæis fuit, ut non modo maſculi, ſed & fœmellæ & virgines equitarent, ſi iter facere tenerentur. Rebecca inſidebat camelo, cum ſponſus Iſaac ipſi obviaret, Gen.24.v.64.

Axa filia Caleb aſino equitavit, Jud.1.14.

ut &

cem tribus ab ipſo deſciſcerent, 1. Reg. 14. verſ. 8. ſeqq.

Quodſi igitur in his tribus B. Mariam ſequamur, & amicitiam colamus, ejusmodi opus facimus, quod Deo probatur, & hominibus, Sirac. 25. v. 1.

III. *Trimeſtrem commorationem.* Manſit enim Maria cum Eliſabetha quaſi menſibus tribus, & reverſa eſt in domum ſuam.

Hinc apparet, quàm *grata & accepta* ibi fuerit, ſecus enim non tamdiu perſeveraſſet, ſedulitate enim & benevolentiâ ſuâ omne faſtidium exhauſit.

Aliàs noti ſunt triti verſiculi:

> Poſt tres ſæpè dies vileſcit piſcis & hoſpes,
> Nî ſale conditus, vel ſit ſpecialis amicus.

Verùm B. Maria conſtanti benevolentiâ ibi tractata fuit, aliàs tamdiu illam ibi non perſeveraſſe, conſentaneum eſt. Sed & procul dubio officiis & obſervantiâ ſuâ hoſpites ſibi devinxit, & cognatæ Eliſabethæ, quæ ob ſenectutem & vicinum partum rei familiari minus commodè præeſſe potuit, fidelem operam præſtitit.

Hic virgines inſpiciant & probent ſe, utrum & ipſæ, ſi fortè poſt obitum parentum, hoſpitio Procuratorum & conſanguineorum utantur, labores ſubeant, & in re familiari adminiſtrandâ operam ſuam iis locent?

Sanè dignum eſt virginibus, ut officioſi ſint, & matri in œconomiâ manum adjutricem præbeant, id enim quartum præceptum requirit, quod primum eſt (in alterâ tabulâ) in promiſſione, ut bene ſit illis, & ſint longævi ſuper terram, qui illud obſervare ſtudent, Exod. 20. v. 12. Eph. 6. v. 1.

Verùm paucæ inveniuntur: plurimæ diſcunt circumire domos, verboſè & curioſè loquentes, quæ non oportet, 1. Tim. 5. v. 13. aut moliendo & comando ſe, tempus terunt, & laborem cane pejus & angue fugiunt. Imprimis ſi procuratorum & conſanguineorum epulis fruuntur, non putant convenire ſibi, ut in laboribus adjutrices ſint.

Sed meliorem laudem meretur *Rebecca*, quæ licet venuſtiſſima eſſet, & decora nimis, tamen non erubuit hydriam in ſcapulâ ſuâ portare & matri aquam ex fonte apportare, Gen. 24. v. 15 ſeqq.

Rachel filia Jacobi oves pavit, Gen. 29. v. 6. Quod & *filiæ Jethro* Sacerdotis Madian fecerunt, Exod. 2. v. 16.

Id Spiritus ſanctus his virginibus ad æternam gloriam conſignari voluit, ideò matres à juventute eas domus curam habere, docere debent, Tit. 2. v. 4. hoc perneceſſarium eſt: Adoleſcens enim imbutus, juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea, Prov. 22. v. 6.

De Secundo.

TRanſibimus nunc ad *alteram partem*, Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti* meditaturi. Hic nobis contemplandus proponitur:

I. *Tanquam ventris Mariæ fructus*, ait enim Eliſabeth: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.

Hoc ipſo confirmatur Articulus fidei, quem Apoſtoli ſymbolo ſuo inſeruerunt, ubi unanimi conſenſu profitemur, quod Chriſtus Servator noſter, *conceptus ſit de Spiritu ſancto, natus ex Mariâ virgine.* Hæc res magni momenti eſt. Quia enim omne, quicquid ex carne natum, caro eſt, nec pot-

Cccc eſt

eſt introire regnum cœlorum, Joh.3.v.6. Ideo Spiritus ſanctus in conceptione Servatoris virtutem ſuam exeruit, & guttas ſanguineas, ex quibus humana Chriſti natura formanda fuit, in virginali utero Mariæ, ab omni macula carnalis impuritatis ſanctificavit, ut Meſſias ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus concipi & naſci potuerit, ſicut id ad ſalutem nobis neceſſarium fuit, Hebr.7.v.76.

Interea eſt & manet ille naturalis verus homo, & ut pueri communicaverunt carni & ſanguini: ipſe ſimiliter participavit eisdem, Hebr.2.v.14. Qui id non credit, ſeductor eſt, 2.Joh.ep.v.7. Rectè proinde Tertullianus. *Totum pondus Chriſtiani nominis, videlicet mors Chriſti negatur, cum caro Chriſti negatur.* Nos ex animo lætemur, quod Servator noſter non modò verus Deus, ſed & verus homo eſt, *Fructus ventris Mariæ, qui ad liberandum genus humanum non horruit virginis uterum.*

Hoc magnum eſt myſterium. De conceptione ſua ait Job, quod ſicut lac mulſerit ſe Deus, & ſicut caſeum ſe coagulaverit, Job.10.v.10.

Cum Chriſto quidem ſingulare quid accidit, quod *ſine congreſſu viri, inumbratione Spiritus ſancti ex Maria virgine conceptus ſit.* Verùm quod reliquum eſt, formatus eſt ut alius infans. Novem menſes in utero materno fuit, ut alius infans, juſto quoque tempore in lucem editus eſt, ut alius puerulus, *omnia in emolumentum noſtrum.* Per hoc enim immundam conceptionem & nativitatem noſtram ſanctificavit, ut non amplius filii iræ, ut naturâ eramus, Epheſ.2. v.3. ſed filii Dei, hæredes Dei & cohæredes Chriſti ſimus, Rom.8.v.17.

Quando igitur piæ matronæ animadvertunt, quod ſe Deus benedictione conjugali affecerit, recordari debent, quod & Servator noſter fructus ventris Mariæ factus ſit, ideoque ſibi fœtum ſuum, commendatum habiturus ſit. Non enim eſt voluntas ante patrem, qui in cœlis eſt, ut pereat unus de puſillis iſtis, Matth.18.v.14.

II. *Tanquam Maria & Eliſabetha Dominus* Illa etiam ait: Magnificat anima mea Dominum, & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Hæc verò adhuc clarius applicationem facit inquiens: Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me.

Ita noſter quoque Dominus eſt

1. *Jure Creationis*, quia nos cum Patre & Spiritu ſancto fecit populum, & oves paſcuæ ejus, Pſal.100.v.3. In principio namq; erat verbum, Joh.1.v.1.3.

2. *Jure Redemtionis.* Nos propter peccata fuimus ſub poteſtate tenebrarum, Col. 3.v.13. Hebr.2.v.15. ſed Chriſtus pretio nos emit magno, 1.Cor.6.v. o. non corruptibili auro & argento: ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati, 1.Petr.1. v.18. ut ſimus peculium ejus, ſervientes ipſi in juſtitiâ & ſanctitate, Luc.1.v.74.

3. *Jure Sanctificationis.* Sicut enim Pater-familiâs, quando ſervum conducit, ei arrham dat: ſic & Dominus Spiritum ſanctum effudit ſuper Apoſtolos, Act.1.v.4. nosq; adhuc hodie eo ſignat, in diem redemtionis, Eph.4.v.30. ut non modò ſciamus cui credamus, ſed & certi ſimus, quod poſſit depoſitum noſtrum cuſtodire in diem illum, 2.Tim.1.v.12. Hinc vocatur ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν, Epheſ.1. verſ.14.

Hoc nomen majeſtaticum debetur ei, cum

cùm quoad divinam, tum quoad humanam naturam. Quoad divinam naturam *Dominus natus* eſt, coëſſentialis patri & Spiritui ſancto, & coæqualis in potentiâ, Majeſtate, & gloriâ. Ipſe enim & pater unum ſunt, Joh. 10.v.30. Quoad humanam verò naturam *Dominus eſt factus*, ut Petrus teſtis eſt, Act.2.v.36. ſuper omnia enim dominatur, Eph.1.v.22. etiam in medio inimicorum ſuorum, Pſal.110.v.2.

Quemadmodum igitur aliàs terrenus Dominus obſequentes ſibi ſervos diligit, & ab injuria tuetur: reliquos verò, qui obſtinati ſunt, punit & in ira dividit, Luc. 12. v. 42. ſeqq. Ita nomen hoc in nobis excitare debet:

1. *Confidentiam.* Gentes fremant, Reges terræ adſiſtant, & Principes conſultent ſimul adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus, Pſal.2.v.1.2. Nos à minis eorum minus metuimus, Dominus enim, cui nos ſervimus, facilè ipſis reſiſtet, millia millia miniſtrant ei, & decies centena millia adſiſtunt ei, Dan.7.v.10. Vindictam ejus omnes creaturæ exequi tenentur, Sir. 40. verſ.37.

2. *Providentiam*, quod ſi Dominus hîc nos à peccato, morte, diabolo & inferno redimere, & in tutelam ſuam recipere debeat, noſtrum erit videre, ut Dominus noſter ſit, ſicut Maria & Eliſabethæ in individuo eum ſibi applicant. Hoc fit, quando verâ fide eum apprehendimus, & meritum ejus nobis in ſpecie applicamus, dicentes cum Thoma: Dominus meus, & Deus meus, Joh.10.v.28. fides enim eſt *mendica manus*, teſte Gregorio, quâ Dominum hunc apprehendimus, ad exemplum Jacobi: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi, Gen.32.v.26. Ita nobis donabit, quod nobis acquiſivit, oculi enim ejus reſpiciunt fidem, Jer.5.v.3.

3. *Reverentiam.* Filius enim honorat patrem ſuum, & ſervus Dominum ſuum, Mal.1.v.6.

Maria omnia beneficia ſibi præſtita, non ſibi, ſed Domino accepta refert. Alia mens filiis hujus ſeculi eſt, qui omnia arti & ſapientiæ ſuæ adſcribunt, adeoq; reti ſuo ſacrificant, & thymiama adolent ſagenæ ſuæ, Hab.1.v.16.

Notum eſt illud Adriani Papæ: *Trajectum plantavit, Lovanium rigavit, ſed Cæſar dedit incrementum.* Cui non immeritò quidam ſubſcripſit: *Hic Deus nihil fecit.*

Hoc adhuc hodie ſubinde in mundo fieri amat, ut homines ingrati Domini ſui obliviſcantur, cum tamen omne datum optimum, & omne bonum perfectum deſurſum ſit, Jac.1.v.17. Joh.3.v.27. ideò hanc temeritatem fugiamus oportet, oculos levantes in montes, unde venit nobis auxilium, Pſal.121.v.1. dicentes cum Davide: Non nobis Domine, non nobis, Pſal. 115. verſ.1.

III. *Tanquam infantium ſanctificator optimus.* Exemplum habemus in Johanne Baptiſta, de quo Evangeliſta memorat, quamprimùm vox ſalutationis Mariæ in auribus Eliſabethæ facta eſt, quod exſultaverit infans in gaudio in utero ejus. ἐσκίρτησε in Græco eſt, quod eſt ſubſaltavit, unde Nazianzenus ſaltationem hanc σκίρτησιν vocat, quæ aliàs pueris in utero latentibus non convenit.

Septuaginta quidem interpretes hâc voce quoque utuntur, in Bibliis Græcanicis de duobus fratribus Jacob & Eſau, qui colliſi

liſi ſunt in utero, Gen. 25. v. 22. Verùm magno cum diſcrimine. Hic enim unus ſaltem ſaltat, ibi autem duo colliduntur: ibi ſignificantur duo diverſi populi, hic verò uno ſaltu excipitur ille Dominus, qui duas diverſas gentes redunire, & parietem maceriæ ſolvere debebat, qui dividit eas, Eph. 2. v. 14.

De Davide memoratur, quod *tripudiaverit totis viribus, coram Domino ante arcem fœderis*, cum illa è domo Obed-Edom in civitatem David translata eſt, 2. Sam. 6. v. 14. Sic & mulieres Iſraëliticæ *choreas duxerunt*, poſtquam David Goliathum proſtraverat, 1. Sam. 18. v. 6. Sed hic peculiaris ſaltus indigitatur, quem Johannes in utero edidit, *propter præſentiam Domini*, ut Lyra ait, cujus Prodromus eſſe debebat. Adveniente enim corpore, umbra ceſſare debebat, Col. 2. v. 17.

Quamvis igitur hoc non omnibus infantibus contingat: attamen ex hoc exemplo patet, quod *Deo impoſſibile non ſit, fidem in infantibus operari*, qui adhuc in utero concluſi ſunt, ſi fortè non vivi lucem intueantur, & à Baptiſmo prohibeantur, quem Chriſtus lavacrum regenerationis inſtituit, *non* enim *privatio, ſed contemtus damnat*. Ideo Chriſtus ait: Qui credit & baptizatur, ſalvatur, ſed in altero Aphoriſmo baptiſmus omittitur: Qui verò non credit, condemnabitur, Marc. 16, 16.

Nonne *latro in cruce* ſine Baptiſmo juxta promiſſionem Chriſti in paradiſum tranſlatus eſt? Luc. 23, 43.

Quot putatis infantes in V. T. mortuos, ante diem octavum, quo juxta Dei mandatum demum circumcidebantur, Geneſ. 17. v. 12. Quis verò eosdem damnabit? Potius David de filiolo ſuo ante octavum diem defuncto, & incircumciſo ait, quod vaſurus ſit ad eum, hinc conſtat, quod de ſalute ejusdem minimè ille dubitaverit, 2. Sam. 12. v. 18. 23.

Huc pertinent *pueruli Hebræorum*, quos Pharao in aquas mittere & ſuffocari juſſit, Exod. 1. v. 22. Item *pueruli illi, qui in deſerto per quadraginta annos nati, & in itinere circumcidi non potuerunt*, quorum ſine dubio multi occubuerunt, Joſ. 5. v. 5. Confer, 1. Maccab. 1. v. 63. 2 Maccab. 6. verſ. 10.

Quodſi igitur infantes Judæorum incircumciſi ſalvati ſunt, licet Deus dixerit: Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur, Gen. 17. v. 14. Nos pari ratione de infantibus Chriſtianorum non baptizatis aſſeverare poterimus, qui nimirum baptiſmo ex neceſſitate privantur, quod hæredes ſalutis ſint, licet Chriſtus ait: Niſi quis renatus fuerit ex aquâ, &c. Joh. 3, v. 3.

Deus enim non ſe, ſed nos ſacramentis adſtrinxit, quin & extraordinariè fidem in infantibus operari poteſt, nec plaſma ſuum perdere vult, Job. 10. verſ. 8. Cumprimis, quando *Chriſtiani parentes, quæ officii ſui ſunt, faciunt*, & fœtum ſuum, quo à Deo benedicti ſunt, fideli precatione Deo commendant, ibi ſanè *impoſſibile eſt, filium tot lacrymarum perire*, ut Ambroſius de Auguſtino, per preces Matris Monicæ Deo tradito, dixit. Et ſi Chriſtus fidem bajulatorum, qui paralyticum ad eum detulerunt, reſpexit, Matth. 9. verſ. 2. Quidni magis fidem & orationem parentum? Omnia ſiquidem ſanctificantur per orationem, 1. Timoth. 4. verſ. 5.

Hoc

Hoc ſolatio confirment ſe pii parentes , ſi forte à Deo hac cruce affligantur,nec dubitent,quin hæredes ex aſſe liberi ſui ſint æternæ ſalutis.

Caveant modo ne deſtinato conſilio vel ex contemtu quicquam in ardua hac re negligant,& tota res erit in vado ; quin potius infantes hos ſuos aliquando læti recuperabunt,ut cum iisdem imperterriti coram tribunali Chriſti comparere & dicere poſſint: Ecce , ego & pueri , quos dedit mihi Dominus,Eſa.8.v.18.&in æternum cum iisdem lætabuntur.

Id quod ita his parentibus concedere dignetur,Deus ter Opt. Max. per & propter Chriſtum, Servatorem & Dominum noſtrum,Amen.

* * *

In feſto die Jacobi majoris Apoſtoli.

Evangelium Matth. 20. v. 20. --- 28.

EXORDIUM.

DE Rebecca refertur , quod illa valde ſolicita fuerit, de filio ſuo Jacobo , eumque inſtruxerit, quomodo Eſavum prævenire, eique benedictionem patris Iſaac, quæ ipſi, velut primogenito conveniret , præripere deberet. Et tanto quidem fervore id egit,ut cum Jacob vereretur patrem fallere, illa dixerit : In me ſit maledictio , fili mi, Gen.27,6.13.

Exemplum eſt materni amoris & ſolicitudinis , quale quoque habemus in prælecto Evangelio,*hoc* tamen *cum diſcrimine , quod Rebecca voluntatem Dei pro fundamento habeat*,& recordetur adhuc , quod Deus de gemellis ejus dixerat,cum adhuc prægnans eſſet,nempe, major ſerviet minori , Gen. 25.v.23. Eo reſpiciens illa , Dei intentionem promovere ſatagebat,ne fieret, quod Iſaac intenderet,ſed ut impleretur verbum Domini,de quo manifeſtam promiſſionem habebat,quod minor majori præponendus foret.

Ex adverſo vero,mater filiorum Zebedæi locum ſuperiorem ſolicitabat in regno Chriſti terreno,quod falſo opinabatur,eum erecturum eſſe , ſine ejus mandato , imo contra voluntatem ejus.Subinde enim jam inculcaverat , filium hominis non veniſſe miniſtrari,ſed miniſtrare,& dare animam ſuam redemtionem pro multis,Matth. 20. v.28. Unde etiam , cum populus, quem miraculoſe cibaverat , rapere & Regem ſe facere vellet,honorem eum non acceptabat : ſed fugiebat iterum in montem,ipſe ſolus,Joh. 6.v. 15.

Utrinque fœminea infirmitas conſpicitur: quamvis enim Rebecca in eo non deliquerit,quod Jacobo,præ Eſavo benedictionem paternam procuraverit : attamen *modus procedendi* iniquus eſt, potuiſſet enim alio modo rem inſtituere, & nihilo minus ſcopum ſuum obtinere , manifeſta enim lex eſt : Ne mentiaris,nec decipias proximum tuum , Exod. 10.verſ.16. Mater vero filiorum Zebedæi in hoc aberrat, quod à Chri-

Chriſto temporalem dignitatem & gloriamconſequi geſtit,qui tamen regnum mundanum non inchoare : ſed in monte Sion regnare,& ſpiritualis rex eſſe debebat,ſicut de eo prædictum, Pſal.2.v.6.

Nos ſine ulteriori præloquio ad ipſam Evangelii tractationem nos conferemus, meditaturi ex eodem:

I Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*
II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J.J.

Exegeſis.

JAcobus idemeſt , ac *ſupplantator* : Juſte vocatum eſt nomen ejus Jacob , ſupplantavit enim me in altera vice,ait Eſau de fratre Jacobo,Gen.27,36.

Hodie De ApoſtoloJacobo ſermo nobis incidit,non de Minore , filio Alphæi, cujus memoria jam tum primo Maji in Eccleſia celebrata fuit: ſed de Majore , ſiquidem expreſſe filius Zebedæi ille appellatur. Interea & ipſe quicquam de Jacobi genio habet,quod ſupplantationem attinet, quia enim ipſe cum matre ſua in falſa illa perſuaſione erat,Dominum poſt reſurrectionem ſuam,de qua modo prædicaverat,terrenum regnum incepturum eſſe,ideo inter ſe conſentiunt,quod reliquos Apoſtolos antevertere velint, in tempore ſuperiorem locum ambituri. Sed multo melius feciſſent , ſi affectus hoſce ambitioſos ſupplantaſſent,& humilitati operam dediſſent , ut pluribus mox indicabitur:

Ad *Notitiam noſtri* nobis viam monſtrabit:

I. *Matris ambitio.* Acceſſit enim ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis,adorans,& petens aliquid ab eo. Sine dubio præoccupando hunc circiter in modum dixit: Mi Domine , habeo petitionem ad te, oro, ne mihi eandem deneges. Servator: Quid vis ? Reſpondet illa : Dic , ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam,& unus ad ſiniſtram in regno tuo Hic audimus , quid Salome in votis habuerit? nempe præcipua officia & primatum,in regno, quod ſibi imaginabatur Chriſti terreno, intendit & quæſivit. Marcus recenſet,quod filii Zebedæi, Jacobus & Johannes immediate petitione hac Chriſtum rogaverint , & quidem ſatis pro imperio : Magiſter, volumus, ut quodcunque petierimus , facias nobis, Marc.10.v.35. Hinc colligere eſt, quod principio quidem matrem ſubornarint , putantes, quia Chriſtus ei non male cuperet, cui & cognatione juncta erat,(Joſephus enim pater Chriſti putativus, fuit ejus frater Germanus) non eum preces ejus ſupplices ſpreturum; verum poſtquam vident,fruſtra eam ſupplicare , ipſi animi ſui ſenſa exprimunt. Non enim ignorabant, quod Chriſto præ aliis grati & accepti eſſent , ſicut eosdem non modo ſingulari nomine Bnehargem, h.e. filii tonitrui inſignaverat , Marc. 3. v. 17. ſed & ad multa arcana, præ aliis diſcipulis adhibuerat. Interfuerunt transfiguratiotioni Chriſti in monte Thabor, Matth. 17. v.1. Cum eo fuerunt in ædibus Jairi, ubi defunctam ejus filiam reſuſcitavit , Matth.9. v. 19. adfuerunt ei in horto Oliveti , ubi factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis , decurrentes in terram , Luc. 22. verſ. 44. ideo non dubi-

tant,

tant, quin ſe Chriſtus quoque præ aliis in rego ſuo extollere velit, ingenti fiducia dicentes: Volumus,ut quodcunque petierimus, facias nobis.

Hic inſpicias velim te, mi Chriſtiane! annon & ipſe hujusmodi ingenio ſis, ut ambitioſis cogitationibus altiora contra verbum Dei affectaveris?

Hoc omnibus nobis naturaliter innatum eſt. Sicut enim Protoplaſti noſtri non contenti ſorte ſua erant, ſed deſiderabant creatori ſuo æquales eſſe: ita hoc virus propagarunt in poſteros ſuos, ut ſemper plus ultra cogitemus, & altiora affectemus, ponimus in cœlum os noſtrum, Pſal.73.v.9.

Verum *vitium eſt turpiſſimum*, ortum ex ſerpentis ſemine, quod Satanas per lapſum cordibus noſtris inſevit, ut multi donis ſuis ſuperbiant, exiſtimantes ſe aliquid eſſe,cum nihil ſint,Gal.6.v.6.3. dicentes: Ego ſum,Soph.2.v.15.

Exempla ambitionis ſunt, *Abſolon*,2.Sam 15.v.1.ſeqq. *Nebucadnezar* Dan. 4. v. 27. *Haman*,Eſth.3. v. 5. *Herodes*, Act. 12. verſ.21.

Hac ambitione laboravit quoque *Alexander M.* cum enim puer adhuc eſſet, patre res ſuas geſtas prædicante, dicebat: *Nihil mi reliquum faciet pater?*

Quomodo *Pontifex Romanus* in templo Dei tanquam Deus ſedeat, & extollat ſe ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, oſtendatque ſe,tanquam ſit Deus, 2.Theſſ. 2.v.24.notius eſt,quam ut hic recenſeri pluribus debeat.

In vita communi quoque ,inveniuntur non pauci,qui hoc vitio pereiti ſunt, ut ſemper alta ſapiant,& præ aliis eminere cupiant.

Sed quare ſuperbis homo,qui terra es & cinis,Sir.10.v.9.13.

Genuini Chriſtiani hoc vitium fugere, & magis *humilitati ſtudere* debent, quæ omnibus palmam præripit: quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, 1.Pet.5.5.

Ubi eſt ambitioſus Lucifer? Dicebat quidem in corde ſuo: Adſcendam in cœlum, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſimilis ero Altiſſimo. Verumtamen ad infernum detraheris, ad latus laci, Eſa.14. verſ.15.

Ubi faſtuoſus Pharao, qui ſine metu dicebat: Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus? Exod.5.v.2. fluctibus involutus & opertus eſt,& memoria ejus periit,Exod. 14.v 27.

Ubi ſuperbus Sennacherib,qui miſſo Rabſace cum exercitu magno Judæis annunciare juſſit: Non ſeducat vos, Ezechias, quia non poterit eruere vos,Eſa.36.v.15.Egreſſus eſt Angelus Domini & percuſſit in caſtris ejus centum octoginta quinque millia,& percuſſus à filiis, cum adoraret in templo Neſrach Deum ſuum Eſa.37.verſ. 36.37.

Ita verum eſt, quod Salomo ait: Superbiæ pediſſequa interitus, Prov. 16. v.18. Fili,igitur,in manſuetudine opera tua perfice,Sir.3.v.19.21.

II. *Denegata petitio.* Reſpondens enim Jeſus,dixit: Neſcitis,quid petatis, q. d. putaſſem equidem, plura vos in ſchola mea didiciſſe, quam ex petitione veſtra intelligo. Regnum meum non eſt de hoc mundo

mundo, Joh.18.v.36. ideoque nullis indigeo mundanis officialibus. Quid igitur vos dicitis, de ſeſſione ad dexteram & ſiniſtram meam, ut eam vobis concedam? Neſcitis ſane, quid petatis.

Hic examines velim te, an & ipſe ita precatus fueris, ut te Deus ad dignitates in mundo evehere, & ſuper alios extollere velit?

Equidem ad honores adſpirare, & à Deo honoris gradum petere, non improbandum videtur: attamen ſemper cum hac conditione id fieri debet, ſi ſaluti noſtræ non obſit. Et tunc, ſi Deo commodum, non uno modo poteſt erigere de pulvere inopem, & de ſtercore exaltare pauperem, ut collocet eum cum principibus, Pſal.113.v.7.8. ut exempla Joſephi, Gen.41.v.40. Eſther, Eſth.2.v.17. Mardochæi, Eſth.6, 10. Danielis, Dan.6.v.ult. & aliorum probant. Non minus & adhuc facile idem præſtare poteſt, dicendo huic vel illi, amice adſcende Luc.14. v. 10. noſtrum tantummodo erit tempus & fortunam expectare, Eccl.9.v.11. Quando igitur ipſi non placet, æquo animo id feramus oportet, *ac media prohibita non arripiamus ad hos ipſos extollendos*, aut *per Nominativum*, famam nobis comparando per flagitioſa facinora, ſicut Heroſtratus ideo templum Epheſinum incendit, in cujus exſtructione univerſa Aſia ducentos & viginta annos occupata fuerat. Aut per *Genitivum*, ut multi per cognitionem & affinitatem promotione potiuntur, qui tamen indigni prorſus ſunt, quo medio & hi Apoſtoli πρωτοκαθεδρίαν ſe conſecuturos eſſe ſperant. Sive *per Dativum*, ſeu per donaria, ſicut Jaſon Antiocho promittebat, argenti talenta trecenta ſexaginta, & ex reditibus aliis, talenta octoginta, ſi ſibi ſummum ſacerdotium concederet, 2 Mac. 4.v.8. ſeqq. Sive *per Accuſativum*, per virulentam accuſationem & calumnias, quo modo ſervus Mephiboſeth Ziba Domini ſui bona ad ſe transtulit, 1.Sam.16.v.1. ſeqq. ſive *per Ablativum* & tyrannidem, ſicut Abimelech ſe Regem fecit, occiſis ſeptuaginta fratribus ſuis, ſuper unum lapidem, Jud.9. verſ. 5.

Hoc merito improbandum eſt, quia verbo Dei è diametro repugnat: *Vocativum expetemus*, dum nos ipſe Deus promoveat, quod non fit nobis volentibus, ſed in tempore viſitationis Dei, 1.Pet.5 v.6.

Peccatur igitur hic *ſemel in exceſſu*, ab iis, qui ſeipſos variis machinationibus ingerunt, ſicut Abſolon dicebat: quis me conſtituat judicem ſuper terram? 2. Sam. 15.v.4. *Deinde in defectu* ab iis, qui omnes honores, quamvis ſibi oblatos, repudiant, ſicut Saul apud vaſa ſe abſcondidit, cum in Regem Iſraelitarum eligeretur, 1.Sam.10. verſ. 22.

Quomodo Ammonius, Syneſius, & Ephremus Anachoreta Epiſcopatum ſubterfugerint, ex Hiſtoria Eccleſiaſtica conſtat.

Utrimque reprehenſione dignum eſt. Verum

— *Medio tutiſſimus ibis.*

Ideo bonum eſt cum ſilentio, ſalutare Dei, Thren.3.v.26. *Honores in prima quidem facie videntur honores, revera autem non ſunt honores, ſed miniſteria*, ait Chryſoſtomus. Et recte Poeta ait:

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intra
Fortunam debet quiſque manere ſuam.

Hu-

Humiles valles pluvia humectantur: at altos montes fulmina feriunt.

Qui jacet in terra, non habet unde cadat.

Quod vero hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum, Luc.16,15.

III. *Chriſtianorum conditio*, de qua ita Servator ait: Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum, & baptizari baptiſmate, quo ego baptizabor? Hoc allegorice dictum eſt, ubi Servator duabus ſimilitudinibus oſtendit, quid illi, qui ſequuntur ſe, in regno ſuo expectare debeant.

Primum ſimile deſumtum eſt à poculo ambulatorio. Quemadmodum enim qui convivium instruxit, poculum hoſpitibus proponit, quod omnibus circulatorie exhauriendum venit: Ita & Chriſtus in Eccleſia convivium lautum apparavit in eccleſia ſua, convivium pinguium, convivium vini defecati, Eſa.25.v.6. ubi *duplicem calicem propinat, omnibusque exhauriendum infundit, primo calicem benedictum*, in quo nobis ſanguinem ſuum ad bibendum exhibet, 1.Cor. 10.v.16. *Deinde calicem crucis*, de quo David, Pſal.79.v.9.

Nos eundem minus ſubterfugere debemus, eſt enim:

1. *Potio manſueta*, ideo calix dicitur, non amphora, non vas, nec capula, aut urnarium, quod modum juſtum excedat: ſed calix, qui cuique ex proportione infunditur, ne ultra modum urgeatur, caſtigabo te in judicio, ut ne videaris tibi innoxius, Jer.30.v.11.

2. *Potio ordinata*, quam Chriſtus cuique propria manu infundit & propinat. Diabolus ſine voluntate Dei ne gry quidem nocere nobis poteſt: ſed bona & mala, vita & mors, paupertas & divitiæ à Deo ſunt, Sir. 15.v.14. qui fidelis eſt, nec patitur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, 1. Cor.10.v. 13. Præterea & ejusmodi potio eſt, quæ nobis emolumento eſt. Sicut enim alias exultatio animæ & cordis vinum moderate potatum, Sir.31. v.36. Ita & ſalutifera hæc crucis potio, nil niſi lætitiam gignit apud pios Chriſtianos, ut omne gaudium exiſtiment, ſi in tentationes varias inciderint, Jac. 1.v.2. & cum Paulo dicere poſſint: Scio, quia hoc mihi proveniet ad ſalutem, per veſtram orationem, Phil.1.v.19.

3. *Potio conſecrata*, equidem ab ipſo Chriſto in paſſione ſua, unde ille hîc quærit: Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? & indicat, quod in hoc mundo multæ tribulationes & ærumnæ ipſis ſint ſuſtinendæ. Verum ſe illis exemplo ſuo præiturum, & crucis calicem conſecraturum, quo majori fiducia ſe ſequi poſſint. Scite Auguſtinus: *Amarum poculum prius bibit medicus, ne bibere timeret ægrotus.* Nullum venenum eſt in illo amplius: Servator majori ex parte epotavit illud, & quod reliquum eſt, ita ſanctificavit, ut Deum diligentibus in bonum cooperetur, Rom.8.v.28. 1.Cor. 11.v.32.

Sic, dilecti! crucis calicem oculis fidei intueri & contemplare debemus. Ambulat ille ſecundum ſeriem, nemo ſe hîc excipere unquam poterit. Bibit pater Abraham, biberunt omnes Prophetæ, biberunt omnes Apoſtoli: Nos igitur eundem minus ſubterfugere debemus, ſed quilibet cum Elia dicat: Non melior ſum, quam patres mei, 1. Reg.19.v.4. *Qui exceptus eſt à paſſione flagellorum, exceptus à numero filiorum*, ait Chryſoſtomus, h. e. ut Paulus idem explicat: Si extra diſciplinam eſtis, ſpurii & non filii eſtis, Heb.12,8.

Alterum ſimile deſumtum eſt à Baptiſmate lavatorio: poteſtis, quærit ille, baptizari baptiſmate, quo ego baptizabor? eoque iterum paſſionem & mortem ſuam reſpicit, quam expreſſe baptiſmum vocat, inquiens: Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur, Luc. 12. verſ.50.

In ſcriptura non infrequens eſt, *quod per aquas & fluctus omnis generis afflictiones & perſecutiones indigitantur.* Vide Pſal.18.v.17. Pſal.69.v.2.3. Pſal.93.v.4.

His Servator paſſionis tempore immerſus eſt, ideo conqueritur de torrentibus Belial, qui ipſum conturbaverint, Pſal.18.v.5. Et diſcipulis ſuis ſimiliter de baptiſmo crucis prædicat, quem ſuo exemplo ſubire teneantur, juxta communem illam regulam: Si quis vult poſt me venire, abneget ſeipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me, Matth.16.v.24.

Id omni tempore parati expectemus oportet. Quemadmodum enim Iſraelitæ, quamprimum de aqua petræ biberant cum Amalec pugnare cogebantur, qui ipſis viam ad palæſtinam intercludere intendebat, Exod. 17.v.8. Ita & nobis, quando aqua petræ ſalutis, qui Chriſtus eſt, 1. Cor. 10. v.4. conſperſi ſumus, infernalis ille Amalec pugnam indicit, cum quo pertotam diem h.e. omnem vitam noſtram pugnare cogimur, Job.7. v.1. Chriſtus enim Rex crucis eſt, qui per paſſionem & mortem intravit in gloriam ſuam, Luc.24.v.26. In baptiſmo vexillo ejus ſanguineo quaſi ſacramentum dicimus, ideo non inique ferre debemus, quando cum eo eandem fortunam ſubire cogimur. *Baptiſmus aqua in verbo, & baptiſmus crucis individua* ſunt, & qui Chriſtianus eſſe vult, cum ſtigmatum crucis non pudere debet, Gal. 6. v. 17. alias ipſo dignus non eſt, Matth. 10.v.38.

Sed & hoc ſolatium non manet, quod ſicut fluctus maris à Deo derivantur, qui mare conturbat, ut intumeſcant fluctus ejus, Eſa.51.v.15. ita ſine voluntate ejus nihil adverſi nobis obtingere valeat. Non enim malum eſt in civitate, quod non faciat Dominus, Amos.3.v.6. ideo comoderatius quoque id ferre poſſumus, cum Davide dicentes: Elevarunt flumina Domine, &c. Pſal.93.v.4.5.6.

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alteram partem*, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti*, contemplaturi. Qui commendatur nobis:

I. *Tanquam manſuetiſſimus increpator.* Hic duos hos diſcipulos non modo enormiter errare audimus, dum Chriſtum terrenum regnum inchoaturum putant, in eoque terrenis officialibus indigere: ſed tanta ambitione quoque incenſi ſunt, ut primum dignitatis gradum præ omnibus aliis affectent: Ratione hujus errati non levem correctionem meriti fuiſſent: attamen Servator cum manſuetudine eosdem corrigit, inquiens: Neſcitis, quid petatis.

Nobis hoc *ſolatio eſſe debet*, *ne deſperemus, ſi & ipſi forte ex infirmitate humana in delicto aliquo praeoccupati fuerimus*, Galat.6. v.1. ſiquidem nullo momento extra diſ-

ori-

crimen ſumus, quia & ſepties juſtus in die cadit, Prov.24.v.16.

Jeſus noſter, qui reſpectu imbecillitatis diſcipulorum patientia uſus eſt, non ſtatim abjiciet nos, ſi forte ex infirmitate deliquerimus, quoniam ipſe novit figmentum noſtrum, Pſal. 103. v. 14. ideoque calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet, Eſa.42.v.3.ſed ex gratia peccata teget, nec ad damnationem imputabit, Pſal.42.v.2. Hinc Micha admirabundus clamat: Quis Deus ſimilis tui &c. Mich.7.v. 8.

Nos *veſtigiis ejus inſiſtentes*, infirmos in fide aſſumere debemus, Rom. 14.v.1. ita, ut eos inſtauremus ſpiritu lenitatis, Gal. 6.v.1. Jacob.5. v 19. 20.

Gideon Midianitos invaſurus dixit ad milites ſuos: Quod me facere videritis, hoc facite, Jud.7.v. 17.

Ita cœleſtis Gideon nobis quaſi ante oculos verſatur, & quemlibet, qui ſub vexillo ſuo militat, hac quaſi voce inclamat: *Quod me facere videritis, hoc facite*, id alibi ſic effert: Diſcite à me, quia manſuetus ſum & humilis corde, Matth. 11.v.29. hæc ſuprema nobis lex eſto: Qui enim dicit, ſe in ipſo manere debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare, 1.Joh.2.v 6.

Ipſe fuit mitis, qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti juſte. 1. Petr.2.v.23. Idem & nobis faciendum eſt, nulli malum malo reddentes, ne vincamur à malo, ſed vincamus in bono malum, Rom.12.v.17.ult. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram, Matth. 5.v.5.

Ipſe fuit humilis corde, & quamvis in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt, æqualē Deo eſſe, ſed ſeipſum exinanivit, uſq; ad mortem, mortem autem crucis, Phil.2,7. Id & nos imitemur oportet: quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, 1.Petr. 5.v.5. Hoc coram Deo & hominibus probabitur, Sir.25. v.1. impletur enim lex Chriſti, Gal.6.v.2.

II. *Tanquam fideliſſimus informator.* Diſcipuli opinabantur, Chriſtum ſe ad terrenas dignitates evecturum eſſe, & alterum ad dexteram, alterum ad ſiniſtram ſuam conſtituturum. Verum Servator ejusmodi regnum plane ignorat. Etſi enim Rex Regum eſt, Apoc. 19. v. 16. portans omnia verbo virtutis ſuæ, Heb. 1. v. 3. & ejusmodi poteſtate pollet, ut omnia quæcunque velit facere poſſit, in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis, Pſal. 135. v.6. attamen hoc regnum per diſcipulos ſuos adminiſtrari nolebat: ſed alios ad hoc deſtinarat, unde expreſſe ait: Reges gentium dominantur eorum: & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic, Luc.22.v.25.

Regnum vero, quod per ipſos propagatum ibat, ſpirituale eſt, non eſca & potus, ſed juſtitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto, Rom. 14. v. 18. ideo ſubinde in N T. regnum cœlorum dicitur, Matth. 20. verſ.1.

Hoc regnum adhuc hodie in Eccleſia adminiſtrat per miniſtros & legatos ſuos, velut caput eccleſiæ ſuæ, Epheſ. 1. verſ. 22. non externa vi, ſed per verbum & ſacramenta, hæc virga directionis ſunt, Pſalm. 45. verſ. 7. Beatus, qui per hanc

Digitized by Google

ſe regi ſinit, & huic Domino ſervit, in juſtitia & ſanctitate coram ipſo, Luc. 1. v. 75. fruetur enim ille privilegiis & immunitatibus illis, quæ Chriſtus omnibus regni ſui conſortibus acquiſivit, ut ſunt, juſtitia, quæ coram Deo conſiſtit, Rom. 10. v. 3. ut & ſpiritualis pax conſcientiæ, Joh. 14. v. 27. & vita æterna quam Deus repromiſit diligentibus ſe, Jac. 2. v. 5.

Igitur aliquando cum Chriſto in regnum gloriæ introire cupientes, & cum eo regnare mille annos, Apocalypſ. 20. v. 5. ante vera eccleſiæ militantis membra eſſe, & calicem crucis bibere, nec non baptiſmum crucis ſuſcipere tenemur, Fidelis ſermo: nam ſi commortui fuerimus, & convivemus. 2. Tim. 2, 11.

Quodlibet regnum leges & ſtatuta ſua habet, quæ ſubditi ſequi tenentur: Ita & hic Rex in regno ſpirituali, nobis tanquam ſubditis ſuis peculiares leges & ſtatuta, præſcripſit, quæ obſervare tenemur. Quicunque enim hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos & miſericordia, Gal. 6. v. 15. quod enim hic per fidem habeat, ibi per ſpeciem videbunt, 2. Corinth. 5. verſ. 7. Quando Chriſtus ſpirituale hoc regnum tradet Deo & patri, 1. Cor. 15. v. 24. & aliud regnum ordietur, in qua fides & prophetia ceſſabunt, caritas autem permanebit, 1. Cor. 13. v. 13. tum nullis concionibus & ſacramentis amplius indigebimus, ſed à Domino docti erimus, Eſa. 54. v. 13. cognoſcentes eum à minimo, usque ad maximum, Jerem. 31. verſ. 34.

III. *Tanquam decreti paterni obſervator.* Eo ſpectat reſponſum, quod his ſupplicantibus dat: Calicem quidem meum bibetis, & baptiſmate, quo ego baptizor, baptizabimini: ſedere autem ad dextram meam & ſiniſtram, non eſt meum dare vobis: ſed quibus paratum eſt à patre meo.

Hoc non ita intelligendum eſt, ut Arriani id explicarunt, quaſi Chriſtus non omnia dare poſſit, quæ ab ipſo petimus: Eſt enim Dominus ſuper omnia, Act. 10. v. 36. Sed *ut illi petebant, ſic & Chriſtus illis reſpondet*, & innuit hoc ipſo, non ſe à patre miſſum eſſe, ad terrenas dignitates iis diſtribuendas, quos non ad dominandum ſed omnibus ſerviendum deſtinarat. Sunt etenim diverſi ſtatus in hoc mundo, qui confundi non debent: ſed unumquemque ſicut vocavit Deus, ita & ambulet, 1. Cor. 7. v. 17. Quicunque igitur altiorem dignitatis gradum affectat, quam Deus ipſi dedit, non eum honorem intendit, quem Deus ipſi paravit, ideo cogitet modo, quod id minus ſervatori placeat, ipſe enim ad paternum unum ſunt, Job. 10. verſ. 30.

Ideo nullum hinc argumentum formari poteſt, quo omnipotentia, aut divinitas Chriſti infringi poſſit: *Non enim poteſtatem negat, ſed diſpenſationem oſtendit*, ut Cyrillus ait: Reges enim gentium dominantur, vos autem non ſic, Luc. 22. v. 25. 26.

Alias & ſpiritualiter non aliter intelligendum eſt, quam quod illi ſoli hæredes ſalutis eſſe, & cum Chriſto in throno ejus ſedere debeant, ſicut & ille vincens, ſedit cum patre ſuo in throno ejus, Apoc. 3. v. 21. quos Deus ab æterno ad id prædeſtinavit: ſed non abſolute ſine reſpectu fidei & incredulitatis: verum in Chriſto, qui unus homo eſt in gratia, Rom. 5. v. 15. qui nos gratificavit, Eph. 1. v. 6. Hi vero illi ſunt

Digitized by Google

ſunt, qui ſalutem ſuam non quærunt in operibus: ſed unicè propitiatorio ſacrificio Chriſti per fidem innituntur, quod præſtitit pro peccatis totius mundi, 1.Joh.2.v.2. & hoc ipſo conſummavit in ſempiternum eos, qui ſanctificantur, Hebr. 10. v. 14.

Si hoc ita feceritis nunquam confundemini. omnia enim poſſibilia ſunt credenti, Marc.9.v.23. Die noviſſimo audietis ex ore ejus ſuaviſſimum illud Venite benedicti patris mei. Largiatur id nobis Deus omnibus,

Amen.

In feſto die D. Bartholomæi Apoſtoli.

Evangelium Luc. 22. v. 24. --- 30.

EXORDIUM.

POſtquam Juda cum nuru ſua Thamar illicitè concubuiſſet, inſtante partu apparuerunt gemini in utero ejus. Atque in ipſa effuſione infantium unus protulit manum, in qua obſtetrix ligavit coccinum, dicens: Iſte egredietur prior. Illo verò retrahente manum, egreſſus eſt alter, dixitq; mulier: quare rupiſti propter te rupturam? & ob hanc cauſam vocavit nomen ejus Pharah, i. e. diviſio, diruptor. Alterum verò appellavit Zarah, i. e. oriens, quia prius ſe oſtenderat, Gen. 38. v. 13.28.

Hæc myſticè explicabimus.

Nos omnes Dilecti! ejusmodi *meretricem in ſinu noſtro habemus*, quæ eſt carnalis concupiſcentia, militans adverſus animam, 1.Petr.2.v.11. hæc, quando à Diabolo vitiatur, non modo gemellos, ſed multos filios & filias in lucem edit. Sicut in Vitis Patrum refertur, quod Diabolus aliquando conſtituerit uxorem ducere: & poſtquam ei ſponſa obtigerit, nomine Impietas, ſe cum illa matrimonium iniiſſe, & ſeptem filias genuiſſe, quas deinde per mundum diſtribuerit, hominibusque elocaverit.

Primam appellatam eſſe *Arrogantiam*, quam Nobilitati & cæteris Magnatibus nuptum dederit: illi enim plerumque abutuntur potentiâ ſuâ, dicentes: Ego ſum, & extra me non eſt alius amplius, Sophon. 2. v. ult.

Alteram vocatam *Avaritiam*, negotiatoribus & mercatoribus eam deſpondiſſe, qui propter pecunias delinquunt, & oculos ſuos avertunt, Sir.27.v.1.

Tertiam, *Falſitatem* dictam, junxiſſe Ruſticis: licet enim hoc vitium aliis quoque familiare ſit: attamen ruſticorum proprium in quarto modo eſt, qui ab ipſis non decipitur, eſt quod gratuletur ſibi, domus eorum plenæ dolo, Jer. 5. v. 27.

Quartam, *Invidiam* nominatam, adjunxiſſe Mechanicis, inter quos maximè frequens eſt: Contemplatus ſum omnes labores & induſtrias operum, animadverti patere invidiæ proximi, Eccl.4.v.4.

Digitized by Google

Quintam, nomine *Hypocriſis* ; locaſſe Clericis, de quibus Chriſtus ait, quod veniant in veſtimentis ovium , intus autem ſint lupi rapaces, Matth.7.v.15.

Sextam inſignitam *Superbiam*, deſpondiſſe ſexui fœmineo , à quo Superbia in omnes homines pervaſit , Mulier enim ſeducta in prævaricatione fuit, 2. Timoth. 2. v. 14.

Septimam & *natu minimam* filiam appellatam *Scortationem*, ſecum illum, velut cariſſimam, retinuiſſe, omnibusque proſtituiſſe.

Quamvis igitur hoc diaboli connubium & elocatio filiorum ejus in genere, toti humano generi, magno incommodo eſt: attamen *Superbia omnibus palmam præripit*, & perrumpit, ſicut Pharah fratri ſuo Zarah prævaluit, ut manum retrahere, illumque priorem emittere cogeretur. Superbia enim abſcondi nequit, ſed ex abundantia cordis os loquitur, Matth.12.v.34 idcò non incommodè *Pharah*, h.e. *Turbatrix* appellari poteſt, quia omnia in omnibus Hierarchiis turbat, juxta Poetam:

> Inquinat egregios adjuncta ſuperbia mores.

Hoc reſpectu facilè conjicere poſſumus, quid de eo ſentiendum, quod Apoſtoli de primatu altercari voluerint, eo tempore, cum Dominus & Magiſter eorum mortem meditaretur: Nimirum Diabolus, qui Rex Superborum eſt, Job.41.v.25. filiam ſuam Superbiam illis deſponſare voluit: & niſi Chriſtus ſe interponens conjugium illud prohibuiſſet, connubium nocentiſſimum contraxiſſent, & in æternum exitium præcipitaſſent. Contritionem enim præcedit ſuperbia, Prov.16.v.18.

Nos abſque longiori præambulo ad ipſam Evangelii tractationem nos accingimus, conſideraturi ex eodem:

I. *ἀνθρωπολογίαν*, ſive *notitiam noſtri*.
II. *χριστογνωσίαν*, ſive *notitiam Chriſti*.

J.J.

Exegeſis.

Ecce, inter ſervos ejus non manſerunt fideles, & in Angelis ſuis deprehenſa eſt ſtultitia, ait cum admiratione pius Job c. 4.v.18. Quod non inconcinnè Apoſtolis, qui pro Chriſto legatione funguntur, applicari poteſt, 2.Cor.5.v.20.

Sicuti autem non eſt homo , qui non peccet, 1.Reg.8.v.46. Sic *nec Apoſtoli immunes à peccato fuerunt* : ſed Dominus quandoque magnam ſtultitiam in eis deprehendit. *Petrus* disſvaſit Domino paſſionem, Matth.16.v.23. & tempore paſſionis Dominum abnegavit , Matth. 26. verſ. 70. ſeqq.

Jacobus & *Johannes* vindictæ cupiditate perciti, Samaritanos igne cœlitus deſcendo extinctos voluerunt, quia Chriſto hoſpitium denegarant, Luc.9.v.54. ambitioſi quoque erant, ideoque primatum in regno Chriſti, quod ſibi imaginabantur terreno, deſiderarunt, Matth.20.v.21.

Thomas peccavit per incredulitatem, Joh 20.v.25. *Philippus* & *Andreas* per diffidentiam, Joh.6.v.7. Alii alio modo deliquerunt; in univerſum verò omnes ambitione incenſi, gloriam mundanam, in regno, quod ſomniarunt, Chriſti terreno affectarunt, hinc in prælecto Evangelio refertur

Digitized by Google

fertur, quod contentio inter eos facta ſit, quis eorum videretur eſſe major.

Ad ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri* perveniemus, ſi ſpectemus:

1. *Diſcordans collegium.* Erant illi fratres & Collegæ, qui unâ vocatione gaudebant, & alios ut concordiæ ſtuderent, admonere debebant. Attamen Diabolo morem gerunt, invidiâ ſe invicem proſequendo, & laborando in id, ne alter ſibi præferatur, id non parum afflictaſſe Chriſtum cenſemus, qui jam mortis meditationibus occupatus erat, nec ſtultitiam hanc ab Apoſtolis expectaſſet: præſertim quia modo de fraterna caritate & concordia ſervanda eos admonuerat, & ſacram cœnam cum iiſdem celebraverat, ubi corpore & ſanguine Dominico cibati erant, quæ meritò illis vinculum caritatis eſſe debuiſſet, ut Auguſtinus loquitur.

Quilibet hic in examen deſcendat ſecum, quomodo affectus ſit in fratrem & proximum ſuum, utrum amor reciprocus inter eos ſit, & an quisque animo ſincero ſit, ſicut id ipſa æquitas requirit.

Apoſtoli hoc ipſo graviter deliquerunt, quod ejusmodi diſcordiam inter ſe aluerunt, ideò nos exemplo illorum cautius mercari diſcamus, cum non ad imitationem, ſed admonitionem noſtram ſcriptum ſit, 1. Cor. 10. verſ. 11.

O quàm bonum & quàm jucundum eſt, fratres habitare in unum (de collegis idem ſentiendum eſt) illic mandavit Dominus benedictionem & vitam, uſque in ſeculum, Pſal. 133. v. 1. ult.

Hoc probè intellexit Conſtantinus M. ideò in Concilio Niceno ad trecentos & octodecim Epiſcopos, qui ibi congregati erant, ad fraternam concordiam hortando hæc verba fecit: *Inteſtina ſeditio in Eccleſiâ Dei conflata, multò plus moleſtiarum & acerbitatis, quàm quodvis bellum in ſe complectitur.* Nam, ut Poëta ait:

Altercando veritas amittitur.

Ne dicam, de nefando ſcandalo, quod apud infideles oboriri ſolet, quando vident, eos, qui ejusdem confeſſionis ſunt, modò in hoc modò in alio fidei articulo controverſias agitare, quod hodie nimis invaluit, cum non levi ſimpliciorum ſcandalo. Melius commendantur primi Chriſtiani, quorum unum cor & una anima erat, Act. 4. v. 32.

Veri Chriſtiani idem faciant, neceſſe eſt: Unus enim Dominus, una fides, unum baptiſma, Eph. 4. v. 5. 6.

Quando *duæ fides* non concordant in inſtrumento Muſico, omnimoda concentus diſſonantia auditur.

Quando *terra Soli & lunæ ſe interponit*, eclipſis oritur. Quando una *rotula in horologio* non movetur, omnes conſiſtunt. Sic in omnibus omninò ſtatibus ex diſcordia multa oriuntur incommoda. Si invicem mordetis & comeditis, videte, ne ab invicem conſumamini, Gal. 5. v. 15.

Reſpiciamus exemplum Abrahæ, quanto diſcordiam odio proſecutus fuerit? Gen. 13. v. 8. Qui contrarium agit, non ex Deo, ſed Diabolo eſt, & cum Satanâ partem habebit eo loco, ubi damnati ſicut oves in inferno poſiti erunt, Pſalm. 49. v. 15. requiem non habentes die ac nocte, Apoc. 14. v. 11.

II. *Exortum litigium*, quod in præſentia Domini & Magiſtri ſui, magnâ animi & vocis contentione foverunt, adeò, ut facilè, ni Servator ſe interpoſuiſſet, à verbis

bis ad verbera res devenire potuerit. In Gr. vox eſt, quæ pertinacem contentionis pruritum, ſive ambitioſam vincendi cupiditatem ex animo concitato ortam, & verbis dicacibus inter rixoſos continuatam, ſignificat.

Hic explora cor atque animum tuum, utrum & ipſe libidine rixandi agiteris, aut concordiæ ſtudioſus ſis? Sicut enim carbones ad prunas, & ligna ad ignem; ſic homo litigioſus accendit rixas, Prov.26.v.21.

Hodie ferè nihil familiare magis eſt in omnibus Hierarchiis, quàm diſcordia, lites, altercationes & jurgia.

Rixatores inveniuntur *in Choro*, ubi verbi præcones privatis affectibus indulgentes ſæpè ex ſuggeſtu propalant, quod melius reticuiſſent, officiumque in operibus injuriæ agunt, ut Siracides loquitur, cap. 10. verſ. 6.

Rixatores in Foro, qui collegas pacificos impugnant gratis, Pſal.120.v. ult.

Rixatores in Toro, Maritus eſt ſicut leo in domo ſuâ, Sir.4.v.35. rixoſa mulier tecta jugiter perſtillantia, Prov.19.v.13. Hic non mirum eſt, ſi benedictio exſpiret, & omnia peſſum eant. Ubi enim zelus & contentio, ibi confuſio, & omne opus pravum, Jac. 3. verſ. 16.

Quinimò quandoque *litigia inter fratres* exurgunt, ſicut Cain adverſus fratrem ſuum Abel conſurrexit & interfecit eum. Hinc Salomo: Frater injuriâ affectus, urbs quàm munita, Prov.18.v.19. h. e. ut Lutherus in margine exponit, urbs munita facilius expugnari poteſt, quàm frater reconciliari.

Nec minus *inter famulitium jurgia* feruntur quandoq;, quando in negotiis Domini occupati eſſe debent, ſicut Chriſtus ſimile affert, de ſervo, qui inebriatus cœperit percutere ſervos & ancillas, Matth. 12. verſ. 46.

Quantò vulgarius hoc vitium in mundo eſt, tantò magis nos operam dare debemus, ne & nos huic ſeculo conformemur, Rom.12.v.2. qui totus in maligno poſitus eſt, 1.Joh.5.v.19. contentiones enim, rixæ, æmulationes, iræ, diſſenſiones opera carnis ſunt, qui talia agunt, regnum Dei non hæreditabunt, Gal.5.v.20.

Quodſi igitur ſapis, mi Chriſtiane! abſtine te à lite, & minues peccata, Sir. 28. v. 10. dona illi, ſi adverſum aliquem habes querelam, ſicut & Dominus donavit tibi, Col.3.v.13. Omnia in meliorem partem interpretare, & non facilè damnum incurres. Verbum dulce multiplicat amicos, Sir. 6. verſ. 5.

III. *Affectatum dominium.* Facta enim eſt inter eos contentio, quis eorum videretur eſſe major. Hinc colligere eſt, quid præcipuè illi intenderint, nempe primatum, ſive proedriam in regno putativo terreno Chriſti. Hæc nefanda erat ambitio, quam in piſcatoribus hiſce nunquam tibi perſvaſiſſes. Verùm rectè hîc applicatur illud Poëtæ:

> Aſperius nihil eſt humili, cùm ſurgit In altum.

Quia enim Apoſtoli à Chriſto ſuper alios evecti & ad hanc dignitatem vocati erant, ut eſſent ipſi teſtes in Hieruſalem, & in omni Judæa & Samaria, uſque ad ultimum terræ, Act.1.v.8. hinc adeo efferebatur, ut ſemper altiora meditarentur, & quilibet vereretur, ne, ſi Chriſtus regnum ſuum indicaret, alius ipſi palmam præriperet.

Hic proba te, mi Chriſtiane! annon & ipſe

Digitized by Google

ipſe nonnunquam gloria mundana inhiaveris, aliisq; præponi geſtias?

Hoc nimis familiare inter homines eſt, & ſæpè fit ut quis humilis habeatur, cujus animus ambitione & ſuperbiâ ſcatet,& turget. Hinc cum Diogenes Platonis pallium calcaret, inquiens: *Calco hic faſtum Platonis*, non injuriâ reſpondit Plato: *Calcas,ſed alio faſtu*, probè ſiquidem animadvertebat, Diogenem ex ambitione id facere.

Pari modo Socrates Anthiſthenis vanitatem & ſuperbiam arguit, pallio lacerato incedentis: *Per fiſſuram pallii tui, video ſuperbiam & vanitatem tuam.*

Hoc ita inter Gentiles factum eſt; ſed & inter Chriſtianos non deſunt, qui in humilitate & religione Angelorum inflati incedant, Col.2.v.18. ſicut Chriſtus de Phariſæis dicit, quod amaverint primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro, Matth. 23. v. 6.7.

Nos fugiamus hoc vitium. Dicitur quidem: Cui honorem, honorem, Rom. 13. v. 7. Sed non minus ſcriptum eſt: Quantò magnus es, humilia te in omnibus, Sir. 3. v. 20.

Chriſtus Dominus & Magiſter noſter eſt, Matth. 23. v. 10. Joh.13.v.13. Quodſi genuini ejus diſcipuli eſſe velimus, nos quoque in humilitate eum imitari tenemur. Hoc ſentite in vobis, quod & in Jeſu Chriſto, Phil.2.v.5.ſeqq.

Nullam equidem cauſam habemus, ut multùm ſuperbiamus, ex uno etenim luto finxit præcordia Titan, ita ut nemo ex Regibus aliud habeat nativitatis initium. Unus enim introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus, Sap.7.v.5.6. Quin & dona, quibus Deus exornavit nos, non nobis propria ſunt, ſed Dei & à Deo eadem accepimus; & licet putemus, nos omnes alios antecellere, ſemper tamen invenitur, qui nos ſi non ſuperet, tamen æquet. Rectè Mantuanus:

-- Deus omnia non dat
Omnibus, ut nemo ſibi ſit ſatis, indigeatq;
Alter ope alterius.

Non laudes virum in ſpecie ſua, neque ſpernas hominem in viſu ſuo: brevis in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus illius, Sir.11.v.2.

Hoc reſpectu ſemper meminerimus: Vos autem non ſic. *Dedecus & detrimentum comites ſuperbiæ*, Ludovicus IX. Rex Galliæ dixit.

Quis igitur nocivos hoſce hoſpites in corde ſuo foveret, & non potius, quò ſecurior ſit, humilitatem amplecteretur?

Si viæ minus ſecuræ ſunt, & vir aliquis honeſtus, qui aliquamdiu in peregrinatione vitam degit, reditum in patriam meditatur, ſæpè mutatis veſtibus aliam quaſi perſonam induit, imò quandopue in mendicorum comitatu incedit, quo ſecuritate fruatur, & pecuniam ſuam in portum perferre poſſit.

Quantò magis Chriſtianus, qui in hac terra velut viator eſt, & hic non habet permanentem civitatem, ſed futuram patriam inquirit, Hebr.13.v.13. quia tam ex verbo Dei, quàm experientia novit, viam minus tutam eſſe, ratione Diaboli, qui ambitione & faſtu multa millia præcipitat, humilitati ſtudeat, quo indemnis evadere, & dona in portum perferre queat, quæ per fidem in corde ſuo conſervat, initium enim omnis

peccati eſt ſuperbia, Sir.10.v.15. Humilitas verò mater eſt virtutum omnium, teſte Auguſtino, quæ gratiam & vitam adfert, 1.Petr.5.v.5.

De Secundo.

PErgemus nunc ad *alteram partem*, Χειροτονίαν, ſive *notitiam Chriſti* contemplaturi. Hic nobis in Evangelio præſente commendatur:

I. *Tanquam ſtatus Eccleſiaſtici & Politici Diſcriminator*, inquit enim ad Diſcipulos: Reges gentium dominantur; vos autem non ſic.

Vtrumq; ſtatum Deus ordinavit, hoc extra dubium eſt: habent verò certos ſuos limites & cancellos, per quos alter ab altero diſtingvitur.

1. *Ratione domiciliorum.* Reges gentium, ſive Magnates hujus terræ habitant in affabrè exſtructis, ubi, ſicut & in Curiis ſuis, jus ſuum exercent, & verbi præcones velut ſubditi coram iis comparare tenentur, quia juxta ſtipendium & vocationem à Magiſtratu habent, eorumq; patrocinio fruuntur, ideo ad illos quoque pertinet, quod Paulus ait: πᾶσα ψυχὴ poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit, Rom. 13. verſ. 1.

Verbi verò miniſtri eccleſiæ præeſſe ordinati ſunt, ibi habent ſuggeſtum, velut officinam ſuam, ex quo ſedulò docere debent, eſt enim miniſterium ſpiritus, non humanum opus, 2.Cor.3. v.6. His, qui in Magiſtratu degunt, non minus quàm plebeji ſubjecti ſunt, & ſpectat ad illos, quod Paulus ait: Obedite præpoſitis veſtris, & parete eis, Hebr.13.v.16.

2. *Ratione titulorum.* Magiſtratus appellantur benefici & potentes, eſt enim à Domino poteſtas data, Sap.6.v.4. ſed poteſtatem hanc miſericordia temperare debent, ad exemplum Davidis, dicentis: Miſericordiam & judicium cantabo, Pſal.101.v.1.

Verbi verò præcones nihil aliud ſunt, quàm miniſtri Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei, 1. Cor. 4. v. 1. Vocantur quidem Dn. Reverendi, ſed non ut dominentur in Cleris, 1.Petr.5.v.3. ſed honoris ergò, quo titulo & olim Hanna Sacerdotem ſummum Eli inſignivit, 1.Sam.1. v.15. Hinc Paulus: Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeãtur, 1. Tim.5,17.

3. *Ratione armorum.* Reges & Magnates terreni ad tutelam ſubditorum, tormentis bellicis, haſtis & gladiis utuntur, ſicut Rehabeam in ſingulis urbibus fecit armamentaria ſcutorum & haſtarum, 2.Paral.11. v. 12. licet enim victoria à Deo ſit, tamen equus paratur ad diem belli, Proverb. 21. verſ. ult.

Verùm in Miniſterio verbi ſpiritualia arma adhibentur. Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, 2.Cor.10.v.4. Vide, Eph. 6. v. 14. & ſeqq. Armis his Chriſtiani plus efficere poſſunt, quàm ſi Magnates terreni ingentes exercitus in aciem producant. Vivus enim eſt ſermo Dei & efficax, &c. Hebr. 4. v. 12.

4. *Ratione ſtatutorum.* Magiſtratus ejusmodi leges ſubditis præponere poteſt, quæ quidem cum verbo Dei non pugnant, attamen quoad omnes circumſtantias ex eo probari nequeunt, ſed præſenti ſtatui attemperatæ ſunt, ut repudium Reginæ Vaſthi probat, Eſth.1.v.19. Verùm in ſtatu eccleſiaſtico ſtrictè verbo Dei inhærendum eſt. Non addetis ad verbum, nec auferetis &c. Deut.4.v.2. Gal.1.v.8.

5. *Ratio-*

Google

5. *Ratione ſuppliciorum.* Magiſtratus terreni vi corporali & gladio ſupplicia inferunt, non enim ſine cauſa gladium portant, Rom.13.v.4. Verbi autem miniſtri neminem capite plectunt, ſed annunciant delinquentibus Dei iram & indignationem, ſi reſipiſcere nolint, tradunt eos Satanæ, 1.Cor.5.v.5.

Sed hoc ipſo non planè à gratia excluſi ſunt: verùm per pœnitentiam expedire ſe rurſus poſſunt, & ab exitio liberari, quaſi torris, raptus ab incendio, Amos 4.v.11. Dum enim hodie dicitur, gratiæ fores patent, Hebr.3.v.15.

Ex his omnibus elucet, quid de Romani Pontificis Dominatu ſentiendum ſit. Vocat ſe quidem ſervum ſervorum: cum tamen Imperatores, Reges, & Principes pedes ejus oſculari teneantur, quinimò extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, 2.Theſſ.2.v.4. Hinc non habitat in ædibus ſacerdotalibus, quæ Magiſtratus tutelæ ſubſint: ſed Romæ, quæ caput orbis vocatur, ex qua poteſtatem, Imperatoribus, Regibus & Principibus præſcribendi ſibi arrogat; tum quoque aliquot ſecula hactenus bella geſſit. An verò hoc verbis his Chriſti conſentaneum ſit, facilè quilibet perſpicere poteſt.

Nos Deo debitas gratias agimus, qui nos è Babel eduxit, & debitum Magiſtratui noſtro honorem tribuimus, in medio fratrum, rector illorum in honore, & qui timent Dominum, erunt in oculis illius, Sir. 10. verſ. 24.

II. *Tanquam humilitatis commendator.* Qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui princeps eſt, ſicut miniſtrator.

Hoc non ita intelligendum eſt, quaſi Magiſtratus aut etiam verbi Miniſtri, & patres-familiâs, honorem, quem ab inferioribus ratione officii ſibi deberi ſciunt, planè repudiare, & cujusq; pedibus ſe ſubjicere debeant. Minimè. Potius locum habeat illud Pauli: Nemo te contemnat, Tit. 2. verſ. ult.

Interea tamen & illi quos Deus ſuper alios evexit, ortum ſuum meminiſſe debent, ut ſicut Placilla Theodoſio Imperatori ſubinde in memoriam revocabat, & ipſi perpendant, quinam olim fuerint, jam ſint, & aliquãdo futuri ſint. *Conſidera*, inquit Bernhardus, *unde venis, & erubeſce, ubi es, & ingemiſce. quò vadis & contremiſce.* Unde veniſti, nonne è terra? quid ſuperbies? Ubi es, nonne in mundo, qui vallis lacrymarum eſt? quid exultabis? quò vadis? nonne in terram? quid gloriaberis? Si quis exiſtimat, ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit, Gal.6.v.3.

Agathocles Siciliæ Rex, figuli filius fuit, ideoque ſemper juxta aurea vaſa fictilibus quoque uſus legitur, ne generis ſui obliviſceretur.

Willigis Archiepiſcopus Moguntinus ex plauſtrario ad dignitatem hanc ab Ottone III. evectus eſt, qui propterea ſemper ſibi acclamari juſſit: Willigis, Willigis, recole unde veneris.

Hoc quilibet ſedulò reminiſci debet, ut humilis ſit in oculis ſuis, quò glorioſior appareat in oculis Dei, 2.Sam.6.v.22.

Moſes ignorabat, quod cutis faciei ſuæ ſplenderet, cum verò ab aliis certior redderetur, poſuit velamen ſuper faciem ſuam, Exod.34.v.29.33.

Pari modo quilibet, ſi Deus in animâ ſuâ lumen ſapientiæ & intelligentiæ accendit, ideò non extollere ſe: ſed potius vela-

Digitized by Google

mine humilitatis ea tegere eisque ad gloriam Dei & proximi emolumentum uti debet, ut Petrus jubet, 1. cap. 4. v. 10.

Hæc talis virtus eſt, quâ tota SS. Trinitas peculiariter delectatur.

Deus pater, quamvis altiſſimus ſit, tamen humilia reſpicit, in cœlo & in terra, Pſal. 113. v. 6. Quod verò hominibus altum eſt, abominatio eſt coram Deo, Luc. 16. v. 15.

Filius Dei eſt Dominus Gloriæ, 1. Cor. 2. v. 8. cui gaudium propoſitum erat in cœlo, Hebr. 12. v. 2. Verùm noſtri causâ ſervi formam induit, Phil. 2. v. 17. nec venit miniſtrari, ſed miniſtrare, Matth. 20. verſ. 28.

Deus Spiritus ſanctus libenter habitat cum humilibus & modeſtis, unde & modeſtia fructibus ejus annumeratur, Gal. 5. verſ. 22.

Simus igitur imitatores Dei, ſicut filii cariſſimi, Eph. 5. v. 1. Ante ruinam enim exaltabitur ſpiritus, Prov. 16. v. 18. Sed via gloriæ, fuga gloriæ.

Quæris, inquit Auguſtinus, quid præcipuum Chriſtianiſmi noſtri ſit? & ſibi ipſi reſpondet: *Humilitas.* Quæris quid ſequatur? Reſp. *Humilitas.* Si plura quæris? iterum dico, *Humilitas.* Imò quoties quæris, ego reſpondeo: *Humilitas.* Humilitas initium, Humilitas medium, Humilitas finis eſt. Beatus, qui humiliatur ſub potenti manu Dei, exaltabitur enim in tempore viſitationis, 1. Petr. 5. v. 6.

III. *Tanquam perſeverantiæ Coronator.* Propterea ait Servator ad Diſcipulos: Vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis.

Per tentationes has intelligit omnis generis tribulationes & moleſtias, quæ ſibi tempore Miniſterii ſui à Diabolo, & mundo illatæ erant, quâ in parte Apoſtoli ejus conſortes, partem quoque ſuam ſortiti fuerant. Ideò eos publicè hîc propterea prædicat, ad inſtructionem noſtram, ut ſi genuini ejus diſcipuli eſſe velimus, itidem nullâ calamitate ab eo nos abſtrahi patiamur. Qui enim perſeveraverit uſque ad finem, hic ſalvus erit, Matth. 10. v. 22.

Rex Navarræ ſponſæ ſuę annulum ſponſalitium pro arrha dedit, ornatum Adamante pretioſiſſimo, cui ſol & luna artificiosè inſculpta fuerunt, hac cum inſcriptione: Semel, ſimul, ſemper; quo innuere voluit, quod ſemel ſibi invicem promiſerint, firmiſſimè ſervatum iri.

Chriſtus Servator noſter in Baptiſmate nobis ſe quoque deſponſavit, & nos illi, ideo baptiſmus vocatur ſtipulatio bonæ conſcientiæ cum Deo, 1. Petr. 3. v. 21. quapropter per omnem vitam in memoriâ id habeamus, & Chriſto fideles ſimus uſq; ad mortem, & dabit ille nobis coronam vitæ, Apoc. 2. v. 10.

Caveamus verò, ne quicquam nos abſtrahat à ſemel agnita veritate. Nemo enim mittens manum ad aratrum & reſpiciens retrò, aptus erit regno Dei, Luc. 9. v. ult. Patiendum & certandum eſt, ſi ad gloriam pervenire velimus, de quâ Chriſtus hîc ait: Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos, judicantes duodecim tribus Iſraël.

Hæc *Allegorica vitæ æternæ deſcriptio* eſt, ubi electi accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei, de manu Domini, Sap. 5. v. 17. Servator eos ad menſam cœleſtem

adhi-

adhibebit, ubi comedentes ſaturabuntur, bibentes non ſitient, & lætantes non confundentur, Eſa. 65. v. 13. Adhibebit ſibi quoque eosdem adſeſſores, ut judicium ſecum exerceant ſuper angelos malos & impium mundum, 1. Cor. 6. v. 3. ita ut ſuffragio ſuo idem comprobent, dicentes: Juſtus es Domine, & juſta ſunt judicia tua, Pſal. 119, 139.

Hoc ſolatium noſtrum eſto, in adverſitatibus hujus mundi, *Nubecula eſt cito tranſitura* omnis afflictio: ſed gloria quæ ſequetur ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus erit, 2. Cor. 4. v. 17.

Id nobis omnibus ex gratia largiri dignetur Deus pater, per filium ſuum Jeſum Chriſtum, in Spiritu Sancto, Amen.

In feſto die B. Matthæi Apoſtoli.

Evangelium Matth. 9. v. 9. --- 13.

EXORDIUM.

CUm Angelus Domini Moſi appareret in flamma ignis, de medio rubi, eumque ducem populi Iſraelitici conſtitueret, & eum Ægypto educeret, præcepit illi: *Solve calceamentum de pedibus tuis*, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt, Exod. 3. v. 2. ſeqq.

Hæc myſtice interpretabimur.

Nos omnes Moſi non diſſimiles ſumus, Moſes enim idem eſt, quod extractus. Deus enim nos de ventre extraxit, Pſal. 22. v. 10. & poſtquam in limo peccatorum ferme ſubmerſi ſumus, Pſal. 69. v. 3. filium ſuum miſit, qui nos rurſus extraxit, & populum ſibi peculiarem conſtituit, Tit. 2. v. 14. ut non mori, ſed vivere debeamus, Ezech. 16. v. 6.

Hæc *nova vocatio eſt*, qua vocati ſumus. Ante enim natura eramus filii iræ, Eph. 2, 3. verum in baptiſmo fœdus pangimus cum Deo, quod eſt ſtipulatio bonæ conſcientiæ, 1. Pet. 3. v. 21. & in hæredes vitæ æternæ adoptamur, Tit. 3. v. 7.

Quemadmodum vero Moſes calceamentum de pedibus ſuis ſolvere tenebatur, cum accedere & cum Deo colloqui vellet: Ita & noſtri officii erit, quia vocavit nos Deus, non in immunditiam, ſed in ſanctificationem, 1. Theſſ. 4. v. 7. ut digne Evangelio converſemur, ad *exemplum Moſis exuentes*:

1. *Calceos incredulitatis*, ne more hypocritarum confiteamur, nos noſſe Deum, factis autem negemus, Tit. 1. v. 16. aut coram ſimulachris multis inclinemur, 1. Cor, 12. v. 2. ligno dicamus: Expergiſcere, ſurge, lapidi tacenti, Hab. 2. v. 19. ut in Papatu fieri amat: ſed ad Deum verum & vivum confugiamus, quoties in calamitates incidimus, & vera fide promiſſioni ejus innitamur, ſicut Abraham credidit contra ſpem in ſpem Rom. 4. v. 18.

2. *Calceos impietatis*, ut declinato peccato, ſanctitati ſtudeamus, deponentes ſecundum priſtinam converſationem, ve-

Digitized by Google

terem hominem, Eph.4. v.24. in Chriſto enim novæ ſimus creaturæ, 2. Cor.5. v.17. ideo non configurati prioribus ignorantiæ deſideriis, ſed ſecundum eum, qui vocavit nos ſanctos, & ipſi in omne converſatione ſancti ſimus, 1.Pet.1.v.14.15.

Exemplum habemus in Matthæo, qui limo malitiæ multum immerſus, profligatus fœnerator erat, ſicuti publicani plerumque fraudibus ejusmodi dediti fuerunt, quibus diteſcerent. Verum Servator extraxit illum, & ad Apoſtolatum vocavit, ubi ſtatim obedienter ſecutus, *calceos peccatorum exuit*, ſurgens enim ſecutus eſt eum: quin & ex debita gratitudine convivium inſtruxit, ad quod Chriſtum cum aliis publicanis invitavit, ut & illi à Chriſto ad frugem perducti, novam vivendi rationem, relictis teloniis, inchoarent.

Nos absque ulteriori præfatione ad ipſum Evangelium nos conferemus, ex inſtituto contemplaturi:

I. *Ἀνθρωπολογίαν* ſive *notitiam noſtri.*
II. *χριστογνωσίαν*, ſive *notitiam Chriſti.*

I.I.

Exegeſis.

QUemadmodum Deus cœleſtis Pater, *Solem ſuum oriri facit* ſuper bonos & malos, & unumquemque, ſine diſcrimine radiis ſuis illuminat & fovet, Matth. 5. verſ.45.

Ita & *filium ſuum toto mundo miſit*, qui velut Sol juſtitiæ, Mal. 4. v. 1. radiis gratiæ ſuæ omnes homines illuminat, niſi modo ipſi *velo incredulitatis* feneſtras aperiant, ſicut Judæi faciebant, de quibus Johannes ait, quod tenebras magis dilexerint, quam lucem, Joh.3.v.19.

Rectius multo fecit magnus ille peccator Matthæus, cum enim Sol juſtitiæ radiis ſuis telonium ejus illuminaret, & filius Dei ipſum acclamaret: Sequere me, non multum ceſſabat, ſed lucem hanc cum gaudio ſuſcipiens, ſurgebat & ſequebatur Jeſum ut ipſe in prælecto Evangelio indicat:

Ad *Notitiam noſtri* perveniemus ſi ſpectemus:

I. *Matthæum confitentem*, neque enim, quis ante converſionem fuerit, abſcondit, ſed expreſſe profitetur ſe publicanum, i.e. hominem injuſtum, qui fœnore & injuſtitia graviter deliquerit. Ipſe enim hoc Evangelium conſcripſit, & ſi voluiſſet nomen publicani facile omittere potuiſſet. Nemo enim tenetur allegare propriam turpitudinem, ut JCti ſentiunt: Verum ingenue fatetur, ſe publicanum fuiſſe, ſicut omnes ſancti in familiari more habent, ut crimina ſua non abſcondant.

Moſes meminit dubitationis & diffidentiæ ſuæ, Num.11. v.21.c.20.v.11.

David adulterii & homicidii, Pſal. 51. v. 1.ſeqq.

Jeremias impatientiæ, Jer.20.v.40. Jonas inobedientiæ, Jon.1.ſeqq.

Paulus vocat ſe primum peccatorum, 1. Tim.1.v.15. qui non dignus ſit vocari Apoſtolus, 1.Cor.15.v 9. His exemplis Matthæus ſe conformat, & confitetur coram univerſa eccleſia quam fœdo in luto ante converſionem hæſerit.

Hic in examen te, voca mi Chriſtiane! An tu quoque in confeſſione peccata tua ingenue con-

confeſſus fueris & injuriam tuam agnoveris?

Hoc ipſa rei æquitas requirit: Si enim dixerimus, peccatum nos non habemus, ipſi nos ſeducimus, 1. Joh. 1. v. 8. 9. Verum multi celant peccata ſua, quoad poſſunt, ut carcere & tormentis extorqueri non poſſint.

Cum *Cain* fratrem ſuum Abel interfeciſſet, Deus ideo rationem ab illo poſcebat, dicens: Ubi eſt Abel frater tuus? ille vero quaſi nihil ſe attineret, reſpondebat: Neſcio, nunquid cuſtos fratris mei ſum ego? Gen. 4. v. 9. 10.

Ita *Diabolus multos faſcinavit*, ut non vereantur peccare, quando vero peccata agnoſcere & confiteri debent, omni ratione negant, imò Jovem lapidem jurant, non ſe id feciſſe, cum tamen in conſcientia ſua ſatis convicti ſint, non recordantes, Deum omnia ſcire, quæ in homine ſunt, Joh. 2. v. ult. nec fraudulentiis ut hominem, decipi poſſe, Job. 13. v. 9.

Rahab meretrix concivibus ſuis perſuaſit, exploratores abiiſſe, cum tamen in ſolario domus ſuæ cauliculis lini, operuiſſet eos, Joh. 2. v. 6.

His lini culmis, multi turpitudinem cordis ſui velare non verentur, hinc eſt, ut multi probi reputentur, qui tamen ſeptem abominationes in corde ſuo habent, Prov. 26. v. 25.

Hæc perverſa illa indoles eſt, quam à Protoplaſtis hæreditario accepimus. Veluti enim illi foliis ficus nuditatem ſuam poſt lapſum operire ſatagebant, Gen. 3. v. 7. Ita ſemper peccata noſtra extenuatum imus. Verum magno noſtro incommodo: Qui enim abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur, Prov. 28. v. 13.

Tales hypocritæ, qui peccata ſua celant, *Diaboli conſiliarii intimi & ſecretarii* ſunt, ad ſuam ipſius perniciem. Quia enim non fugit eum, quod hominis maximus honos eſt, ſi Deo honorem dat, & in verecundia ſe humiliat, ut Daniel, c. 9. 7. Ipſe quovis modo nos inde abſtrahere nititur. Ideo noſtrum foret, fraudulentias ejus advertere, nos ipſos reprehendere, & cum Jobo, in pulvere & cinere pœnitentiam agere, c. 42. v. 6. quin & publicam confeſſionem edere, dicentes: Ecce blaſphemavi, reſpondere quid poſſum, Job. 39. v. 37. 38.

Id eſt *initium ſalutis*, teſte Hieronymo. Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea, Pſal. 32. v. 3. 5. Quod Davide accidit, adhuc hodie evenire ſolet. *Ulcera clauſa plus cruciant*, inquit Gregorius. Ita peccatum nihil aliud eſt, quam livor fœtens. Eſa. 1. v. 6. qui per confeſſionem aperiendus, alias homo nunquam in gratiam recipi poteſt. *Si tu aperis Deus operit, ſi tu operis, Deus aperit*, dicit Auguſtinus. Id quod fiet die noviſſimo, ubi Dominus illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, 1. Cor. 4. v. 5.

II. *Matthæum ſurgentem.* Ubi enim Chriſtus eum vocat: ſequere me, non diu moratur, ſed continuo ſurgit de loco, ubi fœnore, uſura & injuſtitia enormiter in Deum & proximum ſuum peccaverat, abnuit in loco illo diutius perſiſtere, ne occaſionem habeat ulterius in Deum delinquendi.

Hic

Digitized by Google

Hic proba te, mi Chriſtiane! utrum & ipſe ad exemplum hocce, ab uſura & aliis peccatis abſtinueris & novam vitam inchoaveris, quando à confeſſionario tuo de iis admonitus es?

Utiuam id ita à quibusque fieret: Verum ut verum fateamur, plurimi ſocordes ſunt ad bonum, & pœnitentiam procraſtinant, dicentes: peccavi: & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus enim eſt patiens, Sir. 5. v. 4. 6.

Verum id nimis perverſum eſt: Matthæus ſemel à Chriſto vocatus, ſurgit & ſequitur Chriſtum.

Quoties quæſo tu admonitus es, in omnibus prope concionibus, ut pœnitentiam agas, & tamen ſurgere recuſas, reverti nolens, Jer. 5. v. 3. Putasne vero hominum profligatiſſime! impune te evaſurum? Recordare Antiochum, qui etiam in ſcamno peccatorum reſidebat, tandem putabat ſe miſericordiam conſecuturum, verum ſero ſapiebat, 2. Maccabæor. 9. verſ. 13. Ita Deus adhuc hodie agit, ſi diutius pœnitentiam hominis expectavit, ut tandem miſereri deſinat, Jer. 15. v. 6. Ideo dicitur: *Hodie*, ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, Pſal. 95. v. 8. *Ecce, nunc tempus acceptabile, nunc dies ſalutis eſt*, 2. Corint. 6. v. 2. Quis ſcit annon hoc momentum ultimum ſit? Homo enim neſcit tempus mortis, Eccleſ. 9. verſ. 12. *Cras, cras*, eſt vox corvina. *Corvus*, ait Auguſtinus, *non rediit ad arcam, columba rediit, Deus non quærit dilationem in voce corvina, ſed confeſſionem in gemitu columbino.* Ita & nos, poſtquam peccavimus, ad frugem redeamus oportet, & Deus nos in gratiam ſuam recipiet. Revertere averſatrix Iſrael, &c. Jer. 3. v. 12.

Qui proinde hoc non obſervat, ſed tum demum pœnitentiam agere vult, quando non amplius peccare poteſt, ille nimis ſero venit. Deus cantilenam corvi non amat: ſed gemitum columbinum in deliciis habet, ſi ex corde contrito oriatur. Chriſtu in tempore intromittendus eſt, quando ad oſtium ſtat & pulſat, alias abit, & non tam facile revertitur, Apoc. 3. v. 20.

Deus ferre non poteſt, ut proximum nos ſolicitantem ad Craſtinum rejiciamus, & reverti jubeamus, Prov. 3. v. 28. Quomodo placebit ipſi ſi à filiis ſeculi ita ablegetur, quod integrum ſibi nondum ſit, de ſcamno peccatorum ſurgere, & poſt aliquot hebdomadas, menſes, vel annos redire & pœnitentiam expectare debeat:

Ah dubito, ne gratia
Qua ſic abuſus eſt data
Finaliter relinquat.

Ich förcht fürwar/die Göttlich Gnad/
Die er allzeit verſpottet hat/
Wird ſchwerlich ob ihm ſchweben.

III. *Matthæum ſequentem.* Non enim modo de telonio ſurgit: ſed & Chriſtum promte ſequitur: non abſterret eum paupertas ejus, & forma deſpecta, in qua tum temporis de loco in locum migrantem Judæi ad mortem usque perſequebantur: ſed relicto telonio, ex qua magnas opes corraſerat, majores divitias æſtimabat improperium Chriſti, theſauris totius mundi, adſpiciebat enim in remunera-

tio-

tionem, ut de Moſe ſcriptum, Hebr. 11. verſ. 26.

Hic examina te, utrum & ipſe tam prompte Chriſtum ſecutus fueris, aut volupe tibi ſit, veſtigiis ejus inſiſtendi, juxta exemplum, quod nobis in tota vita ſua reliquit?

Bernhardus alicubi ſcribit: *Domine Jeſu, omnes volunt venire ad te, nemo ſequi.* Et hoc verum eſt. Quis enim non libenter cum Chriſto eſſet? habet etenim verba vitæ æternæ, Johann. 6. v. 68. promittitque venientibus ad ſe vitam & abundantiam, Joh. 10. v. 10.

Quia vero Chriſtum per aſperam viam incedere, & per paſſionem & mortem ſuam in gloriam intrare oportuit, Luc. 24. v. 26. non arridet nobis, in illa via eum ſequi, & per multas tribulationes intrare in regnum Dei, Act. 14. v. 22. ideo multi terrenas haſce voluptates potius eligunt, quam ut cum Chriſto afflictiones & perſecutiones, & poſtea demum mercedem expectare velint. Verum, habent mercedem ſuam, Matth. 6. v. 2. qui enim hîc ridet, ibi lugebit, & flebit, Luc. 6. v. 25. 26.

Matthæus exſuſcitet nos exemplo ſuo, *ſequitur enim Chriſtum*:

1. *Corde prompto.* Probe noverat, quod cum Jeſu Nazareno non multum lucrari poſſet, ipſe dixerat: Vulpes foveas habent, Matth. 8. v. 20. Verum id non deterret eum, ſed potius animæ ſalutem reſpicit. Non enim in abundantia cujusquam vita ejus eſt, ex his, quæ poſſidet, Luc. 12. v. 15. Jac. 2, 5. Quidam de diſcipulis dicebat: cum eum Chriſtus ad ſe ſequendum invitaret: ut permitteret, ſe primum ire, & ſepelire patrem ſuum, Matth. 8. verſ. 21. Verum Matthæus ex tempore paratus eſt, & Chriſtum ſequitur: ad noſtram inſtructionem, ut & nos promti ſimus ad compatiendum, ut & conglorificemur, Rom. 8. v. 17.

2. *Animo grato.* Inſtituit enim convivium, & animum gratum declarat, ratione beneficii, quod ſibi exhibuerat, juxta illud: Communicet is, qui catechizatur in verbo, ei, qui ſe catechizat, in omnibus bonis, Gal. 6. verſ. 6. Sic & nos Dominum honoremus de ſubſtantia noſtra, Prov. 3. verſ. 9. Qui enim verus Spiritualis negotiator eſt, vendit omnia, ut acquirat pretioſam margaritam, Matth. 13 v. 45.

Deinde & in eo *gratitudinem ſuam oſtendit*, quod contribules ſuos reliquos publicanos ad hoc convivium invitat, & quaſi Chriſto adducit, ut per verbum ejus vitæ ad pœnitentiam adducantur, optat enim omnes tales eſſe, qualis ille eſt, Actor. 26. verſ. 29.

Hæc vera fidei indoles eſt, quæ & hac in parte per caritatem efficax eſt, Gal. 5. verſ. 6. ut ſpiritualis columba, adhuc alios in columbarium eccleſiæ adducat ut impleatur domus Chriſti, & menſa diſcumbentium, Luc. 14. v. 23. Matth. 22. verſ. 10.

Sic quilibet, imprimis vero animarum Paſtores operam dare debent, ut illi, qui in delicto aliquo occupati ſunt, aut alias in devia aberrarunt, reducantur, ne vacui appareant ante Dominum, die noviſſimo, Deut. 16. v. 16. Sed quando quæret: Ubi eſt grex tuus? Jer. 13. verſ. 20. ille animoſe reſpondere & dicere poſſit: Ecce, ego & pueri, quos dedit mihi Dominus, Eſa. 8. v. 18.

3. *Propoſito firmo.* Etſi enim Phariſæi & Scribæ non deſinunt murmurare, ſed iniquitatem de excelſo loquuntur, Pſalm. 73. verſ. 8. & conſtituerunt Dominum cum diſcipulis exſtirpare, attamen non deficit à Christo, ſed vireſcit, ut palma, qui adverſus onus inſurgit, dum victoriam reportet, Pſal. 92. v. 13.

Nos hîc iterum veſtigiis ejus inſiſtere, & & ſi manum ſemel ad aratrum miſerimus, eandem minus retrahere & reſpicere debemus, qui enim hoc facit, non aptus eſt regno Dei, Luc. 9. v. ult.

Quod ſi vero Chriſtum ſequemur in regno gratiæ: eandem quoque aliquando ſequemur in regnum gloriæ. Ubi enim ego ſum, illic & miniſter meus erit, Joh. 12. verſ. 26.

De Secundo.

NUnc *alteram partem* enodabimus, *χριςογνωσίαν*, ſive *notitiam Chriſti*, contemplaturi. Hic nobis in præſente Evangelio proponitur:

I. *Tanquam ſolertiſſimus peccatorum indagator.* Hic audimus, quod Matthæum videat ad telonium ſedentem: ita adhuc hodie nihil eum latet, ſive bonum, ſive malum: ſcit opera tua, & ubi habitas, Apoc. 2. v. 13.

De *Imperatore Auguſto* refertur, quod oculi ejus adeo refulſerint, ut uno intuitu adſpici non potuerit, ideoque cum militem quendam oculos ſubito dejicientem, interrogaret, cur id faceret, reſpondit ille: *Quia fulmen oculorum tuorum ferre non poſſum.* Verum de Chriſto multo æquius adſeverare poſſumus, quod *oculos lucidiſſimos habeat*, quibus omnia nuda & aperta ſunt, Hebr. 4. verſ. 13. neque enim iisdem *terret* modo *impios*, ſicut Hieronymus maxime veriſimiliter ſcribit, quod cum ementes & vendentes templo ejecerit, radii majeſtatis & gloriæ ex oculis ejus reſplenduerint, alias tam multi ab uno viro, eoque inermi non facile expelli potuiſſent, Luc. 19. v. 45. ſed *ſolatur quoque oculis ſuis*, & convertit impios ut exemplum Matthæi hic probat, quem humaniſſimo obtutu ſuo Chriſtus adeo illuminat, ut multum mutatus à ſeipſo, relicto telonio, vitam ſuam emendaverit.

Hoc modo adſpexit quoque Mariam Magdalenam, Luc. 7. verſ. 48. ut & Petrum cum eum terna vice abnegaſſet, Luc. 22. verſ. 60.

Adhuc hodie nemo convertitur, niſi Chriſtus eum illuminet, & per Spiritum ſuum Sanctum in eo operetur, & velle & perficere, Phil. 2. v. 13. non enim eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei, Rom. 9. v. 16. Ideo quilibet cum eccleſia quotidie orare debet. *O Domine Jeſu, reſpicere digneris, me miſerum peccatorem oculis miſericordiæ tuæ, quibus reſpexiſti, Petrum in atrio, Mariam Magdalenam in convivio, & latronem in patibulo. Concede mihi Omnipotens Deus, ut cum Petro digne fleam, cum Maria Magdalena ardenti amore te diligam, & cum latrone in æternum te videam.*

Sed & unusquiſque *metuat oculos hoſce fulgidiſſimos*, & fugiat peccata, vident enim omnia, quæ homines faciunt, etiam in occultiſſimis angulis, Siracides. 23. verſ. 28.

Ab-

Abſterremur non raro in præſentia honeſtorum hominum ne mala agamus, iisdem ſpectantibus: Quanto magis Chriſtum vereamur, videntes ut caute ambulemus, Eph. 4. verſ. 15. quia exploratum nobis eſt, quod fines mundi ille intueatur, & omnia, quæ ſub cœlo ſunt, reſpiciat, Joh. 28. v. 24. ubicunque ſumus, ſemper ibi oculus eſt, qui nos videat, & auris, quæ nos audiat, Pſal. 94. v. 4.

II. *Tanquam acerrimus calumniatorum refutator.* Non audent illi Chriſto in faciem dicere, quod in eo reprehenſione dignum judicabant, ſed diſcipulos adoriuntur, dicenteſq; Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magiſter veſter? q.d. en præclarum vobis Magiſtrum! qui ſi melioris notæ eſſet, non ſane cum publicanis & peccatoribus ille converſaretur: verum *graculus graculo aſſidet, & ſimilis ſimili gaudet.* Nec dubitandum, quin & vos ejusdem farinæ eſſe, judicabimini, princeps enim, qui libenter audit verba mendacii, omnes miniſtros habet impios, Prov. 29. v. 12.

Hoc vero Servatori abſconditum eſſe non poterat. Audivit enim Jeſus, ideoque juſta Apologia utitur. Illi quidem objurgationem ſatis acerbam meriti erant, attamen omnibus conviciis poſtpoſitis, verbis benevolis ipſos inſtruit, quo fine in mundum venerit, nempe, *propter peccatores, & non propter juſtos.* Ideoque illos cauſam offenſionis nullam habere docet, non enim cum peccatoribus & publicanis converſabatur, edebat & bibebat quaſi vitam eorum profanam adprobet: ſed quærebat potius occaſionem illos convertendi. Et eſt hoc opus miſericordiæ, quod Deo gratius, quam ſacrificia, qui enim converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, Jacob. 5. v. ult.

Videmus hic, Servatorem noſtrum, *non ſurdum* eſſe, ſicut Jupiter Cretenſis Gentilium auribus carebat, aut Baal, quem fruſtra inclamabant ſacerdotes ejus, de mane usque ad meridiem, ut non immerito Elias illis illuderet, dicens: Clamate voce majore, 1. Reg. 18. v. 26. ſeqq.

Nec mutus eſt, ſicut ſimulacra gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum, quæ os habent, & non loquuntur, Pſal. 115. v. 5. Sed aures habet acutiſſimas, quibus arcana quæque audit, qui enim aurem plantavit, non audiet? Pſal. 94. v. 8. quin & *paratiſſimus ad reſpondendum*, innocentiam ſuam defendere poteſt, ſi ipſum inimici veritatis adoriantur. Labia mea non prohibebo Domine, tu ſciſti, Pſalm. 40. v. 11.

Hoc ad *conſolationem noſtram prædicatur*, quo ſciamus & credamus, Jeſum noſtrum adhuc hodie audire, non modo ſuſpiria & preces noſtras, quas corde mœſto ad eum fundimus; ſed & omnes calumnias & convitia, hoſtium ſuorum & noſtrum, quæ contra veritatem Evangelicam, ejusque conſtantes confeſſores effundunt. Et licet quandoque aliquamdiu ſe gerat, ac ſi aures occluſerit ad convitia in religionem noſtram veram eructata, non tamen metuamus. Ipſe melius id audit ac nos ipſi, ſcriptus eſt liber monumenti coram eo, Mal. 3. v. 16. Expectemus modo tempus, quod vindictæ reſervavit. Beatus homo, quem tu caſtigaveris Domine, Pſal. 94. v. 12. Sane non concedet, ut nomen ejus ſanctum polluatur ſemper, Ezech. 39. v. 7.

 III. *Tan-*

III. *Tanquam à cælo miſſus ægrotorum curator.* Non enim, inquit, opus eſt medico valentibus, ſed male habentibus. Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.

Hoc *inſigne aureolum* eſt, quod quilibet, aureis characteribus tabulæ cordis ſui inſcribere debet.

Nos *omnes anima graviter laboramus*, ratione peccati, quod ita intime nos pervaſit, ut nihil boni amplius in nobis habitet, Rom. 7. verſ. 78. ſed à planta pedis usque ad verticem, non eſt in nobis integrum quiddam, ſed vulnus & livor, Eſa. 1. verſ. 6. *Verum propterea non animis cadere debemus*, Jehovah Medicus noſter, Exod. 15. verſ. 16. qui non unum & alterum morbum, ſed omnes infirmitates noſtras ſanare poteſt, Pſal. 103. v. 3. Cujus rei in diebus carnis ſuæ multa præclara ſpecimina edidit, dum pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, Act. 10. v. 38.

Medicum terrenum doctrina imbutum eſſe oportet, quo ſciat complexionem hominis, cumprimis vero morbum, unde oriatur, & quomodo curari poſſit: herbarum quoque & medicamentorum notitiam habeat neceſſe eſt, ut ſciat, quando quidlibet colligendum & quomodo adhibendum ſit.

Hæc omnia apprime conveniunt Servatori noſtro: Eſt enim ſapientia ipſa, Prov. 8. v. 12. & Spiritus Dei requieſcit ſuper eum, Eſa. 11. verſ. 2. Conſtitutionem noſtram tam intime perſpectam habet, ut non modo omnia oſſa, venæ, nervi & ſanguinis guttulæ ipſi nota ſint: ſed & capitis noſtri capillos numeravit, Matth. 10. v. 30. Novit cauſas morborum noſtrorum, quas omnes ex ordine enumerat, Deut. 28. verſ. 15. & ſeqq. Quin & plenam omnium herbarum & medicamentorum notitiam habet, quippe quippe quæ ipſe terra educit, & largitur pharmacopolæ prudentiam, ut unctiones conficiat ex illis ſanitatis, Sir. 38. v. 7.

Corporalem medicum induſtrium eſſe, & ſedulo operam dare oportet, ut conſervet valetudinem, & depellat morbum, ut Galenus ſcribit.

Utrumque Servator noſter pientiſſimus in ſummo gradu præſtat: ſicut enim puſillum & magnum ille fecit, ita & æqualiter cura eſt illi de omnibus, Sap. 6. v. 8. Quod oculi noſtri videant, aures noſtræ audiant, lingua loquatur, manus palpent, & pedes ambulent, imo quod ſpiritum trahimus & vivimus, id omne medico huic acceptum ferendum eſt, qui omnia portat verbo potentiæ ſuæ, Hebr. 1. verſ. 3. Dictum ejus eſt factum, Pſalmo. 33 verſ. 9.

Corporalis Medicus non ſemper opem ferre poteſt, dantur enim morbi incurabiles, hinc Poeta:

Non eſt in Medico ſemper, relevetur ut æger,
Interdum docta plus valet arte malum.

Multo minus, eos, qui exſpirarunt, in vitam

tam revocare poteſt, id ſolius Dei opus eſt, qui mortificat & vivificat, 1.Sam.2.v.6.

Sed apud hunc medicum non impoſſibile eſt ullum verbum, Luc.1.v.37. Pſal. 68. v.21. *Corporalis medicus morbos corporis tantùm profligare*, animam autem ſanare non poteſt. Id miniſterio commiſſum eſt. Verùm Chriſtus ſolus efficere poteſt:

Ut ſit mens ſana in corpore ſano.

Sicut paralyticum cùm anima tùm corpore ſanavit, Matth.9.v.26. Hinc Auguſtinus: *Sic medetur plagis peccatorum noſtrorum, ut nulla cicatricum veſtigia remaneant.* Hinc nulla condemnatio eſt in iis, qui in Chriſto Jeſu ſunt, Rom.8.v.1.

Medico corporali non ſemper potiri poſſumus. Sicut legimus de Hippocrate, quod Rex Perſarum ei magna donaria obtulit, qui tamen ad eum venire noluit.

Verùm aliter cum Chriſto ſe res habet, hic enim nobiſcum eſt omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi, Matth. 28.v.ult. Ideo vocatur Immanuel, Deus nobiſcum, Eſa.7.v.14. Hinc bene Auguſtinus: *Quia tu non poteris ire ad Medicum, ipſe Medicus venit ad te.* Per adſcenſionem enim ſuam in ejusmodi thronum adſcendit, qui per totum orbem ſe extendit, ut nos ubique terrarum ejus perfugio uti poſſimus. Non enim longè ab unoquoque noſtrum eſt; in ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus, Act.17.v.28.

Poſtremò nemo Medicorum reperietur, qui *vitam pro ægrotis profuderit.* Verùm Chriſtus id fecit. Propterea exclamat Auguſtinus: *O mirabile genus medicinæ, ubi medicus ægrotat, ut ægrotis ſanitatem conferat.* Verè languores noſtros ipſe tulit, Eſa.53.v.4. ſeqq.

Hoc proinde *ad ſolatium veſtrum* tenete, Dilecti! & quia auditis, medicum hunc non veniſſe valentibus, ſed malè habentibus: Videte, ne vos valentes arbitremini, ſicuti Phariſæi in ſe confidebant, quod eſſent juſti, Luc.18.v.9. ſed potius cum Paulo gloriemini in infirmitatibus veſtris, ut inhabitet in vobis virtus Chriſti, 2.Cor. 12.v.9. & in hoc medico, hic temporaliter & ibi in æternum exultare poteritis. *Hic in tempore* ſanabit vos, verbo ſuo ſanctiſſimo, quod verum malagma eſt, omnia ſanans, Sap.16.v.12. *Ibi verò in æternum* cibavit vos de ligno vitæ, quod in paradiſo Dei eſt, & cujus folia ad ſanitatem gentium, Apoc.22.v.2. ut nunquam ægrotare, ſed germinare & vireſcere debeatis, Pſal. 92.v.15. nec mortem guſtare in æternum, Joh.8.v.51.

Id quòd nobis omnibus ex gratia concedere dignetur, Deus Opt.Max. per filium ſuum Jeſum Chriſtum, Servatorem noſtrum, in Spiritu ſancto,
Amen.

In die feſto Michaelis Archangeli.

Evangelium Matth. 18. v. 1. --- 11.

EXORDIUM.

CUm Joſua eſſet in agro urbis Jericho, levavit oculos: & vidit virum è regione, evaginatum tenentem gladium. Perrexitq; ad eum, & ait: Noſter es, an adverſariorum? Qui reſpondit: Nequaquam, ſed *ſum princeps exercitus Domini*

mini, & nunc venio. Cecidit Joſue pronus in terram & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad ſervum ſuum? Et dixit Princeps exercitus Domini ad Joſue: *Solve calceamentum de pedibus tuis*; locus enim in quo ſtas, ſanctus eſt. Fecitque Joſue, ut ſibi fuerat imperatum, Joſ. 5. v. 13. ſeqq.

Hic *peculiaris apparitio* nobis deſcribitur, quæ Principi Joſuæ accidit: ſine dubio *filius Dei* fuit in forma angeli, qualem ſe in V. T. ſubinde manifeſtavit, & inde κατ' ἐξοχὴν *Angelus fœderis* dicitur, Mal. 3, 1. Eſt etenim *Angelorum princeps*, cui omnes obedire, & voluntatem ejus facere tenentur, Pſal. 103. v. 20.

Veluti igitur aliàs Princeps exercitus ſive Dux militiæ, in loco illo ubi eſt, exercitum ſuum ſecum habet: Ita certiſſimè perſvadeamus nobis, quod ubi Chriſtus per fidem habitat in corde, Eph. 2. v. 17. ibi & ſancti angeli præſentes ſint, in frequentia multorum millium, Hebr. 12. v. 22. caſtra metantes in circuitu timentium Dominum, Pſal. 34. v. 8.

Joſua calceamentum de pedibus ſuis à filio Dei *ſolvere* jubebatur: quo ipſo intelligitur omnis immunditics, quæ hòmini adhæret, Hebr. 12. v. 1. hanc deponamus oportet, per quotidianam pœnitentiam, tanquam novæ creaturæ, in novitate vitæ ambulantes, Rom. 6. v. 4. Filius enim Dei eſt ſanctiſſimus, Dan. 9. v 24. quin & Angeli caſti & mundi ſpiritus ſunt, unde etiam ſancti angeli appellantur, Matth. 25. v. 31. Quodſi igitur Princeps exercitus Domini, cum ſanctis Angelis apud nos divertere debet, & habitationem facere: non configurati prioribus ignorantiæ deſideriis, ſed ſecundum eum, qui vocavit nos, ſanctum, & nos in omni converſatione ſancti ſimus, neceſſe eſt, 1. Petr. 1, 15.

Aliàs in ſcriptura mentio fit calceamentorum in bonâ quoque ſignificatione, cumprimis, quando ſponſus cœleſtis de ſponſa eccleſiâ, & quavis fideli anima dicit: Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceámentis, filia principis, Cant. 7. v. 1. ita ſponſus ipſe ſponſam ſuam hyacintho calceaverat, Ezech. 16. v. 10.

Sed hic Dominus *de aliis calceis* loquitur, quos Protoplaſti in Diaboli officina ſibi aptari & applicari ſiverant, à quibus ad nos per hæreditatem devenerunt, ſicuti de Adam expreſsè dicitur, quòd poſt lapſum, non ad Dei, ſed ad imaginem & ſimilitudinem ſuam filios genuerit, Gen. 5. v. 3. Ideò emphaticè dicitur, ſolve calceamentum de pedibus tuis, non quod ego applicavi tibi, ſed tuum, quod ipſe induiſti, ad latam illam viam currendam, quæ ad perditionem ducit, Matth. 7. v. 13.

Hoc ipſo igitur adumbratum fuit, ut, qui præſentiâ gratioſâ Jeſu Chriſti, & cuſtodiâ ſanctorum Angelorum gaudere velit, ante calceamenta exuere debeat, hoc eſt, vitæ ſanctimoniæ ſtudere, & ita vitam agere teneatur, in hoc mundo: ne cui fortè ſcandalum præbeat, & ita juſtiſſimam Dei vindictam ſibi attrahat, ut mola aſinaria iræ divinæ ſuſpendatur de collo ejus, ratione cujus Chriſtus fideliter nos admonet in prælecto Evangelio.

Quoniam igitur pii Veteres hoc ipſum in feſto Angelorum explicandum ordinarunt; nos ſine ulteriori præloquio ad explicationem ejus progreſſuri, contemplabimur ex eodem:

I. Ανθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

HOdiernus feſtus dies Michaelis *à ſancto Archangelo Michaele nomen ſortitus eſt*, de cujus *apparitione triplici* Pontificii multa fabulantur, quæ verò ſuo loco relinquimus. Quod autem nos hunc diem in eccleſiis A.C. ſolenniter celebramus, id *non in honorem creati Archangeli*, *ſed Chriſti* facimus, ad animum nobis hoc ipſo præclara illa beneficia revocantes, quæ nobis per ſanctorum Angelorum tutelam exhibuit, unde in voce laudis immolare Domino, & quæcunque vovimus, reddere ſalutem Domini tenemur, qui nos tam gratioſè reſpexit, & in calamitatibus auxilio ſuo præſtò fuit, Jon.2.v.10.

Ad ἀνθρωπολογίαν verò, ſive *notitiam noſtri* deducet nos:

1. *Superborum ingenium*, qui non contenti ſunt ſorte ſuâ, ſed lautiorem deſiderant, dum cum Abſolone in quercu exitii penduli fiant, in ſuperbia enim initium ſumit omnis perditio, Tob.4.v.14.

Exemplum habemus in Apoſtolis prælecti Evangelii, qui ex vanâ ambitione à Servatore quęſtionem decidendam petunt, quis major ſit in regno cœlorum?

Hoc igitur Apoſtolis, velut perſonis eccleſiaſticis minus conveniebat: non enim propterea Chriſtus eos elegerat, ut ſuper populum dominarentur, Luc.22.v.26. ſed teſtes ejus eſſent in Hieruſalem, & in omni Judæa & Samaria, uſque ad ultimum terræ, Act.1.v.8.

Hic probes velim te, utrum & tu gradum honoris altiorem affectaveris, quàm æquũ eſt?

Ejuſmodi homines nunquam defuerunt, virus enim illud ambitionis omnibus hominibus in Protoplaſtis noſtris inſtillatum eſt ab antiquo ſerpente, qui principio Evam ita faſcinavit, ut ex præpoſtero deſiderio, quo Deo ſimilis foret, de ligno ſcientiæ boni & mali ideo guſtavit, Gen.3.v.5.

Eodem veneno infecti fuere, *Korah* cum cœtu ſuo, Num.16.v.1. *Haman*, Eſth. 5.v.9. c.7.v.9. *Abſolon*, 2.Sam.14.v.25. qui hoc ipſo certiſſimum ſibi exitium attraxerunt.

Adhuc hodie antequam conteratur, exaltatur cor hominis, Prov.18,12. & ruinæ certiſſimus anteſignanus ambitio eſt. Deus enim alta à longè cognoſcit, Pſal.38,6. & elatos contemtibiles reddit, Sir.10,16. Hinc Æſopus rogatus, quid Deus in cœlo faceret? reſpondit: Humiliat excelſa, & extollit humilia. Cum quo B. Maria conſentit, Luc.1.v.51.

Hæc doctrina obſervanda eſt:

1. *In Choro*, ne verbi miniſtri dominentur in cleris, 1.Petr.5.v.3. ut Papa Alexander III. qui Imperatoris Friderici Barbaroſſæ collum calcavit Venetiis, dicens: ſuper aſpidem & Baſiliſcum ambulabis: ſed gregem ſibi demandatum paſcant pedo verbi, quem proprio ſanguine acquiſivit ſibi, Act.20.v.28. qui major eſt, fiat ſicut minor, Luc.22.v.26. Hinc officium verbi, non vocatur Magiſterium: ſed Miniſterium, ut miniſtri hinc commoneantur, quod omnibus ex æquo miniſtrare debeant, ſicut id Paulus ſuo ipſius exemplo docet, 1.Cor.9.v.19. ſeqq.

2. *In Foro*. Ubi plerumq; honores mutant mores: ſed rarò in meliores: Hinc videas, quorum promineat præ pingvedine oculus, Pſal.73.v.7. Job.15,27. Poſuerunt in cœlo os ſuum, & lingva eorum tranſivit in terrâ, Pſal.73.v.9. Verùm & graviſſimum

mum judicium illis imminet, quia excelſo excelſior eſt cuſtos, Eccleſ.5.v.7. is aliquando interrogabit opera eorum, & cogitationes ſcrutabitur, Sap.6.v.4.

3. *In Toro.* Cuilibet enim Deus locum ſuum adſignavit, in numero, pondere & menſura, Sap.11.v.22. Unumquemque igitur ſicut vocavit Deus, ita ambulet, 1.Cor. 7.v.17. nec quærat altiora, Sir.3.v.22. Deus enim in altis habitat, & humilia reſpicit, in cœlo & in terra, Pſal,113.v.6. Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, 1.Petr.5,6.

II. *Præſens remedium.* Et advocans Jeſus parvulum, ſtatuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficimini, ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque igitur humiliaverit ſe, ſicut parvulus iſte, hic eſt major in regno cœlorum.

* Hoc abſurdum cuipiam videri poſſit, ut cum Nicodemo ille quæreret: Quomodo homo poteſt renaſci cum ſit ſenex? Etſi enim non ita intelligendum ſit, quod ſtaturâ aut ſenſibus: ſed malitiâ pueri effici debeamus, uti Paulus explicat, 1.Cor.14,20. Attamen res ardua eſt, quam quidem inchoare, ſed ad perfectionem deducere non poſſumus, in mortalitate hac: ſemper enim ex parte cognoſcimus, uſque dum ad annos diſcretionis perveniamus, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, Eph.4.v.13.

Hic tecum in examen deſcende mi Chriſtiane! utrum & ipſe infirmitate tuâ agnitâ, neceſſarium putaveris, à pueris diſcere, & eorum inſtitutione uti?

Hic enim Servator advocans parvulum, quem Nicephorus Ignatium, diſcipulum Johannis Evangeliſtæ fuiſſe, autumat, præconem conſtituit, ut ab eo Apoſtoli ejus, & nos omnes veram animi humilitatem diſcere debeamus. Parvuli enim non inflati, ſuperbi & ambitioſi, ut adultiores ſæpè ſolent, ſed humili corde ſunt, & ut Paulus ait: Quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo, Gal.4.v.1. ſic neque nos ſuperbiamus donis, quæ concredidit nobis Deus, ſed alios, etiam infimos ſuperiores nobis arbitremur, Phil.2,3.

Equidem unicuique honos ille debetur, quem Deus ei concredidit in functione illa, in quâ à Deo collocatus eſt, juxta illud: Cui honorem, honorem, Rom.13.v.7. Quod verò propterea quis ſeſe efferre, & alios deſpicere velit, hæc maxima omnium ſtultitia eſt. In oculis enim Dei omnes unum figmentum ſumus: quilibet ſibi applicet: Terram geris, terram teris, & in terram converteris, Gen.3.v.19.

Præterea viliſſimi mendici anima non minori pretio à Chriſto redemta eſt, quàm anima Romani Imperatoris. Omnes enim pretio magno emit, 1.Cor.6,19. non auro & argento, ſed ſanguine ſuo pretioſiſſimo, 1.Petr.1.v.18,19.

Quin & eodem verbo, baptiſmo, unâ cœnâ & eadem ſpe fruimur impetrandæ ſalutis. Eccur præ aliis nos extolleremus? cur ſuperbiremus, ſi fortè talentum aliquod præ alio acceperimus? Potius noſtri erit officii, concordes vivere, & dono illo in alterutrum uti, ſicut boni diſpenſatores multiformes gratiæ Dei, 1.Petr.4.v.10. εἰς παροξυσμὸς τῆς ἀγάπης, Heb.10.v.23. præſertim, quia Chriſtus ipſe dilectionem characterem Chriſtianorum conſtituit, Joh. 13. verſ.35.

Multi ſibi perſvadent, perfacilem eſſe in cœlum viam, ideò ſatis remiſſi ſunt in Chriſtianiſmo ſuo: Sed hîc audimus Chri-

ſtu-

ſtum juratò quaſi adſeverantem: Niſi converſi fueritis,& efficiamini, ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Hoc magnam induſtriam & diligentiam requirit. Dicitur quidem in Proverbio: Bis pueri ſenes. Sed id hic locum non habet. Dantur enim & pueri centum annorum, Eſa.65. v.20. Sed & nullum fidejuſſorem habemus, quod ad tantam ſenectutem perventuri ſimus, ideo non eò res differenda eſt, ſed memento creatoris tui in juventute tuâ, Eccleſ.12.v.1. Senectus enim venerabilis eſt,non diuturna, Sap.4.v.8.9.

III. *Scandali periculum.* De quo Servator: Qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur &c.

Hic de *gemino ſcandalo* audimus. *Primum* eſt *Activum ſeu datum*, quod nimirum per verba & opera prava exhibetur: quod facile excipitur à parvulis, qui ſunt inſtar tabulæ raſæ, cui nihil inſcriptum actu, quodlibet verò inſcribi poteſt. Et quia figmentum cordis eorum pravum eſt naturâ, ideò facilimè ab ipſis malum imbibitur, Gen.6.v.5.

Alterum vocatur *ſcandalum paſſivum ſeu acceptum*, quando quis in illo, quod ab altero fit, offenditur, ubi nulla offendendi cauſa ſubeſt. Eo ſpectat, quod Chriſtus de eruendis oculis, & abſcindendis & projiciendis manibus & pedibus diſcipulis inculcat, quando animæ ſcandalum præbere velint.

Et quidem intelligenda ſunt verba hæc

1. *Propriè*, ut *manus* retrahamus, ne ſupergrediantur, neque circumveniant in negotio fratrem, 1.Theſſ.4.v.6. *pedes*, ne ad malum currant, Prov.1.v.16. *oculos*, ne videant vanitatem, Pſal.119.v.37. ut Potiphara, Gen.39.v.7. & David, 2.Sam.11.v.2. ita eruere, abſcindere & projicere debemus, non membra ipſa: ſed ſcandalum, quod in membris ſe exerit, id quod Paulus his verbis præcipit: Mortificate ergò membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, Col.3. verſ.5.

2. *Metaphoricè*, quo modo Chriſtus hoc docere vult, ne quis nobis tam charus ſit in toto mundo, ut per eum nos a Deo abſtrahi & ad peccata ſeduci patiamur, etiamſi nobis conjunctiſſimus & utiliſſimus foret, ſicut manus, pedes, & oculi corpori humano. Qui amat patrem aut matrem plus, quàm me, non eſt me dignus, Matth. 10.v.37.

Per *manum Metaphoricè intelligi poteſt amicus*, fidelis vicinus, aut patronus & promotor, qui manum porrigit, ubi auxilio ejus indiges, ſicut de Equite Samaritano dicitur, quod in ejus manu Rex incubuerit, 2.Reg.7.v.17. h.e. auxilio & fide ejus in bello uſus fuerit. Quando igitur ejusmodi manus ſcandalizaverit te, h.e. quando amicus tuus te perſvaſurus eſt, ut adverſus Deum & verbum ejus quicquam committas, potius amicitiæ ejus valedicere, & beneficiis & promotione ejus carere malis, quàm ut ad ejus gratiam injuſtè agas, & conſcientiam tuam ſaucies. Nam ſi peccaverit vir in virum &c. 1.Sam.2.v.25.

Per *pedes Metaphoricè intelligitur famulitium*, quod Dominis inſervit, & ire tenetur, quo mittitur, hinc Jacob ad Laban: Benedixit tibi Dominus ad introitum meum, quod Lutherus ita Germ. vertit: Der HErr hat dich geſegnet durch meinen Fuß / Geneſ.30.v.30. Quando igitur talis pes ſcandalizaverit te, h.e. quando ſervitia impia habes, quæ idolola-

triâ, blaſphemiis, mendaciis, libidine, aliisque peccatis tibi & liberis tuis ſcandala exhibent, abſcinde pedem, h.e. extermina eadem domo tuâ, etiamſi tibi perutilia forent, ſicut Abraham cum Hagar ita proceſſit, cum ſupra heram ſe extolleret, Gen. 21. v. 14.

Per *oculos in ſcriptura ſignificantur, qui in officiis publicis conſtituti*, aliis viam monſtrant, ut oculus corpori: qualis in ſtatu eccleſiaſtico ſunt verbi præcones, & præceptores: in politico Magiſtratus & præpoſiti: in Oeconomico, parentes, heri & heræ, quæ Deus aliis præpoſuit, ut auditores, diſcipuli, ſubditi, liberi, & famuli, eos ſedulò obſervare & oculis ſuis reſpicere debeant, Pſal. 123 v 2.

Quodſi igitur oculus tuos ſcandalizaverit te, h. e. Paſtor, & præceptor tuus, Magiſtratus, Parentes & Domini tui committunt aliquid iniqui noli te ad eorum exemplum conformare: ſed erue oculum iſtum, & fac quod æquum eſt; Dic enim noviſſimo unusquisque noſtrûm pro ſe rationem reddet Deo, Rom. 14. v. 13. & onus ſuum portabit, Gal. 6. v. 5.

Hic in examen te voca, mi Chriſtiane! annon & ipſe per varia ſcandala molam aſinariam vindictæ divinæ tibi attraxeris?

Univerſus equidem mundus plenus eſt offendiculorum, & totus in maligno poſitus eſt, 1 Joh. 5. v. 19.

Verbi miniſtri ſcandalum præbent Auditoribus, quando non acquieſcunt ſanis ſermonibus, & quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinæ, 1. Tim. 6. v. 3. ſed inanes doctrinas ferunt, quæ ut cancer ſerpunt, 2. Tim. 1. v. 17. tum & impiam vitam agunt, docent alios ſeipſos non docentes, prædicant non furandum & furantur, Rom. 2. v. 21. Hoc grave ſcandalum eſt, quod enim illi unâ manu ædificant, alterâ deſtruunt, adeoque operam & laborem perdunt, Sir. 24, 28.

Magiſtratus offendiculum addunt ſubditis, ſi non ſedulò viſitent templum, aut vitam impiam agant, aut à vera religione deficiant, hoc enim exemplo multi ſeducuntur, & in perverſum abripiuntur, nam ſecundum judicem populi, ſic & miniſtri ejus, Sir. 10. v. 2. Prov. 29. v. 12.

Parentes ſcandaloſi ſunt liberis, quando verba indecora, imprecationes, maledictiones effutiunt, aut ad ſuperbiam & alia peccata illis anſam præbent. Pueri ſunt velut ſpeculum, quod imaginem ejus rei reddit, quam concipit: ſic & illi plerumque parentum vitia referunt. Quapropter ſemper molæ illius aſinariæ hic recordari debes, quam Chriſtus illis minitatur, qui parvulis ſcandalum exhibent.

Olim parricidæ, cum fele, ſimia, ſerpente, cane & gallo gallinaceo, culeo coriaceo inſuti, ſuſpenſo de collo lapide in profundum aquarum miſſi ſunt. Hæc pœna horrenda fuit. Verùm hic Chriſtus expedire ait, qui ſcandalizaverit unum de puſillis, ait, morte ejuſmodi ignominioſâ afficiatur, nam multò gravior pœna ei reſervata eſt in barathro infernali, ubi molendinum iræ divinæ graviſſimum ſentire & portare cogetur in æternum. Vermis enim damnatorum non morietur, & ignis eorum non extingvetur, Eſa. 66. v. ult.

De Secundo.

PRogrediemur nunc ad *alteram partem*, Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti* contemplaturi. Hic nobis in Evangelio præſente commendatur:

I, *Tan-*

I. *Tanquam dubiorum Enucleator.* Hic audimus diſcipulos ad ipſum accedere & quærere, quis major futurus ſit in regno, quod inchoaturus ſit in terris.

Hac in parte optimè fecerunt Apoſtoli: licet enim quæſtio hæc ſubinde in medium allata eſſet, illique meritò ex informatione Chriſti, rationem illius diſcere debuiſſent, ut nullâ ulteriori interrogatione opus habuiſſent: quia tamen ſemper Chriſtum terrenum regnum incepturum eſſe ſomniabant, in quo alter alteri prærogativam invidebat, rectè faciunt, quod à Domino & magiſtro ſuo informationem petunt, eſt enim ſapientia ipſa, qui habitat in conſilio, Prov.8.v.12.

Quando Iſraelitæ in V. T. Dominum conſulturi erant, ad propitiatorium ſe vertere tenebantur, ibi de medio duorum Cherubim, qui erant ſupra arcam teſtimonii, Deus reſponſa dabat, Exod.25.v.21.22. quod & fiebat *per Urim & Thummim.* Vide 1.Sam.23.v.6. c.30.v.7.

Id Diabolus apud paganos imitatus eſt per Oracula, quale in delubro Delphico celeberrimum fuit. Reſponſa inde accepta non aliter ac certiſſima, ac pro Dei voce habebantur, etiamſi reſponſa plerumque ambiguæ interpretationis fuerint, & illi qui iisdem innixi ſunt, turpiſſimè fallerentur. Notum eſt illud Crœſo Lydiæ Regi datum reſponſum:

Crœſus Halym penetrans, magnam pervertet apum vim.

Quod in utramque partem exponi potuit, adeoque Crœſum miſerè deluſum regno ſuo privavit.

Ejuſdem farinæ eſt illud Pyrrho datum: Ajo te Æacida Romanos vincere poſſe.

Quo Pyrrhus Epiri Rex non minus deluſus & à Romanis victus eſt.

Ita *Diabolus cæcos gentiles ludificavit,* ut prorſus conſilii incerti fuerint, eſt enim mendax ab initio, Joh 8.v.44. & licet interdum verum dicat, tamen meras præſtigias agit, poteſt enim ſe in angelum lucis transformare, 2.Cor.11.v.15.

Sicut igitur Judæi Urim & Thummim ducentos ante natum Chriſtum annos amiſerunt: Ita & Oracula ethnica obmutuerunt nocte illa, qua Chriſtus natus eſt. Cum n. Cæſar Auguſtus de ſucceſſore oraculum Apollinis conſuluit, tale reſponſum tulit:

Me puer Hebræus, Divos Deus ipſe gubernans
Cedere ſede jubet, triſtemq; redire ſub (orcum:
Aris ergò dehinc tacit9 diſcedito noſtris.

Optimum noſtrum Oraculum, ad quod in omnibus neceſſitatibus confugere poſſumus, etiam rebus adeò intricatis, ut ignoremus, quid agere debeamus, ſicut Rex Joſaphat, 2.Chron.20.v.12. eſt *Chriſtus Servator noſter,* magnus ille Propheta à Moſe promiſſus, Deut.18,15. qui nobis voluntatē patris ſui manifeſtavit, ut ſciamus quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à nobis, Mich.6,8. Nemo Deum vidit unquam Joh. 1,18. & ſcripturę quotidie teſtimonium perhibent de illo, Joh. 5.v.39.

Quodſi igitur noſſe cupis, quomodo cœleſtis pater in te affectus ſit? cū Apoſtolis ad Chriſtum te confer, & interroga eum, & optimum reſponſum tibi dabit, dicens: Sic Deus dilexit mundum, &c. Joh.3,16.

Scire ſi deſideras quomodo in cœlum venire, juſtificari & ſalvari debeas, iterū Chriſtū conſule, ipſe dixit: Qui verba mea &c. Joh.5.

Experiri ſi aves, an precatio tua quā in anguſtiis ad Deū fundis, grata & efficax ſit, iterum nemo te certiorem reddere poterit, quàm Chriſtus, qui ait: Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis, &c. Joh.16,23.

Si mundo huic valedicturus, omni ſolatio deſtitueris iterum cum Apoſtolis Chriſtum accede, & ejus opem implora, ille non temerè dixit: Ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit, Joh. 12. v. 26. Etſi enim terræ mandamur, quæ mater omnium noſtrûm eſt: attamen hora veniet, in qua omnes, qui in monumentis ſunt prodibunt, Joh. 5. v. 28.

Summa: Qualecunque dubium inciderit, hic Dominus optimus ſcriba eſt, qui proferre poteſt de theſauro ſuo nova & vetera, Matth. 13. v. 52. *Si lex terret te*, prædicat tibi Evangelium: *Sin autem gratiâ ejus abutaris*, ex lege infernum tibi minatur, virgam enim amabilem, & dolorem rectè adhibere novit, Zach. 11. v. 7. Icircò omnia apud eum invenimus, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, eſt enim omnia in omnibus, 1. Cor. 15. v. 28. & poteſt unicuiq; dare petitiones cordis ſui, Pſ. 37. v. 4.

II. *Tanquam parvulorum obſervator.* Propterea inquit: Qui ſuſceperit unum parvulum talem, in nomine meo, me ſuſcipit. Qui autem ſcandalizaverit &c.

Hiſce verbis Servator *parvulos nobis fideliſſime commendatos vult.* Equidem puerorum educatio multo labore, & accuratâ curâ indiget, dum adoleſcant, ut ipſa experientia probat. Ideo Maccabæa, cum filius ad martyrium duceretur, ait: Fili mi, miſerere mei &c. 2. Macc. 7. v. 28. ſeqq.

Hoc adhuc hodie piæ matterculæ ſatis experiuntur, quando non modo in dolore pariunt filios ſuos, Gen 3. v. 16. ſed & varia curatione ſatis tædioſa liberos proſequitur, quàm vel pretio conducta non ſuſciperet, niſi innata στοργὴ eam adigeret. Et hoc ipſo res nondum tranſacta eſt, ſed ſi officio ſuo ſatisfacere velit, ante omnia operam navet oportet, ut in diſciplina & admonitione Domini illi educentur, Eph. 6, 3. ut arbores juſtitiæ & plantatio Domini, ut glorificetur, Eſa. 61, 3. & illi reddantur, qui eos mutuò dedit, ut Hanna cum Samuele id rectè obſervavit, 1. Sam. 1. v. ult.

Atqui Chriſtus hic emphaticè ait: Qui ſuſceperit unum parvulũ talem in nomine meo, me ſuſcipit, quo indicat, ſe omne illud, quodcunq; parvulo ſive boni ſive mali exhibitum fuerit, ſibi factum cenſere velle. Hinc cum offerrentur parvuli ejusmodi Chriſto, amplexavit eos, & imponens manus ſuper illos, benedixit illis, his amicis verbis adjectis: Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos, talium eſt enim regnum Dei, Marc. 10. v. 13. ſeqq. Et quidni illos reciperet? ſiquidem plaſmavit, & protexit eos in utero matris, Pſal. 139, 13. quin & extraxit eos juſto tempore, Pſal. 22. v. 10. nec minus eosdem ſalvari vult, quàm ſenes, non eſt enim voluntas ante patrem cœleſtem &c. Matth. 18. v. 14.

Quicunque igitur liberorum curæ præpoſiti ſunt, munus ſuum fideliter obeant, eosq; utiliter inſtruant: ſic firmum præſidium habent, quod Diabolo ejusque ſatellitibus opponere poſſunt, ex ore enim infantium & lactentium perfecit ſibi Deus robur, Pſal. 8. v. 3. Opulentam quoq; mercedem ſibi reſervatam habebunt a Chriſto ipſo: qui eos ſpiritu ſuo ſancto hic inſtructos aliquando in parvulorum cœtum aſſumturus eſt, ubi non amplius Benoni, ſive filii doloris: ſed Benjamin, ſeu filii dextræ vocabuntur, & hæreditariò accipient, paratum ſibi regnum à conſtitutione mundi, Matth. 25. v. 34.

III. *Tanquam Angelorũ Imperator*, qui cœ-

cœlo-

emittit in miniſterium propter illos, qui hæreditatem capient ſalutis, Heb. 1. v. ult. Hic audimus, quod ſervator ait: Angeli eorum in cœlis, ſemper vident faciem patris, qui in cœlis eſt. Ex quo colligere poſſumus, tam parvulos, quam omnes veros Chriſtianos peculiares ſibi Angelos deſtinatos habere, qui à Chriſto miniſterio & cuſtodiæ eorum præpoſiti ſint. Eſt enim Dominus Sabaoth, Pſalm. 24. verſ. ult. in quorum numero & angeli continentur, unde expreſſe militia cœli vocantur, Jer, 23 22. qua ratione & Jacobo viſi ſunt in itinere ex Meſopotamia, Gen. 31. v. 55. Ideo legimus, quod ipſi ſervierint in nativitate, Luc. 2, 9. 13. in reſurrectione, Marc. 16, 5. in adſcenſione, Act. 1. v. 10. quin & in extremo judicio in multis millibus veniet, Matth. 25, 31. Ep. Jud. v. 14.

Quandoquidem igitur hodiernum feſtum cumprimis eum in finem à Priſcis inſtitutum eſt, ut doctrina de Angelis tractetur, & Deo pro eorum tutela & præſidio gratiæ agantur, *occaſione horum verborum nobis differendum eſt* :

1. *De Angelorum natura*, ubi occurrit:

1. *Veritas exiſtentiæ*, contra Sadducæos, qui eam expreſſe negarunt, Act. 23, 8. In hoc errore etiam fuerunt Libertini, & patrum memoria David Georgius, qui neque angelos neque diabolos credidit, ideoque poſtquam hæreſis ejus manifeſtata eſt, poſt mortem Baſileæ cadaver ejus refoſſum & exuſtum fuit.

Hujus farinæ hodierni Empactæ ſunt, de quibus Petrus prædixit, quod poſtremis his temporibus in magna copia prodituri ſint, 2. Petr. 3, 3. in diem enim velut pecora viventes, non credunt Angelos eſſe, qui animas fidelium cuſtodiant, easque poſt mortem in ſinum Abrahæ deportent, Luc. 16. v. 22. Nec credunt dæmones eſſe, qui poſt mortem in carcere infernali impiorum tortores futuri ſint, Matth. 5. v. 25.

Sed *contrarium facile probari poteſt* :

1. *Expreſſis ſcripturarum teſtimoniis*, quorum ex multis nonnulla ſaltem adducemus. Qui facis angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem fulgentem, Pſal. 104, 4. Benedicite Domino omnes exercitus ejus, Pſ. 103. v. 21. Paulus mentionem facit thronorum, & dominationum, principatuum & poteſtatum, per quos intelliguntur diſtincti Angelorum ordines, Col. 1. v. 16. ſunt enim eorum multa millia, Heb. 12, 22. Jacob videt ingentem exercitum, Gen. 32. v. 2. Paſtores Bethlehemitici vident totam multitudinem militiæ cœleſtis, Luc. 2. v. 9. Chriſtus ipſe dicit, quod poſſit rogare patrem ſuum: ut exhiberet ſibi plus quam duodecim legiones angelorum, Matth. 26. v. 53.

2. *Clariſſimis apparitionum ſuffragiis.* Ita Agar Angelus Domini apparuit, cum fugiſſet à Sara, Gen. 16. v. 7. & iterum cum erraret in ſolitudine Berſabeæ, Gen. 21, 15. ſeqq. Abrahamo tres angeli apparuerunt, Gen. 18, 1. Lotho duo, Gen. 19, 1. Jacobus vidit caſtra angelorum, Gen. 32. v. 1. Vide Jud. 13. v. 11. 2. Sam. 24. v. 17. Dan. 3. v. 25. Matth. 2. v. 14. Luc. 1. v. 11. Marc. 16. v. 5. Act. 12. v. 7. & paſſim. Ita ut minime nobis dubitandum ſit, quin angeli exiſtant, boni & mali. Boni ideo creati ſunt, ut faciant voluntatem Domini, Pſal. 102. v. 20. fidelibus Chriſtianis præſidio, auxilio, conſilio & ſolatio ſint, hoc miniſterium eorum eſt, Heb. 1. v. 14. Mali vero ſe a Deo averterunt, & ſimul omnium hominum, præcipue vero fidelium hoſtes & adverſarii facti ſunt, 1. Pet. 5. v. 8.

2. *Quidditas eſſentiæ.* Quam conſiderabimus:

1. *Negative.* Quando enim ſanctos Angelos

gelos ſpiritus eſſe aſſerimus, non ejusmodi ſpiritus intelligimus, quomodo Deus ſpiritus eſt, Joh. 4, 24. aut ut Chriſtus de vento dicit: Spiritus ubi vult ſpirat, Joh. 3. v. 8. Multo minus Deo æquales cenſendi ſunt, ut veteres hæretici: Simoniani, Saturniani, Nicolaitæ, & alii delirarunt, quod mundus & omnia viſibilia non à Deo, ſed ab angelis creata ſint. Hoc falſum eſt. Qui enim omnia præparavit, Deus eſt, Heb. 3, 4. Hunc honorem ſibi ſoli vendicat, nec alteri dabit, Eſa. 41. v. 8.

Nec concedi poteſt, quod Origenes ſtatuit, Angelos corpora habere, quamvis ſubtiliora ſint noſtris corporibus. Equidem in ſcriptura & prophanis hiſtoriis exempla offenduntur, quod angeli in forma corporali & viſibili ſe exhibuerint: verum nō propria eorū, ſed aſſumpta forma fuit, qua tantiſper uſi ſunt, dum commiſſum ſibi à Deo munus reſpectu hominum (quod hoc modo commodius fieri potuit) exantlarunt. Perfecto vero miniſterio ſuo aſſumtam illam ſpeciem depoſuerunt rurſus. Et licet nonnunquam cum hominibus cibum ceperint, ut angeli qui apud Abraham & Loth diverterunt, Gen. 18. v. 8. c. 19. v. 3. attamen id factum eſt, aut apparenter, aut ex ſingulari quadam œconomia, ob aſſumtam ſpeciem, non quaſi eſuriverint, ſed quod usque ad tempus manifeſtationis cò commodius occulti eſſent, ne ab iis cum quibus converſarentur, agnoſcerentur, quale exemplum in angelo Raphael habemus, Tob. 12. v. 19.

2. *Affirmative*, ut indicemus, quid ſint, nempe:

1. *Spiritus ſapientiſſimi*, quorum ſapientiam nemo hominum aſſequi poterit, licet Salomonis ſapientiam adæquaret, 1 Reg. 4. v. 19. Quod enim Thecuitis ad Davidem ait: Sicut angelus Domini, ſic & Dominus meus Rex, 2. Sam. 14. v. 17. id comparate intelligendum eſt, reſpectu aliorum, qui ejusmodi ſapientia non valent. Interim tamen cordium ſcrutatores non ſunt, hanc enim proprietatem ſibi reſervavit Deus, 1. Reg. 8. v. 39.

2. *Spiritus Sanctiſſimi*, ideo Paulus eos vocat Angelos electos, qui in ſanctitate ſua perſtiterunt, & ita in ea confirmati ſunt, ut in æternum labi non poſſint. Quod & inde patet, quia vident faciem patris cœleſtis, ad quam nemo pervenire poteſt, niſi qui mundo corde eſt, Matth. 5. v. 8.

3. *Spiritus potentiſſimi*, qui facili negotio effrenem tyrannorum laſciviam compeſcere poſſunt, ſi à Deo in mandatis id habent. Sicut legimus, quod unicus aliquis Angelus in caſtris Sennacherib non unum virum, ut animoſus ille heros David, 1. Sam. 17, 5. non ſexcentos ut Samgar, Jud. 3. v. ult. non octingentos, ut Joſeb Baſebeth, 2. Sam 23 v. 8. non mille uti Samſon, Jud. 15. v. 15. ſed centum octoginta quinque millia in una nocte percuſſerit 2. Reg. 19. v. 35. inde vocantur potentes virtute, Pſal. 103. v. 20. & angeli virtutis, 2. Theſſ. 1. v. 7.

Hæc conſideratio inſerviat

1. *Piis in conſolationem*: etſi enim cœlites & cives ſunt, Gen. 18. v. 17. tanti tamen Deus eos fecit, ut non modo ex perditione eosdem redemerit, in quam per triſtem Protoplaſtorum lapſum inciderant: verum etiam adeo præcellentes ſpiritus & cœleſtes genios illis protectores & cuſtodes conſtituerit. Hinc non immerito David ...

mirationem rapitur, inquiens: Domine, quid eſt homo, quod agnoſcis eum? Pſal. 144. v. 3.

Rex Salomo procul dubio plurimos ſatellites & miniſtros aulicos habuit, quorum miniſterio uſus eſt, quia Regina Arabiæ propterea admiratione commota fuit, 1. Reg. 10. v. 8

Nec *Ahaſvero Regi* eosdem defuiſſe cenſendum eſt, ubi inſtructo magnificentiſſimo convivio cunctos Principes, & fortiſſimos Perſarum, & Duces Medorum, centum & octoginta diebus opipare tractavit, Eſther. 1. v. 6.

Rex Indiæ Porus tempore Auguſti ſexcentis Regibus imperaſſe ſcribitur, qui omnes apparitoribus ſuis ſufficienter inſtructi fuerunt.

Hoc ita quidem magnam his Magnatibus autoritatem conciliavit: Verum, quid hoc æſtimandum ratione ejus, quod Deus cœleſtes genios apparitores nobis conſtituit, qui non modo in hoc tempore præſidio ſuo nos muniunt: ſed & aliquando in regnum cœleſte transportabunt, merito igitur exclamamus nos: Quid eſt homo, quod agnoſcis eum Pſal. 144. v. 3.

2. *Impiis in dehortationem.* Non modo boni Angeli, ſed & diaboli ſunt, qui quidem homines ad peccata inſtigant, verum ubi illa commiſſa ſunt, adeo ea exaggerare norunt, ut illis omnem gratiæ ſpem præripiant ut Caini exemplum docet, Gen. 4. v. 13. Ideo accurata cautione opus eſt, ne quis ſeducatur ab illis: pœnitentia certiſſime ſequetur, quamvis nimis ſero, ex inferno enim nulla redemtio, Pſal. 49. v. 5.

2. *De Angelorum cura*, quam præſtant nobis:

1. *In vitæ ingreſſu.* Satanas enim homines odio infenſiſſimo proſequitur, & ſi ejus poteſtas valeret, nullus infantum vivus lucem adſpiceret: verum ut draco rufus ante mulierem ſole amictam ſtetit, ut devoraret filium, quem erat paritura, Apoc. 12. v. 3. ſeqq. Pari modo adhuc hodie infantibus in ipſo partu inſidiatur, ut eosdem in primo, ut ajunt, balneo ſuffocet: Verum Chriſtus infantum angelos ſubordinavit, ut cum dracone decertent, hinc non immerito David hoc Dei beneficium prædicat, inquiens: Tu es, qui extraxiſti me, de ventre, Pſal. 22, 10.

2. *In vitæ progreſſu.* Sic enim cuſtodiunt nos in omnibus viis noſtris, quin & in manibus portant, ne forte offendamus ad lapidem pedem noſtrum, Pſal 91, 11. Quando nos dormimus, illi excubias agentes pro nobis adverſus diabolum militant, uti in Tobia juniore luculentum exemplum habemus, Tob. 8. v 3.

Summa: Quicquid in V. T. per angelos in aſſumpta viſibili ſpecie geſtum eſt, id quotidie adhuc fit, quamvis oculis non videamus, ſed credamus, Joh. 20, 29.

Miramur, cum legimus, Deum angelum miſiſſe, qui Hagar reverti juſſerit ad Dominam ſuam, poſtquam fugerat ab ea, Gen. 16. v. 9. Verum idem quotidie adhuc fit, quando per peccata à Deo declinavimus, ut per pœnitentiam ad Deum revertamur, ſicut angelus Domini in via ſtetit, ut adverſaretur malo Balaami propoſito, Nũ. 22, 22.

Ad admirationem excitamur, quod angelus Lothum pium Sodomis eduxerit, cum pentapolin igne & ſulphure deleturus eſſet, Gen. 19, 17. Verum hoc ipſum indies adhuc contingit. Quid enim aliud mundus eſt, quam ſpiritualis Sodoma, in qua concupiſcentia oculorũ, concupiſcentia carnis & ſuperbia vitæ invaluerũt, 1. Joh. 2. quando igitur

tur in conſummatione ſeculi ille ignis ardore liqueſcet, 2.Pet. 3. v.12. angeli negotioſi erunt ad congregandum electos à quatuor ventis, Matth. 24. v.31. rapientque in nubibus obviam Domino in aera, ut ſic ſemper cum Domino ſint, 1.Theſſ.4.v.17.

Demiramur legentes, quod Hagar erranti in ſolitudine Berſabea, & ſiti laboranti Angelus apparuerit, eique viam ad puteum oſtenderit, quo ſitim reſtingueret, Gen.21, 17. Sed id quotidie adhuc fit, quando in ſpirituales tentationes incidimus, ut ad pacem amaritudo nobis amara, Eſa.38. v.17. tum angelum ſuum Deus ad conſolandum nos mittit, ſicut Chriſto tempore paſſionis angelus de cœlo apparuit, confortans eum, Luc.22.v.43.

Jacobo in itinere angeli obviam facti leguntur, in forma caſtrorum, Pſ.34,8. Id adhuc quotidie fit. Caſtra enim metatur Angelus Domini circa timentes ſe, Pſal.34.v.8.

Principi Joſuæ Angelus apparuit evaginatum gladium tenens, qui dixit, ſum princeps exercitus Domini & nunc venio, Joh. 5.v.13. Id hodie adhuc fit, cumprimis in poſtremis hiſce temporibus, ubi draco gregem puſillum eccleſiæ devorare ſatagit, Apoc.12.v.4.

Eliæ delaſſato Angelus ſubcineritium panẽ & vaſculum aquæ attulit, quo ita refectus eſt, ut in fortitudine illius cibi ambulaverit usque ad montem Dei Horeb. 1. Reg. 19,6. Hoc indies adhuc fit, quando laſſi ſumus, ad ambulandum in viis Domini, ut Angelus Domini per intrinſecas inſpirationes nos confortet, ſunt Tobiam juniorem angelus ad pietatem, & Hagar ad obedientiam admonuit, Gen.16.v.9.

Stupore percellimur, quando legimus, quod mons cingens oppidum Dothan, plenus fuerit equorum, & curruum ignitorum, in circuitu Eliſei, 2.Reg.6,17. Id indies adhuc fit, protegit enim Dominus eccleſiam ſuam, & eſt murus ignis in circuitu ejus, Zach.2. v.5.

Angelus concluſit ora leonum, ne nocerent Danieli, Dan.6.v.22. Sic & diabolo rugienti ut leoni ora obſtruunt Angeli, ne nos devorent, 1.Pet.5.v.8.

Angelus noctu Petrum eduxit è carcere, Act.12.v.8. Idem adhuc hodie S. Angeli faciunt, cum animam, quando corporeis vinculis, velut carcere ſoluta eſt, in paradiſum deportant, ut animam latronis in cruce, Luc. 23.v.43. Idque præſtant:

3. *In vitæ egreſſu.* Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur, à modo, Apoc.14,13.

Sed quomodo tempus ſuppeteret nobis, ut ſingula beneficia, quæ per Angelorum miniſterium Servator nobis exhibuit, enarremus? In vita æterna gloria hæc demum plenè conſummabitur, erimus ſicut Angeli Dei in cœlis, Matt. 22. v. 30. *Similes illis in juſtitia & ſanctitate*, populus enim Dei omnes juſti erunt, Eſa. 60. v. 21. *ſimiles in caritate*, & fulgebimus ſicut ſol in regno patris, Matth. 13. v. 43. *Similes in agilitate*, tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrentes, Sap. 3. v. 7. *Similes in immortalitate*, ibi enim mors non amplius erit, Apoc. 21. v. 4. ſed juſti in perpetuum vivent, Sap. 5. v. 16. *Similes in æterna beatitudine*, ſicut enim Angeli ſemper vident faciem Domini in cœlis: ſic & nos Deum videbimus, a facie ad faciem, 2. Cor.13.v.2. ſicuti eſt, 1.Joh.3.v. 2. hinc tanto gaudio perfundemur, quam in terris oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis adſcendit, 1. Cor. 2. v.9.

Largiatur id nobis Deus Opt. Max. per & propter Jeſum Chriſtum, Amen.

In feſto die Simonis & Judæ.

Evangelium, Ioh. 15. v. 17. -- 21.

EXORDIUM.

CUm Patriarcha Abraham, & Patruelis ejus Loth, in una regione cohabitarent, & rixa fieret inter Paſtores gregum, quia uterque dives erat in poſſeſſione pecorum, valde id diſplicuit Abrahamo, ideoque dixit ad Loth: Ne quaſo, ſit jurgium inter me & te, & inter paſtores meos & paſtores tuos: fratres enim ſumus. *Ecce! univerſa terra coram te eſt, recede à me, obſecro. Si ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo: ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam,* Gen. 13. v. 8.

Hoc egregium exemplum eſt, quomodo concordiæ ſtudere, & potius cedere, quam rixis rem agere debeamus. Ecce, quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum, Pſal. 133. v. 1. 3.

Idque pii Veteres docere nos voluerunt, quod hodiernum Evangelium in diem Simonis & Judæ, qui fratres fuiſſe cenſentur, ordinarunt. Quia æternus Dei filius diſcipulos ſuos in eo ad caritatem Chriſtianam hortatur, & valedicens *teſtamentum pacis iis ordinat:* ut adverſus mundum & infernum uniti, quo plus diabolus ſæviret, eo magis eidem ſe opponerent. Nam ſi quiſpiam prævaluerit contra unum, duo reſiſtent ei: funiculus triplex difficile rumpitur, Eccleſ. 4. v. 12.

Præcipue vero hic commonemur, quod licet in Apoſtolico Collegio, *impius Judas & Apoſtata ſit*, qui mercede injuſtitiæ conductus, à Chriſto deficit, cumque prodit: adhuc ex adverſo *pius aliquis Judas* inveniatur, cui Chriſti doctrina & gloria potior eſt, quam omnes theſauri & divitiæ univerſi mundi: Ita Servator ſemper aliquos Lebbæos & Thaddæos in mundo habebit, qui nomen ejus diligant, laudent & celebrent, licet aliqui cum Juda deficiant, & diabolo ſe mancipent, ſi & ex lapidibus illi ſuſcitandi eſſent, Luc. 3, 8.

Nos abſque ulteriori præloquio ad ipſam Evangelii tractationem pergemus, tractaturi ex eodem:

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*
II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J.J.

Exegeſis.

QUemadmodum inter duos hoſce Apoſtolos, quorum memoria hodie celebratur, Simon præcedit, Judas vero ſequitur: ita & nos omnes ſeduli Simones ante ſimus, verbumque Dei audiamus oportet, ſi Chriſtum recte agnoſcere, & ut nomen Judæ indicat, ore & animo imperterrito coram mundo confiteri velimus. Sicut & Chriſtus hoc præfigurare voluit, quod muto & ſurdo, prius aurem aperuerit, & deinde linguam ſolverit, ut indicaret, quod audire & loqui ſe invicem conſequi debeant. Credidi enim, propter quod locutus ſum, ait David, Pſal. 116. v. 10.

Digitized by Google

Ανθρωπολογίαν igitur prius hinc diſcemus, & *notitia Chriſti* eò melius in cordibus noſtris radicabit & creſcet.

Hic enim agitur:

1. *De amoris ſtudio.* Hæc mando vobis, inquit Servator, ut diligatis invicem.

Edicta Perſarum & Medorum transgredi illicitum fuit, ut quæ ſtatim perfici oportuit, Eſther. 1. v. 19.

Atqui non negandum ſane eſt, omnes leges eo fine promulgari, ut ſervari ſine transgreſſione debeant: *Lex enim ſine executione, eſt ſicut campana ſine rophalo*, ut Johannis Friderici Ducis Saxoniæ Conſiliarius intimus dicere ſolitus eſt: attamen executio uno in loco ſeverior eſt, quam in alio, & eſt extra dubium, Perſas & Medos in exequendis decretis ſuis magno rigore uſus fuiſſe: ſicuti ſuperbiens Vaſthi continuò ad mandatum Regis, propter pertinaciam corona Regia privata experta eſt.

Hic non Perſarum & Medorum, ſed Chriſti lex eſt, Regis Regum, & Domini Dominantium, nempe *lex de fraterna dilectione*, de qua ipſe ait: Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Ideo noſtrum erit, eò magis operam dare, ut eandem reipſa impleamus. Eſt enim lex Regia, ad quam ſervandam omnes obſtricti ſumus, & qui eandem perficit, bene facit Jac. 2, 8.

Hic inſpicias velim te, mi Chriſtiane! utrum hoc de dilectione præceptum unquam recte obſervaveris, & ad illum vitam tuam & Chriſtianiſmum compoſueris? Non dubito, quin poſt accuratam inſpectionem deprehenſurus ſis, quod in officio obſervando nimis remiſſe egeris.

Chriſtus hic requirit:

1. *Dilectionem intimam*, quæ non modo in geſtibus externis ſe exerit: ſed & ſedem in corde habet, alienam ab omni vafricie & hypocriſi, quo ſpectat admonitio Pauli, dicentis: Dilectio ſine ſimulatione: caritate fraterna vos invicem ex animo proſequentes, Rom. 12, 9. 10. & iterum: candidi ſimus in caritate, Eph. 4, 15. ne non admonitio Johannis: Non diligamus verbo, neque lingua: ſed opere & veritate, 1. Joh. 3, 18.

Ejusmodi amor fuit inter David & Jonathan, quorum alter alterum ſicut animam ſuam dilexit, 1. Sam. 20. v. 17.

Item *inter Ruth & Naemi*, qui divelli non poterant præ caritate, adeo, ut Ruth diceret: Quocunque perrexeris pergam, Rut. 1. v. 16. 17.

Hodie hæc *caritas* plane refriguit, & *rara avis in terra eſt*. Ideo merito cum Siracide miramur, de infidelitate & malitia mundi Sir. 27. v. 3. ſeqq. Sæpe os dicit *Ave*, cor vero cogitat *Cave*, & ubi tibi malum obveniſſe vident, lætantes dicunt: Euge, Euge, Pſ. 70.

Quodſi & tu in horum numero fuiſti, Deum invoca, ut tibi peccatum hoc condonet, nam in Chriſto Jeſu veritas, Eph. 4, 21.

2. *Dilectionem reciprocam.* Hæc mando vobis, ait Chriſtus, ut diligatis vos invicem. In Græco eſt *ἀλλήλους*, quo indicatur, ut ſi quis à proximo diligatur, eundem reciproce diligat, nec bonum malo rependat, qui enim reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus, Prov. 17. v. 13.

Verum ſi mundi hodierni ingenium reſpicimus, *ingratitudo tanta eſt*, ut non immerito cum Davide querendum: Pro eo, quod ego dilexi, ipſi adverſantur mihi, Pſal. 109. v. 4.

Hanc *infidelitatem parentes à filiis, Magiſtratus à ſubditis, & verbi præcones* ab auditoribus ſuis experiuntur, ubi ſemper **Undanck** *in fine laborum*. Hinc Diogenes inter-

terrogatus, *quid velociſſime ſeneſceret*: reſpondit: *Beneficium*, quia tam facile ejus obliviſcantur homines. Sed nefandum eſt peccatum. *Ingrato enim homine terra pejus nil creat*, ait Auſonius. Ideo in ſcripturis generatio prava atque perverſa appellantur ingrati, Deut. 32. v. 5. quos certa pœna manet. Non enim ei bene, qui eleemoſynas non compenſat, Sir. 12. v. 3.

Quodſi & tu cum ingratis, hactenus fuiſti, recede ab illis, & amantem te redama, & adimplebis legem Chriſti, Gal. 6. v. 2.

II. *De mundi ingenio*, qui omnes illos odit & perſequitur, qui cum Chriſto faciunt, ideo Servator ad diſcipulos ſuos: Si de mundo fuiſſetis, mundus, quod ſuum erat, diligeret. Quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

Per mundum hic non intelligitur ſtructura mundi externa: quæ opus & creatura Dei eſt, Gen. 2. v. 7. *ſed impii in mundo*, qui plerumque cum principe ſuo diabolo emergunt, ut pii Chriſtiani ejus purgamenta & peripſema eſſe teneantur, 1. Cor. 4, 13. quod in paradiſo initium ſumſit, Gen. 3, 15. & continuabitur ad cōſummationem ſeculi, nulla enim conventio eſt Chriſti ad Belial, 2. Cor. 6. v. 14.

Hic ſcruteris velim te, utrumque ipſe mundo aſſimulaveris te, & ad ejus exemplum proximum tuum odio & perſecutione preſſeris?

Id in omnibus Hierarchiis fieri amat. *In Eccleſia* ejusmodi Capricorni inveniuntur, qui juxta affectus ſuos prædicant, & publice alios perſtringunt, non habita ratione graduum admonitionis, quos Chriſtus obſervandos præſcripſit, Matth. 18, 15.

Idem non raro evenit *in Politia*, ubi ſæpe inops cum juſta ſua cauſa condemnatur, & opulentus, qui in ære habet, cum injuſta ſua cauſa abſolvitur, exemplum poteſt eſſe Naboth, 1. Reg. 12, 7. ſeqq. Hic querela Habacuc locum habet: Quando ſunt lites judicium ſublatum eſt, quia leges languent, & non pervenit usque ad finem judicium: quia impius circumvenit juſtum, propterea egreditur judicium perverſum, cap. 1. v. 4.

In œconomia eadem fabula agitur, inter vicinos, fratres, ſorores, affines, famulitia, & ſi qui ſunt alii, ubi ſemper alter alteri invidet, & fortunam alterius impeditum it. Ita Laban genero ſuo *Jacobo* invidit, quod Deus ita affatim ei benedixerat, ideoque odio habebat, Gen. 31, 1. Ita Palæſtinæ *Iſaac* invidentes dixerunt: Recede à nobis, quia potentior nobis factus es valde, Gen. 26. v. 16. Sic *Daniel* inviſus fuit principibus & ſatrapis, non alia de cauſa, quam, quod ſuperaret eos, & ſpiritus amplior eſſet in illo, Dan. 6, 3. Sic adhuc hodie *fortunæ comes invidia* eſt: ex adverſo vero *ſola miſeria caret invidia*. Sed vitium eſt turpiſſimum, ſicut enim ærugo conſumit ferrum, ſic putredo oſſium invidia, Prov. 14. v. 30. quin & cœlorum regno excludit, Gal 5, 20.

Quodſi igitur in examine tui deprehendis, quod odio & invidentia mundo te aſſimilaveris, abſtine ab illo vitio, & operam da, ut in poſterum animam tuam immaculatam cuſtodias ab hoc ſeculo, Jac. 1. v. ul. Mundus enim tranſit, & concupiſcentia ejus, 1. Joh. 2. v. 17.

Hic vero opus eſt:

1. **Oculorum velum**, ne à concupiſcentia oculorum faſcinemur, 1. Joh. 2. v. 16. Hinc

Salomo: Ne intuearis vinum, quando rubet, Prov. 23. v. 31. ſeqq. & Chriſtus ipſe: Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, &c. Matth. 5, 28.

2. *Linguæ frenum.* Qui enim vult vitam diligere, & videre dies bonos, coerceat linguam ſuam à malo, 1. Pet. 3. v. 10. Pro. 16. v. v. 26.

3. *Carnis flagrum:* Concupiſcit enim adverſus ſpiritum, Gal. 5. v. 17. & ad malum prona eſt, ab adoleſcentia ſua, Gen. 6, 5. ideo coerceri ea debet. Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini Rom. 8, 13.

Ita nos à mundo ſeparare & conſortio eorum valedicere debemus, qui inopem & viliorem odio habent, & perſequuntur. Videbunt aliquando illi, in quem pupugerint, Joh. 19, 37. quando Deus ſanguinem ſuorum judicabit & vindicabit, Apoc. 6. v. 10.

III. *De perſecutorum zelo*, de quo ita Servator: Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia neſciunt eum, qui miſit me. Id Paulus vocat æmulationem habere, ſed non ſecundum ſcientiam, Rom. 10. v. 2. Ipſi enim fidem non habent, & tamen alios odio habent & perſequuntur, quia ſibi non adſtipulantur: hoc ipſo committunt duplex peccatum, ideoque & duplex pœna eos manet, ut tanquam viri ſanguinum non dimidiaturi ſint dies ſuos, Pſal. 55. v. ult. & ut hoſtes veritatis in ſtagnum præcipitentur, quo pertinent, qui amant, & faciunt mendacium. Apoc. 22, 15.

Hic probate, mi Chriſtiane! utrum & ipſe in notitia Chriſti parum fundatus, nonnunquam præpoſtero zelo abripiaris?

Intuearis velim Judæos, quanto zelo agantur ſuper nomine Jehova, ut illud neque appellare neque ſcribere velint, ſed ejus vice utuntur nomine Adonai, nec ullum librum nudis manibus prehendunt, in quo nomen Jehovæ perſcriptum ſciunt: quin occidentur prius, quam carnem ſuillam comederent, ſabbatho ignem alerent, vel aliud opus facerent, quod in Dei lege prohibitum arbitrantur.

Baalitæ tanto zelo impium cultum proſequebantur, ut ſe juxta ritum ſuum cultris & lanceolis inciderent, donec perfunderentur ſanguine, 1. Reg. 18. v. 28.

Quam perverſo zelo *Pontificii*, cum capite ſuo Papa Romano abrepti ſint, notius eſt, quam ut hic recenſeri mereatur. Verum de ipſis & omnibus tyrannis Chriſtus hic ait: Neſciunt eum, qui miſit me. Ideo non quodvis æmulari bonum eſt, ſed illud ſaltem, quod in bono fit, Gal. 4, 18.

Optandum autem foret ut ſolummodo apud hoſtes Evangelicæ veritatis, extra eccleſiam cœcitas ejusmodi locum haberet, quid enim nobis de iis, qui foris ſunt judicare? 1. Cor. 5, 12. Sed experientia proh dolor teſtatur, & *inter nos eſſe, qui ignorantia hac laborant*, ut Chriſtum neſciant, nec eum, qui miſit eum. Quid vero de ejusmodi hominibus dicendum? Sane non melius ſunt equis & mulis, Pſal. 32, 9. Quin deteriores multo ſunt, ſi ſpectamus pulcherrimam iſtam imaginem, ad quam à Deo conditi ſunt, Gen. 1, 27. Equi enim & muli ratione prædіti non ſunt: verum homini Deus animam rationalem inſpiravit, ut ſciat eligere bonum, & reprobare malum, Eſa. 7. v. 26. Ideoque pœna ejus die noviſſimo eo gravior erit. Cui enim multum datum eſt, multum quæretur ab illo, Luc. 12. v. 48. nec eſt, ut hic quis ignorantiam ſuam prætendat. Si enim non veniſſem, ait Servator, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excuſationem non habent de peccato.

to ſuo. B. Lutherus ita hac de re ſcripſit: **Unwiſſenheit wird nicht entſchuldiget/ ſol ein Chriſt nicht wiſſen/ was ihm zu wiſſen iſt? Warum hält man nicht gute Prediger? Man wil mit Willen unwiſſend ſeyn.**

Veri Chriſtiani imitari debent nobiliores Theſſalonicenſes, qui quotidie ſcrutabantur ſcripturas, Act.17.v.11. Ananiæ ſpiritus adhuc inter nos per miniſterium efficax eſt, qui illo ſedulò utitur, & verbum Dei, prout decet, audit: illi ſqvama errorum de oculis decident, & indies magis illuminabitur, Act.9.v.18. Imprimis, quando ſtudioſè cum Davide orat: Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tuâ, Pſ.119,18.

De Secundo.

TRanſibimus nunc ad *alteram partem*, *χριστογνωσίαν*, ſive *notitiam Chriſti*, meditaturi. Hic nobis contemplandus proponitur:

I. *Tanquam noſter præceptor.* Propterea ait: Hæc præcipio vobis, ut diligatis invicem. Eſt enim Rex noſter, & quidem Rex Regum, Apoc.19.v.16. Quis igitur obtemperare nolit, cumprimis cum tanta potentia valeat, ut poſſit & animam & corpus perdere in gehennam, Matth.10.v.28. Eſt Magiſter noſter, Joh.13.v.13. qui nos docet utilia, Eſa.48.v.17. Quis igitur diſciplinam ejus non ſuſciperet? ſiquidem Deus expreſſè dicit, quod, ſi quis verba ejus, quæ loquitur in nomine ſuo audire noluerit, ille ultor exiſtere velit, Deut.18 v.19. Eſt paſtor noſter, & quidem fidelis ille ἀρχιποιμὴν, 1.Petr.2.v.ult. qui Iſrael deducit velut ovem, Pſal.80.v.2. Quis vocem ejus non audiret? Ipſe ſiquidem ait: Oves meæ vocem meam audiunt, Joh.10.v.29.

Atqui præceptum ejus eſt, ut diligamus nos invicem, ideò non in arbitrio noſtro relictum, velimusne id facere, an minus? mandatum id nobis eſt, ſub jactura gratiæ Dei & æternæ ſalutis; qui enim fratrem ſuum non diligit, non ex Deo eſt, 1.Joh.3. v.10. h.e. non ad regnum Chriſti pertinet, ſed in ſynagogam ſatanæ, Apoc.3.v.9.

Moſes Iſraëlitis multa præcepta dedit: quos deinde Rabini in præcepta affirmativa & negativa diviſerunt: affirmativorum numerarunt trecenta ſexaginta quinque, quot dies in anno ſunt: negativorum ducenta quadraginta octo: Verum pleraque nos non amplius obſtringunt in novo Teſtamento, Prophetæ enim & lex, uſq; ad Johannem prophetarunt, Matth.11.v.13.

Interea lex Chriſti de fraterna caritate in ſuo valore perſtat, ut ad illam implendam obligati ſimus, eſt enim ipſe Dominus de cœlo, 1.Cor.15.v.47. de quo pater ejus cœleſtis: Hic eſt filius meus dilectus, hunc audite, Matth.3.v.ult.

Quodſi igitur videri velis, te quoque ad peculium Chriſti pertinere, & verè diſcipulum ejus eſſe, Joh.8,31. aut obſequentem ejus oviculam, Joh.10,27. mandatum de dilectione obſerves oportet, hæc verû inſigne eſt, in quo veri Chriſtiani cognoſcuntur, Joh.13,35. imprimis, quia dilectio ejuſmodi virtus eſt: ut in ea conſiſtat impletio legis, Rom.13.v.10. Matth.22.v.37.40.

II. *Tanquam noſter præcurſor.* Ideo dicit: Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit. Chryſoſtomus ſcribit, quod τὸ πρῶτον ſive πρότερον non modò prioritatem temporis, quod Chriſtus ante perſecutus ſit, ſed & prioritatem dignitatis importet, quo tanquam filius Dei conſolatorium argumentum eò fir-

Digitized by Google

mius efficeret, & nemo tergiverſaretur id pati, quod filius Dei paſſus eſt. Hinc Petrus ait, quod reliquerit nobis exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus, 1. Petr. 2. v. 21. Hoc maximum eſt in perſecutionibus: Afflictio enim dat intellectum, Eſa. 28. v. 19.

Sequamur Chriſtum in oratione, ut nos docuit: Sic ergò orabitis, pater noſter, qui es in cœlis, Matth. 6. v. 9. Atqui neceſſitas rectè orare docet, hinc David: In tribulatione mea invocavi Dominum, Pſ. 18. v. 7.

Sequamur eum in humilitate, manſvetudine & patientia, Matth. 11. v. 29. Atqui perſecutio hanc proprietatem habet, ut humilitatem in nobis excitet, Jer. 30. v. 11. & patientiam operetur, Rom. 5. v. 3.

Sequamur eum *in pugnâ adverſus diabolum & mundum*, Luc. 11. v. 14. 22. id tempore perſecutionis optimè diſcere poterimus, quæ nobis arenam oſtendit, quam Deus ordinavit omnibus, qui bonam militiam militare volunt, 1. Tim. 1. v. 18.

Sequamur eum *in compaſſione erga proximum*, ut & nos neceſſitati ſanctorum communicemus, Rom. 12. v. 13. ſicut Chriſtus pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo, Act. 10. v. 38. Id nos docet tribulatio & perſecutio. Velut enim Chriſtus inter alia ideo tentatus eſt, ut compati poſſit infirmitatibus noſtris, Heb. 4. v. 15. ita quilibet membrorum ejus dicere poteſt:

Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.

Hinc mandat Deus: Peregrino moleſtus non eris, Exod. 23. v. 9.

Sequamur eum *in terrenorum contemtu*, ne cor iisdem apponamus, ſed obliviſcamur eorum quæ retrò ſunt, ad ea verò, quæ ſunt priora nos extendamus, Phil. 3, 14.

Hoc iterum in *ſcholâ tribulationis* diſcimus, quâ mundus nobis inimicus redditur, ne diligamus eum, 1. Joh. 2, 15. ſed quæ ſurſum ſunt, quæramus, ubi Chriſtus eſt, Col. 3. v. 2. Sicut igitur Deus pater cœleſtis beneplacitum habet in filio ſuo, Matt. 17, 5. Ita & nos, quò magis imagini ejus conformamur, eò gratiores ei erimus, nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui, Rom. 8. v. 30. 31.

Ad hoc præcipuè animare nos debet exemplum Chriſti, quod eſt *exemplum exemplorum*, ut Auguſtinus loquitur, ita ut nihil adverſi nobis obtingere queat, quod & Chriſto non antea obtigerit. Tentatus enim eſt per omnia pro ſimilitudine, absq; peccato, ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, & ut repropitiaret delicta populi, Hebr. 4. v. 15. c. 2. v. 17.

Quodſi igitur *contemtum ſubire* cogimini, mementote, quod mundus eum præ vobis contemſerit, & inter maleficos retulerit, Luc. 23. v. 33.

Quodſi *in exilium vobis eundum*, recordemini, quod Chriſto idem acciderit. In infantiâ ſuâ ex Nazaret in Æpyptum fugere, Matth. 2. v. 13. Deinde ex Judæa in Galilæam, Joh. 4. v. 8. & aliàs quoq; ſæpe multumq; ab hoſtibus ſuis abſcondere ſe, coactus fuit, Luc. 4, 30. Joh. 8, 59.

Quodſi *verbis amicis ex corde hypocritico ſalutamini*, perpendite, quod & Servator veſter oſculo proditus & morti traditus ſit, Matth. 26. v. 49.

Quando *bona temporalia vobis eripiuntur*, cogitate, quod impii milites Chriſto veſtimenta exuerint, & ſuper eadem ſortem miſerint. Matth. 27. v. 35.

Si multa ſuſtinere tenemini *ab infidelibus amicis*, qui non permanent in die tribulationis

tionis, vel etiam convertuntur ad inimicitiam, Sir.6.v.8.9. reminiſcimini, quod & Servator idem perpeſſus ſit, dum ab omnibus diſcipulis deſertus, imò calce petitus eſt, ab eo, qui panes ejus edit, Pſal.41.v.10. Matth. 26.v.23.

Quodſi *in vocatione veſtrâ multas moleſtias devorare*, & in ſudore vultûs veſtri pane veſtro veſci cogimini, Gen.3,19. reſpicite Chriſtum, quomodo uſque ad ſanguinem laboraverit, propter peccata veſtra, Matth.26.v.28.

Hoc ad animum revocantes, hunc anteſignanum veſtrum animoſius ſequimini, juxta illud: Si quis vult poſt me venire, abneget ſeipſum, Luc.9.v.23. Qui hoc non facit, non poteſt eſſe meus diſcipulus, Luc.14.v.27.

Cato Romanus ille belli Dux milites ſuos ita affatus eſt: Eſtote confidenti animo

-- Primus arenas
Ingrediar, primusq; gradus in pulvere ponam.

Hoc poſtquam fecerunt, victoriam reportarunt. Ita & nos, quia Chriſtum in omnibus nobis prædeceſſiſſe audimus, admonitionem Paulinam altâ mente repoſtam habere debemus: Per patientiam curramus, in propoſito nobis certamine &c. Hebr.12.v.1.4.

III. *Tanquam noſter Proviſor*: Mementote, inquit, ſermonis mei, quem ego dixi vobis: Non eſt ſervus major Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur, q.d. quodſi ejusmodi perſecutio vobis ingruet, recordemini, quòd non fortuitò ita eveniat, ſed quod jam olim id vobis prædixerim.

Hic duplex latet ſolatium.

Verè enim dixit Cicero: Omnia repentina videntur graviora.

At levius lædit, quicquid prævidimus ante
Et præviſa minus lædere tela ſolent.

Atqui ſcimus ex verbo Dei, quod omnes, qui piè vivere volunt in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur, 2.Tim.3,12. Ideò in tempore nos præparemus neceſſe eſt. Fili præpara animam tuam ad tentationem, Sir.2.v.1. ſeqq.

Præterea, quia Chriſtus omnia præſcit, quæ nobis evenire debent, & adeò demenſus eſt, ut ne minimus capillus de capite noſtro decidere poſſit, quem non in divina providentia ſua conſignaverit, Matth.10.v.30. Meritò nos confidere nec dubitare debemus, quin tempus & modum definierit, quamdiu cujusq; afflictio, quam ei impoſuit, durare debeat. Fidelis enim eſt, & non patietur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, 1.Cor.10.v.13.

Servator noſter non ſemper in cruce pependit, ſed tandem ſuo tempore de anguſtiâ & de judicio ſublatus eſt, Eſa.53,8. Sic nec Deus in æternum afflictionem dabit juſtis, Pſal.55,23. ſed citò faciet vindictam illorum, Luc.18.v.7. & quando ſatis in furno afflictionis excocti ſunt, Eſa.48,10. educturus eos eſt in refrigerium, Pſal.66.v.12. & replebit in bonis domûs ſuæ, Pſal.65.v.5. donec eos ex hac lacrymarum valle transferet eò, ubi non audietur ultrà vox fletus, & vox clamoris, Eſa.65.v.19. ſed mera jubila & triumphi in æternum, qui enim ſeminant in lacrymis, cum jubilatione metent, Pſal.126.v.5.

Largiatur id nobis ter-Sanctus Deus, per & propter Chriſtum Dominum & Servatorem noſtrum in Spiritu ſancto,

Amen.

In

In feſto die B. Andreæ Apoſtoli.

Evangelium Matth. 4. v. 18. --- 22.

EXORDIUM.

CUm filii Prophetarum exiiſſent ligna cædere ad Jordanem, ut ædificarent ſibi ibi locum ad habitandum: accidit, ut cum unus materiam ſuccidiſſet, caderet ferrum ſecuris in aquam: exclamavitq; ille, & ait: heu, heu, heu, Domine mi, & hoc ipſum mutuò acceperam. Dixit autem homo Dei: ubi cecidit? At ille monſtravit illi locum: præcidit ergò lignum & miſit illuc: natavitq; ferrum, 2. Reg. 6. v. 1.

Hæc allegoricè interpretabimur.

Nos miſeri homunciones per triſtem Protoplaſtorum lapſum omnes ad fundum perveneramus *inſtar ferri & chalybis*, & in limo æternæ damnationis nobis percundum fuiſſet: Sed cœleſtis Eliſæus Servator noſter Jeſus Chriſtus, noſtri miſertus, per ſanctiſſimam incarnationem ſuam, ultrò in ærumnoſos infirmitatum noſtrarum fluctus ſe demerſit: ut inde reſurgere, & in libertatem filiorum Dei pervenire poſſimus. Si enim filius vos liberaverit, verè liberi eſtis, Joh. 8. v. 36.

Hæc *vocatio generalis* eſt, quæ omnibus hominibus contigit. Chriſtus enim pro omnibus mortuus eſt, 1. Cor. 15. v. 22. & viam ad cœlum aperuit, ut quilibet in illud intrare, & donis gratiæ partis frui poſſit, Pſal. 16. v. 11. ſed plurimi hoc ſeculum diligunt, ut Demas, 2. Tim. 4. v. 10. & inſuper habent hanc vocationem, ſicut ingrati hoſpites in Evangelio, Luc. 14. v. 17. ideo ratione eorum locum habet illud: Ex te perditio tua Iſrael, Oſ. 13. v. 9.

Juxta hanc generalem verò & *ſpecialis vocatio* eſt, ubi Chriſtus in omnibus tribus Hierarchiis munia ſua diſtribuit. *In eccleſia* quoſdam dedit Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem paſtores & doctores, ad præparationem ſanctorum in opus miniſterii, Epheſ. 4. v. 11.

Sic etiam in manu Dei poteſtas terræ, & utilem rectorem ſuſcitabit in tempus ſuper illam, Sirac. 10. v. 4. 5.

In *ſtatu* quoque *œconomico* diverſi gradus occurrunt, Abraham Dominus, Sara Domina, Hagar ancilla eſt, Iſaac filius frugi, Iſmael verò degener, Gen. 21. v. 1. 9. Hæc omnia Deus ordinat, prout vult, 1. Cor. 12. v. 11. & multos ad dignitates evehit, qui ante ſpreti & abjecti fuerunt, ut exempla Joſephi, Gen. 41. v. 40. Davidis, 1. Sam. 16, 13. Eſther, Eſth. 2. v. 17. aliorumq; probant.

Præſens Evangelium, illud ipſum quadruplici exemplo oſtendit. Quinam enim fuerunt, Petrus & Andreas? Quinam Jacobus & Johannes? Nonne Piſcatores, qui profundè ad fundum deciderant: nihilominus eos Chriſtus protractos ad Apoſtolatum vocavit, ut non amplius terrenæ piſcaturæ intenti eſſe, ſed homines capere debeant, ut Evangelium pluribus indicat.

Nos absque ulteriori præloquio ad tractationem ejus progredientes, meditabimur ex eodem:

I. ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J. J.

Exegeſis.

ECce, ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos, Jer. 16. v. 16.

Hoc impletum eſt in præſente Evangelio, in quo audimus, Servatorem noſtrum quatuor piſcatores unâ vice ad Apoſtolatum vocaſſe.

Ad *notitiam noſtri* hic perveniemus, ſi ſpectemus:

I. *Piſcatores retia projicientes.* Hæc enim eorum vocatio erat, cui fideliter vacabant. Unumquemque, ſicut vocavit Deus, ita ambulet, 1. Cor. 7, 17. Neque oderis laborioſa opera, & ruſticationem creatam ab altiſſimo, Sir. 7, 16. Sicut igitur Deus mandavit in ſudore vultus veſci pane ſuo, Gen. 3, 19. Sic & hoc modo victum ſuum quærebant. Erant enim piſcatores, intellige ex profeſſo: Piſcatura erat ars eorum, quam probè didicerant, quam probè callebant, & hactenus tanquam ordinarium victus quærendi medium exercuerant: ideo non improbandi ſunt, quod retia ſua in mare projiciunt. & ita honeſtè alimoniam ſuam quærunt. Manus enim ſedulorum divitias parat, Prov. 10. v. 14. qui verò dormitat, & conſerit manus ſuas, ut dormiat, illi veniet, quaſi viator egeſtas, & pauperies quaſi vir armatꝰ Prov. 6, 11.

Hic quilibet in examen ſui deſcendat, utrum & ipſe vocationi ſuæ fideliter invigilaverit, & rete ſuum ita laxaverit, ſicut id Deus in verbo ſuo præſcripſit?

Si probè rem examinamus, nos omnes ſuo modo peccatores ſumus, & rete noſtrum habemus, quod Deus cuique, ut victum ſibi illo quærat, concredidit, homo enim natus eſt ad laborem, ut aves ad volatum, Hiob. 5. v. 7.

Verbi miniſtri *ſpirituale rete* habent, quod eſt concio Evangelii, quæ expreſſè reti confertur, Matth. 13, 47. hoc ipſo alere ſe tenentur, dignus enim eſt operarius mercede ſua, Luc. 10, 7. Ideo ait Paulus: Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus: magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? 1. Cor. 9, 11.

Qui in magiſtratus officio conſtituti ſunt, *rete* habent *bonarum legum & ordinationum*, quo ſubditos irretiunt & compeſcunt. Ideo quoque tributa illis præſtanda ſunt, miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes, Rom. 13, 6.

In communi vita quilibet *rete vocationis* ſuæ habet, & aut mercator eſt, aut opificium aliquod callet, unde ſe ſuſtentare poteſt, ſine his enim non ædificatur civitas, Sir. 38. verſ. 37.

Si quilibet igitur ſuo loco diligens eſt, & in nomine Domini laxat rete ſuum, piſcium multitudinem copioſam concludet, Luc. 5, 6. & tantum ſibi comparabit, unde cum ſuis honeſtè vivere poſſit. Dominus enim facultatibus piorum benedicit, & cum ipſi tempus eſſe videtur, citò eas auget. Ideò confide in Deo, & mane in loco tuo, facilè enim eſt in oculis Dei ſubitò ditare pauperem, Sir. 11. v. 23. 24.

Sed & *piſcatores nequam* inveniuntur, inter illos, qui abſconderunt foveam retis ſui, ad perdendum homines, Pſal. 35. v. 7. hi illi ſunt, qui omnia attrahunt hamo, contrahuntq; ſuo reti, & congregant ea in reti ſuo, Habac. 1. v. 15. 16.

Verùm hæ opes hæredem non juvant. Hæc

Digitized by Google

enim eſt voluntas Dei, ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem ſuum, 1. Theſſ. 4. v. 6. Et divitias, quas iniquus devoravit, evomet, & de ventre ejus extrahet eas Deus, Hiob. 20. v. 15. Sap. 5. v. 12.

Proinde quilibet in vocatione ſuâ honeſtè laboret: *Dii vendunt bona ſua laboribus*, inquit Menander. Si quis autem non vult operari, non manducet, 2. Theſſ 3, 10.

Sevit Iſaac in terrâ Palæſtinorum, & invenit in ipſo anno centuplum, Gen. 26, 12. quodſi ſementē nō feciſſet, non meſſuiſſet. Hinc Siracides: Qui operatur terram ſuam, inaltabit acervum frugum, cap. 20, 30.

Anna Tobiæ uxor, ibat ad opus textrinum quotidiè, & de labore manuum ſuarum ſuſtentabat maritum. Tob. 2, 19.

Paulus nocte ac die operabatur, ne quem gravaret, 2. Theſſ. 3. v. 8.

Ne proinde otio indulgeamus, eſt enim *Doctor pravitatis & occaſio peccati*, ut Baſilius ait. *Sed ſemper facito aliquid operis, ut te Diabolus veniat occupatum*, ut Hieronymus monet. At vide, ut quod bonum eſt, operceris, Eph. 4, 28. Bonorum enim laborum glorioſus eſt fructus, Sap. 3, 15. Ira verò & indignatio, tribulatio & anguſtia, in omnem animam hominis operantis malum, Rom. 2. v. 9.

II. *Piſcatores retia ſarcientes.* Hoc ipſo commendant nobis parſimoniam, ut & nos veſtes laceratas & detritas non ſtatim abjiciamus, ſed reſarciamus. Nam ut tempus ſcindendi, ſic & conſuendi eſt, Eccleſ. 3. v. 7. Quinimò ut Claudianus ait:

-- Plus eſt ſervaſſe repertum
Quàm quæſiſſe novum.

Semper enim magnificè patriceq; amicire, proximus aditus eſt ad paupertatem, & qui ſpernit modica, paulatim decidet, Sir. 19, 1.

Hic examines velim te, mi Chriſtiane! utrum & ipſe cum diſcipulis hiſce laceratum tuum rete reſarſeris, ſive, quod idem eſt, quod Deus tibi largitus eſt, ut decet, comparſeris?

Hoc non inſuper habendum eſt: *magnum* enim *vectigal parſimonia*, ut Cicero ait. Hinc Germani in proverbio habent, caligas veteres & detritas, non abjiciendas, donec acceperis novas.

Imperator Auguſtus vulgaribus veſtibus amictus fuit, quas illi conjux ejus contexuit & reſarcivit.

Ageſilaus Lacedæmonum Rex, adeo vili habitu inceſſit, ut propterea Ægyptiis riſui fuerit.

Epaminondas, præſtantiſſimus ille Thebanorum princeps, unicam ſaltem habuit, eamq; maculatam tunicam, ſi eam ad tinctorem vel ſartorem miſit, tantiſper domi ſe continere coactus fuit.

Phocion inclytus ille Athenienſium princeps, ſemper vulgaribus veſtibus & calceamentis inceſſit, imò ut plurimum nudipes fuit, unde Proverbium: *Phocion calceatus eſt.*

Quodſi igitur primarii hi viri probro ſibi non duxerunt, veſtibus reparatis amiciri, eccur nos id puderet? præſertim, qui in ſtatu œconomico vivimus. Oeconomia enim multis indiget. Parvuli petunt panem, Thren. 4. v. 4. curare nos decet, quid manducare, quid bibere, aut quo operiri velimus Matth. 6. v. 31.

Nemo n. ratione veſtimentorum in laude verſatur: quin magis commendatur, qui in καταςολῇ κοσμίῳ in habitu decenti incedit, 1. Tim 2, 9. quàm ſi quis ſuprà conditionem ſuam purpurâ & byſſo induatur, ad exemplum Epulonis, Luc. 16, 19.

E contrario verò apprimè caveamus, *ne peccatorum retia ſarciamus*, quod fit quando peccata noſtra extenuamus & excuſamus.

Digitized by Google

mus. Sicut hodie nihil vulgarius eſt, quàm ut ſuperbia pro munditie, avaritia pro parſimonia crapula & omnis generis nugæ, pro hilaritate venditentur. Hoc maximum peccatum eſt. Qui enim abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur, Prov. 28. v. 13.

III. *Piſcatores omnia deſerentes.* Relictis enim retibus, navibus & patre ſecuti ſunt Chriſtum. Hoc memorabile eſt. Equidem retia & naves relinquere non adeo magnum videtur: aſt patrem relinquere, præſertim in ſenectute, ubi auxilio filiorum quàm maximè indiget, id ſalvâ conſcientiâ fieri vix potuiſſe, dixeris. Id enim nec Gentiles fecerunt, ſed potius in extremis anguſtiis parentum curam geſſerunt. Hinc Plato: *Parentes negligere, nec Deus, nec homo mentis compos ulli conſulet.* Et Virgilius de Ænea memorat, quod patrem ſuum Anchiſen è media flamma liberarit, & dorſo bajulaverit, unde ipſe ait:

Mene efferre pedem genitor, te poſſe relicto
Speraſti?

Sed quando Chriſtum ejusq; Evangelium concernit, ut alterutrum eligendum, aut Chriſtus deferendus & parentes amplectendi, hîc Regula Petri valet: Magis obediendum eſt Deo, quam hominibus, Act. 5, 29.

Hic proba te, mi Chriſtiane! an & ipſe hoc facere velis, ſi perſecutio, Dei permiſſu, tibi immineat?

Quartum quidem præceptum meritò magni æſtimatur ab omnibus piis Chriſtianis, tamen, ut Chryſoſtomus limitat, *exceptis iis, quæ pietati officiunt.* Qui enim amat patrem aut matrem plus, quàm me, non eſt me dignus, ait Servator, Matth. 10. v. 37. Id quod & in V. T. ita mandatum eſt, Deut. 33. verſ. 9.

Iccircò maximam rationem conſcientiæ habeamus, ne eam ſauciamus: *Amandus eſt genitor, ſed præferendus creator,* ait Auguſtinus. Hæc ſumma totius ſcripturæ eſt, & in primo & ultimo libro inculcatur. In Geneſi enim velut primo ſcripturæ libro, exſtat exemplum Abrahæ, quem Deus egredi juſſit de domo patris ſui, in terram, quam ipſi monſtraturus erat, Gen. 12. v. 1. & exiit, neſciens, quò iret, Hebr. 11. v. 8. In ultimo verò libro vox de cœlo clamat: Exite de illa populus meus, Apoc. 18. v. 5.

Quando itaq; res *in æquilibrio verſatur,* ut alteruter deferendus ſit, ibi Jacobus & Johannes viam monſtrarunt, quod melius ſit Chriſtum ſervare, & omnia relinquere, quàm Chriſtum relinquere, & omnia retinere, Matth. 19. v. 29.

Hieronymus ejusmodi ſimili id declarat: Miles, qui ſtipendia meretur, ſalvo militiæ ſacramento patri ſuo in tentorio aſſidere poteſt, quando verò buccinâ ſignum datur, omnibus relictis, ducem ſuum ſequitur, & ſeipſum in acie collocat.

Quando itaque juramentum nobis in mentem revocamus, quod Chriſto in baptiſmo præſtitimus: vi cujus ipſum & verbum ejus palam profitemur, contra verò Diabolo, & quod ei repugnat, renunciavimus, officii noſtri eſt, id bona fide ſervare, adeò, ut ſi liberi noſtri nos ſollicitarent, aut mater nudatis uberibus nos obſecraret, ut fidem hanc falleremus, aut ipſe pater in limine ſtratus, exitum nobis intercludere vellet, patrem tranſilire, & ita oculis clauſis valedicere teneamur: ſingulare enim pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem, quâ in re Chriſtus nobis ſuo ipſius exemplo prævivit, dum

matri ſollicitanti ſe, repulſam dedit, & his verbis ipſi ſe excuſavit: An neſcitis, quid in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe, Luc. 2. v. 49.

In genere verò non patrem modo, ſed & omnia terrena relinquere debemus, ſi veritas Evangelii in periculo verſetur. Quid enim prodeſſet homini, &c. Matth. 16, 26.

Id fecit Julita nobili genere nata: cum enim urgeretur, ut aut fidem Chriſtianam abnegaret, aut omnes opes ſuas relinqueret, ex tempore illa conſilium capiens ajebat: *Valeat vita, pereat pecunia, famula Chriſti ſum.*

Nos ſimiliter affecti, non quæ ſuper terram ſunt, quæramus, ſed quæ ſurſum ſunt, Col. 3, 2. Qui hoc fecerit, optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eo, Luc. 10, ult.

De Secundo.

DIgrediemur nunc ad *alteram partem*, Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti* contemplaturi. Hic nobis commendatur:

I. *Tanquam opificum amator.* Hic audimus, quod piſcatores recipit, coſq; ad Apoſtolatum vocat. Quod profectò non feciſſet, niſi in ſtatu ſibi probato, vixiſſent.

Sic etiam opifices ipſe inſtruxit arte, quâ profitentur, quia omnium artifex eſt, Sap. 7. v. 21. ſicut de Beſeleel & Oholiab legitur, quod Deus eos impleverit ſpiritu ſapientiæ & intelligentiæ & ſcientiæ in omni opere, ad excogitandum, quicquid fabrefieri poteſt ex auro, & argento, & ære; marmore & gemmis, Exod. 31, 3. De fabro dicit Deus: Ecce ego creavi fabrum, Eſa. 54, 16.

Hinc ſcriptura variorum opificiorum & vitæ inſtitutorum meminit, quibus ſancti Patriarchæ operam navarunt. Abel fuit paſtor ovium, & Cain agricola, Gen. 4, 2. Jubal pater canentium citharâ & organo. Thubalkain cudens omne opus æris & ferri, Gen. 4, 21. 22. Nemrod venator, Gen. 10, 9. Iſmaël ſagittarius, Gen. 21, 21. Eſau gnarus venandi & agricola, Gen. 25, 27.

Textorum & figulorum mentio injicitur, 1. Paral. 4, 21. Siracides architectorum, ſcalptorum, cælatorum, fabrorum ferrariorum honorificè meminit, c. 35, 26. & ſeqq.

Ipſe Joſephus pater Chriſti putativus faber fuit lignarius. Luc. 3, 23. & Chriſtus ei adjutor fuit, unde propterea non modo filius fabri, Matth. 13 v. 55. ſed & faber appellatur, Marc. 6. v. 3.

Hoc igitur Mechanicis & Opificibus *magno ſolatio* eſſe poteſt, *primò ratione victus*, quem ſibi commodè parare poſſunt. Artem enim quævis alit terra, nec facilè autorem ſuum perire ſinit. Labores manuum tuarum manducabis; Beatus es, & bene tibi erit, Pſal. 128. v. 2. *Deinde ratione functionis*, in quâ vivunt, quæ Deo pergrata eſt. Deus enim dona ſua variè diſtribuit, quorum nos diſpenſatores ſumus, 1. Petr. 4. v. 10. nec Deus perſonarum acceptor eſt, Act. 10. v. 34. nec cognoſcit divitem coram paupere, opus enim manuum ſuarum ſunt univerſi, Job. 34, 19. In Apologia A. C. mentio fit ſutoris Alexandrini, qui nihil aliud fecit, quàm quod opificio, orationi, & cultui divino invigilavit, & tamen Anachoretæ Antonio, qui duram vitam egit, longè prælatus eſt. Sic pii Mechanici hoc ſolatio fruuntur, quod ſi in vocatione ſuâ ſeduli ſint, & ante omnia Deo cultum ſuum præſtent, quod Deo magis placeant, quàm Monachi & Moniales, in Ordine ſuo rigoroſiſſimo, quo ſeipſos onerarunt. Mandatis enim hominum fruſtrà Deus colitur, Matth. 15, 9. mundus autem eſt, cujus rectum eſt opus, Prov. 21. v. 8.

Qui-

Digitized by Google

Quilibet vero det operam, ut *quod utile eſt*, diſcat. Præſtigiatores enim, ſaltatores, pugiles, funambuli, & ejus farinæ homines, vocatione legitima deſtituuntur, ambulant enim ἀτάκτως & curioſe agunt, 2. Theſſ. 3. v. 11. ideo abſtineamus ab iis, & potius quæ honeſta ſunt, exerceamus. Qui enim amat periculum, peribit in eo, Sir. 3. v. 27.

Videat quoque ut ita artem ſuam diſcat, ut gnarus illam cum fructu exercere poſſit. Magiſter enim facit unumquodque, qui autem locat ſtulto, locat illud ſuperficiario, Prov. 26. v. 10.

Tertio caveat, ne veſtigiis Alexandri ærarii inſiſtat, de quo Paulus queritur, quod ſibi multa mala oſtenderit, 2. Tim. 4. v. 14. Sive Demetrii argentarii, qui ædes argenteas Dianæ fecit, & ita lucri cauſa idololatriam promovit, Act. 19. v. 24. Hoc minime Deo placet. Qui enim non mecum eſt, contra me eſt, ait Servator, Luc. 11. v. 23.

II. *Tanquam parvulorum Magnificator.* Non ſine cauſa memorat hic Evangeliſta, quid Andreæ, ejusque fratris Simonis Petri, necnon filiorum Zebedæi opus fuerit, antequam eos Chriſtus in ſcholam ſuam, & ad Apoſtolatum vocaverit, nempe piſcatores fuerunt, ſimplices & abjecti operarii, attamen res magnas geſſerunt, Evangeliumque de Jeſu Nazareno, tanto cum ſucceſſu prædicarunt, ut portæ inferorum adverſus illud non prævalere potuerint, Matt. 16. v. 18. Id opus Dei fuit, hinc Paulus: Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, 2. Cor. 4. v. 7.

Si Chriſtus noſtro conſilio uſus fuiſſet, ſine dubio ipſi conſuluiſſemus, ut ex Collegio Phariſæorum, aut Synedrio Hieroſolymitano eruditione & autoritate præſtantes ſibi elegiſſet, & ad hoc opus adhibuiſſet: ſed & hic locum habet illud Prophetæ: Non cogitationes meæ, cogitationes veſtræ, Eſ. 55.

Hoc ipſo enim quod Chriſtus abjectis piſcatoribus ad Apoſtolatum uſus eſt, ſapientes hujus mundi confundere voluit, qui plerumque plus reſpiciunt externum ſplendorem, quam Spiritus Sancti dona, his ipſis miranda efficit, *ſumit piſcatorem, & convertit Imperatorem*, Auguſtino aſſerente, virtus enim ejus in infirmitate perficitur, 2. Cor. 12, 9.

Id ſemper in familiari uſu habuit.

Virga Moſis, lignum vile & inanime erat, & tamen illa magna miracula patravit: diviſit enim mare, ut Iſraelitis tranſitum præbuerit, Exod. 14. v. 21. tum & petram, ut egreſſæ fuerint aquæ largiſſimæ, quo populus biberet & jumenta, Num. 20. v. 11.

Abjecta res videbatur ſanguis agni paſchalis, & tamen medium erat, quo primogenitura Iſraelitarum à percuſſore præſervabatur, cum ſuperliminare & utrumque poſtem eo aſperſiſſent, Exod. 12. v. 23.

Spretiſſima videbatur *expeditio Gideonis*, quod ille viris trecentis Midianitis ſe opponere vellet, qui multis millibus inſtructi erant: ridicula armatura, quam contra illos ferebat: & tamen hoc modo victoriam reportavit, Jud. 7. v. 16. ſeqq.

Sic viles videbantur *buccinæ Iſraelitarum* tempore Joſuæ, & tamen clangore earundem muri civitatis Jericho ſubruti ſunt, Joh. 6. v. 16.

Viliſſima videbatur *aqua Jordani*, qui ipſa tamen Naeman poſtquam ſepties ſe lavit, à lepra liberatus eſt, 2. Reg. 5. v. 10.

Quid ſpectas in baptiſmo? quid in S. cœna? ibi, nil niſi aquam, hic nil niſi panem & vinum. Et tamen magna per illa Deus operatur, aqua in baptiſmo nos ſalvos facit,

Iiii 3 1. Pet.

Digitized by Google

Ἀνθρωπολογίαν igitur prius hinc diſcemus, & *notitia Chriſti* eò melius in cordibus noſtris radicabit & creſcet.

Hic enim agitur:

1. *De amoris ſtudio.* Hæc mando vobis, inquit Servator, ut diligatis invicem.

Edicta Perſarum & Medorum transgredi illicitum fuit, ut quæ ſtatim perfici oportuit, Eſther. 1. v. 19.

Atqui non negandum ſane eſt, omnes leges eo fine promulgari, ut ſervari ſine transgreſſione debeant: *Lex enim ſine executione, eſt ſicut campana ſine rophalo*, ut Johannis Friderici Ducis Saxoniæ Conſiliarius intimus dicere ſolitus eſt: attamen executio uno in loco ſeverior eſt, quam in alio, & eſt extra dubium, Perſas & Medos in exequendis decretis ſuis magno rigore uſus fuiſſe: ſicuti ſuperbiens Vaſthi continuò ad mandatum Regis, propter pertinaciam corona Regia privata experta eſt.

Hic non Perſarum & Medorum, ſed Chriſti lex eſt, Regis Regum, & Domini Dominantium, nempe *lex de fraterna dilectione*, de qua ipſe ait: Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Ideo noſtrum erit, eò magis operam dare, ut eandem reipſa impleamus. Eſt enim lex Regia, ad quam ſervandam omnes obſtricti ſumus, & qui eandem perficit, bene facit Jac. 2, 8.

Hic inſpicias velim te, mi Chriſtiane! utrum hoc de dilectione præceptum unquam rectè obſervaveris, & ad illum vitam tuam & Chriſtianiſmum compoſueris? Non dubito, quin poſt accuratam inſpectionem deprehenſurus ſis, quod in officio obſervando nimis remiſſe egeris.

Chriſtus hic requirit:

1. *Dilectionem intimam*, quæ non modo in geſtibus externis ſe exerit: ſed & ſedem in corde habet, alienam ab omni vafricie & hypocriſi, quo ſpectat admonitio Pauli, dicentis: Dilectio ſine ſimulatione: caritate fraterna vos invicem ex animo proſequentes, Rom. 12, 9. 10. & iterum: candidi ſimus in caritate, Eph. 4, 15. ne non admonitio Johannis: Non diligamus verbo, neque lingua: ſed opere & veritate, 1. Joh. 3, 18.

Ejusmodi amor fuit inter David & Jonathan, quorum alter alterum ſicut animam ſuam dilexit, 1. Sam. 20. v. 17.

Item *inter Ruth & Naemi*, qui divelli non poterant præ caritate, adeo, ut Ruth diceret: Quocunque perrexeris pergam, Rut. 1. v. 16. 17.

Hodie hæc *caritas* plane refriguit, & *rara avis in terra eſt*. Ideo merito cum Siracide miramur, de infidelitate & malitia mundi Sir. 27. v. 3. ſeqq. Sæpe os dicit *Ave*, cor vero cogitat *Cave*, & ubi tibi malum obveniſſe vident, lætantes dicunt: Euge, Euge, Pſ. 70.

Quodſi & tu in horum numero fuiſti, Deum invoca, ut tibi peccatum hoc condonet, nam in Chriſto Jeſu veritas, Eph. 4, 21.

2 *Dilectionem reciprocam.* Hæc mando vobis, ait Chriſtus, ut diligatis vos invicem In Græco eſt ἀλλήλους, quo indicatur, ut ſi quis à proximo diligatur, eundem reciproce diligat, nec bonum malo rependat, qui enim reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus, Prov. 17. v. 13.

Verum ſi mundi hodierni ingenium reſpicimus, *ingratitudo tanta eſt*, ut non immerito cum Davide querendum: Pro eo, quod ego dilexi, ipſi adverſantur mihi, Pſal. 109. v. 4.

Hanc *infidelitatem parentes à filiis, Magiſtratus à ſubditis, & verbi præcones* ab auditoribus ſuis experiuntur, ubi ſemper **Undanck** *in fine laborum.* Hinc Diogenes inter-

terrogatus, *quid velociſſime ſeneſceret*: reſpondit: *Beneficium*, quia tam facile ejus obliviſcantur homines. Sed nefandum eſt peccatum. *Ingrato enim homine terra pejus nil creat*, ait Auſonius. Ideo in ſcripturis generatio prava atque perverſa appellantur ingrati, Deut. 32. v. 5. quos certa pœna manet. Non enim ei bene, qui eleemoſynas non compenſat, Sir. 12. v. 3.

Quodſi & tu cum ingratis, hactenus fuiſti, recede ab illis, & amantem te redama, & adimplebis legem Chriſti, Gal. 6. v. 2.

II. *De mundi ingenio*, qui omnes illos odit & perſequitur, qui cum Chriſto faciunt, ideo Servator ad diſcipulos ſuos: Si de mundo fuiſſetis, mundus, quod ſuum erat, diligeret. Quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

Per mundum hic non intelligitur ſtructura mundi externa: quæ opus & creatura Dei eſt. Gen. 2. v. 7. *ſed impii in mundo*, qui plerumque cum principe ſuo diabolo emergunt, ut pii Chriſtiani ejus purgamenta & peripſema eſſe teneantur, 1. Cor. 4, 13. quod in paradiſo initium ſumſit, Gen. 3, 15. & continuabitur ad côſummationem ſeculi, nulla enim conventio eſt Chriſti ad Belial, 2. Cor. 6. v. 14.

Hic ſcruteris velim te, utrum & ipſe mundo aſſimulaveris te, & ad ejus exemplum, proximum tuum odio & perſecutione preſſeris?

Id in omnibus Hierarchiis fieri amat. *In Eccleſia* ejusmodi Capricorni inveniuntur, qui juxta affectus ſuos prædicant, & publice alios perſtringunt, non habita ratione graduum admonitionis, quos Chriſtus obſervandos præſcripſit, Matth. 18, 15.

Idem non raro evenit *in Politia*, ubi ſæpe inops cum juſta ſua cauſa condemnatur, & opulentus, qui in ære habet, cum injuſta ſua cauſa abſolvitur, exemplum poteſt eſſe Naboth, 1. Reg. 12, 7. ſeqq. Hic querela Habacuc locum habet: Quando ſunt lites judicium ſublatum eſt, quia leges languent, & non pervenit usque ad finem judicium: quia impius circumvenit juſtum, propterea egreditur judicium perverſum, cap. 1. v. 4.

In œconomia eadem fabula agitur, inter vicinos, fratres, ſorores, affines, famulitia, & ſi qui ſunt alii, ubi ſemper alter alteri invidet, & fortunam alterius impeditum it. Ita Laban genero ſuo *Jacobo* invidit, quod Deus ita affatim ei benedixerat, ideoque odio habebat, Gen. 31, 1. Ita Palæſtinæ *Iſaac* invidentes dixerunt: Recede à nobis, quia potentior nobis factus es valde, Gen. 26. v. 16. Sic *Daniel* inviſus fuit principibus & ſatrapis, non alia de cauſa, quam, quod ſuperaret eos, & ſpiritus amplior eſſet in illo, Dan. 6, 5. Sic adhuc hodie *fortunæ comes invidia* eſt: ex adverſo vero *ſola miſeria caret invidia*. Sed vitium eſt turpiſſimum, ſicut enim ærugo conſumit ferrum, ſic putredo oſſium invidia, Prov. 14. v. 30. quin & cœlorum regno excludit, Gal 5, 20.

Quodſi igitur in examine tui deprehendis, quod odio & invidentia mundo te aſſimilaveris, abſtine ab illo vitio, & operam da, ut in poſterum animam tuam immaculatam cuſtodias ab hoc ſeculo, Jac. 1. v. ul. Mundus enim tranſit, & concupiſcentia ejus, 1. Joh. 2. v. 17.

Hic vero opus eſt:

1. *Oculorum velum*, ne à concupiſcentia oculorum faſcinemur, 1. Joh. 2. v. 16. Hinc

Digitized by Google

Salomo: Ne intuearis vinum, quando rubet, Prov. 23. v. 31. ſeqq. & Chriſtus ipſe: Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, &c. Matth. 5, 28.

2. *Linguæ frenum.* Qui enim vult vitam diligere, & videre dies bonos, coerceat linguam ſuam à malo, 1. Pet. 3. v. 10. Pro. 16. v. v. 26.

3. *Carnis flagrum:* Concupiſcit enim adverſus ſpiritum, Gal. 5. v. 17. & ad malum prona eſt, ab adoleſcentia ſua, Gen. 6, 5. ideo coerceri ea debet. Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini Rom 8, 13.

Ita nos à mundo ſeparare & conſortio eorum valedicere debemus, qui inopem & viliorem odio habent, & perſequuntur. Videbunt aliquando illi, in quem pupugerint, Joh. 19, 37. quando Deus ſanguinem ſuorum judicabit & vindicabit, Apoc. 6. v. 10.

III. *De perſecutorum zelo*, de quo ita Servator: Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia neſciunt eum, qui miſit me. Id Paulus vocat æmulationem habere, ſed non ſecundum ſcientiam, Rom. 10. v. 2. Ipſi enim fidem non habent, & tamen alios odio habent & perſequuntur, quia ſibi non adſtipulantur: hoc ipſo committunt duplex peccatum, ideoque & duplex pœna eos manet, ut tanquam viri ſanguinum non dimidiaturi ſint dies ſuos, Pſal. 55. v. ult. & ut hoſtes veritatis in ſtagnum præcipitentur, quo pertinent, qui amant, & faciunt mendacium, Apoc. 22, 15.

Hic probate, mi Chriſtiane! utrum & ipſe in notitia Chriſti parum fundatus, nonnunquam præpoſtero zelo abripiaris?

Intuearis velim Judæos, quanto zelo agantur ſuper nomine Jehova, ut illud neque appellare neque ſcribere velint, ſed ejus vice utuntur nomine Adonai, nec ullum librum nudis manibus prehendunt, in quo nomen Jehovæ perſcriptum ſciunt: quin occiderentur prius, quam carnem ſuillam comederent, ſabbatho ignem alerent, vel aliud opus facerent, quod in Dei lege prohibitum arbitrantur.

Baalitæ tanto zelo impium cultum proſequebantur, ut ſe juxta ritum ſuum cultris & lanceolis inciderent, donec perfunderentur ſanguine, 1. Reg. 18. v. 28.

Quam perverſo zelo *Pontificii*, cum capite ſuo Papa Romano abrepti ſint, notius eſt, quam ut hic recenſeri mereatur. Verum de ipſis & omnibus tyrannis Chriſtus hic ait: Neſciunt eum, qui miſit me. Ideo non quodvis æmulari bonum eſt, ſed illud ſaltem, quod in bono fit, Gal. 4, 18.

Optandum autem foret ut ſolummodo apud hoſtes Evangelicæ veritatis, extra eccleſiam cœcitas cjusmodi locum haberet, quid enim nobis de iis, qui foris ſunt judicare? 1. Cor. 5, 12. Sed experientia proh dolor teſtatur, & *inter nos eſſe, qui ignorantia hac laborant*, ut Chriſtum neſciant, nec eum, qui miſit eum. Quid vero de ejusmodi hominibus dicendum? Sane non melius ſunt equis & mulis, Pſal. 32, 9. Quin deteriores multo ſunt, ſi ſpectamus pulcherrimam iſtam imaginem, ad quam à Deo conditi ſunt, Gen. 1, 27. Equi enim & muli ratione præditi non ſunt: verum homini Deus animam rationalem inſpiravit, ut ſciat eligere bonum, & reprobare malum, Eſa. 7. v. 26. Ideoque pœna cjus die noviſſimo eo gravior erit. Cui enim multum datum eſt, multum quæretur ab illo, Luc. 12. v. 48. nec eſt, ut hic quis ignorantiam ſuam prætendat. Si enim non veniſſem, ait Servator, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excuſationem non habent de peccato.

to ſuo. B. Lutherus ita hac de re ſcripſit: **Unwiſſenheit wird nicht entſchuldiget/ ſol ein Chriſt nicht wiſſen/ was ihm zu wiſſen iſt? Warum hält man nicht gute Prediger? Man wil mit Willen unwiſſend ſeyn.**

Veri Chriſtiani imitari debent nobiliores Theſſalonicenſes, qui quotidie ſcrutabantur ſcripturas, Act.17.v.11. Ananiæ ſpiritus adhuc inter nos per miniſterium efficax eſt, qui illo ſedulò utitur, & verbum Dei, prout decet, audit: illi ſqvama errorum de oculis decident, & indies magis illuminabitur, Act.9.v.18. Imprimis, quando ſtudioſè cum Davide orat: Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tuâ, Pſ.119,18.

De Secundo.

TRanſibimus nunc ad *alteram partem*, χριστοῦ γνῶσιν, ſive *notitiam Chriſti*, meditaturi. Hic nobis contemplandus proponitur:

I. *Tanquam noſter præceptor.* Propterea ait: Hæc præcipio vobis, ut diligatis invicem. Eſt enim Rex noſter, & quidem Rex Regum, Apoc.19.v.16. Quis igitur obtemperare nolit, cumprimis cum tanta potentia valeat, ut poſſit & animam & corpus perdere in gehennam, Matth.10.v.28. Eſt Magiſter noſter, Joh.13.v.13. qui nos docet utilia, Eſa. 48.v.17. Quis igitur diſciplinam ejus non ſuſciperet? ſiquidem Deus expreſsè dicit, quod, ſi quis verba ejus, quæ loquitur in nomine ſuo audire noluerit, ille ultor exiſtere velit, Deut.18 v.19. Eſt paſtor noſter, & quidem fidelis ille ἀρχιποιμὴν, 1.Petr.2.v.ult. qui Iſrael deducit velut ovem, Pſal.80.v.2. Quis vocem ejus non audiret? Ipſe ſiquidem ait: Oves meæ vocem meam audiunt, Joh.10.v.29.

Atqui præceptum ejus eſt, ut diligamus nos invicem, ideò non in arbitrio noſtro relictum, velimusne id facere, an minus? mandatum id nobis eſt, ſub jactura gratiæ Dei & æternæ ſalutis; qui enim fratrem ſuum non diligit, non ex Deo eſt, 1.Joh.3.v.10. h.e. non ad regnum Chriſti pertinet, ſed in ſynagogam ſatanæ, Apoc.3.v.9.

Moſes Iſraëlitis multa præcepta dedit: quos deinde Rabini in præcepta affirmativa & negativa diviſerunt: affirmativorum numerarunt trecenta ſexaginta quinque, quot dies in anno ſunt: negativorum ducenta quadraginta octo: Verum pleraque nos non amplius obſtringunt in novo Teſtamento, Prophetæ enim & lex, uſq; ad Johannem prophetarunt, Matth.11.v.15.

Interea lex Chriſti de fraterna caritate in ſuo valore perſtat, ut ad illam implendam obligati ſimus, eſt enim ipſe Dominus de cœlo, 1.Cor.15.v.47. de quo pater ejus cœleſtis: Hic eſt filius meus dilectus, hunc audite, Matth.3.v.ult.

Quodſi igitur videri velis, te quoque ad peculium Chriſti pertinere, & verè diſcipulum ejus eſſe, Joh.8,31. aut obſequentem ejus oviculam, Joh.10,27. mandatum de dilectione obſerves oportet, hæc verũ inſigne eſt, in quo veri Chriſtiani cognoſcuntur, Joh.13,35. imprimis, quia dilectio ejuſmodi virtus eſt: ut in ea conſiſtat impletio legis, Rom.13.v.10. Matth.22.v.37.40.

II. *Tanquam noſter præcurſor.* Ideo dicit: Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit. Chryſoſtomus ſcribit, quod τὸ πρῶτον ſive πρότερον non modò prioritatem temporis, quod Chriſtus ante perſecutus ſit, ſed & prioritatem dignitatis importet, quo tanquam filius Dei conſolatorium argumentum eò firmius

mius efficeret, & nemo tergiverſaretur id pati, quod filius Dei paſſus eſt. Hinc Petrus ait, quod reliquerit nobis exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus, 1. Petr. 2. v. 21. Hoc maximum eſt in perſecutionibus: Afflictio enim dat intellectum, Eſa. 28. v. 19.

Sequamur Chriſtum in oratione, ut nos docuit: Sic ergò orabitis, pater noſter, qui es in cœlis, Matth. 6. v. 9. Atqui neceſſitas rectè orare docet, hinc David: In tribulatione mea invocavi Dominum, Pſ. 18. v. 7.

Sequamur eum in humilitate, manſvetudine & patientia, Matth. 11. v. 29. Atqui perſecutio hanc proprietatem habet, ut humilitatem in nobis excitet, Jer. 30. v. 11. & patientiam operetur, Rom. 5. v. 3.

Sequamur eum *in pugnâ adverſus diabolum & mundum*, Luc. 11. v. 14. 22. id tempore perſecutionis optimè diſcere poterimus, quæ nobis arenam oſtendit, quam Deus ordinavit omnibus, qui bonam militiam militare volunt, 1. Tim. 1. v. 18.

Sequamur eum *in compaſſione erga proximum*, ut & nos neceſſitati ſanctorum communicemus, Rom. 12. v. 13. ſicut Chriſtus pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo, Act. 10. v. 38. Id nos docet tribulatio & perſecutio. Velut enim Chriſtus inter alia ideo tentatus eſt, ut compati poſſit infirmitatibus noſtris, Heb. 4. v. 15. ita quilibet membrorum ejus dicere poteſt:

Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.

Hinc mandat Deus: Peregrino moleſtus non eris, Exod. 23. v. 9.

Sequamur eum *in terrenorum contemtu*, ne cor iisdem apponamus, ſed obliviſcamur eorum quæ retrò ſunt, ad ea verò, quæ ſunt priora nos extendamus, Phil. 3, 14.

Hoc iterum in *ſcholâ tribulationis* diſcimus, quâ mundus nobis inimicus redditur, ne diligamus eum, 1. Joh. 2, 15. ſed quæ ſurſum ſunt, quæramus, ubi Chriſtus eſt, Col. 3. v. 2. Sicut igitur Deus pater cœleſtis beneplacitum habet in filio ſuo, Matt. 17, 5. Ita & nos, quò magis imagini ejus conformamur, eò gratiores ei erimus, nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui, Rom. 8. v. 30. 31.

Ad hoc præcipuè animare nos debet exemplum Chriſti, quod eſt *exemplum exemplorum*, ut Auguſtinus loquitur, ita ut nihil adverſi nobis obtingere queat, quod & Chriſto non antea obtigerit. Tentatus enim eſt per omnia pro ſimilitudine, absq; peccato, ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, & ut repropitiaret delicta populi, Hebr. 4. v. 15. c. 2. v 17.

Quodſi igitur *contemtum ſubire* cogimini, mementote, quod mundus eum præ vobis contemſerit, & inter maleficos retulerit, Luc. 23. v. 33.

Quodſi *in exilium vobis eundum*, recordemini, quod Chriſto idem acciderit. In infantiâ ſuâ ex Nazaret in Æpyptum fugere, Matth. 2. v. 13. Deinde ex Judæa in Galilæam, Joh. 4. v. 8. & aliàs quoq; ſæpè multumq; ab hoſtibus ſuis abſcondere ſe, coactus fuit, Luc. 4, 30. Joh. 8, 59.

Quodſi *verbis amicis ex corde hypocritico ſalutamini*, perpendite, quod & Servator veſter oſculo proditus & morti traditus ſit, Matth. 26. v. 49.

Quando *bona temporalia vobis eripiuntur*, cogitate, quod impii milites Chriſto veſtimenta exuerint, & ſuper eadem ſortem miſerint. Matth. 27. v. 35.

Si multa ſuſtinere tenemini *ab infidelibus amicis*, qui non permanent in die tribulationis

tionis, vel etiam convertuntur ad inimicitiam, Sir. 6. v. 8. 9. reminiſcimini, quod & Servator idem perpeſſus ſit, dum ab omnibus diſcipulis deſertus, imò calce petitus eſt, ab eo, qui panes ejus edit, Pſal. 41. v. 10. Matth. 26. v. 23.

Quodſi *in vocatione veſtrâ multas moleſtias devorare*, & in ſudore vultûs veſtri pane veſtro veſci cogimini, Gen. 3, 19. reſpicite Chriſtum, quomodo uſque ad ſanguinem laboraverit, propter peccata veſtra, Matth. 26. v. 28.

Hoc ad animum revocantes, hunc anteſignanum veſtrum animoſius ſequimini, juxta illud: Si quis vult poſt me venire, abneget ſeipſum, Luc. 9. v. 23. Qui hoc non facit, non poteſt eſſe meus diſcipulus, Luc. 14. v. 27.

Cato Romanus ille belli Dux milites ſuos ita affatus eſt: Eſtote confidenti animo

-- Primus arenas
Ingrediar, primusq; gradus in pulvere ponam.

Hoc poſtquam fecerunt, victoriam reportarunt. Ita & nos, quia Chriſtum in omnibus nobis prædeceſſiſſe audimus, admonitionem Paulinam altâ mente repoſtam habere debemus: Per patientiam curramus, in propoſito nobis certamine &c. Hebr. 12. v. 1. 4.

III. *Tanquam noſter Proviſor*: Mementote, inquit, ſermonis mei, quem ego dixi vobis: Non eſt ſervus major Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur, q. d. quodſi ejusmodi perſecutio vobis ingruet, recordemini, quòd non fortuitò ita eveniat, ſed quod jam olim id vobis prædixerim.

Hic duplex latet ſolatium.

Verè enim dixit Cicero: Omnia repentina videntur graviora.

At levius lædit, quicquid prævidimus ante
Et præviſa minus lædere tela ſolent.

Atqui ſcimus ex verbo Dei, quod omnes, qui piè vivere volunt in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur, 2. Tim. 3, 12. Ideò in tempore nos præparemus neceſſe eſt. Fili præpara animam tuam ad tentationem, Sir. 2. v. 1. ſeqq.

Præterea, quia Chriſtus omnia præſcit, quæ nobis evenire debent, & adeò demenſus eſt, ut ne minimus capillus de capite noſtro decidere poſſit, quem non in divina providentia ſua conſignaverit, Matth. 10. v. 30. Meritò nos confidere nec dubitare debemus, quin tempus & modum definierit, quamdiu cujusq; afflictio, quam ei impoſuit, durare debeat. Fidelis enim eſt, & non patietur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, 1. Cor. 10. v. 13.

Servator noſter non ſemper in cruce pependit, ſed tandem ſuo tempore de anguſtiâ & de judicio ſublatus eſt, Eſa. 53, 8. Sic nec Deus in æternum afflictionem dabit juſtis, Pſal. 55, 23. ſed citò faciet vindictam illorum, Luc. 18. v. 7. & quando ſatis in furno afflictionis excocti ſunt, Eſa. 48, 10. educturus eos eſt in refrigerium, Pſal. 66. v. 12. & replebit in bonis domûs ſuæ, Pſal. 65. v. 5. donec eos ex hac lacrymarum valle transferet eò, ubi non audietur ultrà vox fletus, & vox clamoris, Eſa. 65. v. 19. ſed mera jubila & triumphi in æternum, qui enim ſeminant in lacrymis, cum jubilatione metent, Pſal. 126. v. 5.

Largiatur id nobis ter-Sanctus Deus, per & propter Chriſtum Dominum & Servatorem noſtrum in Spiritu ſancto,

Amen.

In

In feſto die B. Andreæ Apoſtoli.

Evangelium Matth. 4. *v.* 18. --- 22.

EXORDIUM.

CUm filii Prophetarum exiiſſent ligna cædere ad Jordanem, ut ædificarent ſibi ibi locum ad habitandum: accidit, ut cum unus materiam ſuccidiſſet, caderet ferrum ſecuris in aquam: exclamavitq; ille, & ait: heu, heu, heu, Domine mi, & hoc ipſum mutuò acceperam. Dixit autem homo Dei: ubi cecidit? At ille monſtravit illi locum: præcidit ergò lignum & miſit illuc: natavitq; ferrum, 2. Reg. 6. v. 1.

Hæc allegoricè interpretabimur.

Nos miſeri homunciones per triſtem Protoplaſtorum lapſum omnes ad fundum perveneramus *inſtar ferri & chalybis*, & in limo æternæ damnationis nobis pereundum fuiſſet: Sed cœleſtis Eliſæus Servator noſter Jeſus Chriſtus, noſtri miſertus, per ſanctiſſimam incarnationem ſuam, ultrò in ærumnoſos infirmitatum noſtrarum fluctus ſe demerſit: ut inde reſurgere, & in libertatem filiorum Dei pervenire poſſimus. Si enim filius vos liberaverit, verè liberi eſtis, Joh. 8. v. 36.

Hæc *vocatio generalis* eſt, quæ omnibus hominibus contigit. Chriſtus enim pro omnibus mortuus eſt, 1. Cor. 15. v. 22. & viam ad cœlum aperuit, ut quilibet in illud intrare, & donis gratiæ partis frui poſſit, Pſal. 16. v. 11. ſed plurimi hoc ſeculum diligunt, ut Demas, 2. Tim. 4. v. 10. & inſuper habent hanc vocationem, ſicut ingrati hoſpites in Evangelio, Luc. 14. v. 17. ideo ratione eorum locum habet illud: Ex te perditio tua Iſrael, Oſ. 13. v. 9.

Juxta hanc generalem verò & *ſpecialis vocatio* eſt, ubi Chriſtus in omnibus tribus Hierarchiis munia ſua diſtribuit. *In eccleſia* quoſdam dedit Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem paſtores & doctores, ad præparationem ſanctorum in opus miniſterii, Epheſ. 4. v. 11.

Sic etiam in manu Dei poteſtas terræ, & utilem rectorem ſuſcitabit in tempus ſuper illam, Sirac. 10. v. 4. 5.

In *ſtatu* quoque *œconomico* diverſi gradus occurrunt, Abraham Dominus, Sara Domina, Hagar ancilla eſt, Iſaac filius frugi, Iſmael verò degener, Gen. 21. v. 1. 9. Hæc omnia Deus ordinat, prout vult, 1. Cor. 12. v. 11. & multos ad dignitates evehit, qui ante ſpreti & abjecti fuerunt, ut exempla Joſephi, Gen. 41. v. 40. Davidis, 1. Sam. 16, 13. Eſther, Eſth. 2. v. 17. aliorumq; probant.

Præſens Evangelium, illud ipſum quadruplici exemplo oſtendit. Quinam enim fuerunt, Petrus & Andreas? Quinam Jacobus & Johannes? Nonne Piſcatores, qui profundè ad fundum deciderant: nihilominus eos Chriſtus protractos ad Apoſtolatum vocavit, ut non amplius terrenæ piſcaturæ intenti eſſe, ſed homines capere debeant, ut Evangelium pluribus indicat.

Nos abſque ulteriori præloquio ad tractationem ejus progredientes, meditabimur ex eodem:

I. Av-

I. Ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J.J.

Exegeſis.

ECce,ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus,& piſcabuntur eos, Jer. 16. v. 16.

Hoc impletum eſt in præſente Evangelio, in quo audimus,Servatorem noſtrum quatuor piſcatores unâ vice ad Apoſtolatum vocaſſe.

Ad *notitiam noſtri* hic perveniemus, ſi ſpectemus:

I. *Piſcatores retia projicientes.* Hæc enim eorum vocatio erat, cui fideliter vacabant. Unumquemque,ſicut vocavit Deus,ita ambulet, 1.Cor.7,17. Neque oderis laborioſa opera, & ruſticationem creatam ab altiſſimo,Sir.7,16.Sicut igitur Deus mandavit in ſudore vultus veſci pane ſuo,Gen.3,19. Sic & hoc modo victum ſuum quærebant. Erant enim piſcatores, intellige ex profeſſo: Piſcatura erat ars eorum, quam probè didicerant, quam probè callebant, & hactenus tanquam ordinarium victus quærendi medium exercuerant: ideo non improbandi ſunt,quod retia ſua in mare projiciunt.& ita honeſtè alimoniam ſuam quærunt. Manus enim ſedulorum divitias parat,Prov.10. v.14.qui verò dormitat, & conſerit manus ſuas,ut dormiat,illi veniet,quaſi viator egeſtas,&pauperies quaſi vir armat9 Prov.6,11.

Hic quilibet in examen ſui deſcendat, utrum & ipſe vocationi ſuæ fideliter invigilaverit, & rete ſuum ita laxaverit, ſicut id Deus in verbo ſuo præſcripſit?

Si probè rem examinamus,nos omnes ſuo modo peccatores ſumus, & rete noſtrum habemus, quod Deus cuique,ut victum ſibi illo quærat, concredidit, homo enim natus eſt ad laborem,ut aves ad volatum,Hiob.5.v.7.

Verbi miniſtri *ſpirituale rete* habent, quod eſt concio Evangelii, quæ expreſsè reti confertur, Matth.13,47. hoc ipſo alere ſe tenentur,dignus enim eſt operarius mercede ſua,Luc.10,7,Ideo ait Paulus: Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus:magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? 1.Cor.9,11.

Qui in magiſtratus officio conſtituti ſunt,*rete* habent *bonarum legum & ordinationum*, quo ſubditos irretiunt & compeſcunt. Ideo quoque tributa illis præſtanda ſunt, miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes,Rom.13,6.

In communi vita quilibet *rete vocationis* ſuæ habet,&aut mercator eſt,aut opificium aliquod callet,unde ſe ſuſtentare poteſt, ſine his enim non ædificatur civitas, Sir.38. verſ.37.

Si quilibet igitur ſuo loco diligens eſt, & in nomine Domini laxat rete ſuum, piſcium multitudinem copioſam concludet, Luc.5,6. & tantum ſibi comparabit, unde cum ſuis honeſtè vivere poſſit. Dominus enim facultatibus piorum benedicit,& cum ipſi tempus eſſe videtur, citò eas auget. Ideò confide in Deo, & mane in loco tuo, facilè enim eſt in oculis Dei ſubitò ditare pauperem,Sir.11.v.23.24.

Sed & *piſcatores nequam* inveniuntur,inter illos, qui abſconderunt foveam retis ſui, ad perdendum homines, Pſal.35.v.7. hi illi ſunt,qui omnia attrahunt hamo,contrahuntq; ſuo reti,& congregant ea in reti ſuo,Habac.1.v.15.16.

Verùm hæ opes hæredem non juvant. Hæc

Digitized by Google

gelos ſpiritus eſſe aſſerimus, non ejusmodi ſpiritus intelligimus, quomodo Deus ſpiritus eſt, Joh.4,24. aut ut Chriſtus de vento dicit: Spiritus ubi vult ſpirat, Joh.3.v.8. Multo minus Deo æquales cenſendi ſunt, ut veteres hæretici: Simoniani, Saturniani, Nicolaitæ, & alii delirarunt, quod mundus & omnia viſibilia non à Deo, ſed ab angelis creata ſint. Hoc falſum eſt. Qui enim omnia præparavit, Deus eſt, Heb.3,4. Hunc honorem ſibi ſoli vendicat, nec alteri dabit, Eſa.42.v.8.

Nec concedi poteſt, quod Origenes ſtatuit, Angelos corpora habere, quamvis ſubtiliora ſint noſtris corporibus. Equidem in ſcriptura & prophanis hiſtoriis exempla offenduntur, quod angeli in forma corporali & viſibili ſe exhibuerint: verum nō propria eorũ, ſed aſſumpta forma fuit, qua tantiſper uſi ſunt, dum commiſſum ſibi à Deo munus reſpectu hominum (quod hoc modo commodius fieri potuit) exantlarunt. Perfecto vero miniſterio ſuo aſſumtam illam ſpeciem depoſuerunt rurſus. Et licet nonnunquam cum hominibus cibum ceperint, ut angeli qui apud Abraham & Loth diverterunt, Gen.18.v.8.c.19.v.3. attamen id factum eſt, aut apparenter, aut ex ſingulari quadam œconomia, ob aſſumtam ſpeciem, non quaſi eſuriverint, ſed quod usque ad tempus manifeſtationis eò commodius occulti eſſent, ne ab iis cum quibus converſarentur, agnoſcerentur, quale exemplum in angelo Raphaël habemus, Tob.12 v.19.

2. *Affirmative*, ut indicemus, quid ſint, nempe:

1. *Spiritus ſapientisſimi*, quorum ſapientiam nemo hominum aſſequi poterit, licet Salomonis ſapientiam adæquaret, 1 Reg.4. v.29. Quod enim Thecuitis ad Davidem ait: Sicut angelus Domini, ſic & Dominus meus Rex, 2.Sam.14.v.17. id comparate intelligendum eſt, reſpectu aliorum, qui ejusmodi ſapientia non valent. Interim tamen cordium ſcrutatores non ſunt, hanc enim proprietatem ſibi reſervavit Deus, 1.Reg. 8.v.39.

2. *Spiritus Sanctisſimi*, ideo Paulus eos vocat Angelos electos, qui in ſanctitate ſua perſtiterunt, & ita in ea confirmati ſunt, ut in æternum labi non poſſint. Quod & inde patet, quia vident faciem patris cœleſtis, ad quam nemo pervenire poteſt, niſi qui mundo corde eſt, Matth.5.v.8.

3. *Spiritus potentisſimi*, qui facili negotio effrenem tyrannorum laſciviam compeſcere poſſunt, ſi à Deo in mandatis id habeant. Sicut legimus, quod unicus aliquis Angelus in caſtris Sennacherib non unum virum, ut animoſus ille heros David, 1.Sam.17,5. non ſexcentos ut Samgar, Jud.3.v. ult. non octingentos, ut Joſeb-Baſebeth, 2. Sam.23. non mille uti Samſon, Jud.15.v.15. ſed centum octoginta quinque millia in una nocte percuſſerit 2.Reg.19. v.35. inde vocantur potentes virtute, Pſal.103.v.20. & angeli virtutis, 2.Theſſ.1.v.7.

Hæc conſideratio inſerviat

1. *Piis in conſolationem*: etſi enim pulvis & cinis ſunt, Gen.18.v.27. tanti tamen Deus eos fecit, ut non modo ex perditione eosdem redemerit, in quam per triſtem Protoplaſtorum lapſum inciderant: verum etiam adeo præcellentes ſpiritus & cœleſtes genios illis protectores & cuſtodes conſtituerit. Hinc non immerito David ad-

mira-

mirationem rapitur, inquiens: Domine, quid eſt homo, quod agnoſcis eum? Pſal. 144. v. 3.

Rex Salomo procul dubio plurimos ſatellites & miniſtros aulicos habuit, quorum miniſterio uſus eſt, quia Regina Arabiæ propterea admiratione commota fuit, 1. Reg. 10. v. 8.

Nec *Ahaſvero Regi* eosdem defuiſſe cenſendum eſt, ubi inſtructo magnificentiſſimo convivio cunctos Principes, & fortiſſimos Perſarum, & Duces Medorum, centum & octoginta diebus opipare tractavit, Eſther. 1. v. 6.

Rex Indiæ Porus tempore Auguſti ſexcentis Regibus imperaſſe ſcribitur, qui omnes apparitoribus ſuis ſufficienter inſtructi fuerunt.

Hoc ita quidem magnam his Magnatibus autoritatem conciliavit: Verum, quid hoc æſtimandum ratione ejus, quod Deus cœleſtes genios apparitores nobis conſtituit, qui non modo in hoc tempore præſidio ſuo nos muniunt: ſed & aliquando in regnum cœleſte transportabunt, merito igitur exclamamus nos: Quid eſt homo, quod agnoſcis eum Pſal. 144. v. 3.

2. *Impiis in dehortationem.* Non modo boni Angeli, ſed & diaboli ſunt, qui quidem homines ad peccata inſtigant, verum ubi illa commiſſa ſunt, adeo ea exaggerare norunt, ut illis omnem gratiæ ſpem præripiant ut Caini exemplum docet, Gen. 4. v. 13. Ideo accurata cautione opus eſt, ne quis ſeducatur ab illis: pœnitentia certiſſime ſequetur, quamvis nimis ſero, ex inferno enim nulla redemtio, Pſal. 49. v. 5.

2. *De Angelorum cura*, quam præſtant nobis:

1. *In vitæ ingreſſu.* Satanas enim homines odio infenſiſſimo proſequitur, & ſi ejus poteſtas valeret, nullus infantum vivus lucem adſpiceret: verum ut draco rufus ante mulierem ſole amictam ſtetit, ut devoraret filium, quem erat paritura, Apoc. 12. v. 3. ſeqq. Pari modo adhuc hodie infantibus in ipſo partu inſidiatur, ut eosdem in primo, ut ajunt, balneo ſuffocet: Verum Chriſtus infantum angelos ſubordinavit, ut cum dracone decertent, hinc non immerito David hoc Dei beneficium prædicat, inquiens: Tu es, qui extraxiſti me, de ventre, Pſal. 22, 10.

2. *In vitæ progreſſu.* Sic enim cuſtodiunt nos in omnibus viis noſtris, quin & in manibus portant, ne forte offendamus ad lapidem pedem noſtrum, Pſal. 91, 11. Quando nos dormimus, illi excubias agentes pro nobis adverſus diabolum militant, uti in Tobia juniore luculentum exemplum habemus, Tob. 8. v. 3.

Summa: Quicquid in V. T. per angelos in aſſumpta viſibili ſpecie geſtum eſt, id quotidie adhuc fit, quamvis oculis non videamus, ſed credamus, Joh. 20, 29.

Miramur, cum legimus, Deum angelum miſiſſe, qui Hagar reverti juſſerit ad Dominam ſuam, poſtquam fugerat ab ea, Gen. 16. v. 9. Verum idem quotidie adhuc fit, quando per peccata à Deo declinavimus, ut per pœnitentiam ad Deum revertamur, ſicut angelus Domini in via ſtetit, ut adverſaretur malo Balaami propoſito, Nũ. 22, 22.

Ad admirationem excitamur, quod angelus Lothum pium Sodomis eduxerit, cum pentapolin igne & ſulphure deleturus eſſet, Gen. 19, 17. Verum hoc ipſum indies adhuc contingit. Quid enim aliud mundus eſt, quam ſpiritualis Sodoma, in qua concupiſcentia oculorũ, concupiſcentia carnis & ſuperbia vitæ invaluerũt, 1. Joh. 2. quando igitur

tur in conſummatione ſeculi ille ignis ardore liqueſcet, 2.Pet. 3. v.12. angeli negotioſi erunt ad congregandum electos à quatuor ventis, Matth. 24. v.31. rapientque in nubibus obviam Domino in aera, ut ſic ſemper cum Domino ſint, 1.Theſſ.4.v.17.

Demiramur legentes, quod Hagar erranti in ſolitudine Berſabea, & ſiti laboranti Angelus apparuerit, eique viam ad puteum oſtenderit, quo ſitim reſtingueret, Gen.21, 17. Sed id quotidie adhuc fit, quando in ſpirituales tentationes incidimus, ut ad pacem amaritudo nobis amara, Eſa.38.v.17. tum angelum ſuum Deus ad conſolandum nos mittit, ſicut Chriſto tempore paſſionis angelus de cœlo apparuit, confortans eum, Luc.22.v.43.

Jacobo in itinere angeli obviam facti leguntur, in forma caſtrorum, Pſ.34,8. Id adhuc quotidie fit. Caſtra enim metatur Angelus Domini circa timentes ſe, Pſal.34.v.8.

Principi Joſue Angelus apparuit evaginatum gladium tenens, qui dixit, ſum princeps exercitus Domini & nunc venio, Joh. 5.v.13. Id hodie adhuc fit, cumprimis in poſtremis hiſce temporibus, ubi draco gregem puſillum eccleſiæ devorare ſatagit, Apoc.12.v.4.

Eliæ delaſſato Angelus ſubcineritium panẽ & vaſculum aquæ attulit, quo ita refectus eſt, ut in fortitudine illius cibi ambulaverit usque ad montem Dei Horeb 1.Reg.19,6. Hoc indies adhuc fit, quando laſſi ſumus, ad ambulandum in viis Domini, ut Angelus Domini per intrinſecas inſpirationes nos confortet, ſunt Tobiam juniorem angelus ad pietatem, & Hagar ad obedientiam admonuit, Gen.16.v.9.

Stupore percellimur, quando legimus, quod mons cingens oppidum Dothan, plenus fuerit equorum, & curruum ignitorum, in circuitu Eliſei, 2.Reg.6,17. Id indies adhuc fit, protegit enim Dominus eccleſiam ſuam, & eſt murus ignis in circuitu ejus, Zach.2. v.5.

Angelus concluſit ora leonum, ne nocerent Danieli, Dan.6.v.22. Sic & diabolo rugienti ut leoni ora obſtruunt Angeli, ne nos devorent, 1.Pet.5.v.8.

Angelus noctu Petrum eduxit è carcere, Act.12.v.8. Idem adhuc hodie S. Angeli faciunt, cum animam, quando corporeis vinculis, velut carcere ſoluta eſt, in paradiſum deportant, ut animam latronis in cruce, Luc. 23.v.43. Idque præſtant:

3. *In vita egreſſu.* Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur, à modo, Apoc.14,13. Sed quomodo tempus ſuppeteret nobis, ut ſingula beneficia, quæ per Angelorum miniſterium Servator nobis exhibuit, enarremus? In vita æterna gloria hæc demum plenè conſummabitur, erimus ſicut Angeli Dei in cœlis, Matt. 22. v. 30. *Similes illis in juſtitia & ſanctitate*, populus enim Dei omnes juſti erunt, Eſa. 60, v. 21. *ſimiles in caritate*, & fulgebimus ſicut ſol in regno patris, Matth. 13. v. 43. *Similes in agilitate*, tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrentes, Sap. 3. v. 7. *Similes in immortalitate*, ibi enim mors non amplius erit, Apoc. 21.v.4. ſed juſti in perpetuum vivent, Sap. 5. v. 16. *Similes in æterna beatitudine*, ſicut enim Angeli ſemper vident faciem Domini in cœlis: ſic & nos Deum videbimus, a facie ad faciem, 1.Cor.13.v.12. ſicuti eſt, 1.Joh.3.v. 2. hinc tanto gaudio perfundemur, quam in terris oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis adſcendit, 1. Cor.2. v. 9.

Largiatur id nobis Deus Opt. Max. per & propter Jeſum Chriſtum, Amen.

In feſto die Simonis & Judæ.

Evangelium, Joh. 15. v. 17. -- 21.

EXORDIUM.

Cum Patriarcha Abraham, & Patruelis ejus Loth, in una regione cohabitarent, & rixa fieret inter Paſtores gregum, quia uterque dives erat in poſſeſſione pecorum, valde id diſplicuit Abrahamo, ideoque dixit ad Loth: Ne quaſo, ſit jurgium inter me & te, & inter paſtores meos & paſtores tuos: fratres enim ſumus. *Ecce! univerſa terra coram te eſt, recede à me, obſecro. Si ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo: ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam,* Gen. 13. v. 8.

Hoc egregium exemplum eſt, quomodo concordiæ ſtudere, & potius cedere, quam rixis rem agere debeamus. Ecce, quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum, Pſal. 133. v. 1. 3.

Idque pii Veteres docere nos voluerunt, quod hodiernum Evangelium in diem Simonis & Judæ, qui fratres fuiſſe cenſentur, ordinarunt. Quia æternus Dei filius diſcipulos ſuos in eo ad caritatem Chriſtianam hortatur, & valedicens *teſtamentum pacis iis ordinat:* ut adverſus mundum & infernum uniti, quo plus diabolus ſæviret, eo magis eidem ſe opponerent. Nam ſi quispiam prævaluerit contra unum, duo reſiſtent ei: funiculus triplex difficile rumpitur, Eccleſ. 4. v. 12.

Præcipue vero hic commonemur, quod licet in Apoſtolico Collegio, *impius Judas* & *Apoſtata ſit*, qui mercede injuſtitiæ conductus, à Chriſto deficit, cumque prodit: adhuc ex adverſo *pius aliquis Judas* inveniatur, cui Chriſti doctrina & gloria potior eſt, quam omnes theſauri & divitiæ univerſi mundi: Ita Servator ſemper aliquos Lebbæos & Thaddæos in mundo habebit, qui nomen ejus diligant, laudent & celebrent, licet aliqui cum Juda deficiant, & diabolo ſe mancipent, ſi & ex lapidibus illi ſuſcitandi eſſent, Luc. 3, 8.

Nos absque ulteriori præloquio ad ipſam Evangelii tractationem pergemus, tractaturi ex eodem:

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri.*
II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J.J.

Exegeſis.

Quemadmodum inter duos hoſce Apoſtolos, quorum memoria hodie celebratur, Simon præcedit, Judas vero ſequitur: ita & nos omnes ſeduli Simones ante ſimus, verbumque Dei audiamus oportet, ſi Chriſtum recte agnoſcere, & ut nomen Judæ indicat, ore & animo imperterrito coram mundo confiteri velimus. Sicut & Chriſtus hoc præfigurare voluit, quod muto & ſurdo, prius aurem aperuerit, & deinde linguam ſolverit, ut indicaret, quod audire & loqui ſe invicem conſequi debeant. Credidi enim, propter quod locutus ſum, ait David, Pſal. 116. v. 10.

Digitized by Google

Ἀνθρωπολογίαν igitur prius hinc diſcemus, & *notitia Chriſti* eò melius in cordibus noſtris radicabit & creſcet.

Hîc enim agitur:

1. *De amoris ſtudio.* Hæc mando vobis, inquit Servator, ut diligatis invicem.

Edicta Perſarum & Medorum transgredi illicitum fuit, ut quæ ſtatim perfici oportuit, Eſther. 1. v. 19.

Atqui non negandum ſane eſt, omnes leges eo fine promulgari, ut ſervari ſine transgreſſione debeant: *Lex enim ſine executione, eſt ſicut campana ſine rophalo*, ut Johannis Friderici Ducis Saxoniæ Conſiliarius intimus dicere ſolitus eſt: attamen executio uno in loco ſeverior eſt, quam in alio, & eſt extra dubium, Perſas & Medos in exequendis decretis ſuis magno rigore uſus fuiſſe; ſicuti ſuperbiens Vaſthi continuò ad mandatum Regis, propter pertinaciam corona Regia privata experta eſt.

Hic non Perſarum & Medorum, ſed Chriſti lex eſt, Regis Regum, & Domini Dominantium, nempe *lex de fraterna dilectione*, de qua ipſe ait: Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Ideo noſtrum erit, eò magis operam dare, ut eandem reipſa impleamus. Eſt enim lex Regia, ad quam ſervandam omnes obſtricti ſumus, & qui eandem perficit, bene facit Jac. 2, 8.

Hic inſpicias velim te, mi Chriſtiane! utrum hoc de dilectione præceptum unquam recte obſervaveris, & ad illum vitam tuam & Chriſtianiſmum compoſueris? Non dubito, quin poſt accuratam inſpectionem deprehenſurus ſis, quod in officio obſervando nimis remiſſe egeris.

Chriſtus hic requirit:

1. *Dilectionem intimam*, quæ non modo in geſtibus externis ſe exerit: ſed & ſedem in corde habet, alienam ab omni vafricie & hypocriſi, quo ſpectat admonitio Pauli, dicentis: Dilectio ſine ſimulatione: caritate fraterna vos invicem ex animo proſequentes, Rom. 12, 9. 10. & iterum: candidi ſimus in caritate, Eph. 4, 15. ne non admonitio Johannis: Non diligamus verbo, neque lingua: ſed opere & veritate, 1. Joh. 3, 18.

Ejusmodi amor fuit inter David & Jonathan, quorum alter alterum ſicut animam ſuam dilexit, 1. Sam. 20. v. 17.

Item *inter Ruth & Naemi*, qui divelli non poterant præ caritate, adeo, ut Ruth diceret: Quocunque perrexeris pergam, Rut. 1. v. 16. 17.

Hodie hæc *caritas* plane refriguit, & *rara avis in terra eſt*. Ideo merito cum Siracide miramur, de infidelitate & malitia mundi Sir. 27. v 3. ſeqq. Sæpe os dicit *Ave*, cor vero cogitat *Cave*, & ubi tibi malum obveniſſe vident, lætantes dicunt: Euge, Euge, Pſ. 70.

Quodſi & tu in horum numero fuiſti, Deum invoca, ut tibi peccatum hoc condonet, nam in Chriſto Jeſu veritas, Eph. 4, 21.

2. *Dilectionem reciprocam.* Hæc mando vobis, ait Chriſtus, ut diligatis vos invicem. In Græco eſt εἰς ἀλλήλους, quo indicatur, ut ſi quis à proximo diligatur, eundem reciproce diligat, nec bonum malo rependat, qui enim reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus, Prov. 17. v. 13.

Verum ſi mundi hodierni ingenium reſpicimus, *ingratitudo tanta eſt*, ut non immerito cum Davide querendum: Pro eo, quod ego dilexi, ipſi adverſantur mihi, Pſal. 109. v. 4.

Hanc *infidelitatem parentes à filiis, Magiſtratus à ſubditis, & verbi præcones* ab auditoribus ſuis experiuntur, ubi ſemper **Undanck** *in fine laborum.* Hinc Diogenes inter-

terrogatus, *quid velociſſime ſeneſceret*: reſpondit: *Beneficium*, quia tam facile ejus obliviſcantur homines. Sed nefandum eſt peccatum. *Ingrato enim homine terra pejus nil creat*, ait Auſonius. Ideo in ſcripturis generatio prava atque perverſa appellantur ingrati, Deut. 32. v.5. quos certa pœna manet. Non enim ei bene, qui eleemoſynas non compenſat, Sir.12.v.3.

Quodſi & tu cum ingratis, hactenus fuiſti, recede ab illis, & amantem te redama, & adimplebis legem Chriſti, Gal.6.v.2.

II. *De mundi ingenio*, qui omnes illos odit & perſequitur, qui cum Chriſto faciunt, ideo Servator ad diſcipulos ſuos: Si de mundo fuiſſetis, mundus, quod ſuum erat, diligeret. Quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

Per mundum hic non intelligitur ſtructura mundi externa: quæ opus & creatura Dei eſt. Gen.2.v.7. *ſed impii in mundo*, qui plerumque cum principe ſuo diabolo emergunt, ut pii Chriſtiani ejus purgamenta & peripſema eſſe teneantur, 1.Cor.4,13. quod in paradiſo initium ſumſit, Gen.3,15. & continuabitur ad cõſummationem ſeculi, nulla enim conventio eſt Chriſti ad Belial, 2.Cor. 6. v.14.

Hic ſcruteris velim te, utrum & ipſe mundo aſſimulaveris te, & ad ejus exemplum, proximum tuum odio & perſecutione preſſeris?

Id in omnibus Hierarchiis fieri amat. *In Eccleſia* ejusmodi Capricorni inveniuntur, qui juxta affectus ſuos prædicant, & publice alios perſtringunt, non habita ratione graduum admonitionis, quos Chriſtus obſervandos præſcripſit, Matth.18,15.

Idem non raro evenit *in Politia*, ubi ſæpe inops cum juſta ſua cauſa condemnatur, & opulentus, qui in ære habet, cum injuſta ſua cauſa abſolvitur, exemplum poteſt eſſe Naboth, 1.Reg.12,7. ſeqq. Hic querela Habacuc locum habet: Quando ſunt lites judicium ſublatum eſt, quia leges languent, & non pervenit usque ad finem judicium: quia impius circumvenit juſtum, propterea egreditur judicium perverſum, cap.1.v.4.

In œconomia eadem fabula agitur, inter vicinos, fratres, ſorores, affines, famulitia, & ſi qui ſunt alii, ubi ſemper alter alteri invidet, & fortunam alterius impeditum it. Ita Laban genero ſuo *Iacobo* invidit, quod Deus ita affatim ei benedixerat, ideoque odio habebat, Gen.31,1. Ita Palæſtinæ *Iſaac* invidentes dixerunt: Recede à nobis, quia potentior nobis factus es valde, Gen.26.v.16. Sic *Daniel* inviſus fuit principibus & ſatrapis, non alia de cauſa, quam, quod ſuperaret eos, & ſpiritus amplior eſſet in illo, Dan.6,5. Sic adhuc hodie *fortunæ comes invidia* eſt: ex adverſo vero *ſola miſeria caret invidia*. Sed vitium eſt turpiſſimum, ſicut enim ærugo conſumit ferrum, ſic putredo oſſium invidia, Prov.14.v.30. quin & cœlorum regno excludit, Gal 5,20.

Quodſi igitur in examine tui deprehendis, quod odio & invidentia mundo te aſſimilaveris, abſtine ab illo vitio, & operam da, ut in poſterum animam tuam immaculatam cuſtodias ab hoc ſeculo, Jac.1.v.ul. Mundus enim tranſit, & concupiſcentia ejus, 1.Joh. 2.v.17.

Hic vero opus eſt:

1. *Oculorum velum*, ne à concupiſcentia oculorum faſcinemur, 1. Joh.2. v.16. Hinc

to ſuo. B. Lutherus ita hac de re ſcripſit: **Unwiſſenheit wird nicht entſchuldiget/ ſol ein Chriſt nicht wiſſen/ was ihm zu wiſſen iſt? Warum hält man nicht gute Prediger? Man wil mit Willen unwiſſend ſeyn.**

Veri Chriſtiani imitari debent nobiliores Theſſalonicenſes, qui quotidie ſcrutabantur ſcripturas, Act.17.v.11. Ananiæ ſpiritus adhuc inter nos per miniſterium efficax eſt, qui illo ſedulò utitur, & verbum Dei, prout decet, audit: illi ſqvama errorum de oculis decident, & indies magis illuminabitur, Act.9.v.18. Imprimis, quando ſtudioſè cum Davide orat: Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tuâ, Pſ.119,18.

De Secundo.

TRanſibimus nunc ad *alteram partem*, χριϛογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti*, meditaturi. Hic nobis contemplandus proponitur:

I. *Tanquam noſter præceptor.* Propterea ait: Hæc præcipio vobis, ut diligatis invicem. Eſt enim Rex noſter, & quidem Rex Regum, Apoc.19.v.16. Quis igitur obtemperare nolit, cumprimis cum tanta potentia valeat, ut poſſit & animam & corpus perdere in gehennam, Matth.10.v.28. Eſt Magiſter noſter, Joh.13.v.13. qui nos docet utilia, Eſa.48.v.17. Quis igitur diſciplinam ejus non ſuſciperet? ſiquidem Deus expreſsè dicit, quod, ſi quis verba ejus, quæ loquitur in nomine ſuo audire noluerit, ille ultor exiſtere velit, Deut.18 v.19. Eſt paſtor noſter, & quidem fidelis ille ἀρχιποιμὴν, 1.Petr.2.v.ult. qui Iſrael deducit velut ovem, Pſal.80.v.2. Quis vocem ejus non audiret? Ipſe ſiquidem ait: Oves meæ vocem meam audiunt, Joh.10.v.29.

Atqui præceptum ejus eſt, ut diligamus nos invicem, ideò non in arbitrio noſtro relictum, velimusne id facere, an minus? mandatum id nobis eſt, ſub jactura gratiæ Dei & æternæ ſalutis; qui enim fratrem ſuum non diligit, non ex Deo eſt, 1.Joh.3.v.10. h.e. non ad regnum Chriſti pertinet, ſed in ſynagogam ſatanæ, Apoc.3.v.9.

Moſes Iſraëlitis multa præcepta dedit: quos deinde Rabini in præcepta affirmativa & negativa diviſerunt: affirmativorum numerarunt trecenta ſexaginta quinque, quot dies in anno ſunt: negativorum ducenta quadraginta octo: Verum pleraque nos non amplius obſtringunt in novo Teſtamento, Prophetæ enim & lex, uſq; ad Johannem prophetarunt, Matth.11.v.15.

Interea lex Chriſti de fraterna caritate in ſuo valore perſtat, ut ad illam implendam obligati ſimus, eſt enim ipſe Dominus de cœlo, 1.Cor.15.v.47. de quo pater ejus cœleſtis: Hic eſt filius meus dilectus, hunc audite, Matth.3.v.ult.

Quodſi igitur videri velis, te quoque ad peculium Chriſti pertinere, & verè diſcipulum ejus eſſe, Joh.8,31. aut obſequentem ejus oviculam, Joh.10,27. mandatum de dilectione obſerves oportet, hæc verũ inſigne eſt, in quo veri Chriſtiani cognoſcuntur, Joh.13,35. imprimis, quia dilectio ejuſmodi virtus eſt: ut in ea conſiſtat impletio legis, Rom.13.v.10. Matth.22.v.37.40.

II. *Tanquam noſter præcurſor.* Ideo dicit: Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit. Chryſoſtomus ſcribit, quod τὸ πρῶτον ſive πρότερον non modò prioritatem temporis, quod Chriſtus ante perſecutus ſit, ſed & prioritatem dignitatis importet, quo tanquam filius Dei conſolatorium argumentum eò fir-

Digitized by Google

mius efficeret, & nemo tergiverſaretur id pati, quod filius Dei paſſus eſt. Hinc Petrus ait, quod reliquerit nobis exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus, 1. Petr. 2. v. 21. Hoc maximum eſt in perſecutionibus: Afflictio enim dat intellectum, Eſa. 28. v. 19.

Sequamur Chriſtum in oratione, ut nos docuit: Sic ergò orabitis, pater noſter, qui es in cœlis, Matth. 6. v. 9. Atqui neceſſitas rectè orare docet, hinc David: In tribulatione mea invocavi Dominum, Pſ. 18. v. 7.

Sequamur eum in humilitate, manſvetudine & patientia, Matth. 11. v. 29. Atqui perſecutio hanc proprietatem habet, ut humilitatem in nobis excitet, Jer. 30. v. 11. & patientiam operetur, Rom. 5. v. 3.

Sequamur eum *in pugnâ adverſus diabolum & mundum*, Luc. 11. v. 14. 22. id tempore perſecutionis optimè diſcere poterimus, quæ nobis arenam oſtendit, quam Deus ordinavit omnibus, qui bonam militiam militare volunt, 1. Tim. 1. v. 18.

Sequamur eum *in compaſſione erga proximum*, ut & nos neceſſitati ſanctorum communicemus, Rom. 12. v. 13. ſicut Chriſtus pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo, Act. 10. v. 38. Id nos docet tribulatio & perſecutio. Velut enim Chriſtus inter alia ideo tentatus eſt, ut compati poſſit infirmitatibus noſtris, Heb. 4. v. 15. ita quilibet membrorum ejus dicere poteſt:

Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.

Hinc mandat Deus: Peregrino moleſtus non eris, Exod. 23. v. 9.

Sequamur eum *in terrenorum contemtu*, ne cor iisdem apponamus, ſed obliviſcamur eorum quæ retrò ſunt, ad ea verò, quæ ſunt priora nos extendamus, Phil. 3, 14.

Hoc iterum in *ſcholâ tribulationis* diſcimus, quâ mundus nobis inimicus redditur, ne diligamus eum, 1. Joh. 2, 15. ſed quæ ſurſum ſunt, quæramus, ubi Chriſtus eſt, Col. 3. v. 2. Sicut igitur Deus pater cœleſtis beneplacitum habet in filio ſuo, Matt. 17, 5. Ita & nos, quò magis imagini ejus conformamur, eò gratiores ei erimus, nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui, Rom. 8. v. 30. 31.

Ad hoc præcipuè animare nos debet exemplum Chriſti, quod eſt *exemplum exemplorum*, ut Auguſtinus loquitur, ita ut nihil adverſi nobis obtingere queat, quod & Chriſto non antea obtigerit. Tentatus enim eſt per omnia pro ſimilitudine, absq; peccato, ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, & ut repropitiaret delicta populi, Hebr. 4. v. 15. c. 2. v. 17.

Quodſi igitur *contemtum ſubire* cogimini, mementote, quod mundus eum præ vobis contemſerit, & inter maleficos retulerit, Luc. 23. v. 33.

Quodſi *in exilium vobis eundum*, recordemini, quod Chriſto idem acciderit. In infantiâ ſuâ ex Nazaret in Æpyptum fugere, Matth. 2. v. 13. Deinde ex Judæa in Galilæam, Joh. 4. v. 8. & aliàs quoq; ſæpè multumq; ab hoſtibus ſuis abſcondere ſe, coactus fuit, Luc. 4, 30. Joh. 8, 59.

Quodſi *verbis amicis ex corde hypocritico ſalutamini*, perpendite, quod & Servator veſter oſculo proditus & morti traditus ſit, Matth. 26. v. 49.

Quando *bona temporalia vobis eripiuntur*, cogitate, quod impii milites Chriſto veſtimenta exuerint, & ſuper eadem ſortem miſerint. Matth. 27. v. 35.

Si multa ſuſtinere tenemini *ab infidelibus amicis*, qui non permanent in die tribula-

tionis

tionis, vel etiam convertuntur ad inimicitiam, Sir. 6. v. 8. 9. reminiſcimini, quod & Servator idem perpeſſus ſit, dum ab omnibus diſcipulis deſertus, imò calce petitus eſt, ab eo, qui panes ejus edit, Pſal. 41. v. 10. Matth. 26. v. 23.

Quodſi *in vocatione veſtrâ multas moleſtias devorare*, & in ſudore vultûs veſtri pane veſtro veſci cogimini, Gen. 3, 19. reſpicite Chriſtum, quomodo uſque ad ſanguinem laboraverit, propter peccata veſtra, Matth. 26. v. 28.

Hoc ad animum revocantes, hunc anteſignanum veſtrum animoſius ſequimini, juxta illud: Si quis vult poſt me venire, abneget ſeipſum, Luc. 9. v. 23. Qui hoc non facit, non poteſt eſſe meus diſcipulus, Luc. 14. v. 27.

Cato Romanus ille belli Dux milites ſnos ita affatus eſt: Eſtote confidenti animo

-- Primus arenas
Ingrediar, primusq; gradus in pulvere ponam.

Hoc poſtquam fecerunt, victoriam reportarunt. Ita & nos, quia Chriſtum in omnibus nobis prædeceſſiſſe audimus, admonitionem Paulinam altâ mente repoſtam habere debemus: Per patientiam curramus, in propoſito nobis certamine &c. Hebr. 12. v. 1. 4.

III. *Tanquam noſter Proviſor*: Mementote, inquit, ſermonis mei, quem ego dixi vobis: Non eſt ſervus major Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur, q. d. quodſi ejusmodi perſecutio vobis ingruet, recordemini, quòd non fortuitò ita eveniat, ſed quod jam olim id vobis prædixerim.

Hic duplex latet ſolatium.

Verè enim dixit Cicero: Omnia repentina videntur graviora.

At levius lædit, quicquid prævidimus ante
Et prævifa minus lædere tela ſolent.

Atqui ſcimus ex verbo Dei, quod omnes, qui piè vivere volunt in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur, 2. Tim. 3, 12. Ideò in tempore nos præparemus neceſſe eſt. Fili prapara animam tuam ad tentationem, Sir. 2. v. 1. ſeqq.

Præterea, quia Chriſtus omnia præſcit, quæ nobis evenire debent, & adeò demenſus eſt, ut ne minimus capillus de capite noſtro decidere poſſit, quem non in divina providentia ſua conſignaverit, Matth. 10. v. 30. Meritò nos confidere nec dubitare debemus, quin tempus & modum definierit, quamdiu cujusq; afflictio, quam ei impoſuit, durare debeat. Fidelis enim eſt, & non patietur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, 1. Cor. 10. v. 13.

Servator noſter non ſemper in cruce pependit, ſed tandem ſuo tempore de anguſtiâ & de judicio ſublatus eſt, Eſa. 53, 8. Sic nec Deus in æternum afflictionem dabit juſtis, Pſal. 55, 23. ſed citò faciet vindictam illorum, Luc. 18. v. 7. & quando ſatis in furno afflictionis excocti ſunt, Eſa. 48, 10. educturus eos eſt in refrigerium, Pſal. 66. v. 12. & replebit in bonis domûs ſuæ, Pſal. 65. v. 5. donec eos ex hac lacrymarum valle transferet eò, ubi non audietur ultrà vox fletus, & vox clamoris, Eſa. 65. v. 19. ſed mera jubila & triumphi in æternum, qui enim ſeminant in lacrymis, cum jubilatione metent, Pſal. 126. v. 5.

Largiatur id nobis ter-Sanctus Deus, per & propter Chriſtum Dominum & Servatorem noſtrum in Spiritu ſancto,

Amen.

In

In feſto die B. Andreæ Apoſtoli.

Evangelium Matth. 4. v. 18. --- 22.

EXORDIUM.

CUm filii Prophetarum exiiſſent ligna cædere ad Jordanem, ut ædificarent ſibi ibi locum ad habitandum : accidit, ut cum unus materiam ſuccidiſſet, caderet ferrum ſecuris in aquam : exclamavitq; ille, & ait: heu, heu, heu, Domine mi, & hoc ipſum mutuò acceperam. Dixit autem homo Dei: ubi cecidit? At ille monſtravit illi locum: præcidit ergò lignum & miſit illuc: natavitq; ferrum, 2. Reg. 6. v. 1.

Hæc allegoricè interpretabimur.

Nos miſeri homunciones per triſtem Protoplaſtorum lapſum omnes ad fundum perveneramus *inſtar ferri & chalybis*, & in limo æternæ damnationis nobis percundum fuiſſet: Sed cœleſtis Eliſæus Servator noſter Jeſus Chriſtus, noſtri miſertus, per ſanctiſſimam incarnationem ſuam, ultrò in ærumnoſos infirmitatum noſtrarum fluctus ſe demerſit: ut inde reſurgere, & in libertatem filiorum Dei pervenire poſſimus. Si enim filius vos liberaverit, verè liberi eſtis, Joh. 8. v. 36.

Hæc *vocatio generalis* eſt, quæ omnibus hominibus contigit. Chriſtus enim pro omnibus mortuus eſt, 1. Cor. 15. v. 22. & viam ad cœlum aperuit, ut quilibet in illud intrare, & donis gratiæ partis frui poſſit, Pſal. 16. v. 11. ſed plurimi hoc ſeculum diligunt, ut Demas, 2. Tim. 4. v. 10. & inſuper habent hanc vocationem, ſicut ingrati hoſpites in Evangelio, Luc. 14. v. 17. ideo ratione eorum locum habet illud: Ex te perditio tua Iſrael, Oſ. 13. v. 9.

Juxta hanc generalem verò & *ſpecialis vocatio* eſt, ubi Chriſtus in omnibus tribus Hierarchiis munia ſua diſtribuit. *In eccleſia* quoſdam dedit Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem paſtores & doctores, ad præparationem ſanctorum in opus miniſterii, Epheſ. 4. v. 11.

Sic etiam in manu Dei poteſtas terræ, & utilem rectorem ſuſcitabit in tempus ſuper illam, Sirac. 10. v. 4. 5.

In *ſtatu* quoque *œconomico* diverſi gradus occurrunt, Abraham Dominus, Sara Domina, Hagar ancilla eſt, Iſaac filius frugi, Iſmael verò degener, Gen. 21. v. 1. 9. Hæc omnia Deus ordinat, prout vult, 1. Cor. 12. v. 11. & multos ad dignitates evehit, qui ante ſpreti & abjecti fuerunt, ut exempla Joſephi, Gen. 41. v. 40. Davidis, 1. Sam. 16, 13. Eſther, Eſth. 2. v. 17. aliorumq; probant.

Præſens Evangelium, illud ipſum quadruplici exemplo oſtendit. Quinam enim fuerunt, Petrus & Andreas? Quinam Jacobus & Johannes? Nonne Piſcatores, qui profundè ad fundum deciderant : nihilominus eos Chriſtus protractos ad Apoſtolatum vocavit, ut non amplius terrenæ piſcaturæ intenti eſſe, ſed homines capere debeant, ut Evangelium pluribus indicat.

Nos abſque ulteriori prælоquio ad tractationem ejus progredientes, meditabimur ex eodem:

I. Ar-

I. ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

J.J.

Exegeſis.

ECce,ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus,& piſcabuntur eos, Jer. 16. v. 16.

Hoc impletum eſt in præſente Evangelio, in quo audimus,Servatorem noſtrum quatuor piſcatores unâ vice ad Apoſtolatum vocaſſe.

Ad *notitiam noſtri* hic perveniemus, ſi ſpectemus:

I. *Piſcatores retia projicientes.* Hæc enim eorum vocatio erat, cui fideliter vacabant. Unumquemque,ſicut vocavit Deus,ita ambulet, 1.Cor.7,17. Neque oderis laborioſa opera, & ruſticationem creatam ab altiſſimo,Sir.7,16.Sicut igitur Deus mandavit in ſudore vultus veſci pane ſuo,Gen.3,19. Sic & hoc modo victum ſuum quærebant. Erant enim piſcatores, intellige ex profeſſo: Piſcatura erat ars eorum, quam probè didicerant, quam probè callebant, & hactenus tanquam ordinarium victus quærendi medium exercuerant: ideo non improbandi ſunt,quod retia ſua in mare projiciunt,& ita honeſtè alimoniam ſuam quærunt. Manus enim ſedulorum divitias parat,Prov.10. v.14. qui verò dormitat, & conſerit manus ſuas,ut dormiat,illi veniet,quaſi viator egeſtas,& pauperies quaſi vir armatꝰ Prov.6,11.

Hic quilibet in examen ſui deſcendat, utrum & ipſe vocationi ſuæ fideliter invigilaverit, & rete ſuum ita laxaverit, ſicut id Deus in verbo ſuo præſcripſit?

Si probè rem examinamus,nos omnes ſuo modo peccatores ſumus, & rete noſtrum habemus, quod Deus cuique,ut victum ſibi illo quærat, concredidit, homo enim natus eſt ad laborem,ut aves ad volatum,Hiob.5.v.7.

Verbi miniſtri *ſpirituale rete* habent, quod eſt concio Evangelii, quæ expreſsè reti confertur, Matth.13,47. hoc ipſo alere ſe tenentur,dignus enim eſt operarius mercede ſua,Luc.10,7. Ideò ait Paulus: Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus:magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? 1.Cor. 9,11.

Qui in magiſtratus officio conſtituti ſunt,*rete* habent *bonarum legum & ordinationum*, quo ſubditos irretiunt & compeſcunt. Ideo quoque tributa illis præſtanda ſunt, miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes,Rom.13,6.

In communi vita quilibet *rete vocationis* ſuæ habet,&aut mercator eſt,aut opificium aliquod callet,unde ſe ſuſtentare poteſt, ſine his enim non ædificatur civitas, Sir.38. verſ.37.

Si quilibet igitur ſuo loco diligens eſt, & in nomine Domini laxat rete ſuum, piſcium multitudinem copioſam concludet, Luc.5,6. & tantum ſibi comparabit, unde cum ſuis honeſtè vivere poſſit. Dominus enim facultatibus piorum benedicit,& cum ipſi tempus eſſe videtur,citò eas auget. Ideò confide in Deo, & mane in loco tuo, facilè enim eſt in oculis Dei ſubitò ditare pauperem,Sir.11.v.23.24.

Sed & *piſcatores nequam* inveniuntur,inter illos, qui abſconderunt foveam retis ſui, ad perdendum homines, Pſal.35.v.7. hi illi ſunt,qui omnia attrahunt hamo,contrahuntq; ſuo reti,& congregant ea in reti ſuo,Habac.1.v.15.16.

Verùm hæ opes hæredem non juvant. Hæc

Digitized by Google

enim eſt voluntas Dei, ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem ſuum, 1. Theſſ. 4. v. 6. Et divitias, quas iniquus devoravit, evomet, & de ventre ejus extrahet eas Deus, Hiob. 20. v. 15. Sap. 5. v. 12.

Proinde quilibet in vocatione ſuâ honeſtè laboret: *Dii vendunt bona ſua laboribus*, inquit Menander. Si quis autem non vult operari, non manducet, 2. Theſſ 3, 10.

Sevit Iſaac in terrâ Palæſtinorum, & invenit in ipſo anno centuplum, Gen. 26, 12. quod ſi ſementē nō feciſſet, non meſſuiſſet. Hinc Siracides: Qui operatur terram ſuam, inaltabit acervum frugum, cap. 20, 30.

Anna Tobiæ uxor, ibat ad opus textrinum quotidiè, & de labore manuum ſuarum ſuſtentabat maritum. Tob. 2, 19.

Paulus nocte ac die operabatur, ne quem gravaret, 2. Theſſ. 3. v. 8.

Ne proinde otio indulgeamus, eſt enim *Doctor pravitatis & occaſio peccati*, ut Baſilius ait. *Sed ſemper facito aliquid operis, ut te Diabolus veniat occupatum*, ut Hieronymus monet. At vide, ut quod bonum eſt, opereris, Eph. 4, 28. Bonorum enim laborum glorioſus eſt fructus, Sap. 3, 15. Ira verò & indignatio, tribulatio & anguſtia, in omnem animam hominis operantis malum, Rom. 2. v. 9.

II. *Piſcatores retia ſarcientes.* Hoc ipſo commendant nobis parſimoniam, ut & nos veſtes laceratas & detritas non ſtatim abjiciamus, ſed reſarciamus. Nam ut tempus ſcindendi, ſic & conſuendi eſt, Eccleſ. 3. v. 7. Quinimò ut Claudianus ait:

— Plus eſt ſervaſſe repertum
Quàm quæſiſſe novum.

Semper enim magnificè patriceq; amicire, proximus aditus eſt ad paupertatem, & qui ſpernit modica, paulatim decidet, Sir. 19, 1.

Hic examines velim te, mi Chriſtiane! utrum & ipſe cum diſcipulis hisce laceratum tuum rete reſarſeris, ſive, quod idem eſt, quod Deus tibi largitus eſt, ut decet, comparſeris?

Hoc non inſuper habendum eſt: *magnum* enim *vectigal parſimonia*, ut Cicero ait. Hinc Germani in proverbio habent, caligas veteres & detritas, non abjiciendas, donec acceperis novas.

Imperator Auguſtus vulgaribus veſtibus amictus fuit, quas illi conjux ejus contexuit & reſarcivit.

Ageſilaus Lacedæmonum Rex, adeo vili habitu inceſſit, ut propterea Ægyptiis riſu fuerit.

Epaminondas, præſtantiſſimus ille Thebanorum princeps, unicam ſaltem habuit, eamq; maculatam tunicam, ſi eam ad tinctorem vel ſartorem miſit, tantiſper domi ſe continere coactus fuit.

Phocion inclytus ille Athenienſium princeps, ſemper vulgaribus veſtibus & calceamentis inceſſit, imò ut plurimùm nudipes fuit, unde Proverbium: *Phocion calceatus eſt.*

Quod ſi igitur primarii hi viri probro ſibi non duxerunt, veſtibus reparatis amiciri, eccur nos id puderet? præſertim, qui in ſtatu œconomico vivimus. Oeconomia enim multis indiget. Parvuli petunt panem, Thren. 4. v. 4. curare nos decet, quid manducare, quid bibere, aut quo operiri velimus. Matth. 6. v. 31.

Nemo n. ratione veſtimentorum in laude verſatur: quin magis commendatur, qui in κατασολῇ κοσμίῳ in habitu decenti incedit, 1. Tim 2, 9. quàm ſi quis ſuprà conditionem ſuam purpurâ & byſſo induatur, ad exemplum Epulonis, Luc. 16, 19.

E contrario verò apprimè caveamus, *ne peccatorum retia ſarciamus*; quod fit quando peccata noſtra extenuamus & excuſamus.

mus. Sicut hodie nihil vulgarius eſt, quàm ut ſuperbia pro munditie, avaritia pro parſimonia crapula & omnis generis nugæ, pro hilaritate venditentur. Hoc maximum peccatum eſt. Qui enim abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur, Prov. 28. v. 13.

III. *Piſcatores omnia deſerentes.* Relictis enim retibus, navibus & patre ſecuti ſunt Chriſtum. Hoc memorabile eſt. Equidem retia & naves relinquere non adeo magnum videtur: aſt patrem relinquere, præſertim in ſenectute, ubi auxilio filiorum quàm maximè indiget, id ſalvâ conſcientiâ fieri vix potuiſſe, dixeris. Id enim nec Gentiles fecerunt, ſed potius in extremis anguſtiis parentum curam geſſerunt. Hinc Plato: *Parentes negligere, nec Deus, nec homo mentis compos ulli conſulet.* Et Virgilius de Ænea memorat, quod patrem ſuum Anchiſen è media flamma liberarit, & dorſo bajulaverit, unde ipſe ait:

Mene efferre pedem genitor, te poſſe relicto
Speraſti?

Sed quando Chriſtum ejusq; Evangelium concernit, ut alterutrum eligendum, aut Chriſtus deferendus & parentes amplectendi, hîc Regula Petri valet: Magis obediendum eſt Deo, quam hominibus, Act. 5, 29.

Hic proba te, mi Chriſtiane! an & ipſe hoc facere velis, ſi perſecutio, Dei permiſſu, tibi immineat?

Quartum quidem præceptum meritò magni æſtimatur ab omnibus piis Chriſtianis, tamen, ut Chryſoſtomus limitat, *exceptis iis, quæ pietati officiunt.* Qui enim amat patrem aut matrem plus, quàm me, non eſt me dignus, ait Servator, Matth. 10. v. 37. Id quod & in V.T. ita mandatum eſt, Deut. 33. verſ. 9.

Iccircò maximam rationem conſcientiæ habeamus, ne eam ſauciamus: *Amandus eſt genitor, ſed præferendus creator,* ait Auguſtinus. Hæc ſumma totius ſcripturæ eſt, & in primo & ultimo libro inculcatur. In Geneſi enim velut primo ſcripturæ libro, exſtat exemplum Abrahæ, quem Deus egredi juſſit de domo patris ſui, in terram, quam ipſi monſtraturus erat, Gen. 12. v. 1. & exiit, neſciens, quò iret, Hebr. 11. v. 8. In ultimo verò libro vox de cœlo clamat: Exite de illa populus meus, Apoc. 18. v. 5.

Quando itaq; res *in æquilibrio verſatur,* ut alteruter deferendus ſit, ibi Jacobus & Johannes viam monſtrarunt, quod melius ſit Chriſtum ſervare, & omnia relinquere, quàm Chriſtum relinquere, & omnia retinere, Matth. 19. v. 29.

Hieronymus ejusmodi ſimili id declarat: Miles, qui ſtipendia meretur, ſalvo militiæ ſacramento patri ſuo in tentorio aſſidere poteſt, quando verò buccinâ ſignum datur, omnibus relictis, ducem ſuum ſequitur, & ſeipſum in acie collocat.

Quando itaque juramentum nobis in mentem revocamus, quod Chriſto in baptiſmo præſtitimus: vi cujus ipſum & verbum ejus palam profitemur, contra verò Diabolo, & quod ei repugnat, renunciavimus, officii noſtri eſt, id bona fide ſervare, adeò, ut ſi liberi noſtri nos ſollicitarent, aut mater nudatis uberibus nos obſecraret, ut fidem hanc falleremus, aut ipſe pater in limine ſtratus, exitum nobis intercludere vellet, patrem tranſilire, & ita oculis clauſis valedicere teneamur: ſingulare enim pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem, quâ in re Chriſtus nobis ſuo ipſius exemplo præivit, dum

Digitized by Google

Quilibet vero det operam, ut *quod utile eſt*, diſcat. Præſtigiatores enim, ſaltatores, pugiles, funambuli, & ejus farinæ homines, vocatione legitima deſtituuntur, ambulant enim ἀτάκτως & curioſe agunt, 2. Theſſ. 3. v. 11. ideo abſtineamus ab iis, & potius quæ honeſta ſunt, exerceamus. Qui enim amat periculum, peribit in eo, Sir. 3. v. 27.

Videat quoque ut ita artem ſuam diſcat, ut gnarus illam cum fructu exercere poſſit. Magiſter enim facit unumquodque, qui autem locat ſtulto, locat illud ſuperficiario, Prov. 26. v. 10.

Tertio caveat, ne veſtigiis Alexandri ærarii inſiſtat, de quo Paulus queritur, quod ſibi multa mala oſtenderit, 2. Tim. 4. v. 14. Sive Demetrii argentarii, qui ædes argenteas Dianæ fecit, & ita lucri cauſa idololatriam promovit, Act. 19. v. 24. Hoc minime Deo placet. Qui enim non mecum eſt, contra me eſt, ait Servator, Luc. 11. v. 23.

II. *Tanquam parvulorum Magnificator.* Non ſine cauſa memorat hic Evangeliſta, quid Andreæ, ejusque fratris Simonis Petri, nec non filiorum Zebedæi opus fuerit, antequam eos Chriſtus in ſcholam ſuam, & ad Apoſtolatum vocaverit, nempe piſcatores fuerunt, ſimplices & abjecti operarii, attamen res magnas geſſerunt, Evangeliumque de Jeſu Nazareno, tanto cum ſucceſſu prædicarunt, ut portæ inferorum adverſus illud non prævalere potuerint, Matt. 16. v. 18. Id opus Dei fuit, hinc Paulus: Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, 2. Cor. 4. v. 7.

Si Chriſtus noſtro conſilio uſus fuiſſet, ſine dubio ipſi conſuluiſſemus, ut ex Collegio Phariſæorum, aut Synedrio Hieroſolymitano eruditione & autoritate præſtantes ſibi elegiſſet, & ad hoc opus adhibuiſſet: ſed & hic locum habet illud Prophetæ: Non cogitationes meæ, cogitationes veſtræ, Eſ. 55.

Hoc ipſo enim quod Chriſtus abjectis piſcatoribus ad Apoſtolatum uſus eſt, ſapientes hujus mundi confundere voluit, qui plerumque plus reſpiciunt externum ſplendorem, quam Spiritus Sancti dona, his ipſis miranda efficit, *ſumit piſcatorem, & convertit Imperatorem*, Auguſtino aſſerente, virtus enim ejus in infirmitate perficitur, 2. Cor. 12, 9.

Id ſemper in familiari uſu habuit.

Virga Moſis, lignum vile & inanime erat, & tamen illa magna miracula patravit: diviſit enim mare, ut Iſraelitis tranſitum præbuerit, Exod. 14. v. 21. tum & petram, ut egreſſæ fuerint aquæ largiſſimæ, quo populus biberet & jumenta, Num. 20. v. 11.

Abjecta res videbatur ſanguis agni paſchalis, & tamen medium erat, quo primogenitura Iſraelitarum à percuſſore præſervabatur, cum ſuperliminare & utrumque poſtem eo aſperſiſſent, Exod. 12. v. 23.

Spretiſſima videbatur *expeditio Gideonis*, quod ille viris trecentis Midianitis ſe opponere vellet, qui multis millibus inſtructi erant: ridicula armatura, quam contra illos ferebat: & tamen hoc modo victoriam reportavit, Jud. 7. v. 16. ſeqq.

Sic viles videbantur *buccinæ Iſraelitarum* tempore Joſuæ, & tamen clangore earundem muri civitatis Jericho ſubruti ſunt, Joh. 6. v 16.

Viliſſima videbatur *aqua Jordani*, qui ipſa tamen Naeman poſtquam ſepties ſe lavit, à lepra liberatus eſt, 2. Reg. 5. v. 10.

Quid ſpectas in baptiſmo? quid in S. cœna? ibi, nil niſi aquam, hic nil niſi panem & vinum. Et tamen magna per illa Deus operatur, aqua in baptiſmo nos ſalvos facit,

Digitized by Google

1.Pet. 3.v.22. in cœna vero Chriſtus cum pane & vino,corpus & ſanguinem ſuum exhibet,ut remiſſionem peccatorum habeamus & cum eo æternum vivamus, Joh.6. v.51. Sic quando adhuc hodie Deus vile nobis medium oſtendit, quo juvari poſſumus, non id contemni debet, potens enim eſt facere ſuperabundanter, quam petimus,aut intelligimus,Eph.2.v.20.

Imprimis vero Concionatores juniores non refragari debent, quando ad miniſterium vocantur,ſicut Moſes, Exod.4.v.10. & Jeremias,c.1.v.6. fecerunt,ſed prompte obſequantur. Quem enim Deus mittit, ideoneum quoque facit miniſtrum N. T. 2.Cor.3.v.6. Eſa. 28.v.ult.

III. *Tanquam ſpiritualis piſcaturæ fundator*. Propterea ait hic ad Petrum & Andreã: Venite poſt me, & faciam vos piſcatores hominum. Hoc elegans ſimile eſt,quod S. Miniſterio non incongrue applicari poteſt, quando ſpectamus:

I. *Piſces*. Quorum variæ ſpecies ſunt.

1. *Immania cete*, qui ingentem aquarum copiam evomunt,qua naves operiunt,tantoque rictu prædiri ſunt, ut hominem vivum deglutiant,Jon. 1.v.ult.

His depinguntur, tyranni & perſecutores Eccleſiæ, quorum vox eſt:Venite,& disperdamus eos,ne ſint gens, & non memoretur nomen Iſrael ultra,Pſal.83,5.

2. Inveniuntur *lupi foraces*, hi ſunt avari, qui conjungunt domum ad domum, & agrum agro copulant,Eſa.5.v.8.ut ſint viduæ præda eorum,Eſa.10.v.2.

3. Peculiaris *piſcis* eſt, nomine *polypus*, qui in omnes formas ſe mutare, & colorem loci,ubi eſt,induere poteſt. Hi aſſentatores ſunt, quorum ſymbolum eſt, ait quis, ajo negat,nego.Cum ſanctis ſancti, cum perverſis perverſi ſunt,Pſal.18,26.

4. In mari *piſcis Torpedo* invenitur,qui piſcatorum membra adeo enervat, ut piſcaturam intermittere cogantur. Per hos pravorum ſodalitium ſignificatur. Ab impiis enim egredictur impietas,1.Sam.24,14. Sir.13.v.1.

5. *Lubrici piſcis* ſunt ut *anguillæ*, qui prehenſi per manus elabuntur: hi voluptuarii ſunt, qui terrena ſapiunt,Phil.3.v.16. ut dives epulo,Luc.16.v.19.Pſal.73.v.18.

6. *Nonnulli* capti,*ex retibus reſiliunt*. Hi Apoſtatæ ſunt,qui ad tempus credunt, & tempore tentationis deficiunt,Luc.8. v. 13. 2.Pet.2.v.20.Hos abominatur Deus. Ideo Judæis nullis piſcibus veſci conceſſit, niſi haberent pinnulas & ſquamas,Levit. 11.v.9.

Quod myſtice intelligendum eſt.

Squamæ ſunt imago fidei. Quemadmodum enim piſces ſquamis ſe tuentur: ſic & fides optimum noſtrum propugnaculum eſt,& victoria quæ mundum vincit,1.Joh.5. v.4. *Pinnæ* vero ſignificant *orationem & ſpem*. Veluti enim piſces pinnis ſe in ſuperiora elevant: ſic & oratio noſtra adſurgit ad cœlum, Sir. 35.v.21. Idem & ſpes facit,quæ non confundit,Rom.5.v.4. Thren. 3.v.26.

2. *Piſcatores*, qui variis inſtrumentis, utpote hamo, naſſis, ſagena & reticulis utuntur,ut & cibo conveniente, quo piſces ineſcantur. Sic & Miniſtri Eccleſiæ geminum rete adhibent,legem nimirum, & Evangelium. Lege terrent conſcientias, Evangelio vero rurſus alliciunt, quos terruerunt, & ita lac & cibum ſolidum miniſtrant, Hebr. 5.v.12. Quatenus auditorum ſaluti inſervire poſſe, deprehendunt, unde Paulus: Omnibus omnia

factus

Digitized by Google

factus ſum, ut omnino aliquos facerem ſalvos, 1. Cor. 9. v. 22.

Piſcatores habent *piſcinas ſuas*, in quibus captos tamdiu ſervant, & cibant, dum ad uſum adhibeantur. Sic & præcones & verbi miniſtri ſpiritualem ſuam piſcinam habent quæ eſt Eccleſia, in quam ſtatim per baptiſmum ſuſcipimur, & conveniente animæ cibo affatim reficimur, dum nos Chriſtus è terrena hac militantis Eccleſiæ piſcina in cœleſtem Hieruſolymam introducat.

Quemadmodum enim *piſces boni magni æſtimantur*, & non facile in caſis ruſticorum: ſed in magnatum menſis apponuntur, & comeduntur: mali vero abjiciuntur, Matth. 13. v. 48. Sic in conſummatione ſeculi exhibunt angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum piſces malos abjicient, ut abominatio ſint omni carni, Eſa. 66. v. ult. Bonos vero ſervabunt ad cœnam magnam ubi cum Abraham, Iſaac & Jacob in regno cœlorum accumbemus, Matth. 8, 11. Tum apparebit quid ſit, inter piſces bonos & malos, inter ſervientem Deo, & non ſervientem ei. Malach. 3. verſ. ult. Impios enim Dominus à ſe ablegabit in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus: Juſtos vero introducet in vitam æternam, Matth. 25. v. ult. ubi abundantia gaudiorum cum vultu ejus, & delectationes in dextera ejus usque in æternum, Pſal. 16. v. ult.

Largiatur id nobis Deus triunus per Chriſtum Servatorem noſtrum

Amen.

In die feſto B. Thomæ Apoſtoli.

Evangelium, *Ioh.* 20. v. 24. -- 29.

EXORDIUM.

Cum *Naas Ammonites* caſtra metatus eſſet, adverſus oppidum Iſraeliticum, quod vocatur Jabes-Galaad: cives ejusdem civitatis illi ſe dedere & ſervire voluerunt. Et reſpondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiſcum fœdus, ut *eruam omnium veſtrum oculos dextros*, ponamque hoc opprobrium in univerſo Iſrael. Miſerunt ergo cives ad Regem Saul, ut ſuccurreret ſibi. Qui convocato populo Iſraelitico, ad internecionem percuſſit Ammonitas; reliqui autem diſperſi ſunt ita, ut non relinquerentur in eis duo pariter, 1. Sam. 11. v. 1. ſeqq.

Hæc myſticè interpretabimur.

Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, & *duobus oculis* ornavit, quibus mundum contemplare poteſt: ſed & *duos internos oculos* eidem dedit, nempe *oculum rationis*, & *oculum fidei*: altero, quæ ad hanc terrenam vitam: altero, quæ ad æternam vitam ſpectant, conſpicit. Oculus rationis in divinis claudendus: oculus vero fidei aperiendus eſt, ſi Chriſtum contueri, ejusque bene-

beneficiis frui velimus. Quemadmodum enim Iſraelitæ, qui ſerpentem æneum adſpexerunt, à morſu ſerpentum ignitorum ſanati ſunt, Num. 21. v. 8. Pari modo, ſi & nos oculis fidei Chriſtum intuemur, paſſionem & mortem ejus nobis applicamus, medicinam capimus, adverſus morſus & vulnera, quæ ab infernalibus ignitis ſerpentibus accepimus, ut Chriſtus ipſe ſibi applicat, Joh. 3. v. 14. 15.

Si *oculis corporalibus aliquid videre velimus*, requiritur: *primo, lumen internum* quod ſunt *ſpiritus lucidi*, quos anima in corpore habitans, oculis communicat. *Secundo, lumen externum*, quod à Sole per aera in oculos decidit, nec oculum modo: ſed & objecta viſus, illuminat. Sir. 43, 4. Ita ſi oculo fidei myſteria cœleſtia videre & cognoſcere volumus, non modo externum verbi lumen Pſal. 19. v. 9. ſed & internum lumen ſpiritus requiritur, quod Sol juſtitiæ Jeſus Chriſtus nobis communicat, Mal. 4. v. 2. quando nobis dat illuminatos oculos cordis noſtri, Eph. 1. v. 18. ut in luce verbi cernamus æternam veram lucem, in qua tenebræ non ſunt ullæ, 1. Joh. 1. v. 6. Hoc plurimi refert, correlata enim ſunt. Veluti igitur oculi Domini reſpiciunt fidem, Jer. 5. v. 3. ſic vice verſa oculi fidei reſpiciunt ad Dominum, Pſal. 25. v. 15. Et ut oculi fidei Dominum: ſic oculi Domini fidem intuentur, hinc cœleſtis ſponſus: Rapuiſti cor meum, ſoror mea ſponſa in uno oculorum tuorum, Cant. 4, 9.

Quemadmodum v. Nahas Ammonites civibus in Gabes Galaad, oculos dextros eruere voluit: Sic & infernalis Nahas, qui eſt diabolus, id machinatur, ut nobis oculum dextrum fidei eruat. i. e. ſalvificam Chriſti agnitionem auferat, ne fulgeat nobis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti, 2. Cor. 4, 4. ſed palpemus, quaſi in tenebris, Job. 12, ult. & in foveam æternæ damnationis cadamus. Luc. 6. v. 39.

Idem Thomæ Apoſtolo accidit, quem ſatanas adeo occœcaverat, ut reſurrectionem Dominicam in dubium vocans expreſſe dixerit: Niſi videro in manibus ejus veſtigium clavorum &c. Tandem v. ne infernalis Nahas dextrum fidei oculum plane ei erueret, per Chriſtum è tenebris infidelitatis liberatus eſt: ut ipſum Evang. memorat.

Nos ſine ulteriori præloquio ad id acceſſum faciemus, conſideraturi:

I. Ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri*.

II. Χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti*.

J. J.

Exegeſis.

S. Apoſtolus Thomas, cujus memoria hodie in eccleſia celebratur, cognomine Didymus vocatur. Utrum igitur cognomen fuerit, quaſi Romanus uſitatum fuit, ut aliqui Spurii, Craſſi, Claudii cognominati, qui tamen tales non fuerunt ſive Thomas reapſe geminus fuerit, de eo in ſcriptura nihil exſtat. Theophylactus allegoricam interpretationem quærit, & dicit, vocari illum Didymum, ratione animi ambigui. Erat enim ἀνὴρ δίψυχος, qui diſcipulis reliquis, reſurrectionem Domini affirmantibus credere nolebat, dum ipſe Chriſtus ſe ipſi redivivum exhiberet, & oſtenſione vulnerum, & veſtigiis clavorum reſurrectionem ſuam confirmaret: quo ipſo ſe collegit, dicens: Dominus meus, & Deus meus, ut Evangelium pluribus indicat.

Ἀνθρωπολογίαν diſcemus, ſi conſideramus:

1. *Apoſtolorum congregationem*. Per mortem enim ignominioſam Domini & Magiſtri ſui in magnam animi perturbationem conjecti, verebuntur, ne à Pontificum mini-

tis

Digitized by Google

ſtris comprehenderentur. Sicut igitur alias vexatio dat intellectum, Eſa. 28, 19. ita hoc ipſo ad preces impelluntur, ut ſubinde conveniant, in ædibus illis, in quibus Dei cultum ſuum exhibebant, quodque ita continuarunt, dum Spiritus Sanctus in Feſto Pentecoſtes viſibiliter ſuper eos effuſus eſt. Omnes enim erant perſeverantes unanimiter in oratione, cum mulieribus, & Maria matre Jeſu & fratribus ejus, Act. 1. v. 14.

Hic proba te, mi Chriſtiane! utrum & tibi neceſſarium videatur, ut die Dominica, diebusq; feſtis & profeſtis congregationes publice in æde Domini inſtituantur?

Inveniuntur, qui concionum ſacrarum pertæſi, ſupervacaneum æſtimant, frequentes congregationes inſtituere, & ſufficere ſi ſingulis Dominicis ſemel duntaxat Chriſtiani ad audiendum verbum conveniant. Sed hi ſciant, quod mos ille ſit antiquiſſimus, nec nuperis temporibus adinventus. *Ipſe filius Dei primus Concionator in paradiſo fuit*, Gen. 3. v. 15. Deinde hominibus operam hanc demandavit, ſicut expreſſe memoratur, quod *tempore Seth* cœptum ſit invocari nomen Domini, Gen. 4. v. 26. Hoc ita porro continuatum eſt. *Enoch* verba fecit de extremo judicio, Ep Jud. v. 14. *Noah* vocatur præco juſtitiæ, 2. Pet. 2, 5. *Melchiſedec* ſacerdos Dei altiſſimi, Gen. 14, 18. *Abraham* in terra Canaan cœpit invocare nomen Domini, Gen. 13. v. ult. *Loth* Sodomitis prædicavit, Gen. 19. v. 9.

Hinc ſequitur ex *natura Correlatorum*, quia Deus miniſterium tam ſancte ſancivit, ut in loco illo ſedulo compareamus, ubi ejusmodi conciones habentur. *Hoc præcipue fieri debet, die Dominica, & diebus feſtis.* Sex diebus facietis opus, dies ſeptimus, quia ſabbathi requies eſt, ſancta erit convocatio, Lev, 23. v. 3. *Diebus* quoque *profeſtis*, occupationibus terrenis tantum detrahendum eſt, ut cultui divino intereſſe poſſimus. Verbum enim Dei verus animæ cibus eſt. Non in ſolo pane vivet homo. Matth. 4, 4.

Quemadmodum autem non Dominica modo die: verũ & aliis diebus cibis fruimur, ſi vitam corporalem ſuſtentare velimus, unde Chriſtus petere jubet panem quotidianum, Matth. 6. v. 10. ſic eccleſiæ commodum viſum eſt, ut non die Solis duntaxat, ſed & diebus profeſtis conciones ſacræ haberentur, quo ſemper occaſio ſit, nos in pietate ædificandi, quoad interiorem hominem, qui per auditum verbi divini, & ſacramentorum uſum roboratur. Domine, in illis vivent, & in omnibus verbis tuis eſt vita ſpiritus mei, ait Rex Hiskias, Eſa. 38, 16.

Quod ſi vero verbum Dei negligatur, & oſcitanter audiatur, precioſum illud ſit, ut tempore Eli, 1. Sam. 3. v. 1. ut querela Davidis locum habeat: Signa noſtra non vidimus, jam non eſt amplius Propheta, Pſal. 74. v. 9. quæ ſuperiori bello in plurimis A. C. eccleſiis intonuit. Ideo nos mutuo alloquentes dicamus: Venite, & adſcendamus ad montem Domini, Eſa. 2, 3. ne anſam præbeamus Domino, cum verbo ſuo à nobis abeundi. Væ enim illis, ubi ego diſceſſero, ait Dominus, Oſe. 9. v. 12.

II. *Thomæ ſeparationem*, non enim erat cum illis. Chryſoſtomus ſuſpicatur, fuiſſe Thomam è fuga, qua Apoſtoli ſibi, ingruente paſſione Domini, in monte oliveti conſuluerant, nondum ad collegium reliquorum tum reverſum; ſed converſatum interea cum ejusmodi hominibus,

Kkkk qui

Digitized by Google

qui rationi ſuæ inhiantes, de illis rebus collocuti fuerint, quæ in paſſione acciderant, quomodò videlicet Chriſtus à militibus flagellatus, ſpinis coronatus, & crucifixus fuerit. His meditationibus ſeſe dedit, non vero recordatus eſt reſurrectionis & aſcenſionis Dominicæ, quam utramque Chriſtus non minus prædixerat, Luc. 18, 31.

Quod igitur Thomas à conſortio reliquorum Apoſtolorum receſſit, hoc non exiguo detrimento ei fuit. Sic enim inſtructione & conſolatione paſchali caruit, quam cæteri diſcipuli ex ore Chriſti hauſerant, ex hoc lætabundi dicentes: Vidimus Dominum. Fides enim ex auditu eſt, Rom. 10. v. 18.

Hic in examen tecum deſcende, & interroga te, annon & ipſe nonnunquam congregationem deſerueris?

Horum non pauci occurrunt in mundo. Jeruſalem, quæ ædificatur, ut civitas: cujus participatio ejus in idipſum, ut illuc aſcendant tribus, tribus Domini, teſtimonium Iſrael, ad confitendum nomen Domini, Pſ. 122. v. 3. Sed hic offerunt ſeſe:

1. *Deviantes*, qui congregationes omnino deſerunt, ut ingrati hoſpites in Evangelio, Luc. 14. v. 18. Verum idipſum magnum peccatum eſt. Qui enim ex Deo eſt, verbum Dei audit, Joh 8. v. 47. hinc ex adverſo ſequitur, quod qui verbum Dei non audiat, non ex Deo ſit. Quod ſi vero ex Deo non eſt, certe in ſatanæ ſynagogā pertinet, Apoc. 3. v. 9. & partem ſuam inveniet in ſtagno, ardente ſulphure & igne, quæ eſt mors ſecunda, Apoc. 21. v. 8.

2. *Dormitantes*. Hi fruſtra templum viſitant, diabolus enim ſomnum ipſis conciliat, ne audiant verbum, & ita naufragium ſalutis faciant, 1. Tim. 1. v. 19.

3. *Confabulantes*, hi quia tempus ita inutiliter terunt, ſemper quidem diſcunt, ſed nunquam ad agnitionem veritatis perveniunt, 2. Tim. 3, 7.

Veri Chriſtiani caveant, ne deſerant collectionem ſuam, Heb. 10. v. 25. Sed re familiari tantiſper neglecta tranſeant cum caterva, & ambulent ad domum Dei, Pſal. 42. v. 5. ne & ipſi cum Thoma jacturam ſpiritualium bonorum faciant.

Hagar, Abrahami ædes relinquens, in deſerto, ſiti ferme periens, miſere oberrat, Gen. 21. v. 14. 16.

Teſtudo cochleam ſuam derelinquens, diffluit æſtu ſolis enecta, Pſal. 58. v. 9.

Infantulus matris uberibus abreptus, & ſic omni alimonia deſtitutus, contabeſcit & interit.

Idem & hîc accidit, quando Deus ejusque verbum negligitur, & congregatio Chriſtianorum derelinquitur, & tandem illi naufragium ſalutis faciant, 1. Tim 1. v. 19.

III. *Incrudelitatis conteſtatio.* Reliquis enim Diſcipulis apparitionem Domini ipſi pleno ore renunciantibus, reſpondet: Niſi videro in manibus ejus veſtigium clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus non credam.

Hic tantus lapſus fuit, ut major fere eſſe non potuerit. Auguſtinus quidem illum excuſare nititur his verbis: ***Quam bona ignorantia, quæ erudivit ignaros. Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, vox iſta inquirentis, non negantis eſt.*** Sed verba nimis perſpicua ſunt, nec tam facile excuſari poſſunt. Præterea Thomas non primus fuit, qui in peccata prolapſus eſt: ſed ſpiritus ſanctus plura ejusmodi exempla conſignari juſſit: ***Vt lapſus majorum ſit tremor minorum.***

Si

Digitized by Google

Si hoc factum in viridi ligno, quid fiet in arido, Luc.23.v.31.

Quilibet hic inſpiciat ſeſe, annon & ipſe in hoc vel illo fidei articulo rationi nimium indulgeat, & cum Thoma in errorem prolapſus ſit?

Non inficiari poſſumus, adhuc hodie multos occurrere Thomiſtas, in eccleſia, qui in myſteriis divinis omnia ratione metiuntur, & nihil credere volunt, niſi ſenſibus ſuis idem comprehendere poſſint: hoc ipſo vero fidem perdere & in maximam ἀπιστίαν, quæ non modo ex ſeipſa *peccatum peccatorum* eſt, incidere poſſunt: Verum & omnia propter illos in peccatum & maledictum degenerant, licet coram oculis carnalibus maxime pretioſa videantur. Quicquid enim ex fide non eſt, peccatum eſt. Rom. 14. v. ult. & ſine lumine fidei totum corpus tenebroſum eſt, Matth. 6. v. 23. Et qui incredulus eſt filio, ira Dei manet ſuper eum, Joh.3.v.ult.

Ideo hoc maxime cavere debemus, & verbo Dei inhærere, ut neque diabolus neque mors inde abſtrahere poſſit. Cœlum enim & terra tranſibunt &c. Luc.21.v.33.

Hic requiritur firma fiducia, ut non modo in genere credamus, Chriſtum mortuum eſſe & reſurrexiſſe: ſed & in individuo nobis applicemus, cum Thoma dicentes: Dominus meus, & Deus meus. Aut cum Paulo: Chriſtus dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me, Gal.2.v.10. *Vocabula enim meum & tuum in corporalibus turbant animos, ſed in ſpiritualibus confirmant*, ut cum Paulo dicere poſſimus: Certus ſum, quia neque mors neque vita, &c. Rom.8.v.38.39.

Hoc Clenodium diabolo *ſudes in oculis* eſt, ideo variis technis utitur, quibus lumen fidei in homine extinguat, eundemque in tenebras incredulitatis præcipitet. Probe enim novit callidus ille ſpiritus, quod Chriſtus ſine fide nihil nobis proſit: & quotidie experitur quantum damnum hoc ipſo regno ejus inferatur, dum mundum vincit, 1. Joh 5,4. & diabolo ipſi reſiſtit, 1. Pet.5,9.

Sed & *devote cum diſcipulis oremus*: Domine, adauge nobis fidem, Luc.17.v.5. Inſimul quoque ſedulo templum, confeſſionem & ſacram cœnam accedamus, hæc enim media ſunt, quæ Deus ad roborandam fidem ordinavit, qui illa ſpernit, ſpernit conſilium Dei adverſus ſeipſum, Luc.7,30.

De Secundo.

Accedemus nunc ad *alteram partem*, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti*, contemplaturi. Hic nobis conſiderandus proponitur:

I. *Tanquam perturbatorum exhilarator.* Apoſtoli in conclavi concluſo congregati erant, inter ſpem & metum: verum ex improviſo Dominus advenit, & exhilarat eoſdem præſentia ſua optatiſſima. Idipſum promiſerat in concione valedictoria his verbis: Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis, Joh.16,22.

Hunc proceſſum adhuc hodie Deus cum fidelibus inſtituit, *afflictio præcedit, lætitia ſuccedit*, nemo enim coronatur, niſi legitime certaverit, 2. Tim.2.v.5. Sed cum impiis contrario modo res ſe habet, ut hic viam habeant, complanatam lapidibus, Sir.21.v.11. & cum divite epulone quotidie ſplendide epulentur, Luc.16,19. ſed finis infauſtus eſt. Ponit enim eos Deus in lubrico, dejicitque in devaſtationem, ut abſumantur à terrore, Pſal.73.v.18.19.

Kkk2 Verum

Verum quid melius: hic ridere & ibi flere, aut hic flere, & ibi ridere? Certe non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, Rom. 8. v. 18. Ideo animam veſtram in patientia cuſtodite, dilecti! viciſſitudo omnium rerum, *poſt nubila Phœbus,* Pſal. 30, 6.

Gaudium hoc, quod Deus fidelibus ſuis exhibet eſt *triplex*:

1. *Gaudium externum*, quod ex externa felicitate oritur, ſi quis habeat ſana corporis membra, bonam ſuſtentationem, pacificum conjugium, prudentem Magiſtratum, obſequentes liberos, fideles famulos, bonos vicinos, & id genus alia. Hic vere beatũ diximus populum, cui hæc ſunt, Pſal. 144. v. 15. Licet enim plerumque Deus ſuos ſub ferula habeat, & caſtiget: attamen & ſuo tempore eosdem in refrigerium ducit, & poſt tempeſtatem tranquillum facit, Tob. 3. v. 22.

Cuicunque igitur Deus hanc benedictionem largitur, boni eam conſulere debet. Nihil enim alias habet de labore ſuo, omnibus diebus vitæ ſuæ, niſi quod comedat & bibat, Eccleſ. 8. v. 15.

2. *Gaudium internum*, quod Deus per Spiritum ſuum Sanctum in cordibus eorum accendit, fructus enim ſpiritus ſunt pax, gaudium, Gal. 1. v. 22. Hoc nihil aliud eſt, quam læta conſcientia, qua homo certus eſt, ſe propter Chriſtum benevolum Deum in cœlis habere. Hæc juge convivium eſt, Prov. 15. v. 15. quod per nullas tribulationes perturbari poteſt, ſed ejusmodi fidelis gloriatur in tribulationibus, Rom. 5. v. 3. adſpiciens remunerationem, Heb. 11. verſ. 26. guſtat enim virtutes ſeculi venturi, Heb. 6. v. 5. nec multum recordatur dierum vitæ ſuæ, eo quod Deus occupet gaudio cor ejus, Eccleſ. 5. v. ult.

3. *Gaudium æternum*, quod Auguſtinus, *gaudium ſupra omne gaudium, vincens omne gaudium, extra quod non eſt gaudium*, appellitat.

Hoc in mundo nihil ſtabile eſt, *nuptiæ* facile fiunt *miſeriæ*, & ex *jubilate ejulate*, 1. Macc. 9. v. 41. ſed in vita æterna gaudium noſtrum erit perfectum, Joh. 16. v. 24. ab omnibus enim ærumnis longe remoti, erimus in habitatione pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie ſecuritatis, Eſa. 32. v. 18.

Quodſi igitur, mi Chriſtiane! *externo gaudio potiri* non poteris: ſed Deus cibat te pane lacrymarum, & potat te lacrymis copioſe, Pſal. 80. v. 6. ut tota die contriſtatus ingrediaris, Pſal. 38. v. 6. *Internum cordis & conſcientiæ gaudium* non ſinas tibi eripi, ſed dic cum Aſſaph: Mihi adhærere Deo bonum eſt. Pſal. 73. v. ult. Sit verbum Dei in gaudium & lætitiam cordis tui, Jer. 15. v. 16. Gaudete, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis, Luc. 10. v. 20. Exulta in Deo ſalutari tuo, Luc. 1. v. 47. Gaudete in Spiritu Sancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ, Eph. 1. v. 14. teſtimonium reddens ſpiritui noſtro, quod ſimus filii Dei, Rom. 8. verſ. 10. ſic in morte quoque confidere poterimus, Prov. 14. v. 32. & aliquando perveniemus in lætitiam inenarrabilem & glorioſam, 1. Pet. 1. v. 8. quæ in cœlo omnibus piis parata, nunquam auferetur ab ipſis, Joh. 16. v. 22.

II. *Tanquam errantium Revocator.* Exemplum habemus in Thoma, hic in devia exitioſa aberraverat, nec credere volebat, Do-

Dominum & Servatorem ſuum à mortuis reſurrexiſſe: ideo inquirit eum Jeſus, ſicut paſtor oviculam, quæ à grege deviavit; & poſtquam eum prima vice non invenit, poſt octiduum redit, nec ceſſat, quam eum ex errore reduxerit, hinc ipſe ait: Ego paſcam oves meas, Ezech. 34. v. 16.

Ejusmodi fidelitate adhuc hodie Eccleſiam ſuam proſequitur.

Multæ ſubinde inveniuntur *oves errantes*, quæ *partim ad dextram* ſecedunt, non acquieſcentes ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei, quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ, 1. Tim. 6. v. 3. ſed ſibi ipſis doctores faciunt prurientes auribus, 2. Tim. 4. v. 3. *Partim vero declinant ad ſiniſtram*, aut in viam meretricis, Prov. 6. v. 29. aut in viam augurum, Jud. 9. v. 57. aut in viam Balam, filii Boſor, qui mercedem iniquitatis amavit, 2. Pet. 2. v. 15. ſive alias habent ſemitas curvas, Pſal. 125. v. ult. quæ ad perditionem ducunt, Matth. 7, 13.

Sed & Chriſtus quoque non ceſſat, ſed facit vineæ ſuæ quod debet, Eſa. 5. v. 4. & per miniſtros ſuos vocat: State ſuper vias, & interrogate de ſemitis antiquis, Jer. 6. v. 16.

Hæc via bona nemo alius eſt, quam Chriſtus, qui ait: Ego ſum via, Joh. 14. v. 6. Huic viæ itaque inſiſtamus oportet, ſi cœlum ingredi velimus, nec declinemus neque ad dextram neque ad ſiniſtram, Eſa. 30. v. 21.

Si quis in *viam meretricis* deviavit, audiat Apoſtolum clamantem: Hæc voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, 1. Theſſ. 4. verſ. 4.

Si quis *via Caini* inſiſtens, irreconciliabili odio proximum ſuum proſequitur, audiat Johannem: qui fratrem ſuum odit, homicida eſt, 1. Joh. 3. v. 15.

Si quis ab *Epicureis ſeductus*, quorum vox eſt: Ecce, gaudium & lætitia occidere vitulos, Eſa. 22. v. 13. cum illis concurrit in eandem luxuriæ diſſolutionem, 1. Petr. 4. v. 4. audiat Eſaiam: Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, Eſa. 5. verſ. 11.

Si quis in *fœneratorum ſella* ſedet, & variis technis opes corradit, audiat Paulum: Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, 1. Tim. 6. v. 9.

His & ſimilibus exhortationibus, verbi miniſtri errantes in viam revocant, & in genere cum Jeremia dicunt: Revertere averſatrix Iſrael, Jer. 3. v. 12.

Beatus ille, qui cum Thoma revertitur, & peccatis abſtinet, & iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabitur Dominus, Ezech. 18. v. 24.

III. *Tanquam fidei commendator*. Ita enim ad Thomam ait: Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti: at in poſterum non cuilibet me videndum, ſentiendum, tangendum & palpandum exhibiturus ſum: ſed hæc regula erit, quam, qui me Servatorem ſuum agnoſcunt, obſervare debent: Beati, qui non viderunt, & crediderunt.

In communi vita dicere ſolemus: *Fide, ſed cui, vide!* Sed in ſpiritualibus ante fidendum eſt, quam videamus, Deus, enim quo cum nobis hîc intercedit, fidelis eſt, & abſque ulla iniquitate, Deut. 32. v. 4. Quod ille promiſit, certiſſime implebit, dictum factum, Ezech. 17, 4.

Hoc de *omnibus fidei articulis* intelligi debet, quos ratione comprehendere minus poſſumus, tenebris enim obſcuratum habemus intellectum, Eph. 4. v. 18. Difficile æſtimamus, quæ in terra ſunt, Sap. 9, 16.

Quis

Digitized by Google

Quis indagare poterit, quod Deus cœlum & terram ex nihilo creaverit, & omnia, quæ in iis ſunt? Phyſice dicitur: Ex nihilo nihil fit. At fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei: ut ex inviſibilibus viſibilia fierent, Heb. 11. v. 3.

Quis intelligere poterit? Deum eſſe unum in eſſentia & trinum in perſonis? Et tamen id certiſſimum eſt. Tres enim ſunt qui teſtimonium &c. 1. Joh. 5, 7.

Quis ratione aſſequi poteſt admirandum illud unionis perſonalis inter divinam & humanam naturam Chriſti Servatoris myſterium? *Ubi*, dicente Bernhardo: *tria ſunt, quæ in admirationem veniunt, Deus & homo, Virgo & mater, Fides & cor humanum.* Ideo recte pronunciat illos Servator beatos, qui non viderunt & crediderunt, Eſt enim fides ſperandarum ſubſtantia, rerum argumentum non apparentium, Heb. 11. v. 1.

Similis ratio baptiſmi, cœnæ Dominicæ, Reſurrectionis mortuorum & vitæ æternæ: ut & omnium fidei articulorum, qui rationi abſurdi videntur.

In hoc mundo enim per fidem ambulamus, non per ſpeciem, 2. Cor. 5. v. 7. Sicut igitur in vita æterna Dominum intuebimur ſine velamento, à facie ad faciem, 1. Cor. 13. v. 12. ita hîc contenti ſimus cum eo ſub ſacramento, videntes eum per ſpeculum in ænigmate. Hoc modo enim ſe nobis exhibet, præcipue in ſacra cœna, ubi nobis ſub ſymbolis externis benedicto pane & benedicto vino corpus ad manducandum & ſanguinem ad bibendum exhibet, vi verborum inſtitutionis: Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum. Accipite & bibite hic eſt ſanguis meus, Matth. 26, 26. 28. Marc. 14. v. 22. 24. Luc. 22. v. 19. 20. 1. Cor. 11. v. 24.

Hoc ſufficiat nobis in mortalitate hac, & aliquando in hoc fidei lumine videbimus lumen æternum, Pſal. 36. v. 10. Hæc beatitudo eſt, de qua Chriſtus ait: Beati qui non viderunt, & crediderunt. Beati hic in *tempore gratiæ*, Oculi enim Domini reſpiciunt fidem, Jer. 5. v. 3. Beati in *regno gloriæ*, ubi Deus omnia in omnibus erit, 1. Cor. 15, 28. & illis, qui in fide perſiſtent, impoſiturus eſt coronam vitæ, quæ nunquam à capite ipſorum aufferetur, Apoc. 2. v. 10.

Largiatur id nobis pater cœleſtis ex gratia, per & propter Chriſtum, Dominum & Servatorem noſtrum, Amen.

ANT 1742683

Digitized by Google

Digitized by Google

In feſto die B. Andreæ Apoſtoli.

Evangelium Matth. 4. v. 18. --- 22.

EXORDIUM.

CUm filii Prophetarum exiiſſent ligna cædere ad Jordanem, ut ædificarent ſibi ibi locum ad habitandum : accidit, ut cum unus materiam ſuccidiſſet, caderet ferrum ſecuris in aquam : exclamavitq; ille, & ait : heu, heu, heu, Domine mi, & hoc ipſum mutuò acceperam. Dixit autem homo Dei: ubi cecidit? At ille monſtravit illi locum: præcidit ergò lignum & miſit illuc: natavitq; ferrum, 2. Reg. 6. v. 1.

Hæc allegoricè interpretabimur.

Nos miſeri homunciones per triſtem Protoplaſtorum lapſum omnes ad fundum perveneramus *inſtar ferri & chalybis*, & in limo æternæ damnationis nobis pereundum fuiſſet: Sed cœleſtis Eliſæus Servator noſter Jeſus Chriſtus, noſtri miſertus, per ſanctiſſimam incarnationem ſuam, ultrò in ærumnoſos infirmitatum noſtrarum fluctus ſe demerſit: ut inde reſurgere, & in libertatem filiorum Dei pervenire poſſimus. Si enim filius vos liberaverit, verè liberi eſtis, Joh. 8. v. 36.

Hæc *vocatio generalis* eſt, quæ omnibus hominibus contigit. Chriſtus enim pro omnibus mortuus eſt, 1. Cor. 15. v. 22. & viam ad cœlum aperuit, ut quilibet in illud intrare, & donis gratiæ partis frui poſſit, Pſal. 16. v. 11. ſed plurimi hoc ſeculum diligunt, ut Demas, 2. Tim. 4. v. 10. & inſuper habent hanc vocationem, ſicut ingrati hoſpites in Evangelio, Luc. 14. v. 17. ideo ratione eorum locum habet illud: Ex te perditio tua Iſrael, Oſ. 13. v. 9.

Juxta hanc generalem verò & *ſpecialis vocatio* eſt, ubi Chriſtus in omnibus tribus Hierarchiis munia ſua diſtribuit. *In eccleſia* quoſdam dedit Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem paſtores & doctores, ad præparationem ſanctorum in opus miniſterii, Epheſ. 4. v. 11.

Sic etiam in manu Dei poteſtas terræ, & utilem rectorem ſuſcitabit in tempus ſuper illam, Sirac. 10. v. 4. 5.

In *ſtatu* quoque *œconomico* diverſi gradus occurrunt, Abraham Dominus, Sara Domina, Hagar ancilla eſt, Iſaac filius frugi, Iſmael verò degener, Gen. 21. v. 1. 9. Hæc omnia Deus ordinat, prout vult, 1. Cor. 12. v. 11. & multos ad dignitates evehit, qui ante ſpreti & abjecti fuerunt, ut exempla Joſephi, Gen. 41. v. 40. Davidis, 1. Sam. 16, 13. Eſther, Eſth. 2. v. 17. aliorumq; probant.

Præſens Evangelium, illud ipſum quadruplici exemplo oſtendit. Quinam enim fuerunt, Petrus & Andreas? Quinam Jacobus & Johannes? Nonne Piſcatores, qui profundè ad fundum deciderant: nihilominus eos Chriſtus protractos ad Apoſtolatum vocavit, ut non amplius terrenæ piſcaturæ intenti eſſe, ſed homines capere debeant, ut Evangelium pluribus indicat.

Nos abſque ulteriori præloquio ad tractationem ejus progredientes, meditabimur ex eodem:

I. Ar-

I. ἀνθρωπολογίαν, ſive *notitiam noſtri.*
II. χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti.*

I. J.

Exegeſis.

Ecce, ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos, Jer. 16. v. 16.

Hoc impletum eſt in præſente Evangelio, in quo audimus, Servatorem noſtrum quatuor piſcatores unâ vice ad Apoſtolatum vocaſſe.

Ad *notitiam noſtri* hic perveniemus, ſi ſpectemus:

I. *Piſcatores retia projicientes.* Hæc enim eorum vocatio erat, cui fideliter vacabant. Unumquemque, ſicut vocavit Deus, ita ambulet, 1. Cor. 7, 17. Neque oderis laborioſa opera, & ruſticationem creatam ab altiſſimo, Sir. 7, 16. Sicut igitur Deus mandavit in ſudore vultus veſci pane ſuo, Gen. 3, 19. Sic & hoc modo victum ſuum quærebant. Erant enim piſcatores, intellige ex profeſſo: Piſcatura erat ars eorum, quam probè didicerant, quam probè callebant, & hactenus tanquam ordinarium victus quærendi medium exercuerant: ideo non improbandi ſunt, quod retia ſua in mare projiciunt, & ita honeſtè alimoniam ſuam quærunt. Manus enim ſedulorum divitias parat, Prov. 10. v. 14. qui verò dormitat, & conſerit manus ſuas, ut dormiat, illi veniet, quaſi viator egeſtas, & pauperies quaſi vir armatꝰ Prov. 6, 11.

Hic quilibet in examen ſui deſcendat, utrum & ipſe vocationi ſuæ fideliter invigilaverit, & rete ſuum ita laxaverit, ſicut id Deus in verbo ſuo præſcripſit?

Si probè rem examinamus, nos omnes ſuo modo peccatores ſumus, & rete noſtrum habemus, quod Deus cuique, ut victum ſibi illo quærat, concredidit, homo enim natus eſt ad laborem, ut aves ad volatum, Hiob. 5, v. 7.

Verbi miniſtri *ſpirituale rete* habent, quod eſt concio Evangelii, quæ expreſsè reti confertur, Matth. 13, 47. hoc ipſo alere ſe tenentur, dignus enim eſt operarius mercede ſua, Luc. 10, 7. Ideo ait Paulus: Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus: magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? 1. Cor. 9, 11.

Qui in magiſtratus officio conſtituti ſunt, *rete* habent *bonarum legum & ordinationum*, quo ſubditos irretiunt & compeſcunt. Ideo quoque tributa illis præſtanda ſunt, miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes, Rom. 13, 6.

In communi vita quilibet *rete vocationis* ſuæ habet, & aut mercator eſt, aut opificium aliquod callet, unde ſe ſuſtentare poteſt, ſine his enim non ædificatur civitas, Sir. 38. verſ. 37.

Si quilibet igitur ſuo loco diligens eſt, & in nomine Domini laxat rete ſuum, piſcium multitudinem copioſam concludet, Luc. 5, 6. & tantum ſibi comparabit, unde cum ſuis honeſtè vivere poſſit. Dominus enim facultatibus piorum benedicit, & cum ipſi tempus eſſe videtur, citò eas auget. Ideò confide in Deo, & mane in loco tuo, facilè enim eſt in oculis Dei ſubitò ditare pauperem, Sir. 11. v. 23. 24.

Sed & *piſcatores nequam* inveniuntur, inter illos, qui abſconderunt foveam retis ſui, ad perdendum homines, Pſal. 35. v. 7. hi illi ſunt, qui omnia attrahunt hamo, contrahuntq; ſuo reti, & congregant ea in reti ſuo, Habac. 1. v. 15. 16.

Verùm hæ opes hæredem non juvant. Hæc

Digitized by Google

enim eſt voluntas Dei, ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem ſuum, 1. Theſſ. 4. v. 6. Et divitias, quas iniquus devoravit, evomet, & de ventre ejus extrahet eas Deus, Hiob. 20. v. 15. Sap. 5. v. 12.

Proinde quilibet in vocatione ſuâ honeſtè laboret: *Dii vendunt bona ſua laboribus*, inquit Menander. Si quis autem non vult operari, non manducet, 2. Theſſ 3, 10.

Sevit Iſaac in terrâ Palæſtinorum, & invenit in ipſo anno centuplum, Gen. 26, 12. quod ſi ſementē nō feciſſet, non meſſuiſſet. Hinc Siracides: Qui operatur terram ſuam, inaltabit acervum frugum, cap. 20, 30.

Anna Tobiæ uxor, ibat ad opus textrinum quotidiè, & de labore manuum ſuarum ſuſtentabat maritum, Tob. 2, 19.

Paulus nocte ac die operabatur, ne quem gravaret, 2. Theſſ. 3. v. 8.

Ne proinde otio indulgeamus, eſt enim *Doctor pravitatis & occaſio peccati*, ut Baſilius ait. *Sed ſemper facito aliquid operis, ut te Diabolus veniat occupatum*, ut Hieronymus monet. At vide, ut quod bonum eſt, opereris, Eph. 4, 28. Bonorum enim laborum glorioſus eſt fructus, Sap. 3, 15. Ira verò & indignatio, tribulatio & anguſtia, in omnem animam hominis operantis malum, Rom. 2. v. 9.

II. *Piſcatores retia ſarcientes*. Hoc ipſo commendant nobis parſimoniam, ut & nos veſtes laceratas & detritas non ſtatim abjiciamus, ſed reſarciamus. Nam ut tempus ſcindendi, ſic & conſuendi eſt, Eccleſ. 3. v. 7. Quinimò ut Claudianus ait:

-- Plus eſt ſervaſſe repertum
Quàm quæſiſſe novum.

Semper enim magnificè patriceq; amicire, proximus aditus eſt ad paupertatem, & qui ſpernit modica, paulatim decidet, Sir. 19, 1.

Hic examines velim te, mi Chriſtiane! utrum & ipſe cum diſcipulis hiſce laceratum tuum rete reſarſeris, ſive, quod idem eſt, quod Deus tibi largitus eſt, ut decet, comparſeris?

Hoc non inſuper habendum eſt: *magnum* enim *vectigal parſimonia*, ut Cicero ait. Hinc Germani in proverbio habent, caligas veteres & detritas, non abjiciendas, donec acceperis novas.

Imperator Auguſtus vulgaribus veſtibus amictus fuit, quas illi conjux ejus contexuit & reſarcivit.

Ageſilaus Lacedæmonum Rex, adeo vili habitu inceſſit, ut propterea Ægyptiis riſui fuerit.

Epaminondas, præſtantiſſimus ille Thebanorum princeps, unicam ſaltem habuit, eamq; maculatam tunicam, ſi eam ad tinctorem vel ſartorem miſit, tantiſper domi ſe continere coactus fuit.

Phocion inclytus ille Athenienſium princeps, ſemper vulgaribus veſtibus & calceamentis inceſſit, imò ut plurimum nudipes fuit, unde Proverbium: *Phocion calceatus eſt*.

Quod ſi igitur primarii hi viri probro ſibi non duxerunt, veſtibus reparatis amiciri, eccur nos id puderet? præſertim, qui in ſtatu œconomico vivimus. Oeconomia enim multis indiget. Parvuli petunt panem, Thren. 4. v. 4. curare nos decet, quid manducare, quid bibere, aut quo operiri velimus Matth. 6. v. 31.

Nemo n. ratione veſtimentorum in laude verſatur: quin magis commendatur, qui in *καταστολῇ κοσμίῳ* in habitu decenti incedit, 1. Tim 2, 9. quàm ſi quis ſuprà conditionem ſuam purpurâ & byſſo induatur, ad exemplum Epulonis, Luc. 16, 19.

E contrario verò apprimè caveamus, *ne peccatorum retia ſarciamus*, quod fit quando peccata noſtra extenuamus & excuſamus.

mus. Sicut hodie nihil vulgarius eſt, quàm ut ſuperbia pro munditie, avaritia pro parſimonia crapula & omnis generis nugæ, pro hilaritate venditentur. Hoc maximum peccatum eſt. Qui enim abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur, Prov. 28. v. 13.

III. *Piſcatores omnia deſerentes* Relictis enim retibus, navibus & patre ſecuti ſunt Chriſtum. Hoc memorabile eſt. Equidem retia & naves relinquere non adeo magnum videtur: aſt patrem relinquere, præſertim in ſenectute, ubi auxilio filiorum quàm maximè indiget, id ſalvâ conſcientiâ fieri vix potuiſſe, dixeris. Id enim nec Gentiles fecerunt, ſed potius in extremis anguſtiis parentum curam geſſerunt. Hinc Plato: *Parentes negligere, nec Deus, nec homo mentis compos ulli conſulet.* Et Virgilius de Ænea memorat, quod patrem ſuum Anchiſen è media flamma liberarit, & dorſo bajulaverit, unde ipſe ait:

Mene efferre pedem genitor, te poſſe relicto
Sperasti?

Sed quando Chriſtum ejusq; Evangelium concernit, ut alterutrum eligendum, aut Chriſtus deferendus & parentes amplectendi, hîc Regula Petri valet: Magis obediendum eſt Deo, quam hominibus, Act. 5, 29.

Hic proba te, mi Chriſtiane! an & ipſe hoc facere velis, ſi perſecutio, Dei permiſſu, tibi immineat?

Quartum quidem præceptum meritò magni æſtimatur ab omnibus piis Chriſtianis, tamen, ut Chryſoſtomus limitat, *exceptis iis, quæ pietati officiunt.* Qui enim amat patrem aut matrem plus, quàm me, non eſt me dignus, ait Servator, Matth. 10. v. 37. Id quod & in V. T. ita mandatum eſt, Deut. 33. verſ. 9.

Iccircò maximam rationem conſcientiæ habeamus, ne eam ſauciamus: *Amandus eſt genitor, ſed præferendus creator*, ait Auguſtinus. Hæc ſumma totius ſcripturæ eſt, & in primo & ultimo libro inculcatur. In Geneſi enim velut primo ſcripturæ libro, exſtat exemplum Abrahæ, quem Deus egredi juſſit de domo patris ſui, in terram, quam ipſi monſtraturus erat, Gen. 12. v. 1. & exiit, neſciens, quò iret, Hebr. 11. v. 8. In ultimo verò libro vox de cœlo clamat: Exite de illa populus meus, Apoc. 18. v. 5.

Quando itaq; res *in æquilibrio verſatur*, ut alterutrer deſerendus ſit, ibi Jacobus & Johannes viam monſtrarunt, quod melius ſit Chriſtum ſervare, & omnia relinquere, quàm Chriſtum relinquere, & omnia retinere, Matth. 19. v. 29.

Hieronymus ejusmodi ſimili id declarat: Miles, qui ſtipendia meretur, ſalvo militiæ ſacramento patri ſuo in tentorio aſſidere poteſt, quando verò buccinâ ſignum datur, omnibus relictis, ducem ſuum ſequitur, & ſeipſum in acie collocat.

Quando itaque juramentum nobis in mentem revocamus, quod Chriſto in baptiſmo præſtitimus: vi cujus ipſum & verbum ejus palam profitemur, contra verò Diabolo, & quod ei repugnat, renunciavimus, officii noſtri eſt, id bona fide ſervare, adeò, ut ſi liberi noſtri nos ſollicitarent, aut mater nudatis uberibus nos obſecraret, ut fidem hanc falleremus, aut ipſe pater in limine ſtratus, exitum nobis intercludere vellet, patrem tranſilire, & ita oculis clauſis valedicere teneamur: ſingulare enim pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem, quâ in re Chriſtus nobis ſuo ipſius exemplo prævivit, dum

Digitized by Google

Quilibet vero det operam, ut *quod utile eſt*, diſcat. Præſtigiatores enim, ſaltatores, pugiles, funambuli, & ejus farinæ homines, vocatione legitima deſtituuntur, ambulant enim ἀτάκτως & curioſe agunt, 2. Theſſ. 3. v. 11. ideo abſtineamus ab iis, & potius quæ honeſta ſunt, exerceamus. Qui enim amat periculum, peribit in eo, Sir. 3. v. 27.

Videat quoque ut ita artem ſuam diſcat, ut gnarus illam cum fructu exercere poſſit. Magiſter enim facit unumquodque, qui autem locat ſtulto, locat illud ſuperficiario, Prov. 26. v. 10.

Tertio caveat, ne veſtigiis Alexandri ærarii inſiſtat, de quo Paulus queritur, quod ſibi multa mala oſtenderit, 2. Tim. 4. v. 14. Sive Demetrii argentarii, qui ædes argenteas Dianæ fecit, & ita lucri cauſa idololatriam promovit, Act. 19. v. 24. Hoc minime Deo placet. Qui enim non mecum eſt, contra me eſt, ait Servator, Luc. 11. v. 23.

II. *Tanquam parvulorum Magnificator.* Non ſine cauſa memorat hic Evangeliſta, quid Andreæ, ejusque fratris Simonis Petri, nec non filiorum Zebedæi opus fuerit, antequam eos Chriſtus in ſcholam ſuam, & ad Apoſtolatum vocaverit, nempe piſcatores fuerunt, ſimplices & abjecti operarii, attamen res magnas geſſerunt, Evangeliumque de Jeſu Nazareno, tanto cum ſucceſſu prædicarunt, ut portæ inferorum adverſus illud non prævalere potuerint, Matt. 16. v. 18. Id opus Dei fuit, hinc Paulus: Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, 2. Cor. 4. v. 7.

Si Chriſtus noſtro conſilio uſus fuiſſet, ſine dubio ipſi conſuluiſſemus, ut ex Collegio Phariſæorum, aut Synedrio Hieroſolymitano eruditione & autoritate præſtantes ſibi elegiſſet, & ad hoc opus adhibuiſſet: ſed & hic locum habet illud Prophetæ: Non cogitationes meæ, cogitationes veſtræ, Eſ. 55.

Hoc ipſo enim quod Chriſtus abjectis piſcatoribus ad Apoſtolatum uſus eſt, ſapientes hujus mundi confundere voluit, qui plerumque plus reſpiciunt externum ſplendorem, quam Spiritus Sancti dona, his ipſis miranda efficit, *ſumit piſcatorem, & convertit Imperatorem*, Auguſtino aſſerente, virtus enim ejus in infirmitate perficitur, 2. Cor. 12, 9.

Id ſemper in familiari uſu habuit.

Virga Moſis, lignum vile & inanime erat, & tamen illa magna miracula patravit: diviſit enim mare, ut Iſraelitis tranſitum præbuerit, Exod. 14. v. 21. tum & petram, ut egreſſæ fuerint aquæ largiſſimæ, quo populus biberet & jumenta, Num. 20. v. 11.

Abjecta res videbatur ſanguis agni paſchalis, & tamen medium erat, quo primogenitura Iſraelitarum à percuſſore præſervabatur, cum ſuperliminare & utrumque poſtem eo aſperſiſſent, Exod. 12. v. 23.

Spretiſſima videbatur *expeditio Gideonis*, quod ille viris trecentis Midianitis ſe opponere vellet, qui multis millibus inſtructi erant: ridicula armatura, quam contra illos ferebat: & tamen hoc modo victoriam reportavit, Jud. 7. v. 16. ſeqq.

Sic viles videbantur *buccinæ Iſraelitarum* tempore Joſuæ, & tamen clangore earundem muri civitatis Jericho ſubruti ſunt, Joh. 6. v. 16.

Viliſſima videbatur *aqua Jordani*, qui ipſa tamen Naeman poſtquam ſepties ſe lavit, à lepra liberatus eſt, 2. Reg. 5. v. 10.

Quid ſpectas in baptiſmo? quid in S. cœna? ibi, nil niſi aquam, hîc nil niſi panem & vinum. Et tamen magna per illa Deus operatur, aqua in baptiſmo nos ſalvos facit,

Digitized by Google

1.Pet. 3.v. 22. in cœna vero Chriſtus cum pane & vino,corpus & ſanguinem ſuum exhibet,ut remiſſionem peccatorum habeamus & cum eo æternum vivamus, Joh.6. v.51. Sic quando adhuc hodie Deus vile nobis medium oſtendit, quo juvari poſſumus, non id contemni debet, potens enim eſt facere ſuperabundanter, quam petimus,aut intelligimus,Eph.2.v.20.

Imprimis vero Concionatores juniores non refragari debent, quando ad miniſterium vocantur,ſicut Moſes, Exod.4.v.10. & Jeremias, c.1.v.6. fecerunt,ſed prompte obſequantur. Quem enim Deus mittit, ideoneum quoque facit miniſtrum N. T. 2.Cor 3.v.6. Eſa. 28, v.ult.

III.*Tanquam ſpiritualis piſcaturæ fundator.* Propterea ait hic ad Petrum & Andreã: Venite poſt me, & faciam vos piſcatores hominum. Hoc elegans ſimile eſt,quod S. Miniſterio non incongrue applicari poteſt, quando ſpectamus:

1.*Piſces.* Quorum variæ ſpecies ſunt.

1.*Immania cete*, qui ingentem aquarum copiam evomunt,qua naves operiunt,tantoque rictu prædiri ſunt, ut hominem vivum deglutiant, Jon. 1.v.ult.

His depinguntur, tyranni & perſecutores Eccleſiæ, quorum vox eſt: Venite,& disperdamus eos,ne ſint gens, & non memoretur nomen Iſrael ultra, Pſal. 83,5.

2.Inveniuntur *lupi foraces*, hi ſunt avari, qui conjungunt domum ad domum, & agrum agro copulant, Eſa.5.v.8.ut ſint viduæ præda eorum, Eſa.10.v.2.

3. Peculiaris *piſcis* eſt, nomine *polypus*, qui in omnes formas ſe mutare, & colorem loci,ubi eſt,induere poteſt. Hi aſſentatores ſunt, quorum ſymbolum eſt, ait quis, ajo negat,nego.Cum ſanctis ſancti, cum perverſis perverſi ſunt,Pſal.18,26.

4. In mari *piſcis Torpedo* invenitur,qui piſcatorum membra adeo enervat, ut piſcaturam intermittere cogantur. Per hos pravorum ſodalitium ſignificatur. Ab impiis enim egreditur impietas, 1.Sam.24,14. Sir.13.v.1.

5.*Lubrici piſcis* ſunt ut *anguilla*, qui prehenſi per manus elabuntur: hi voluptuarii ſunt, qui terrena ſapiunt,Phil.3.v.16. ut dives epulo,Luc.16.v.19.Pſal.73.v.18.

6. *Nonnulli* capti,*ex retibus reſiliunt*. Hi Apoſtatæ ſunt,qui ad tempus credunt, & tempore tentationis deficiunt, Luc.8. v. 13. 2. Pet.2.v.20.Hos abominatur Deus. Ideo Judæis nullis piſcibus veſci conceſſit, niſi haberent pinnulas & ſquamas,Levit. 11.v.9.

Quod myſtice intelligendum eſt.

Squamæ ſunt imago fidei. Quemadmodum enim piſces ſquamis ſe tuentur: ſic & fides optimum noſtrum propugnaculum eſt,& victoria quæ mundum vincit, 1.Joh.5. v.4. *Pinnæ* vero ſignificant *orationem & ſpem.* Veluti enim piſces pinnis ſe in ſuperiora elevant: ſic & oratio noſtra adſurgit ad cœlum, Sir. 35.v.21. Idem & ſpes facit,quæ non confundit,Rom.5.v.4. Thren. 3.v.26.

2. *Piſcatores*, qui variis inſtrumentis, utpote hamo, naſſis, ſagena & reticulis utuntur,ut & cibo conveniente, quo piſces ineſcantur. Sic & Miniſtri Eccleſiæ geminum rete adhibent, legem nimirum, & Evangelium. Lege terrent conſcientias, Evangelio vero rurſus alliciunt, quos terruerunt, & ita lac & cibum ſolidum miniſtrant, Hebr. 5.v.12. Quatenus auditorum ſaluti inſervire poſſe, deprehendunt, unde Paulus: Omnibus omnia

factus

Digitized by Google

factus ſum,ut omnino aliquos facerem ſalvos,1.Cor.9.v.22.

Piſcatores habent *piſcinas ſuas*,in quibus captos tamdiu ſervant, & cibant, dum ad uſum adhibeantur. Sic & præcones & verbi miniſtri ſpiritualem ſuam piſcinam habent quæ eſt Eccleſia, in quam ſtatim per baptiſmum ſuſcipimur, & conveniente animæ cibo affatim reficimur, dum nos Chriſtus è terrena hac militantis Eccleſiæ piſcina in cœleſtem Hieruſolymam introducat.

Quemadmodum enim *piſces boni magni æſtimantur*, & non facile in caſis ruſticorum: ſed in magnatum menſis apponuntur, & comeduntur: mali vero abjiciuntur, Matth. 13. v. 48. Sic in conſummatione ſeculi exhibunt angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum: piſces malos abjicient, ut abominatio ſint omni carni, Eſa. 66. v. ult. Bonos vero ſervabunt ad cœnam magnam ubi cum Abraham, Iſaac & Jacob in regno cœlorum accumbemus, Matth. 8, 11. Tum apparebit quid ſit, inter piſces bonos & malos, inter ſervientem Deo, & non ſervientem ei. Malach. 3. verſ. ult. Impios enim Dominus à ſe ablegabit in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus: Juſtos vero introducet in vitam æternam, Matth. 25. v. ult. ubi abundantia gaudiorum cum vultu ejus, & delectationes in dextera ejus usque in æternum, Pſal. 16. v. ult.

Largiatur id nobis Deus triunus per Chriſtum Servatorem noſtrum Amen.

In die feſto B. Thomæ Apoſtoli.

Evangelium, *Ioh.* 20. v. 24. -- 29.

EXORDIUM.

Cum *Naas Ammonites* caſtra metatus eſſet, adverſus oppidum Iſraeliticum, quod vocatur Jabes-Galaad: cives ejusdem civitatis illi ſe dedere & ſervire voluerunt. Et reſpondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiſcum fœdus, ut *eruam omnium veſtrum oculos dextros*, ponamque hoc opprobrium in univerſo Iſrael. Miſerunt ergo cives ad Regem Saul, ut ſuccurreret ſibi. Qui convocato populo Iſraelitico, ad internecionem percuſſit Ammonitas; reliqui autem diſperſi ſunt ita, ut non relinquerentur in eis duo pariter, 1. Sam. 11. v. 1. ſeqq.

Hæc myſticè interpretabimur.

Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, & *duobus oculis* ornavit, quibus mundum contemplare poteſt: ſed & *duos internos oculos* eidem dedit, nempe *oculum rationis*, & *oculum fidei*: altero, quæ ad hanc terrenam vitam: altero, quæ ad æternam vitam ſpectant, conſpicit. Oculus rationis in divinis claudendus: oculus vero fidei aperiendus eſt, ſi Chriſtum contueri, ejusque bene-

Digitized by Google

ſtris comprehenderentur. Sicut igitur alias vexatio dat intellectum, Eſa. 28, 19. ita hoc ipſo ad preces impelluntur, ut ſubinde conveniant, in ædibus illis, in quibus Dei cultum ſuum exhibebant, quodque ita continuarunt, dum Spiritus Sanctus in Feſto Pentecoſtes viſibiliter ſuper eos effuſus eſt. Omnes enim erant perſeverantes unanimiter in oratione, cum mulieribus, & Maria matre Jeſu & fratribus ejus, Act. 1. v. 14.

Hic proba te, mi Chriſtiane! utrum & tibi neceſſarium videatur, ut die Dominica, diebusq; feſtis & profeſtis congregationes publice in æde Domini inſtituantur?

Inveniuntur, qui concionum ſacrarum pertæſi, ſupervacaneum æſtimant, frequentes congregationes inſtituere, & ſufficere ſi ſingulis Dominicis ſemel duntaxat Chriſtiani ad audiendum verbum conveniant. Sed hi ſciant, quod mos ille ſit antiquiſſimus, nec nuperis temporibus adinventus. *Ipſe filius Dei primus Concionator in paradiſo fuit*, Gen. 3. v. 15. Deinde hominibus operam hanc demandavit, ſicut expreſſe memoratur, quod *tempore Seth* cœptum ſit invocari nomen Domini, Gen. 4. v. 20. Hoc ita porro continuatum eſt. *Enoch* verba fecit de extremo judicio, Ep. Jud. v. 14. *Noah* vocatur præco juſtitiæ, 2. Pet. 2. 5. *Melchiſedec* ſacerdos Dei altiſſimi, Gen. 14, 18. *Abraham* in terra Canaan cœpit invocare nomen Domini, Gen. 13. v. ult. *Loth* Sodomitis prædicavit, Gen. 19. v. 9.

Hinc ſequitur ex *natura Correlatorum*, quia Deus miniſterium tam ſancte ſancivit, ut in loco illo ſedulo compareamus, ubi ejusmodi conciones habentur. *Hoc præcipue fieri debet, die Dominica, & diebus feſtis.* Sex diebus facietis opus, dies ſeptimus, quia ſabbathi requies eſt, ſancta erit convocatio, Lev. 23. v. 3. *Diebus* quoque *profeſtis*, occupationibus terrenis tantum detrahendum eſt, ut cultui divino intereſſe poſſimus. Verbum enim Dei verus animæ cibus eſt. Non in ſolo pane vivet homo. Matth. 4, 4.

Quemadmodum autem non Dominica modo die: verũ & aliis diebus cibis fruimur, ſi vitam corporalem ſuſtentare velimus, unde Chriſtus petere jubet panem quotidianum, Matth. 6. v. 10. ſic eccleſiæ commodum viſum eſt, ut non die Solis duntaxat, ſed & diebus profeſtis conciones ſacræ haberentur, quo ſemper occaſio ſit, nos in pietate ædificandi, quoad interiorem hominem, qui per auditum verbi divini, & ſacramentorum uſum roboratur. Domine, in illis vivent, & in omnibus verbis tuis eſt vita ſpiritus mei, ait Rex Hiskias, Eſa. 38, 16.

Quod ſi vero verbum Dei negligatur, & oſcitanter audiatur, precioſum illud ſit, ut tempore Eli, 1. Sam. 3. v. 1. ut querela Davidis locum habeat: Signa noſtra non vidimus, jam non eſt amplius Propheta, Pſal. 74. v. 9. quæ ſuperiori bello in plurimis A. C. eccleſiis intonuit. Ideo nos mutuo alloquentes dicamus: Venite, & adſcendamus ad montem Domini, Eſa. 2, 3. ne anſam præbeamus Domino, cum verbo ſuo à nobis abeundi. Væ enim illis, ubi ego diſceſſero, ait Dominus, Oſe. 9. v. 12.

II. *Thomæ ſeparationem*, non enim erat cum illis. Chryſoſtomus ſuſpicatur, fuiſſe Thomam è fuga, qua Apoſtoli ſibi, ingruente paſſione Domini, in monte oliveti conſuluerant, nondum ad collegium reliquorum tum reverſum; ſed converſatum interea cum ejusmodi hominibus, qui

Digitized by Google

qui rationi ſuæ inhiantes, de illis rebus collocuti fuerint, quæ in paſſione acciderant, quomodò videlicet Chriſtus à militibus flagellatus, ſpinis coronatus, & crucifixus fuerit. His meditationibus ſeſe dedit, non vero recordatus eſt reſurrectionis & aſcenſionis Dominicæ, quam utramque Chriſtus non minus prædixerat, Luc. 18, 31.

Quod igitur Thomas à conſortio reliquorum Apoſtolorum receſſit, hoc non exiguo detrimento ei fuit. Sic enim inſtructione & conſolatione paſchali caruit, quam cæteri diſcipuli ex ore Chriſti hauſerant, ex hoc lætabundi dicentes: Vidimus Dominum. Fides enim ex auditu eſt, Rom. 10. v. 18.

Hic in examen tecum deſcende, & interroga te, annon & ipſe nonnunquam congregationem deſerueris?

Horum non pauci occurrunt in mundo. Jeruſalem, quæ ædificatur, ut civitas: cujus participatio ejus in idipſum, ut illuc aſcendant tribus, tribus Domini, teſtimonium Iſrael, ad confitendum nomen Domini, Pſ. 122. v. 3. Sed hic offerunt ſeſe:

1. *Deviantes*, qui congregationes omnino deſerunt, ut ingrati hoſpites in Evangelio, Luc. 14. v. 18. Verum idipſum magnum peccatum eſt. Qui enim ex Deo eſt, verbum Dei audit, Joh 8. v. 47. hinc ex adverſo ſequitur, quod qui verbum Dei non audiat, non ex Deo ſit. Quod ſi vero ex Deo non eſt, certe in ſatanæ ſynagogā pertinet, Apoc. 3. v. 9. & partem ſuam inveniet in ſtagno, ardente ſulphure & igne, quæ eſt mors ſecunda, Apoc. 21. v. 8.

2. *Dormitantes*. Hi fruſtra templum viſitant, diabolus enim ſomnum ipſis conciliat, ne audiant verbum, & ita naufragium ſalutis faciant, 1. Tim. 1. v. 19.

3. *Confabulantes*, hi quia tempus ita inutiliter terunt, ſemper quidem diſcunt, ſed nunquam ad agnitionem veritatis perveniunt, 2. Tim. 3, 7.

Veri Chriſtiani caveant, ne deſerant collectionem ſuam, Heb. 10. v. 25. Sed re familiari tantiſper neglecta transeant cum caterva, & ambulent ad domum Dei, Pſal. 42. v. 5. ne & ipſi cum Thoma jacturam ſpiritualium bonorum faciant.

Hagar, Abrahami ædes relinquens, in deſerto, ſiti ferme periens, miſere oberrat, Gen. 21. v. 14. 16.

Teſtudo cochleam ſuam derelinquens, diſſluit æſtu ſolis enecta, Pſal. 58. v. 9.

Infantulus matris uberibus abreptus, & ſic omni alimonia deſtitutus, contabeſcit & interit.

Idem & hîc accidit, quando Deus ejusq; verbum negligitur, & congregatio Chriſtianorum derelinquitur, & tandem illi naufragium ſalutis faciant, 1. Tim 1. v. 19.

III. *Incredulitatis conteſtatio.* Reliquis enim Diſcipulis apparitionem Domini ipſi pleno ore renunciantibus, reſpondet: Niſi videro in manibus ejus veſtigium clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus non credam.

Hic tantus lapſus fuit, ut major fere eſſe non potuerit. Auguſtinus quidem illum excuſare nititur his verbis: *Quam bona ignorantia, quæ erudivit ignaros. Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, vox iſta inquirentis, non negantis eſt.* Sed verba nimis perſpicua ſunt, nec tam facile excuſari poſſunt. Præterea Thomas non primus fuit, qui in peccata prolapſus eſt: ſed ſpiritus ſanctus plura ejusmodi exempla conſignari juſſit: *Ut lapſus majorum ſit tremor minorum.*

Si

Si hoc factum in viridi ligno, quid fiet in arido, Luc. 23. v. 31.

Quilibet hic inſpiciat ſeſe, annon & ipſe in hoc vel illo fidei articulo rationi nimium indulgeat, & cum Thoma in errorem prolapſus ſit?

Non inficiari poſſumus, adhuc hodie multos occurrere Thomiſtas, in eccleſia, qui in myſteriis divinis omnia ratione metiuntur, & nihil credere volunt, niſi ſenſibus ſuis idem comprehendere poſſint: hoc ipſo vero fidem perdere & in maximam ἀπιστίαν, quæ non modo ex ſeipſa *peccatum peccatorum* eſt, incidere poſſunt: Verum & omnia propter illos in peccatum & maledictum degenerant, licet coram oculis carnalibus maxime pretioſa videantur. Quicquid enim ex fide non eſt, peccatum eſt. Rom. 14. v. ult. & ſine lumine fidei totum corpus tenebroſum eſt, Matth. 6. v. 23. Et qui incredulus eſt filio, ira Dei manet ſuper eum, Joh. 3. v. ult.

Ideo hoc maxime cavere debemus, & verbo Dei inhærere, ut neque diabolus neque mors inde abſtrahere poſſit. Cœlum enim & terra tranſibunt &c. Luc. 21. v. 33.

Hic requiritur firma fiducia, ut non modo in genere credamus, Chriſtum mortuum eſſe & reſurrexiſſe: ſed & in individuo nobis applicemus, cum Thoma dicentes: Dominus meus, & Deus meus. Aut cum Paulo: Chriſtus dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me, Gal. 2. v. 10. *Vocabula enim meum & tuum in corporalibus turbant animos, ſed in ſpiritualibus confirmant*, ut cum Paulo dicere poſſimus: Certus ſum, quia neque mors neque vita, &c. Rom. 8. v. 38. 39.

Hoc Clenodium diabolo *ſudes in oculis* eſt, ideo variis technis utitur, quibus lumen fidei in homine extinguat, eundemque in tenebras incredulitatis præcipitet. Probe enim novit callidus ille ſpiritus, quod Chriſtus ſine fide nihil nobis proſit: & quotidie experitur quantum damnum hoc ipſo regno ejus inferatur, dum mundum vincit, 1. Joh. 5, 4. & diabolo ipſi reſiſtit, 1. Pet. 5, 9.

Sed & *devote cum diſcipulis oremus*: Domine, adauge nobis fidem, Luc. 17. v. 5. Inſimul quoque ſedulo templum, confeſſionem & ſacram cœnam accedamus, hæc enim media ſunt, quæ Deus ad roborandam fidem ordinavit, qui illa ſpernit, ſpernit conſilium Dei adverſus ſeipſum, Luc. 7, 30.

De Secundo.

Accedemus nunc ad *alteram partem*, χριστογνωσίαν, ſive *notitiam Chriſti*, contemplaturi. Hic nobis conſiderandus proponitur:

I. *Tanquam perturbatorum exhilarator*. Apoſtoli in conclavi concluſo congregati erant, inter ſpem & metum: verum ex improviſo Dominus advenit, & exhilarat eoſdem præſentia ſua optatiſſima. Idipſum promiſerat in concione valedictoria his verbis: Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis, Joh. 16, 22.

Hunc proceſſum adhuc hodie Deus cum fidelibus inſtituit, *afflictio præcedit, lætitia ſuccedit*, nemo enim coronatur, niſi legitime certaverit, 2. Tim. 2. v. 5. Sed cum impiis contrario modo res ſe habet, ut hic viam habeant, complanatam lapidibus, Sir. 21. v. 11. & cum divite epulone quotidie ſplendide epulentur, Luc. 16, 19. ſed finis infauſtus eſt. Ponit enim eos Deus in lubrico, dejicitque in devaſtationem, ut abſumantur à terrore, Pſal. 73. v. 18. 19.

Digitized by Google

Verum quid melius: hic ridere & ibi flere, aut hic flere, & ibi ridere? Certe non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, Rom. 8. v. 18. Ideo animam veſtram in patientia cuſtodite, dilecti! viciſſitudo omnium rerum, *poſt nubila Phœbus*, Pſal. 30, 6.

Gaudium hoc, quod Deus fidelibus ſuis exhibet eſt *triplex*:

1. *Gaudium externum*, quod ex externa felicitate oritur, ſi quis habeat ſana corporis membra, bonam ſuſtentationem, pacificum conjugium, prudentem Magiſtratum, obſequentes liberos, fideles famulos, bonos vicinos, & id genus alia. Hic vere beatū dixerimus populum, cui hæc ſunt, Pſal. 144. v. 15. Licet enim plerumque Deus ſuos ſub ferula habeat, & caſtiget: attamen & ſuo tempore eosdem in refrigerium ducit, & poſt tempeſtatem tranquillum facit, Tob. 3. v. 22.

Cuicunque igitur Deus hanc benedictionem largitur, boni eam conſulere debet. Nihil enim alias habet de labore ſuo, omnibus diebus vitæ ſuæ, niſi quod comedat & bibat, Eccleſ. 8. v. 15.

2. *Gaudium internum*, quod Deus per Spiritum ſuum Sanctum in cordibus eorum accendit, fructus enim ſpiritus ſunt pax, gaudium, Gal. 1. v. 22. Hoc nihil aliud eſt, quam læta conſcientia, qua homo certus eſt, ſe propter Chriſtum benevolum Deum in cœlis habere. Hæc juge convivium eſt, Prov. 15. v. 15. quod per nullas tribulationes perturbari poteſt, ſed ejusmodi fidelis gloriatur in tribulationibus, Rom. 5. v. 3. adſpiciens remunerationem, Heb. 11. verſ. 26. guſtat enim virtutes ſeculi venturi, Heb. 6. v. 5. nec multum recordatur dierum vitæ ſuæ, eo quod Deus occupet gaudio cor ejus, Eccleſ. 5. v. ult.

3. *Gaudium æternum*, quod Auguſtinus, *gaudium ſupra omne gaudium, vincens omne gaudium, extra quod non eſt gaudium*, appellitat.

Hoc in mundo nihil ſtabile eſt, *nuptiæ* facile fiunt *miſeria*, & ex *jubilate ejulate*, 1. Macc. 9. v. 41. ſed in vita æterna gaudium noſtrum erit perfectum, Joh. 16. v. 24. ab omnibus enim ærumnis longe remoti, erimus in habitatione pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie ſecuritatis, Eſa. 32. v. 18.

Quodſi igitur, mi Chriſtiane! *externo gaudio potiri* non poteris: ſed Deus cibat te pane lacrymarum, & potat te lacrymis copioſe, Pſal. 80. v. 6. ut tota die contriſtatus ingrediaris, Pſal. 38. v. 6. *Internum cordis & conſcientiæ gaudium* non ſinas tibi eripi, ſed dic cum Aſſaph: Mihi adhærere Deo bonum eſt. Pſal. 73. v. ult. Sit verbum Dei in gaudium & lætitiam cordis tui, Jer. 15. v. 16. Gaudete, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis, Luc. 10. v. 20. Exulta in Deo ſalutari tuo, Luc. 1. v. 47. Gaudete in Spiritu Sancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ, Eph. 1. v. 14. teſtimonium reddens ſpiritui noſtro, quod ſimus filii Dei, Rom. 8. verſ. 10. ſic in morte quoque confidere poterimus, Prov. 14. v. 32. & aliquando perveniemus in lætitiam inenarrabilem & glorioſam, 1. Pet. 1. v. 8. quæ in cœlo omnibus piis parata, nunquam auferetur ab ipſis, Joh. 16. v. 22.

II. *Tanquam errantium Revocator.* Exemplum habemus in Thoma, hic in devia exitioſa aberraverat, nec credere volebat, Do-

Digitized by Google

Dominum & Servatorem ſuum à mortuis reſurrexiſſe: ideo inquirit eum Jeſus, ſicut paſtor oviculam, quæ à grege deviavit; & poſtquam eum prima vice non invenit, poſt octiduum redit, nec ceſſat, quam eum ex errore reduxerit, hinc ipſe ait: Ego paſcam oves meas, Ezech. 34. v. 16.

Ejusmodi fidelitate adhuc hodie Eccleſiam ſuam proſequitur.

Multæ ſubinde inveniuntur *oves errantes*, quæ *partim ad dextram* ſecedunt, non acquieſcentes ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei, quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ, 1. Tim. 6. v. 3. ſed ſibi ipſis doctores faciunt prurientes auribus, 2. Tim. 4. v. 3. *Partim vero declinant ad ſiniſtram*, aut in viam meretricis, Prov. 6. v. 29. aut in viam augurum, Jud. 9. v. 57. aut in viam Balam, filii Boſor, qui mercedem iniquitatis amavit, 2. Pet. 2. v. 15. ſive alias habent ſemitas curvas, Pſal. 125. v. ult. quæ ad perditionem ducunt, Matth. 7, 13.

Sed & Chriſtus quoque non ceſſat, ſed facit vineæ ſuæ quod debet, Eſa. 5. v. 4. & per miniſtros ſuos vocat: State ſuper vias, & interrogate de ſemitis antiquis, Jer. 6. v. 16.

Hæc via bona nemo alius eſt, quam Chriſtus, qui ait: Ego ſum via, Joh. 14. v. 6. Huic viæ itaque inſiſtamus oportet, ſi cœlum ingredi velimus, nec declinemus neque ad dextram neque ad ſiniſtram, Eſa. 30. v. 21.

Si quis in *viam meretricis* deviavit, audiat Apoſtolum clamantem: Hæc voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, 1. Theſſ. 4. verſ. 4.

Si quis *via Caini* inſiſtens, irreconciliabili odio proximum ſuum proſequitur, audiat Johannem: qui fratrem ſuum odit, homicida eſt, 1. Joh. 3. v. 15.

Si quis ab *Epicureis ſeductus*, quorum vox eſt: Ecce, gaudium & lætitia occidere vitulos, Eſa. 22. v. 13. cum illis concurrit in eandem luxuriæ diſſolutionem, 1. Petr. 4. v. 4. audiat Eſaiam: Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, Eſa. 5. verſ. 11.

Si quis in *fæneratorum ſella* ſedet, & variis technis opes corradit, audiat Paulum: Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, 1. Tim. 6. v. 9.

His & ſimilibus exhortationibus, verbi miniſtri errantes in viam revocant, & in genere cum Jeremia dicunt: Revertere averſatrix Iſrael, Jer. 3. v. 12.

Beatus ille, qui cum Thoma revertitur, & peccatis abſtinet, & iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabitur Dominus, Ezech. 18. v. 24.

III. *Tanquam fidei commendator.* Ita enim ad Thomam ait: Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti: at in poſterum non cuilibet me videndum, ſentiendum, tangendum & palpandum exhibiturus ſum: ſed hæc regula erit, quam, qui me Servatorem ſuum agnoſcunt, obſervare debent: Beati, qui non viderunt, & crediderunt.

In communi vita dicere ſolemus: *Fide, ſed cui, vide!* Sed in ſpiritualibus ante fidendum eſt, quam videamus, Deus, enim quo cum nobis hîc intercedit, fidelis eſt, & absque ulla iniquitate, Deut. 32. v. 4. Quod ille promiſit, certiſſime implebit, dictum factum, Ezech. 17, 4.

Hoc de *omnibus fidei articulis* intelligi debet, quos ratione comprehendere minus poſſumus, tenebris enim obſcuratum habemus intellectum, Eph. 4. v. 18. Difficile æſtimamus, quæ in terra ſunt, Sap. 9, 16.

Digitized by Google

Quis indagare poterit, quod Deus cœlum & terram ex nihilo creaverit, & omnia, quæ in iis ſunt? Phyſice dicitur: Ex nihilo nihil fit. At fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei: ut ex inviſibilibus viſibilia fierent, Heb. 11. v. 3.

Quis intelligere poterit? Deum eſſe unum in eſſentia & trinum in perſonis? Et tamen id certiſſimum eſt. Tres enim ſunt qui teſtimonium &c. 1. Joh. 5, 7.

Quis ratione aſſequi poteſt admirandum illud unionis perſonalis inter divinam & humanam naturam Chriſti Servatoris myſterium? *Ubi*, dicente Bernhardo: *tria ſunt, quæ in admirationem veniunt, Deus & homo, Virgo & mater, Fides & cor humanum.* Ideo rectè pronunciat illos Servator beatos, qui non viderunt & crediderunt, Eſt enim fides ſperandarum ſubſtantia, rerum argumentum non apparentium, Heb. 11. v. 1.

Similis ratio baptiſmi, cœnæ Dominicæ, Reſurrectionis mortuorum & vitæ æternæ: ut & omnium fidei articulorum, qui rationi abſurdi videntur.

In hoc mundo enim per fidem ambulamus, non per ſpeciem, 2. Cor. 5. v. 7. Sicut igitur in vita æterna Dominum intuebimur ſine velamento, à facie ad faciem, 1. Cor. 13. v. 12. ita hîc contenti ſimus cum eo ſub ſacramento, videntes eum per ſpeculum in ænigmate. Hoc modo enim ſe nobis exhibet, præcipue in ſacra cœna, ubi nobis ſub ſymbolis externis benedicto pane & benedicto vino corpus ad manducandum & ſanguinem ad bibendum exhibet, vi verborum inſtitutionis: Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum. Accipite & bibite hic eſt ſanguis meus, Matth. 26, 26. 28. Marc. 14. v. 22. 24. Luc. 22. v. 19. 20. 1. Cor. 11. v. 24.

Hoc ſufficiat nobis in mortalitate hac, & aliquando in hoc fidei lumine videbimus lumen æternum, Pſal. 36. v. 10. Hæc beatitudo eſt, de qua Chriſtus ait: Beati qui non viderunt, & crediderunt. Beati hic in *tempore gratiæ*, Oculi enim Domini reſpiciunt fidem, Jer. 5. v. 3. Beati in *regno gloriæ*, ubi Deus omnia in omnibus erit, 1. Cor. 15, 28. & illis, qui in fide perſiſtent, impoſiturus eſt coronam vitæ, quæ nunquam à capite ipſorum aufferetur, Apoc. 2. v. 10.

Largiatur id nobis pater cœleſtis ex gratia, per & propter Chriſtum, Dominum & Servatorem noſtrum.
Amen.

ANT 1742683

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

E 18.
Digitized by Google

Digitized by Google